THEOLOGIA MORALIS: DE CENSURIS ECCLESIASTICIS : CUM...

Étienne Bauny



Digitized by Google

R. P. STEPHANI BAVNY MOSOMENSIS, E SOCIETATE IESV.

DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS.

Cum Summariis, Indice duplici, vno Tractatuum et Quæstionum, rerum altero.

THEOLOGIÆ MORALIS PARS ALTERA.



PARISIIS,
Apud MICHAELEM SOLY, viâ Iacobæâ ſub ſigno Phœnicis.

M. DC. XLII.

Cum Priuilegio et Approbatione.



ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO DOMINO D.
NICOLAO SANGVIN
SYLVANECTENSI EPISOPO,
Christianissimo Regi à Secretioribus Consiliis.

OPVS hoc literarium de Censuris cui nisi tibi dedicarem (Præsul Illustrissime) qui Censuram non metuis, infligis aliis? *Vita principis Censura est, eaque perpetua*, tua prę cæteris, ipsa enim quę tecum nata est virtus, iisdemque quibus ætas tua coaluit incrementis, Censura est, quia de aspectu suo scelera corrigit. Erat ista quidem iam in te, cum puer esses, illis grauis, cum adolesceres formidanda improbis, iam autem matura in te viro, quos non motus in iis facit? quam non conspecta cognitaque, admirationem sui parit? Ita quam in bene præparatis te contuentium animis, virtus hæc tua vehementes amoris sui faces accendit, tam illa acres diuini cuiusdam odij, quo vitia deflragare in illis omnia sit necesse, ignes generosa alit, vt quod de Christianorum pallio ambitiose Tertullianus olim, hoc de tuâ virtute, hoc de te, meliori dicere iure queas; *Censura sum, de occursu meo vitia suffundo, Grande est oris mei, grande oculorum beneficium, sub quorum recogitatu improbi mores erubescunt*. Nihil dico ad gra-

Plinius in Panegyrico.

tiam, quisquis te nouit, si tacitam vitæ tuæ, morumq; censuram vitare cupit, virtutem colit, scelera detestatur ac odit, de tuo quotidie aspectu, ac auditu, melior Deoque fit acceptior, nec erit vnquam, quin à te, vel tacente proficiat, paulatim enim in pectus descendis, & vim pręcepti obtinet, audire te frequenter & videre. Factum ideò non sine numine puto, quò prodesses plurimis, tuisque extaret testimonium meritis, tua vt te, hoc est gentis familiæque tuæ propria virtus, in Senatum transscriberet. Hîc verò quàm religiosè, quàm temperatè, quàm sanctè vixeris, quàm nihil nisi ad amussim gesseris, quâ charitate pupillorum innocentiam, viduarum solitudinem, pauperum inopiam contra vim defenderis, meminere qui te Senatore ereptos se sciunt à discrimine, nec enim te amor, vt multos, incitabat ad patrocinium, non ad vindictam odium, sed vt paucos, vbi moerens, affectaque iacebat æquitas, eò te recti, quę tecum à puero creuerat, studiosum & amantem, inclinabat humanitas; ita fiebat vt cum in illo augustissimo totius orbis Concilio, reorum defendebas causam, non proderes Dei ac tuã, cum aliena gerebas negotia, tua ac virtutis minimè neglectum ires, imo tua, quia aliena, vtiliter faceres, quâ te prudentiæ pręstabili laude, etiamnùm miramur inclytum. Enimuero qui tunc talis eras, etiam nunc, post abdicatum magistratum es talis, sed hoc discrimine, periclitantibus ex officio tunc aderas, ius non raro importunis miserorum fractus clamoribus dabas, nunc vltrò, ac non rogatus, ad eorum subsidium aduolas, quę-

rebant

rebant te tunc illi ſolitudinis ſuæ defenſorem, ac patronum, nunc non rogatus, ſæpe non expectatus mœſtis ades, iacentes erigis, opibus ſolaris ac verbis, dumque eos tam amanter habes, tam paternè foues, tam liberaliter ac effusè bonis auges, qualis ante eras, non tamen humanę, ſed longè prętantioris, hoc eſt cœleſtis ac diuinę modo es, Senator Curiæ. Tunc te conſiliorum murice tincta ornabat purpura, tunc te maiores tui vtriuſque ſtirpis, longo retro ordine, in auguſtâ Pariſienſi Curiâ, Præſides, Senatoreſque infiniti propè numero, ſuâ illuſtrem reddebant gloriâ, eorum non te modò ceræ commendant, quæ nunquam fluent, non fumoſæ imagines, gloriæ nepotum ſemina, quæ adhuc nitent, non arbor tua gentilitia proxima cœlo, ex quâ fructuum loco tot diuina eorum pendent facinora, vera tuæ nobilitatis teſtimonia, ſed quæ ſunt paucorum, animi prçclara decora, ſed quò te tua euexit virtus, non ambitus, aut aliena commendatio, Epiſcopatus tui illuſtria inſignia. Huius autem, Eccleſiæque adeo vniuerſæ maieſtatem, quantâ tuearis conſtantiâ, quantâ & quam acri in id curâ excubes, ne hæc ſibi ſua aliquando detracta queratur ornamenta, ne immunitates ac priuilegia, narrare quis poteſt?

In Pontificem verò, eiuſque leges quanta tua ſit veneratio, quanta in cœlites religio, moderatio in omnes, malo in aliorum opinione eſſe, quam dicere.

Sanè conſtat, tam tibi ſacra eſſe, ac religioſa Romana fulmina, vt audita tantùm, te terreant, conſpecta exaniment. Amplificandæ autem Eccleſię,

diuinæque non in Diœcesi tuâ modò, sed vbique propagandæ gloriæ, quanta te, ac quam ardens dies noctesque cura sollicitum habeat nouit is solus, qui te suis è cœlo facibus æstuantem, semper ad noua, semper ad ardua acuit. Prodeunt ex hoc igne, suauibus intermixta lacrymis continua tua suspiria, tua vota, tuæ antelucanę preces, quas tu ideo lucem vis pręcedere, & arcanas esse, ne sint publicę, ac ab istiusmodi rerum admiratore populo cognitę, ac laudatæ, ratus id esse satis publicum, quod Deus videt, laudatum, quod idem acceptum habet.

Istud autem quale est, & quantum ad laudem? quotidianis in Ecclesiâ tuâ principe, interesse te officiis? diuina peragere mysteria, sacrâ quotidie litare hostiâ? & cum cęteri, semel quotannis sacrificare, satis esse ad officium existiment, te quotidie domesticum ac conuictorem habere Deum? O te tanto beatum hospite! ô te tam constanti tuâ in eius cultu voluntate mirabilem, cæteri, quam voles, religiosi sint ac pij, quandoque tamen cessant, quandoque de viâ, quietis causâ, deflectunt ad vmbracula, naturam defessi audiunt, animum remittunt, tantisper de seueritate vitę ad delicias diuertunt. Tu tui semper similis, quam semel tibi vitę, precum, officij, diuinęque Deo Patri, quot diebus in Ecclesiâ offerendę victimæ legem dixisti, sic seruas, quasi è cœlo Christus, aut è Sina altero, nouus tibi quispiam sanxisset Moses.

Iam verò quod hæc tua erga Deum Cęlitesque religio, non ætatis sit, aut necessitatis, non noua, non le-

uis

uis, non personata, ac mutabilis, sed quod tecum in Episcopatu nata; iisdem exinde, quibus mens tua cœlestibus epulis ad maturitatem prouecta, nunc in præstando officio, viuida manet ac rata, par sibi semper ac similis in operandi constantiâ, quis non videt tam gloriosum in te istud, quam in aliis rarum? Nec es verò tibi soli bonus, penetrat ad alios tua virtus, erexisti virginibus templum nobile, vt Dei Mystes esses, cœlitibus altaria, vt te ij aliquando cœlitem habeant, puellis claustra, vt peccato sinus animę omnes suæ, aditusque claudant, virtuti pandant ac Deo, Cœnobium structura pręcipuum, amplitudine conspicuum, vt tuis ibi viuant stipendiis sapientia ac castitas, securę ambæ à periculis. Mitto eleemosynas occultas tuas, mitto Xenodochiis ac miseris mitti per te solita quotannis ampla donaria. Illustre est quod sequitur, à te non semel, extremam propè religiosæ cuiusdam domus subleuatam inopiam, annonę angustias munificentiâ laxatas tua, ac ne eius fama manaret ad vulgus, aut eius alumnos, huius tuæ beneficentiæ, vel leuis è domo tuâ afflaret aura, per tesseuerè pro imperio, domesticis ne te proderent, edictum esse, O factum te Nicolao Præsule dignum! factum aris, templisque consecrandum! factum, quodquo instinctu, & quorsùm ageres, quamque verè inopũ pater ac patronus esses, licet muti essemus omnes, indicat. Indicant & ipsę ędes tuę, nam illum patent Religiosis cuiusquemodi, tam qui peregrini & aduenæ, quam qui Syluanecti sunt incolæ, quid loquuntur aliud, nisi eas te velle caritatis esse do-

micilium, mensam autem, in quâ tecum sedent, eorumdem esse gratum ac suaue cœnaculum? De Societate autem nostrâ loqui quid est necesse? in quam amoris tui ordiri hic panegyrim, nec breuitas Epistolæ, nec tuus sinit pudor, erit aliquando, breuique vt spero, quum quibus, munificentiâ ipse regiâ sacrarium pręparas, Musę in tuas se laudes effusę dabunt, quod quia iam diu cogitas, pro tuâ in ordinem nostrum caritate benigne, pro tua in Syluanectenses beneuolentiâ fructuose, gratias ego quantas tibi possum ac debeo, ago, habeoque maximas, & quia meum est alienis viuere beneficiis, tuum cui nunquam dandorum est penuria, datorum pœnitentia, prodesse cunctis, pro eâ te, quâ me amoris humanitate complecti soles, oro, rogoque, vt huic qualicunque operi meo, quod tibi omni iure, & nomine lubens consecro, Illustrissimi tui nominis radios affulgere sinas, vt quas ab auctore, subiectáque materiâ tenebras habet, mirabili iucundâque virtutum tuarum luce dispellas. VALE.

Ex Collegio Parisiensi
quarto Calendas Iunii
anno reparatæ salutis
1642.

ILLVSTRISSIMÆ AMPLITVDINIS TVÆ

Seruus in Christo perpetuus
STEPHANVS BAVNY.

INDEX TRACTATVVM ET Quæstionum.

TRACTATVS PRIMVS, De Censuris Ecclesiasticis.

QVÆSTIO I.

De Iudice absoluente à Censuris.

QVÆSTIO I.

TRACTATVS SECVNDVS.

DISPVTATIO PRIMA. de Excommunicatione.

QVÆSTIO I.

DISPVTATIO SECVNDA
De causa effectiua ac subiectiua Excommunicationis.
QVÆSTIO I.

DISPVTATIO TERTIA DE
Absoluente à Censuris.
QVÆSTIO I.

TRACTATVS TERTIVS

DISPVTATIO QVARTA DE Excommunicationibus ob damnum temporale ferri ab Episcopo solitis;

QVÆSTIO I.

TRACTATVS QVARTVS.

DISPVTATIO QVINTA DE Excommunicatione incurrenda ob percussum Clericum.

QVÆSTIO I.

TRACTATVS QVINTVS.

DISPVTATIO SEXTA DE Excommunicatione minore.

QVÆSTIO I.

TRACTATVS SEXTVS.

DISPVTATIO SEPTIMA DE Effectibus excommunicationis maioris.

QVÆSTIO I.

DE BVLLA COENÆ eiusque excommunicationibus.

QVÆSTIO I.

EPITOME HVIVS TRACTATVS.

CAPVT PRIMVM.

TRACTATVS OCTAVVS DE SVSPENSIONE.

QVÆSTIO I.

QVÆRITVR.

EPITOME TRACTATVS de Suspensione.

CAPVT I.

TRACTATVS NONVS DE INTERDICTO.

QVÆSTIO I.

EPITOME TRACTATVS de Interdicto.

CAPVT I.

TRACTATVS DECIMVS DE DEPOSITIONE.

QVÆSTIO I.

TRACTATVS VNDECIMVS DE IRREGVLARITATE.

QVÆSTIO. I.

VIII.

EPITOME TRACTATVS de Irregularitate.

CAPVT I.



APPROBATIO.

EGO Stephanus Binetus Prouincialis Societatis IESV, in prouincia Franciæ; iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. decimo Maij 1583. Henrico IV. vigesimo Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante decimo quarto Februarii 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eisdem Societatis hominibus compositos absque eorumdem permissione imprimant. Permitto MICHAELI SOLY Bibliopolæ Parisiis degenti, vt librum qui inscribitur *De Censuris Ecclesiasticis*, à STEPHANO BAVNY, nostræ Societatis Theologo, compositum & eiusdem Societatis, grauium Doctorumque hominum iudicio approbatum, ad proximos decem annos diuendere possit. Datum Parisiis 21. Februarij 1639.

STEPHANVS BINETVS.

PRIVILEGE DV ROY.




LOVYS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, A nos amez & feaux Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes Ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuosts, ou leurs Lieutenans, & tous autres nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, SALVT, Nostre cher & bien Amé MICHEL SOLY, Marchand Libraire à Paris, nous a faict remonstrer qu'il auroit recouuert vn Liure intitulé, *Tractatus de Censuris Ecclesiasticis, Composé par le R. P. Estienne Bauny, de la Compagnie de IESVS*, Auquel Liure il n'y a rien contre la Foy, bonnes mœurs, & Religion Catholique, Apostolique & Romaine, ains iugé d'estre Imprimé pour l'vtilité publique, suiuant les Approbations des Docteurs en Theologie de la Faculté de Paris, signées F. Laurens de la Motthe, F. Simon Roger, & C. Meusnier, & l'acte du R. P. Binet Prouincial de la mesme Compagnie, cy attachez soubs le contre-seel de nostre Chancellerie, lequel Liure il desireroit Imprimer, ou faire Imprimer, vendre & faire distribuer, ce qu'il n'ose faire sans nostre permission, qu'il nous a fait supplier luy vouloir sur ce accorder : A CES CAVSES, Auons audit Soly permis & permettons par ces presentes, d'Imprimer, faire Imprimer, vendre & distribuer ledit Liure tant de fois, en tels volumes qu'il desirera, & ce durant le temps & terme de dix ans, à compter du iour qu'il sera acheué d'Imprimer : Faisans tres expresses inhibitions & deffences à tous Libraires, Imprimeurs, & autres personnes de quelque qualité & condition qu'ils soient, d'Imprimer ou faire Imprimer, vendre, distribus, ny extraire aucune chose dudit Liure sans le congé & consentement dudit Soly sur peine de confiscation des exemplaires qui auroient esté mis en vente au preiudice des presentes, & de mil liures d'amende, moitié à nous, & l'autre audit suppliant, & en tous ses despens, dommages, & interests : Voulons, & nous plaist, qu'en mettant vn Extraict des presentes au commencement ou à la fin de chacun desdits Exemplaires, elles soient tenus pour signifiées & venues à la cognoissance de tous, à la charge de mettre trois Exemplaires dudit Liure, sçauoir deux en nostre Bibliothecque, & vn en celle de nostre cher & feal Cheualier Chancellier de France le Sieur SEGVIER, à peine d'estre descheu du present Priuilege : SI vous mandons, & à chacun de vous enioignons que du contenu des presentes, vous faciez ioüir, & vser plainement, & paisiblement ledit Soly, ou autres ayant droict de luy : Cessans, & faisans cesser tous troubles & empeschemens au contraire : Et au premier nostre Huissier ou Sergent requis, faire pour l'execution des presentes, tous Exploits requis & necessaires, sans demander placet, visa ne pareatis que cesdites presentes, nonobstant clameur de Haro, Chartre Normande, prise à partie, & Lettres à ce contraires : CAR tel est nostre plaisir, nonobstant aussi oppositions ou appellations quelconques, pour lesquelles, & sans preiudice d'icelles ne voulons estre differé. Donné à Paris le 18. iour de Mars 1639. & de nostre Regne le vingt-neufiesme.

PAR LE ROY EN SON CONSEIL.

RENOVART.

Acheué d'Imprimer le dix-huictiesme Iuillet mil six cens quarante deux.



DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS VNIVERSIM.

TRACTATVS PRIMVS

QVÆSTIO PRIMA.

CENSVRÆ NOMINE THEOLOGI quid intelligant?



CENSVRÆ nomen, interdum dignitatem significat, quali apud Romanos præstabant, quos Censores à populi Romani moribus cẽsendis appellabant, de quo Tertul. in *lib. de carne Christi: Si reuera de lupa, aut sue, aut vacca prodire voluisset, & fere corpore indutus, Regnum cælorum prædicare, tua opinor censura illi præscriberet?* id est, tuum illi quasi iudicium opponeres.

Secundo idem valet censuræ nomen ac *castigatio*, quo sensu senes à Lyrico appellantur Censores minorum, id est culparum, quæ per eos admittuntur, correctores ac vindices, queriturque Satyricus, quòd *dimittat coruos, vexet* autem *censura columbas*, & Plinius in Panegyrico *vita Principis censura est, eaque perpetua, ad eam dirigimur, ad hanc conuertimur.*

Tertio, idem est ac pœna spiritualis & Ecclesiastica, qua Præsules magna in Ecclesia scelera, vt inobedientiam, sui contemptum, subditorum aduersum se contumaciam frangunt, ac domant. Ab hoc effectu est censura, variis olim appellata nominibus, & primo quidem dixere eam Apostoli in can. XI. eorum quorum creduntur authores *priuationem communionis*, duodecimo autem & 23. *damnationem &* A *abscisionem ab Ecclesia*, can. 29. 30. 32. & 33. *segregationem à fidelibus, De Graffiis lib. 4. decis. cap. 1. nu. 5. & Henriques lib. 14. cap. 112. correctionem.*

Et quoniam exultans impietas, censuris vt vinculis astricta comprimitur, ne in capita grassetur insontium, eas vinculorũ, ac nexuum nomine notare placuit, patet ex forma, qua in recõciliandis mortalibus, quos censuræ, culpa sua vinciunt, communiter vtitur Ecclesia; in ea enim B vinculorum fit mentio, *absoluo te à vinculo excommunicationis, suspensionis, &c.* quemadmodum & in decretali *qua fronte* 25. tituli de appellatione, vbi Alex. Papa tertius recisos per censuram ab Ecclesia, astrictos ait excommunicationis & interdicti vinculis ob contumaciã, vel culpam, in quo quoniam se, suaque, à vi contemptuque tuetur Ecclesia, censuras *arma* esse dixit *Innoc.* 4. non quælibet, sed sacra, sed spiritualia, sed Ecclesiastica. *Quoniam aduersus eius nimiam potentiam* C *sufficiens temporalis defensio non aderat, potuit se etiam spiritaliter, gladio videlicet vtẽdo Ecclesiastico defensare,* ac recurrere propter hoc ad arma spiritualia quæ sunt Ecclesiæ propria cap. 6. *De sent. excommu. in 6.* Præ cæteris autem magni est hæc facienda nomenclatura quæ est Concilii, cum de censuris loquens, eas disciplinæ veteris ac nouæ *Neruos* nominat, sessione

25. cap. 3. vt enim est in neruis robur hominis, ita & in censurarum vsu, Ecclesiæ se vires produnt, neruos incide, aut opprime ne agant, membris motum, homini ademisti sensum: tolle de Ecclesia supplicia, censuras, spiritalia verbera, confirmas vitia, virtutem enecas, breui ea per vim oppressa, impune vbique volitabit amentia, sincerum nihil, fucata omnia, perditaque visentur in Republica, quæ animi vulnera Ecclesiæque certa dedecora, quoniam censuris coalescunt, curanturque omnia, eamobrem dicuntur *medicinales disciplinæ 2. quæst. 1. can. Multi 18. & cap. cum medicinalis, de sententia excommunicat. in 6. capite ex literis de constitutionibus*, quam iuste vero, vel, hinc patet quod vt habet Aristot. *li. 2. ad Eudæmonem* Κολάσεις ἰατρεῖαί τινές εἰσι: in pœnis enim vis quædam inest medendi animi, eaque certa, non fallax aut errans, quemadmodum sunt in medicina, ac pharmacis, valetudinis retinendæ aut recuperandæ semina; ita & in censuris. Quam enim multos alit Ecclesia, quos cum commoda, amor, beneuolentia, principumque charitas in viam reuocare errantes non potuisset, metu pœnæ, supplicijque, sapere ipsi sua sponte didicere illico, docente nemine?

QVÆSTIO II

Explicatur definitio censuræ.

EST censura Graphio lib. 4. decision. cap. 1. *Morum correctio, scelerum vindicatio*, Nauarro Enchiridii cap. 27. nu. 1. sententia lata à capace ordinis, mediante iurisdictione Ecclesiastica, fori exterioris.

Nobis *censura pœna est spiritalis, ad forum exterius Ecclesiæ pertinens, qua baptizatus eius imperiis non obsequens, quorumdam bonorum spiritualium vsu priuatur, donec à contumacia recedat*. Pœna est, nam coercendis improbis infligitur, quod non habet irregularitas omnis, hæc enim cum ob vitia naturæ, eaque culpæ aliquando vacua, imponatur, absolute sumpta pœna non est, quæ est vindicta scelerum, iisque castigandis communiter à Magistratu irrogari solita, *Bona* autem quibus censura priuat *spiritalia sunt*, nam hæc membris non nocet, corpus incommodo nullo directe afficit, violentiam non reprimit, motus non frenat, sensus voluptate sibi debita nulla spoliat, nec enim ieiunia indicit, verberationes imperat, mulctas pecuniarias reo non irrogat, sed quas actiones exercere, quibus Ecclesiæ bonis, animique ad merendum commodis gaudere, ac frui fidelis ante excommunicationem poterat, hunc eorum vsu censura priuat; & hoc est quod bonorum spiritualium nomine hic intelligimus: nec enim per censuram exuimur internis, vt sunt merita, non habitualibus, cuiusmodi sunt Spes, Fides, Charitas, non permanentibus, vt sunt character, quia est indelebilis, non bonis operibus, secundum vim satisfaciendi & merendi quam habent, ex applicatione operantis, quia his homo inuitus priuari non potest, nec sunt in potestate ac arbitrio Ecclesię, quibus ergo? externis tantum, circa quæ proximè eius iurisdictio versatur, hinc est quod bonorum spiritalium nomine, in definitione censuræ, propriè non alia intelligantur quam publica, seu communia, quo de genere sunt Ecclesiastica suffragia, satisfactiones, spiritualis iurisdictio, sacramenta & beneficia, cæteraque huiusmodi, quorum dispensatio commissa est Ecclesiæ, quibus per eam spoliari reum posse vsus ipse indicat, experientiaque; Nam quis nescit à Rege, aut suprema aliqua Republica, reo magnorum scelerum ob ea adimi bona posse, quæ sunt omnium communia, ergo & ab Ecclesia, quæ Dei ciuitas est, ac *castrorum ordinata acies*. Fit in definitione *Ecclesiæ* mentio, vt remoueantur magistratus sæculares ac laici, qui etsi reos mulctare bonis, mittere in vincula, capite plectere, vno verbo, suppliciis quæ sunt, commeriti, punire valeant, non tamē sacræ rei priuatione ac censuris, quę quoniam infligi causa non cognita, reoque non admonito nequeunt, 1. q. 2. can. 11. additum est ideo in definitione ad forum non internum, censuras spectare, sed ad externum tantùm, in quo publice de criminibus inquiri solet.

QVÆSTIO III.

Quot sint Censuræ.

FVIT olim, quorumdam opinio septem esse, excommunicationem, suspensionem, interdictum, cessationem à diuinis, depositionem, degradationem & irregularitatem, eam præsertim quæ ex delicto nascitur, de hoc numero, Sotus dist. 22. quæstion. 3. articul. 1. duas tollendas

lendas credidit, depositionem & degradationem, quinque alias retinuit.

Dico ergo *tres duntaxat esse*, ita ordinariè Doctores.

Et probatur primo, ex capite statutum, de sententia cap. quærente de verborum significatione, vbi consultus Innocentius III. quid intelligendum sit per censuram Ecclesiasticam, quando ponitur in literis Pontificiis: Respondit, *quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis & excommunicationis sententia valeat intelligi*, quibus verbis indicauit haud dubie, pœnam aliam nullam præter memoratas, nomine censuræ comprehendi, alioqui manca diminutaq; fuisset eius responsio, nec ponenda proinde inter decreta, sub titulo de verborum significatione, vbi hæc secundum notionem, ac totam suam amplitudinem explicare Pontificibus est in more.

Scio argumentum hoc negatiuum esse, neque tamen improbandũ, quia argumẽta negatiua, quæ Metaphysicè vi carent ac robore, censentur in iure concludere, secundum Nau. cap. 27. Auila 1. parte de censuris dub. 5. quod in præsenti materia valet vt quam maximè, nam quis Pontificem ea eruditione ac literatura præditum hominem existimet, tam parum in respondendo vidisse, vt quæ explicanda fuerant taceret, ac non nisi imperfectum, mutilumque responsum daret? vt fecisse eum oportuit, si præter censuras quas ea decretali tetigit, agnosci debent & aliæ.

Non erit ergo (inquies) irregularitas ex delicto, censura. Omnino: Nam etsi ab ea parum differat, ei tamen nec res nec censuræ nomen conuenit, argumentum esto quod Nauarro teste cap. 27 num 254. *Lay. lib. 1. tractatu 5 parte 1. cap. 2* cum à Romano Pontifice in Bullis facultas absoluendi à censuris datur, non comprehendatur irregularitas, nisi exprimatur, ergo cum stilus Romanæ Curięius faciat vt supponitur. *In capite ex literis de constitutionibus, cap. quam graui de crimine falsi*, quam non est probabile irregularitatem in numero ac serie censurarum esse?

Quid quod constet eum qui irregularitate impeditus celebrat, non contrahere aliam irregularitatem? & tamen nulli non est certum, eum qui censuram celebrando violat, irregularem fieri: quo argumento cessationem à diuinis, à censurarum catalogo remouendam Nau. probat, meoque sensu prudentissime. Addo amplius non modò confessario videri permissum

A esse ab irregularitate reconciliare, quando in diplomate suo Pontifex potestatem ei annuit absoluendi ab omnibus casibus, sed multo maxime, cum ei vult licere ab omnibus censuris & pœnis, quoslibet absoluere, quia pœnæ nomen cõiectura admodũ verisimili, ad eas duntaxat refertur pœnas, quæ sacramentorum vsum, seu receptionem impediũt, vel in quas proprie cadit absolutio, quo de genere non est irregularitas, quæ non absoluitur, sed dispensatur.

Secus quam nobis Emanueli Sa est visum verbo enim absolutio numero

B antepenultimo hæc habet: *An vero qui potest absoluere ab omni censura, possit liberare ab irregularitate, orta ex peccato, alij aiunt, alij negant: probabile est posse, qui potest ab omni pœna, pœna illa enim est.*

Ratio verò cur irregularitati inter censuras non sit locus, hæc est, quod non tam sit corrigendis fidelibus instituta, receptaq; ab Ecclesia, quam vt sacri mystę (hoc est ordinum ministri) decẽtiam statui suo congruentem habeant, cuius rei est hoc signum, quod excommunicatio, suspensio, interdictum, quamuis impediant

C ordines eorumque vsus, quatenus sunt fidelium cum fidelibus cõmunicatio, non tamen directe ab eorum receptione, vel exercitio, prout sunt ordines, sola est irregularitas, quæ à receptione & executione eorundem, quatenus sunt tales, impedit *Auila part. 1. dub. 5.* in respons. ad argumentum.

Ex his infertur, depositionem, degradationem & istiusmodi pœnas Ecclesiasticas, non esse censuras sed pœnas duntaxat, quibus superior Ecclesiasticus, per

D canonem vel sententiam, grauiter delinquentes punit.

QVÆSTIO IV.

An & à quo habeat potestatem Ecclesia censuras ferendi & quando ea vti cœperit.

E OPinioni quæ mihi certa de quæstione proposita insidet, sunt hæ quæ sequuntur, lucis causa præmittendæ hypotheses.

Prima. Homines esse in Ecclesia, quibus admirabili erga eam prouidentia, potestatis sibi diuinitus à Patre traditæ partem ad laudem augustissimæ Triadis, hominumque commodum, clementissime Christus impertiit, *Matth. 16. Tibi dabo cla-*

ues regni cælorum, & quodcunque ligaueris, &c. Matth.18. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, &c.

Est ergo potestas verè data, primo Apostolorum Principi Petro, cum ei à Christo suarum demandata est cura ouium, *Ioan. 21. Pasce oues meas*, data similiter cæteris Apostolis & quidem immediate vt ostendit. *Belarm. lib. 4. de Summo Pontif. cap. 16. & 23.* Probatque ex his seruatoris Christi verbis, *Ioan. 20. Sicut misit me viuens Pater; & ego mitto vos*: Cypriani insuper testimonio *de vnitate Ecclesiæ*, cuius est hæc elegans in primis ad rem præsentem sententia, *& quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat, sicut misit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, &c. tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua auctoritate disposuit: hoc erant vtique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis, sed exordium ab vnitate proficiscitur*, cum enim Ecclesiæ regimen sit Monarchicum, oportet auctoritatem omnem esse in vno, & ab illo ad cæteros deriuari, quod significatum est olim, Numer. 11. cum de spiritu Moysis acceptum dicitur quod cæteris communicaretur: non enim vt notat August. quæst. 18. in Numer. ista ablatio diminutionem spiritus, qui erat in Moyse, significat, quia sic Moysi nihil profuisset habere adiutores, si ipse factus fuisset animo debilior, sed deriuationem virtutis seniorum, à Moysis virtute, in quo tota resideret authoritas, in aliis autem ea esset quam à Moyse recepissent. Quare sedem Petri, aut verius ipsum Petrum loco proxime citato nu. 17 Cyprian. cōparat capiti, soli, radici, fonti, à quibus rami, radii, riui, sensusque manant, hoc est Episcopi Prælati, Pastores, non extraordinarii illi, vt Apostoli, sed eorum successores proximi, quique hoc tempore admouentur ad gubernacula Ecclesiæ, vide Bellarminum loco citato cap. 24.

Hypothesis secunda. Potestas iurisdictionis qua pollet Ecclesia, non est tantū interior, hoc est eiusmodi, quæ ad solum forum sacramentale spectet, in quo nempe de conscientia dumtaxat, internoque eius ac animę bono, cura est Episcopo aut parocho, sed etiam exterior, vt pote ordinata ad Ecclesiam in exteriori foro per iudicia, pœnas, cæteraque quæ ad eam bonis temperandam moribus, regen-

A damque sunt necessaria; eius autem iurisdictionis partes sunt admodum duę, directiua & coercens, prioris vsus est maxime in sciscendis legibus, alterius vis est præcipua, totaque in reprimendo scelere, castigandis nocentibus.

Hypothesis tertia. Est vtraque hæc potestas in Ecclesia, patet ex cap. Matth. 18. quarto & quinto primæ ad Corinth. & ex communi certoque tam Ecclesiæ, quam Doctorum sensu. Et sanè neminem reor nisi hæreticum negatum ire, Ecclesiam
B qua nulla melior est, pręstantiorque orbe toto Respublica, posse leges condere, subditisque imperare, quod decet & conuenit, hosque, si obsequi renuerint, pœnis coerceri posse.

Hypothesis quarta. Ecclesiæ finis non est alius, quam qui supernaturalis, cuius cōsequendi causa, eidem bipertita illa, de qua hypothesi secunda, potestas est concessa diuinitus, quare vt communis, priuataque multorum salus spectatur ab Ecclesia, ita & bonis abundat, quibus eam prouehat, eorum spe ac amore mortales alli-
C ciat, negligentibus ac reis, ea in pœnam substrahat. Nā cui est ignotū, Rerumpublicarum solenne hoc esse, eorum, quos mandatis suis reluctantes habent, contumaciam frangere, bonorum subtractione quibus bene de se, ciuibusque meritos, ad magna in dies acuunt At est Ecclesia Rerumpublicarum non infima, quare vt magistratus illa suos habet, qui eam salutaribus monitis temperent, ac decretis, vt supplicia decernit quibus scelera punit, ita & præmia, quibus virtutes compenset,
D & ad magna, Dei, ac Religionis causa capessenda incitet sacro suo inclusa ærario non pauca continet, quibus in pœnam admissorum ne nocentes fruantur ac gaudeant, facere eam posse quis negat? His ita præsuppositis.

Dico primò, *in Ecclesia ferendæ censuræ potestatem esse*, conclusionem de fide certam esse, facit Concilii Constantiensis auctoritas, à quo session. 15. dam-
E natus est Ioannis Hus articulus 14. Ecclesiæ fulmina, eorumque vsum tam temere improbantis quam impie.

Secundo est regendi auctoritas, quam directiuam nominant, si minus vana, ac certe inutilis ac otiosa, nisi eam coercitiua firmet, ac muniat: Quotusquisq; enim quam voles moratus, sola virtutis indole, specieque captus, eam amplectitur? ad eius amorem mouemur plerique fere omnes, spe laudis ac gloriæ, reuocamur à vitiis

is metu pœnæ, ne ergo sit Ecclesiæ in
lerandis mortalibus fructuosa parum
ra, instructam eam esse oportuit po-
te, si quid eos peccare contra bo-
mores accideret, puniendi non qui-
pœna vlla corporis, cum à sanguine
s manus habeat, non pecuniaria mul-
lla, cum dare, non auferre soleat,
spiritali, quæ in bonorum non cu-
emodi, sed spiritualium priuatione
, hanc ergo infligere, cum est ne-
, ad multorum aut vniuscuiuspiam
m ac bonum, ei diuinitus est per-
m.

am quis credat voluisse Christum,
siã, qua nihil est ei in terris charius,
testate carere, qua continetur salus
um, quæque continendis in officio
us ei est in primis necessaria?
uidem cum per se, ac directe tempo-
on tractet, nisi per censuras, bono-
iritalium vsu ac communione con-
es priuare posset, vix vllam ei à suis
ret extorquere obedientiam, vix
m sperare licitum.

muerò si Censurarum iusto metu
ohibetur improbitas, si quo minus
lesiã homines peccent, aut in Chri
hominis officium, plerique fœde in-
nt ac impie, hæ non obstarent, ama-
id homine fieret, aut quæ spes reli-
clesiæ foret exterminandi à finibus
ij? si hæc Censuris earumque metu
eprimere, in bonam frugem perdi-
rantesque in viam reducere ei ne-
t?

o 2. *Hanc potestatem datam Ecclesiæ*
o Domino, ea auctoritate qua illam in-
liuina scilicet, & excellentia.

contra quosdam qui potestatem
æ imperatoribus acceptam refe-
hanc ab iis vt à capite ac fonte
in Ecclesiam tradunt, id enim
o omni specie abhorret veri? Ec-
im est Christus Ecclesiæ consti-
Princeps, constitutæ rector ac
us? quam parum est ergo proba-
n ad id Principum opera vsum? aut
mendicasse imperium, vim ac po-
n, qua eam præditam ad multo-
itatem oportuit.

sane excellentissimam indepen-
i Regibus Remp. esse voluit, qua-
rederet, si non est potestate neces-
gendis subditis, iisdemque cum
, coercendis instructa? Quare ni-
esia imperatoribus acceptum de-
eter splendorem & opes, quibus

A circumornatur.

Patet exemplis. Ab Anania & Saphira, non sine aperta Principis Dei vindicta, Petrus de mendacio pœnas repetit; Paulus incestuosum 1. ad Corinth. 5. Hymeneum & Alexandrum, naufragantes à fide sathanæ tradit, 1. ad Timotheum 1. quid tum reges, quid principes vtrique ad eam rem contulerant? aut ab imperatoribus quid tum habebat Ecclesia præter cruces, catastas & supplicia?

Dico tertiò, *Vsum potestatis Censuræ ferendæ, ab Apostol. temporibus ad hæc qui-*
B *bus viuimus, continuata temporum serie, viguisse in Ecclesia.* Et quidem ab illis Ecclesiastica Censurarum fulmina in nocentes emissa esse indicat factum Pauli de quo proxime, indicant scripta ab iis consecutis temporibus decreta, multa & varia nam à 6. can. vsque ad 83. eorum, quorum dicuntur Apostoli authores, vix reperire est vllum, in quo non expressum aliquod excommunicationis, suspensionis, interdicti, aut irregularitatis vestigium notare
C non liceat, in 6. Episcopus, Presbyter, Diaconus, qui sæculares curas assumunt, deponi iubentur in septimo autem à gradu suo deiici, *Si sanctum Pascha diem, ante veris æquinoctium, cum Iudæis egerint.* In nono *Diaconus qui oblationis factæ non est particeps, à consortio segregatur communicantium, vt author offensionis factus populo, & suspicionem præbens in offerentem.* In decimo, qui cum excommunicato simul orat, pariter excommunicatur. Apostolorum exemplum secuti Patres, rebellium contu-
D maciam, iisdem armis fregerunt, quorum illi metu, ne hæc erumperet, suo tempore, effecerant. Vnus erit omnium instar Cyprian. qui Epistola iuxta Pammelij editionẽ 28. Fœlicissimum de Ecclesia expulit, *Interim,* inquit, *cum Fœlicissimus comminatus sit non communicaturos in monte secum, qui nobis obtemperassent, id est, qui nobis communicarent, accipiat sententiam quam prior dixit vt abstentum se à nobis sciat,* hoc est excommunicatum phrasi Cypriano vsitata, &
E communi.

Fuit eius moris approbator ac testis August. Epistola enim 10. Auxilium arguit, quod Gallicanum cum familia sua excommunicasset, quam erat probabile integram non deliquisse, cum tenera puerorum ætas, rationis vt plurimum expers ac nescia, peccare nequeat, est & Innoc. Papæ primi factum super hac re cum in primis admirabile, Arcadium enim & Eudoxiam eius coniugem quod Chryso-

ftomo molefti effent,nec ab ea iniuria abfifterent, piorum cœtu mouendos credidit, vereque mouit, anno falutis circiter quadringentefimo quinto.

Anaftafium de hærefi conuictum, nec eorum congreffum ac colloquia vitantem qui de ea erant fufpecti, Symmachus anno falutis quingentefimo decimo circiter, de Ecclefia expulit. Parem anno quingentefimo vigefimo fexto Childebertus, Clodouei filius, cum ignominia, pœnam ab Agapeto primo illatam fuftinuit, quod Galterium Iuetofium in loco religiofo ac facro, manu fua, ipfe ira percitus occidiffet.

Cyprianus vt eft in epift. 41. fecundum edition. Pammelij Nouatianum Epifcop. cum Matthæo Presbytero, & Augendo Diacono, à communicatione fua, & Catholicorum cohibuit, Epiftola 10. fufpēfurum fe à diuinis Presbyteros quofdam, incautos & temerarios minatur, fi peccare perfeuerent, *Vtar*, inquit, *ea admonitione, qua me vti Dominus iubet, vt interim prohibeantur offerre, acturi apud nos, &c.* epift. 49. ad Cornelium Papam ait Nouatum, *qui eijci habebat ab Ecclefia*, id eft excommunicari, *de Presbyterio excitari* (hoc eft interprete Pamm. ibi à Presbyteri officio fufpendi) *fed & communicatione prohiberi iudicium Sacerdotum voluntaria difceffione præueniffe.* Ludouicum IV. Imperator. Ioan. 22 & Benedict. XII. excommunicarunt. Pighius li. 5. Hierarch. Ecclef. cap. 14. & 15. Gregor. II. Leoni Imperatori Iconomacho à fe excommunicato, prohibuit vectigalia folui ab Italis, Cedren. in vita Leon. Ifauri. Luthericus Senonenf. Archiepif. & S. Fulbertus in Lifiardum Archidiaconum Parifienf. quod Epifcopo fuo moleftus effet ac grauis, excommunicationis fententiam dixere. *Nos*, inquiunt Fulberti ore epift. 34. *à fanctorum Patrum fententia difcrepare nolentes illum à communione feparamus, quantum noftræ poteftati conceditur, donec refipifcat, & Epifcopo fuo digne humiliatus fatisfaciat.*

Dies me deficeret numerantem Epifcopos ac Præfules qui in fimili caufa, fimili aut certe non admodum difpari pœna fæuierunt in vitia, de multis pauca hæc collegiffe fit fatis.

Dico vltimò, *Poteftatem hanc iudiciariam Ecclefiæ, de iure diuino effe.*

Caufa eft, quod fit à Chrifto inftituta, quod ab eo benignitate prorfus incredibili ac diuina, fit Ecclefiæ tradita: Math. 16. & 18. his verbis: *Quæcumque ligaueritis fuper terram erunt ligata & in cœlis.* Humana

A tamen dicitur quia exercetur ab hominibus vnde Hieron. in hæc Matthæi 18. *quæcumque ligaueritis, &c. Poteftatem*, inquit, *tribuit Apoftolis, vt intelligant qui à talibus damnantur, humanam fententiam diuina roborari*, & Chryfoft. homilia 4. in cap. 2. ad Hebræos. *Nemo cōtemnat Ecclefiaftica vincula nō enim eft homo qui ligat, fed Chriftus qui poteftatem hanc dedit, & dominos facit homines tāti honoris*, ait Bonif. VIII. *in Extrauaganti vnam fanctam de maioritate, & obedientia. Eft autem*, inquit, *hæc authoritas, etfi*

B *data fit homini & exerceatur per hominē non humana, fed potius diuina, ore diuino Petro data, fibiq; ac fuis fuccefforibus in ipfo, quem confeffus fuit petra firmata, dicente Domino ipfi Petro, quodcumque ligaueris fuper terram.*

Eft ergo hæc poteftas in fua origine diuini iuris, humani autem in vfu, imo talem effe fimpliciter, nonnulli volunt quod eam afferant immediate à Romano Pontifice communicari Prælatis, quod non eft probabile.

C

QVÆSTIO V.

Quem ad finem Cenfuræ ab Ecclefia ferantur.

VNO verbo Cenfurarum ferendarum fines omnes complectemur, fi falutem animarum, vel Dei gloriam, in his infligendis ab Ecclefia fpectari dicamus; vt quid tamen enucleatius afferamus ac preffius, dicere placet has ferri, vt ægri fanentur, perditi puniantur, boni in

D officio contineantur, ideoque cenfuras, medicinas, arma, neruos vocari.

Ægros autem intellige, mente magis quam corpore inobedientes fcilicet & contumaces, aut vtrofque, quibus afflictam animi valetudinem, pia mater Ecclefia, hac medicinali caftigatione cenfurarum, reddere fatagit, ideo Couar. priori parte recollectionis in cap. alma, num. 9. initio, ait excommunicationem ex fine medicinalem dici, *quia fertur, vt fit medi-*

E *cina peccatis, & ficut medicina corpus purgans, non exiguis nihilominus illud damnis afficit*, ita & cenfura hominem bonis fpiritualibus, fuffragiis, ac Sacramentis priuat, &c. & tamen fatius eft vel hoc modo fanari, quam perire. Vide Caffianum *lib. 2. de Canonico nocturnarum cap. 16.*

In hac autem curatione tripliciter Dei bonitatem imitatur Ecclefia, primo, quia filios fuos, ficut & ipfe, rebus aduerfis caftigat,

,& ad mentis sanitatem reuocat pœ-
vexatione, intellectum culpis suis
n illuminat: docet Paulus qui 1. Co-
5. infamem illum Corinthium sa-
tradidit, *In interitum carnis vt spiritus*
ieret, id est, vt durám, vt asperã vno
vt vexationem eiusmodi pateretur,
Energumenis præbere dæmõ solet,
ám in vindictam & satisfactionem
criminis, dæmoni occidendus tra-
t, vt animus saluus fieret, qui saluo
e periisset. Secundò, quæ prioris est
s Confirmatio, sicut Deus se pec-
n immemorem fore profitetur,
cumque eorum auctor ac reus in-
rit, ita Ecclesia quoties peccatores
pœnitet, & resipiscere illis lubet,
t. Tertiò, imitatur hæc Deũ in sua-
tenæ, quæ suauitas, etiã cum vide-
e acerbissima castigatio, incredi-
plane, totaq; diuina, vt in punitio-
i parentis est videre: peccãti enim
atuita dũtaxat sustulit, quæ illi na-
etiam non peccanti debita non
licet iustitiam originalem, gratiam
supernaturales charitatẽ, &c. Ec-
militer eum inobedientẽ & perui-
emel, sæpiusue præmonitum cen-
it, nil ei aufert suum, sed eum pri-
um vsu bonorum spiritualium, vt
s, quæ propria sanctorum sunt, &
ccatorum, & sic sine graui, aut
liaris iactura aut corporis offensa,
s imminutione resipiscere ei est
n, vt ait, *Vgol. ta. 1. cap. 25. num. 2.*
tum *li. de Iustitia q. 6. art. 6.* vbi do-
siam non priuare hominem per
propriis ipsorum bonis, vide &
ib. 13. cap. 1. n. 3.

ionis autem faciendæ modus
net Ecclesia, in eo est, vt reo con-
n ingerat, *est quippe confusio addu-*
am & gloriam, Ecclesiast. 4. vers.
ideo populo suo petebat Daniel.
7. *&* 8. medicinam hanc verò a-
niè expressit Paulus 2. *ad Thess.* 3.
Quod si quis non obedit verbo nostro
lam, hunc notate & ne commiscea-
illo, vt confundatur, & nolite quasi
existimare, sed corripite vt fratrem.
loco pleraque ad censuras perti-
i possunt. Primò, earũ subiectum
hristianus: ad Christianos enim
ui tum se fratres vocabant. Se-
ulpa cuius causa ferri debent in-
iæ scilicet. Tertiò, monitio, cũ
ccatorẽ iubet & corripi. Quar-
tionis modus, cum suauitate sci-
more, eum considerando vt fra-

A trem vt ægrum non inimicum, non ho-
stem, non desperatum. Quintò, censuræ
effectus qui est prohibere consuetudinem
excommunicati. Sextò, finis proximus,
scilicet confusio, per quam hic ad obe-
dientiam ac sanitatem reducatur.

Censuras autem gignendæ confusioni
idoneas esse ac efficaces patet: Enimuero
quis non erubescat cum Christi fideles, id
est socios, id est vicinos, & amicos videt
consuetudinem suam defugere, se autem
Sacramentis arceri, aditu Ecclesiarum
prohiberi, ingressum eiici foras, sacra se-
B pultura, piorum precibus, publicis suffra-
giis, viuum mortuumq; mulctari? quis hic
non metuat, quis non toto corpore con-
tremiscat, cum se meminit diris sacrum
ignis æterni futurum nisi resipiscat pabu-
lum, *Summum enim, ait Tert. in Apolog.*
cap. 29. futuri iudicij praiudicium est, si quis
ita deliquerit, vt à cõmunione orationis & cõ-
uentus, & omnis sancti commercij relegetur.

Censurarum finis alter est, punire
perditos, maximorum scelerum reos, vi-
uentes ac mortuos iustis mactare suppli-
C ciis,

Voco perditos, qui in statu peccati mor-
tiferi desierunt viuere, & quemadmodum
Deus in eos nulla misericordia vtitur, quin
potius, *Pœna inimici percutit eos, castigatio-*
ne crudeli, & insanabili fractura affligit, vt
loquitur ipse Ierem. 30. vers. 12. & 14. non
solum quia eos summis bonis exuit, sed
multo maximè quia summis malis & tor-
mentis quatit: ita Ecclesia mortuos, conui-
ctos criminis, præsertim hæreseos, dignos-
que ideo censura, grauissimo quo potest a-
D nathemate, ferit, detestatur, & odit, nec so-
lum bonis suis, & suffragiis priuat animam,
sepultura Ecclesiastica corpus, sed eius etiã
memoriam infamia prosequitur, corpus
autem ipsum, quatenus capax est, crucia-
tibus, qui animi cruciatus referunt, obiicit.

His finitimi sunt hæretici, atque à fide
apostatæ, quoniam amissa fide, perdita
sunt omnia, cum totum spirituale ædifi-
cium ab imo sit fundo erutum, nisi gra-
tia Dei valde singularis, eis opem ferat,
& hi omnium principes, singulis annis, in
E Bulla Cœnæ, solemnibus ceremoniis ab
Ecclesia extorres fiunt, & obstinatione
sua maiorem sibi in dies damnationem
acquirũt: huc etiam pertinent ij, quos im-
medicabilis insania criminibus & censuris
implicatos inuadit: iis enim censuræ pu-
nitiones tantum sunt, à quibus censuris
absolui quidem possunt, sed sine vlla vtili-
tate sua, non tamen sine peccato ab-
soluentis & iniustitia,

Tertius censurarum finis est, vt contineantur boni in officio, nam vt ait Sapiēs Prou. 21. *Mulctato pestilēte sapiētior erit paruulus*, & vt aiebat apud Xenoph. Crœsus, τὰ παθήματα μαθήματα, ob quam causam præcipuæ pœnæ publicè inferuntur, quod ignominia pars sit earum non minima.

QVÆSTIO VI.

Quotuplex sit Censura, seu quomodo diuidi soleat.

Diuiditur primo censura ex parte materiæ, in generalem, & particularem. Generalis personam certam non notat, sed eam duntaxat, quæ est rea consciaque delicti, cuius causa infligitur. Particularis est, quæ in personam certam fertur, expressam nomine proprio, aut dignitatis quam sustinet, vel officij quod obit, vel in talem quæ hoc aut illud fecerit; Exempli causa in Petrum, aut quemcumque alium, qui est furatus tali loco, quæ excommunicatio generalis erit, si non sit personarum, temporisque limitibus circumscripta ad satisfaciēdum, sed publicetur in omnes generatim, qui furabuntur postmodum, hîc, aut ibi, domi, vel in templo.

Secundò, diuiditur ex parte formæ, seu modi, quo fertur, in comminatoriam, & eam quæ est sententię latæ. Prior non incurritur ipso facto, sed post iudicis sententiam latam, eiusque declarationem, & talis censura, exprimi solet verbo futuri temporis, vt *qui hoc fecerit excommunicetur, suspendatur, interdicatur*, vel verbis potestatem significantibus, *vt excommunicari possit*, &c. Altera, hoc est latæ sententiæ, incurritur eo ipso, quod quis illud ipsum admittit cuius causa censura infligitur, idque ante iudicis sententiam, eiusque declarationem, & hæc solet exprimi verbo præsentis temporis, *excommunicamus* v. c. aut aliquo ei æquipollenti, *vt sit excommunicatus, suspensus, interdictus, &c.* hoc enim clarè verba ipsa indicant, iudexque ipse dicendo, *Excommunicamus, suspendimus*, apertè significat mentis esse suæ, vt censura per tale factum incurratur.

Tertiò, diuiditur in occultam & manifestam, publicam seu notoriam. Occulta est quæ nescitur lata, vel cuius causa ignoratur. Publica, quæ tenetur omnium conscientia, & cuius causa est manifesta.

Quartò, ex modo quo incutitur, diuiditur in denuntiatam & non denuntiatam. prior declaratur per sententiam iudicis, A monitem posterior.

Quintò, diuiditur in solemnem, & non solemnem. solemnis fit adhibitis ceremoniis, quarum vsus est in Dei Ecclesia, quibus cum careat altera, dicitur non solemnis.

Sextò, ex parte causæ effectiuæ, diuiditur in eam, quæ est à iure, seu canone, & illam quæ ab homine. Prior sic vocatur, eo quod per statutum, seu legem feratur. Altera quod per hominis sententiam.

Septimò, diuiditur ex parte qualitatis & causis Censuræ in iustam, & iniustam. B Iusta est, quam infligit is qui potest, propter quod oportet, & quo modo debet, Est autem iniusta per se, vel per accidens. Per se, cum procedit ex solo prauo iudicis affectu, sine causa vlla iusta. Per accidens quando est in eo defectus aliquis, non tamen essentialis, vt si excommunicans est irretitus censura aliqua, non tamen palam, sed occulte, aut eam ex praua intentione infligit, odio vel inuidia, quibus autem documentis, ac notis, internosci possit censura latæ sententiæ, ab ea quæ est ferendæ, dicetur in tract. C de excomm.

QVÆSTIO VII.

Quomodo differant censuræ quæ sunt à iure, ab his quæ sunt ab homine.

TRes præcipuæ inter eas sunt differētiæ. Prima, quod quæ est ab homine, non sit perpetua, cum enim vis illius omnis ab eius iurisdictione pendeat qui illam D tulit, eo fatis functo illam quoque tolli, ac pereunte perire est necesse, saltem quoad censuram nondum contractam. v. c. Episcopus clericis prohibet ne tabernas adeat, ne clericali stola destituti, per plateas procedant in publicum, nisi à suorum exequutione ordinum suspensi esse velint, si hunc interim contingat mori, aut sedem Papæ auctoritate mutare in aliam, qui Clericus contra eius præscriptum, potus aut cibi causa tabernam ingredietur, non erit à suorum vsu ordinum suspensus, sed tantum si ante mortem, aut E eius discessum ab Episcopatu, eam intrauerit, à qua pœna ab Episcopo, qui sic clericos plecti voluit, aut ab eius successore, absoluieum oportet, vt notauit Fœlic. cap. 10. de excomm. non autem si in eam legem ab Episcopi obitu, aut eiusdem ad Diœcesim aliam transitu commisit, quod hæc non sit perpetua, sed iisdem temporum definita terminis, quibus eius vita, aut

aut commoratio in prouincia cum potestate. Quod de censura, quæ est à statuto, aut lege, dici similiter non potest, cum hæc sit perpetua, non quidem ratione subiecti, perinde ac si semper inhæreret alicui, cum absolutione tollatur, sed ratione virtutis, quam habet continuam ac perseuerantem à iure non item alia.

Sunt hinc natæ istæ loquendi formulæ: *In æternum valitura constitutione mandamus, in perpetuum sancimus, & irrefragabili, & inuiolabili constitutione decernimus.* Leges ergo, quæ cēsuram ferunt perpetuo obligant, nisi contrariis abrogentur, aut non vsu, vel consuetudine opposita tollantur.

Ratio differentiæ est, quod legislator, agat tanquam persona publica, eius auctoritate ac nomine, cuius locum tenet, id est Dei, hinc ergo cōsequitur, eius decreta ac leges tandiu durare, quandiu eius potestas, cuius vices gerit, durat, ergo cum diuina potestas sit perpetua, perpetuam quoque virtutem, vim seu momentum censuræ esse oportet quę à legislatore est inflicta per canonem, statutū, aut legem, quod in censura quæ est ab homine similiter locū nō habet, sic enim fertur à persona publica, vt sit tamē particularis, quare ea obeunte, censuræ quoq; ab ea intētatæ innocentes, virtus intercidit. Quia hæc non obligat, nisi vi iurisdictionis, qua is præstat qui eius est auctor, at istius cum obiit, aut Episcopus esse desiit, nulla est iurisdictio: quod si eum absolui est necesse, qui contra legem deliquit, aliquid imperantem aut vetantem sub pœna incurrendæ censuræ, id oritur ex iure communi, quod statuit, vt nemo liberetur à censura quam incurrit, sine absolutione.

Secunda differentia est in eo, quod censura quæ est à iure, tantum spectet tempus futurum, quæ autem ab homine præteritum. Quæ enim sententia fertur per legem, aut sententiam generalem, fertur sub conditione futuri peccati, v. c. qui furatus fuerit, qui Petro, aut Ecclesiæ vim intulerit, sit excommunicatus, si enim neutrum fiat, à censura nihil metui poterit, cum hæc eos duntaxat stringi legislator velit, qui violatæ legis à se latæ rei erunt, quales tantum afficit censura, quæ est ab homine, per sententiam particularem, quid enim est in ea infligenda propositum Iudici? peccatorem in bonam frugem reducere, culpa eum eximere, ab eius amore studioque auertere, admissam, à qua resipiscere non vult, emendare, factam ergo supponit, ergo vt quæ est à iure, à culpa, ne committatur, metu pœnę incurrēdę, hominem auocat, ita quæ est ab homine, commissam emendat, hæcque proinde tempus

A præteritum, illa futurum spectat.

Tertiò differunt, quod censura quæ est ab homine, per particularem sententiam, trinam monitionem exigat, aut pro tribus vnam, cum in altera quæ est à iure, facta eius promulgatio, instar sit omnium.

DE CAVSA CENSVRARVM efficiente.

QVÆSTIO VIII.

Quis possit ferre Censuras.

B NOn alius, quam iudex, nec hic quilibet sed qui Christianus est, Ecclesiastica fori contentiosi iurisdictione præditus. Homo esse debet, nam oportet eum posse, scire, ac velle censuram ferre, quod est ratione vti, quæ est hominis propria. Posse autem facultatem naturalem indicat, itaque muti natura, vel casu, ad ferendam censuram non videntur idonei, cum ad eam nutus non sufficiant, sed sententiam, verbis ac oratione exprimi oporteat.

Eam quoque decet esse liberam, libertate à metu, qui in constantem virum cadat, nam
C absolutio, vi, aut minis expressa, lege canonum est nulla, decreto Greg. X. in cap vnico de his quæ vi metusque in 6. ergo & obligatio eam contrahendi, cum iura sint ad absoluendum, quam ligandū promptiora, sintque fauores ampliandi, restringenda odia, odiosum autem sit, & graue, excommunicatione quem plecti.

Contraria mihi tamen sententia, videtur perquam probabilis ob hæc argumenta.

Primum, quod à simili ducta ratio, in pœnis, ac legibus, quibus imponi hæ solent, nul-
D larum sit ad fidem faciendam virium, vt copiose probauimus, in trac. de iuris axiomatis.

Secundum, quod absolutio à censuræ vinculo, extorta graui metu sit nulla, ex voluntate Pontificis oritur, cui è re communi, Ecclesiæque visum est esse, absolutionis, quam vis, metusque exsculpsissent, vim omnem infringere, ne spe eius obtinendæ, improbis daretur occasio, inferendæ Episcopo iniuriæ. At de inflictione censuræ, nihil est eius-
E modi sancitum à Pontifice, Conciliis, aut Patribus, ergo quod de eius absolutione coacta, ab iis est dictum, ad eiusdem impositionem trahi nec potest nec debet.

Tertium, vt efficaciter, ac valide infligatur censura, tria tantum sunt necessaria, potestas in infligente, ac voluntas, in reo autem, culpa, quæ ea pœna emendari possit ac debeat. at hæc omnia reperiri in eo possunt, quem metus grauis afficit, si ergo ab eo, reus tum

censura vapulet, non erit hæc sine plaga, quam curari ab eodem per absolutionem sit necesse,

Cum hominem autem in singulari nomino, vt Collegia, Capitulaque non excludo, quæ censuræ ius habent, quia illa corpus vnum moraliter sub vno capite coagmentant, & illud caput, homo est: ita Angelos, ita ab omni concretione mortali liberas mentes excipio, quibus hominis coercendi per censuras, potestatem Deus non indulsit, quod non deceat hunc ei præesse Iudicem, quem nec videre ipse, nec ille veras audire, & reddere eidem voces possit.

Christianum autem hunc esse est necesse, nam quid turpius, quam fideli ius à Pagano, aut à sacris nostris alieno homine reddi? Negat Paulus 1. ad Cor. 6. ferendum esse, vt Christianus sæcularia infidelium iudicia de re minimi subeat, non autem Sanctorum, quanto ergo minus probaret Apostolus, si superstes adhuc foret, infidelem hominem, iudicem Ecclesiasticum agere, deque negotiis animæ, aut conscientiæ iure sententiam dicere? Itaque Christianus esse debet, quisquis in alterum, paratus est sacra censurarum vibrare fulmina, quo nomine, excluduntur primò, qui mysteria nostra non callent, aut iis imbui respuunt, vt Ethnici, vel ea probris insectantur, ac vellicant vt Iudæi, vel produnt, vt hæretici, vel deserunt, vt Apostatæ, his enim de Christianis quæstionem exercere, res eorum, negotiaque discutere, si rei sunt, pœnam imponere, lege canonum non est concessum, quia *non potest quemquā eius remouere sententia, qui se iam prabuit ipse remouendum. Nicol. Pap. epist. 7. ad Michael. Imper. absurdum enim est, vt cui non licet etiam cum minimis, iuxta sacras regulas communicare, liceat de maioribus iudicare 24. q. 1. can. miramur* 37. quæ etsi vniuersè dicta, valeant in omnibus, quos peruicacia, errorque mentis auios, extra Ecclesiam malo suo impulit, maximè tamen de hæreticis, quos Lucius Papa 3. totius Ecclesiastici ordinis prærogatiua nudatos, & sic omni beneficio, & officio spoliatos, secularis relinquit arbitrio potestatis, animaduersione debitâ puniendos, *cap. ad abolendam nono de hæreticis*: itaque dicendum, *Catholicum sententia hæretici minimè teneri, non enim potest eius gladio ferire, quem accusare, vel in quem testificari non valet, si enim quos diuina testimonia non sequuntur, quia extra Ecclesiam sunt, pondus humani testimonij perdiderunt aduersus eos, qui in Ecclesia esse videntur nec aduersus eosdem Ecclesiasticæ auctoritatis pondus habere possunt, qui ab eius fide discessisse probati sunt 24. q. 1. can. miramur 37. §. potest autem.*

Non sunt ergo hæretici, cæterique id ge- A nus viri, à Christianorum sacris alieni, de eorum numero hominum, qui sedere pro tribunali possint, iudicaturi Christianos, eosq; cum peccarunt, nec ad rectè viuendi normā redire obstinati volunt, censuris ad officium cogere. Facere id duntaxat potest Catholicus, ac Ecclesiæ, voluntate sua mancipatus, *cum non ad sæculares sed ad Ecclesiasticos*, spiritualiū rerum cognitio pertineat, Trid. sess. 25. c. 3. quare Laicis huiusmodi rerum tractatio interdicitur, in decretali, *decernimus de iudicijs*, quia *ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ sunt, dispo|neda pertinere, non ad sæculi potestates,* B *quas si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subiectas, dist. 96. can. si Imper.* 11. sunt enim Laici oues non pastores, subditi non iudices, ac proinde censuræ ferendæ incapaces, cum sint potestatis, ad eam rem necessariæ expertes. Est enim hæc eiusmodi, vt sine ea, inflicta censura, absque vi iaceat, ac efficacia, id enim iudicij ratio naturaque exigit, vt sententia feratur duntaxat in subditos vt ait Trid *sess. 14. c. 7.* Est autem iurisdictio, potestas ipsa legitima dicendi iuris, vel iudicandi, quod proprium est iudicū munus C eosque tantùm respicit, qui sunt eis subditi, iurisdictioni enim respondet è regione subiectio. Acquiritur autem illa à Clericis, non per consecrationem aliquam, sed per simplicem duntaxat iniunctionem, aut designationem subditorum vt ait Diu. Thom. 22. *q. 39. art. 3.* & ibid. Caiet. ideoque non inhæret immobiliter, vt potestas ordinis, quæ consecratione confertur, sed pro superioris voluntate, acquiri solet vel amitti.

Et quoniam impediri ab opere, & eius exequendi carere potestate, paria sunt in iure, D debet hæc iurisdictio esse libera, non restricta, agendi capax & idonea, cum est necesse, non impedita: impeditur autem per iustam appellationem, notoriam excommunicationem iudicis, aut amentiam, qui enim eo morbo laborat, aut hic & nunc non aduertit quid agat, nihil valide agit, quia non operatur humano more.

Ex dictis patet, Pontificē in nocētes, modo contumaces, posse vbiq; terrarum, æquitatis suæ aculeos erigere, eosq; censuris, nisi resi- E piscant, coercere, ac stringere, quia omnium est iudex, nec est vsquā aliquis, qui eius, aut Pontificū priuilegiis, verè se ab eius exemptum iure asserere audeat, cū enim ouis sit, non Pastor, regi hic debet, & si de via declinet reduci, si erret corrigi, quæ me causa impellit vt credam, priuilegio fieri aliquo non posse, vt Christianus nulli sit cēsuræ obnoxius, sicut enim à Dei iure liberari nequit, ita nec à Pontificis, qui Dei est Vicarius in terris, Vgolin. *tab. 1. cap. 2. §. 12. num. vlt.*

Patet

Patet 2. tantundem Episcopo in Diœcesi suo audere contra vitia fas esse, quantum Papæ, in vniuersa Ecclesia, quia iurisdictionẽ nactus est in eam spiritualem ac diuinam, vi cuius, nisi priuilegium à Romana sede ipsa habeat, aut eius membrum aliquod, tam illa quam istud, censuris coerceri ex causa possunt.

Iurisdictio hæc porro ei competit, ratione dignitatis qua in Ecclesia præstat cæteris, magistratus quem gerit, personæ quam sustinet, cui est annexa iurisdictio, secundo competit ei iurisdictio ratione delicti, in Diœcesi cui præest, admissi: nam cum turpe sit non modo, ac fœdum, sed Reip. quoque Christianæ periculosum, peccata non plecti, quod exemplo se singuli ad malum, sed multo maxime spe impunitatis trahi sinant, è re publica, communique fuit, peccantem, etsi alterius sit Diœcesis, Episcopo ratione delicti sui subiici, cum potestate, iusti de eo repetendi supplicij per censuras, dummodo adhuc in eiusdem versetur Episcopi territorio, aut citatus legitime fuerit, antequam inde commigraret aliò: ita Innocent. III. in decretali, *postulasti 14. de foro compet.* interrogatus enim à Senicensi Episc. ecquid delinquens in Diœcesi non sua, ab Episcopo eius præside, pro delicto ibidem commisso plectendus esset, respondit, *quod per Episcopum in cuius Diœcesi deliquit, sententia promulgari posset in eundem.*

Tertiò, iudicat punitque Episcopus, ratione vltroneæ subiectionis, sic Pontifex conscientiam deponit apud Confessarium, ab eoque absoluitur, Henriq. lib. 6. cap. 8. num 3. & 4. à Cappellanis autem suis Episcopi. An his autem, submittere se vltro Religiosi possint, explicabitur postea.

Pari cum Episcopis potestate gaudent eorum Vicarij, nisi hæc per eos sit restricta, quia vnum idemque cum iis tribunal habent vt dicitur *cap. 2. de consuetudine in 6.* Capitulum sede vacante, eiusque Vicarius, *seu is ad quem Episcopalis iurisdictio noscitur tunc temporis pertinere*, Bonifac. VIII. *cap. vnico de maioritate & obed. in 6.* Abbates exempti, habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, respectu eorum in quos illam habent, Sãch. lib. 3. de matrim. disp. 28. num. 6. Archiepiscopi in Episcopatibus suorum suffraganeorum, dum eos visitant, non aliter, colligitur ex cap. venerabilis de sentent. excomm. in 6. Cardinales in Ecclesia sui tituli, cap. his qui de maioritate & obed. ex priuilegio Generales & Prouinciales Ordinum, respectu suorum subditorum, erga quos potestatem exercent quasi Episcopalem. Diu. Thom. 22. qu. 33. art. 7. ad 5. in quo illis pares sunt ac æquales Prælati Conuentuum, vt Priores, Guardiani, Rectores, Collector in Compend. Minorum verbo Guardianus parag. 4. quod etsi de foro interno intelligendum esse, non externo, scribat Portel. in dubiis, verbo Prælati iurisdictio, num. 6. & in verbo Guardianus num. 2. nihilominus opposita mihi opinio videtur in praxi non modo tuta, sed & sequenda, cum constet Innoc. III. testimonio in decret. *cum in Ecclesiis* x. de maiorit. & obed. S. Stephani canonicos Regulares, à suo Priore quod sibi obsequi nollent, excommunicatos esse, quod nec ille tentare, nec factum probare Innoc. induxisset animum, si nocẽtes censuris plectere, in iure superiorum domus non esset, & huius sententiæ fautor est ac patronus, Henriq. lib. 13. de excom. cap. 24. num. 3. Ibi enim ait quemlibet è Superioribus immediatis Mendicantium, posse subditos quibus cum auctoritate præsidet, censuris irretire quibuslibet, cui etiam assentitur Portelius in verbo Abbas addit. 1. num. 2.

Ferre quoque Censuras possunt collegia, hoc est clericorum tàm regularium, quàm sæcularium congregatio, modo approbata ab Ecclesia, Concilia Generalia, Prouincialia Diœcesana, Canonicorum capitula, subditos habentia, cap. irrefragabili de officio iudicis ordinar. ac etiam regularium, pro modo facultatis, quam à suis statutis ac regulis habent, aut à summo Pontif. Ne quid tamen in eo peccent, sitque eorum censura rata, & efficax, necesse est, vt duæ minimùm, dicti Collegij partes, dicturæ sententiam vna conueniant, & ex his qui conuenerint, iusque suffragij habent, maior, saniorque pars consentiat. Vgolinus tab. 1. cap. 6. §. 1.

Vltimò, infligendæ censuræ ius habent Archidiaconi, nõ solemniter, sed quidẽ, priuatim, secundum Mosconium de maiest. Ecclesiæ lib. 1. par. 1. cap. 12. littera A. quo tamen non vtuntur, eò quòd consuetudine contraria, ista se potestate priuari sunt passi.

In summa: prælati omnes Ecclesiastici, iurisdictionem habentes in foro externo, censuram ferre possunt iure ordinario in suos subditos, non obsequentes, quia aliter non essent sufficienti potestate præditi, ad gubernandam Ecclesiam cui præsunt, nam directiua, qua diuino beneficio præstant, ad eam optimis stabiliendam legibus, aut cæteris instruendam rebus, ad legitimum regimen necessariis, inermis foret ac infirma, si eam coercitiua desereret, nec illi coercere contumaces, & ad præstandam sibi obedientiam eosdem censuris compellere possent.

Habent eandem potestatem ex delegatione, quibus est à supradictis commissa, dummodo sint eius ordinario iure capaces, quo de genere sunt Clerici, qui priuilegiis gaudent Clericalibus, cum ad censuras, cum potestate spirituali infligendas, non ordo, sed iurisdictio spiritualis duntaxat exigatur, cuius non est incapax Clericus, secundum Ægid. disp. 13. dub. 4. num. 32. sed Laicus vt colligitur, *ex can. in noua 16. q. 7.* qui ex Concil. Hispal. est in eam causam translatus his verbis. *Indecorum est enim Laicum, Vicarium esse Episcopi, & seculares in Ecclesia iudicare, in vno enim eodemque officio, non debet esse dispar professio, quod etiam in lege diuina prohibetur dicente Domino. Non arabis in boue simul & asino, id est homines diuersæ professionis, in vno officio non sociabis, vnde oportet nos, & diuinis libris, & Sanctorum Patrum obedire præceptis, constituentes, vt qui in administrationibus Ecclesiæ sociantur, Pontificibus discrepare non debent, nec professione, nec habitu, nam cohærere, & coniungi non possunt, quibus & studia, & vita, sunt diuersa.* Idem habetur, *in Synodo Symmachi Papæ in can.* 3. cuius fit mentio 16. *q. 7. can. non placuit.*

Posset tamen ex plenitudine potestatis, cum eo dispensare Pontifex, quia cum non nisi eius legibus, ac iure remoueatur Laicus ab hoc munere: sitque legislatori integrum, cum causa eius iusta aliqua subest, decreta sua refigere, abrogare, tollere, Laico ad promulgandas censuras, vti quin possit, non video.

Nobiscum sentiunt, *Vgolin. tab. 1. cap. 2. parag. 10. Nauar. cap. 27. num. 6. Tabiena verbo absolutio 2. num. 3. Henriq. lib. 13. cap. 24. num. 1.*

Obiicies, sunt Prælati, iure diuino, spiritualium causarum iudices, iis dirimiendis à Christo constituti his verbis: *Quæcumque ligaueritis super terram*, hanc ergo, communicare Papa Laico non poterit, cum in diuino dispensare iure, ei non sit permissum.

Neganda est conseq. quod ex iusta causa delegari hæc potestas Laico possit, & proinde à Pontifice in diuino iure dispensari quod cum accidit, subiacent Clerici Laicis, non vt Laicis, sed vt Ecclesiastica iurisdictione præditis, quam tamen iisdem communicari posse ab alio quam Papa, non existimo, quod id Pontificio iure cui Christiani subsunt omnes, sit prohibitum, in cap. decernimus de iudiciis.

QVÆSTIO IX.

An fœmina, delegandæ sibi potestatis à Papa ad censuras, sit capax.

NEgant hi auctores Stephan. de Auila par. 1. dub. 6. Ægid. de Coninch. disp. 13. dub. 4. num. 33. Henriq. lib. 6. cap. 2. num. 3.

Ab iis discedunt, *Armilla verbo excommunicatio num. 24. Palud. in 4. dist. 19. qu. 2. Vgolin. tab. 1. cap. 2. parag. 7. num. 5. Tabiena verbo absolutio 2. num. 3. Fumus ver. excommunicatio num. 24. Laym. lib. 1. tract. 5. parte 1. cap. 3. num. 4. sub finem*, vbi his verbis mentem expressit suam.

Respondendum, *duplicem esse clauem Ordinis & iurisdictionis, illius incapax est omnino mulier, secundum Christi institutionem huius autē capax esse potest, saltem ex cōmissione, & quoad exercitium, sicut & mere Laicus capax est: cum tamen Apostolorum successor censeri non debeat, quandiu extra clerum constitutus est.* Ab horum auctorum partibus stant hi Doctores de Graffiis decision. li. 4. c. 5. S. Tho. in 4. dist. 19. q. 1. art. 1. q. 3. ad 4. *Mulier*, inquit, *nec ordinis nec iurisdictionis clauem habet, committitur autem ei aliquis vsus clauium*, quod accidit cum Abbatissæ datur potestas à Prouinciali, aut Pontifice, vt in ordine ad finem spiritualem, consequendæ scilicet perfectionis, aut beatæ vitæ, communionem hebdomariam monialibus suis imperet, quod præceptum, quemadmodum & alia id genus spiritualia mandata, eis dari posse exequenda in virtute obedientiæ, & proinde sub mortali, scripsit Graff. *lib. 4. decision. aurear. cap. 5. num. 5.*

Sequitur, vt argumentis omni luce clarioribus, ista omnia comprobemus.

Primum, si mulierem à Papa ad censuras, id est iusta de reis repetenda supplicia adhiberi repugnat, dissonantiam hanc certe peti est necesse, à natura, vel à sexu, qui dirigi non dirigere, subiici non præesse postulat, vel à claue, cuius administrandæ fœmina natura suâ non est capax.

Non primum, quia eius ac hominis, eadem est essentia, par conditio.

Non secundum, nam quis nescit eam, ad sceptra, ad coronas, ad regnorum gubernacula, eorundem legibus, populique voluntate vocari, si præter eam hæredes sunt nulli? non est ergo natura sua, iurisdictionis incapax fœmina.

Non tertium, nam ferendæ censuræ, clauis ordinis, non est necessaria sed iurisdictionis solum, *Henriq. li. 13. ca. 24. n. 1. Vgol. tab. 1. ca. 2.*

pius lib. 4. cap. 5. num. 2. Nauar. cap. 27.
41. Conar. priore parte relect. in cap. alma
11. num. 1. & 10. Antonin. 3. par. summæ
cap. 75. Sed luculenta est, & quæ totum
locum conficit decretal. Cœlest. III.
issam 15. de electione, ibi enim scisci-
piscopo, quid eum facere esset neces-
Diœcesis suæ Clericis, qui latas ab
ntra illorum excessus, sententias ex-
nicationis, suspensionis & interdi-
contemptum eludebant, dicentes quod po-
non haberet eos corrigendi, quia sacro
lhuc ordine initiatus esset.
ondit, *Quod ex quo electionis suæ con-*
nem accepit, de talibus, & consimilibus
a quæ maioris inquisitionis discussionem
& ministerium consecrationis deside-
od iustum est, & Ecclesiasticæ conuenit
statuendi haberet libertatem, quod er-
inæ, ius ferendæ censuræ, dari à
benigne non possit, ac liberaliter,
ur à claue, cuius illa sit ob sexum in-

dum, Est iurisdictio auctore Mol.
e iustit. disp. 2. Laym. tract. 4. lib.
num. 1. *Facultas habentis auctoritatem*
& eminentiam super alios, ad eorum
onem, ac regimen. At hæc tria con-
possunt in fœmina. Primo auctori-
ca, nam est hæc haud dubiè in Ab-
quam subiectæ sibi plebi monia-
perare posse, has autem eidem,
portere est certum. Est etiam emi-
testatis super easdem, cum iis præ-
rigat, easdem loco & gradu ante-

quod iis certa præscribat opera, quę
superant, quæ cum ea commune
ant, vt sunt orare, confiteri, psal-
l cum iis dispenset in votis, ea res-
irritet, quod delinquentes in re-
iat, quod iisdem, eligendi sibi
rij, cui certis anni temporibus,
am explicent, potestatem tribuat?
a, spiritualis iurisdictionis, quâ
gumenta sunt, ac indicia, falsum
minas ex priuilegio, hoc est Pa-
entia ac beneficio, iurisdictionis
ria differentis, capaces non esse.
ent aduersarij, fœminis, ab Eccle-
tionē non concedi, sed eius vsum,
Cum quid Religiosæ suæ familiæ,
præcipiunt aut vetant, præcipiunt
, vt à Pontifice, aut Prouinciali,
ces agunt, delegatæ ad hoc mu-
elegatus non vsum duntaxat sed
testatem, ac iurisdictionem à de-
se transmissam accipit: ergo, &c.
Vsus, ius vtendi re salua eius sub-

A *stantia, Less. lib. 2. cap. 3. dub. 6. num. 24.*

Aueo iam scire de aduersariis, an res in vsus transferri suos ab vtente queat, quæ in eius non sit possessione ac manu? Si ergo iurisdictionis vsum fœmina possidet, si eam habet, Papæ concessione ac indulgentia, ergo illius est, eiusdem dono ac priuilegio non incapax.

Quid? quod Abbatissæ, non iure quidem ordinario, sed ex Papæ priuilegio beneficia conferunt, Clericos, in Ecclesiis ad Monasterium suum pertinentibus, instituunt? vt Rhemis in Di. Petri cœnobio, ad Rhedo- B nes autem in S. Sulpitij? quod suspendunt ab officio, & beneficio? vt est in *cap. dilecta de maiorit. & obed.* Vbi Glossa, Abbatissæ iurisdictionem spiritualem non negandam ait, licet imperfectam quæ est etiam Graphij opinio lib. 4. decision. cap. 5. num. 12. quæ si vera sunt, dicta est causa, fœminæ, peræque ac Laico, ius domandæ per censuram contumaciæ, concedi potest à Pontifice, quo tamen quia eam vti, nec decet nec expedit, cum illam subesse, non præesse C oporteat, nec loqui in Ecclesia, vt est in cap. 14. primæ ad Corinth. multo minus iudicare, vt faciunt, qui in reos excommunicationis sententiam dicunt, non putarem, è re esse communi Ecclesiæ, fœminæ, ad superbiam natura sua satis incitatæ, eiusmodi facultatis concessione animos addi. Quare fatemur vltro cum Laym. *lib. 1. tract. 5. par. 1. de Censuris in communi cap. 4. num. vltimo, Quamuis mulier iurisdictionem habeat spiritualem & curam animarum quoad correctionem, & administrationem*, quod etiā tradit Graph. D loco citato à Christo tamen neque Ecclesiam ferendæ censuræ facultatem ei vnquam concessam esse, quod id nec salus publica, nec priuata cuiusquam exigeret.

QVÆSTIO X.

An Parochus castigandi rei per Censuras ius habeat.

E Breuis ero, quia hac de re futurus ēst postea disputandi locus copiosior, cum de excommunicatione sermo erit.

Respondeo ergo negatiue, causa est in promptu, quod ius fori exterioris Parochus non habeat, quæ est earum conditionum vltima, quæ sunt in ferente censuras necessariæ, vt sint validæ. Est autem forum primæua sua significatione locus exercendarum litium, *cap. forus de verborum significat.* qui solet esse publicus, diuiditur autem forū, in internum seu conscientię & externum

A seu Ecclesiasticum aut ciuile: de vtroq; maximè externo agitur, *cap. cum Episcopus de offic. ordinarij in 6.* de interno ab August. sermone 2. de vita Clericorum.

Externum autem est hoc ab interiori distinctum inter cætera, quod istud id est conscientiæ, aperiatur conscio nemine, præterquam Sacerdote, inter quos sine testibus, ac probatione exercetur, silenter ac tacite, ipsis solis duntaxat vt dixi consciis, arbitro præter eos nemine: externum autem eiusmodi multos exigit, cum in eo patronus, actor, & testes, cum probationibus interueniant, iudexque ipse (more cæterorum, qui diiudicandis miserorum causis in Regum, ac Principum tribunalibus præsident) ex allegatis, probatisque sententiam proferat, quæ est iudiciaria conditio, non autem ex priuata cognitione, vt habetur 2. *q.* 1. *can. si peccauerit*, manifesta tamen, testibus aut accusatione non indigent, vt est in *can. manifesta ead. q. & causa.*

Hæc de differentia, inter vtrumque tamen est consensio, quod neutrum exerceri sine iurisdictione valeat, quam Sacerdos præcisè ex ordine suo, aut charactere non habet, sicut nec subditos, nec enim recipiens potestatem remittendi peccata, iurisdictionem actualem recipit, nisi ex generali concessione Ecclesiæ in moribundos, quoad omnes autem, in eorum peccata venialia, sed tantum, cum Episcopus dat ei facultatem audiendi confessiones, (quæ potestas moralis est, & ab homine datur, cum quæ eidem per characterem tribuitur, sit realis, & à Deo per consecrationem, sicut & potestas conficiēdi corporis Christi) aut certe parochiale beneficium obtinet, *Trid. sess. 23. cap. 15.*

Hæc autem iurisdictio in Prælato ferente censuras, per excommunicationem maiorem impedita esse non debet, eò quòd eius vsum impeditum habere, perinde sit, ac nullam possidere, quod cum accidit, qui ab eo dependentem iurisdictionem obtinent, eam exercere nequeunt, vt docet Innoc. IV. *in cap. Romana de offic. Vicarij in 6.* Censetur autem tunc impedita, cum qui ab homine, aut iure ea fruitur est denunciatus, vel notoriè excommunicatus, vel suspensus ab offi cio tantum, vt ait Vgolin. tab. 1. cap. 2. parag. 23. num. 8. vel est in potestate hostium, vel à superiore prohibitus in aliquem censuram ferre, vel ab eo, qui illa feriendus erat, legitime est appellatum, vel ipse in irregularitatem incidit, qua priuatus est clericali priuilegio, vel factus infamis, de Graph. *lib.* 4. *cap.* 5. *nu.* 4.

QVÆSTIO XI.

An Episcopus Diœcesis, in qua peccatum est admissum, punire possit eius auctorem, quamuis diuersa sit Diœcesis à sua.

DIco primò, *Episcopum posse aduenæ qui in sua Diœcesi deliquit, præcipere, vt satisfaciat læso & si parere renuit, eum excommunicare, adhuc in sua Diœcesi commorantem.*

B Ratio est, quod talis, ratione delicti sui, sit subditus eius Episcopi, in cuius Diœcesi peccauit, vnusquisque enim Gregor. IX. testimonio, *ratione delicti, seu contractus, aut domicilij, siue rei, de qua contra possessorem causa mouetur, regulariter forum sortitur.* At subditum à suo superiore plecti posse quis neget? ergo cum in pœnis numeretur excommunicatio, eam nocenti, pro auctoritate irrogare quin hic possit, ambigi nequit.

Dixi *commorantem adhuc in sua Diœcesi.* Quia delictum non facit aliquem absolutè subditum illius loci, in quo deliquit, sed tan-
C tum quandiu ibi est, aut saltem quando legitime fuit citatus, quare si post eam citationem egrediatur è prouincia, poterit à suo Episcopo ad alterius preces cui se sistere debebat, cogi vt coram illo causam dicat, & si renuat ab eodem excommunicari vt contumax, Coninch. disp. 13. dub. 7. concl. 2. num. 57.

Causa est, quod à superiore puniri potest inferior. At ratione citationis adhibitæ, Episcopus loci in quo deliquit, ius in eum tanquam subditum acquisiuit, opinione Greg.
D Papæ noni, quam in *Decretali 19. de foro compet.* expressit, his verbis, *Proposuisti nobis, quod quidam subditus tuus, ad petitionem cuiusdam aduersarij sui, à te legitimè citatus ad causam, quia postmodum iurisdictionis alterius esse cœpit, tuum intendit iudicium declinare. Porrò dubium tuæ prudentiæ esse non credimus, quod is in prædicta causa, ius reuocandi forum non habet, quasi ab illo iam præuentus.*

Dico secundò, *Peregrinum seu aduenam, non comprehendi sententia quæ dicta est in committentes aliquod crimen, quando est in eo loco per*
E *modum transitus, aut in eo moram longam non est tracturus.*

Ratio est, quod sit superioris duntaxat legem sciscere, pœnam nocenti imponere, vitia cum auctoritate, supplicij seueritate reprimere, quod sine iurisdictione fieri non potest valide, quali nōn sunt alij à superioribus instructi, vtpote quibus tantum est à Christo seruatore dictum. *Quæcumque ligaueritis super terram erunt ligata & in cælis.*

At

peregrini & aduenæ, transeuntes per
cesim, aut in ea ad breue tempus com-
ntes, eius Episcopi, qui illi præest pro-
e, non sunt subditi; ergo ab eo non sunt
ndi, ergo nec censura ligandi, nec iis
de comprehendi legibus, quibus cul-
qua prohibetur sub censura. Ita Cle-
III. *in cap. à nobis 21. de sentent. excom.*
ogatus enim *Vtrum si quis ita pronuncia-*
quisquis furtum fecerit, excommunicatus
generalis clausula, ad ipsius excommuni-
subditos referatur, an generaliter exten-
d omnes, qui non sunt de iurisdictione il-

spondit, *quod hac sententia non nisi sub-*
gantur, nisi forte plus contulerit maior &
auctoritas delegantis.
stat hinc primò vt leges, hoc est sta-
& censuras, ad solos pertinere sub-

ndò, aduenas & peregrinos his non
quia cum non sint Episcopi potestati
j, deest ei potestas illos obligandi, ni-
le ei collata fuerit, quare quantumuis
, contra hoc statutum Episcopi *Quis-*
um admiserit sit excommunicatus, non
nen censendi esse extra Ecclesiam, ac
municati. Nisi forte domicilio in ea
i constituto, contra dictum statutum
erent. quia cum tunc, eius sint Epis-
oditi, nihil est causæ quamobrem no-
centesque incolæ, vim statuti, ac le-
s est hic auctor non sentiant, peræ-
ntiqui, cum omnium, par & æqualis
ditio debeat.
ies ratione delicti, fit quisque eius
subditus, in cuius Diœcesi peccat,
rgo & coerceri ab eo aduena pote-
& censura plecti, si quid ea pœna
admiserit.
nda est conseq. causa est, quod ad-
us commoratio in vrbe, aut Diœ-
is est, qualis censeri debet tran-
ttantillo definita temporis spatio,
on peccat in legem, statutum, aut
Episcopi, cum his teneri nequeat,
n subditus, quod si ea non seruan-
s est culpæ, pœnæ quoque expers
t, cum hæc insontes non capiat,
ed nocentes, sed iustis, ac recep-
rum imperiis non parentes. Pec-
aduena furando v. c. sed non
scopi præceptum, id vetantis sub
ed solum contra ius naturæ, aut
, quare contumax, aut Episcopo
s, dici nequit, nec consequenter
esse numero, quos censura ob
am afficit.
m hæc absentem, an à Diœcesi

A procul positum comprehendat, dicetur in tract. de excommun. vbi dedita opera inuestigabitur, vtrum Episcopus subditum suum extra Diœcesim peccantem excommunicare valeat.

QVÆSTIO XII.

Quinam censura ligari possint.

B NOn alij quam qui rei, quam qui rationis compotes, & præcepti capaces, Superiorem in Ecclesia militanti habent in rebus spiritualibus.

Rei esse debent, quia præter eos, non plectuntur alij: nam pœna culpæ socia est, ac subsequa. Reum intelligo, tam qui crimen admisit, ob quod quis iustè punitur, quam qui censuram iniustam licet superbè contempsit, hic enim qui antea, hominum iudicio duntaxat reus erat, & ligatus, fit ob superbiam, & inobedientiam censura dignus vereque coram Deo ligatus.

C Rei nomen insuper, in hac materia, ad eum pertinet, qui licet in se non sit reus, ad eum tamen refertur, vt membrum ad caput, quod in ipso etiam membro plectitur: sic ciues propter delictum Principis interdici possunt, vt hic in illis pœnam vtcumque culpis suis debitam ferat, prout statutum video à Bonifac. VIII. *cap. si sententia 16. de sentent. excomm. in 6.* Sic Deus qui *propter peccata populi facit regnare hypocritam super eos*, etiam in populum innocentem aduertit castigandi Regis proprij causa, de quo exemplum Scripturæ in Dauide suppeditant, 2. Reg. 24.
D cuius in numerando populo arrogantiam, eiusdem numerosa clades puniuit.

Postremò hic intelligendæ *rei* nomine non singulares personæ tantum, sed multæ simul, quæ in eadem sunt culpa, quod in interdicto est planum, in excommunicatione autem etiam habet locum, patet ex *cap. Romana 5. de sentent. excommunic. in 6.* vbi cum Innocent. quartus Vniuersitatem vel Collegium excommunicari vetuisset, addit tamen in eos promulgari posse sententiam, *de Collegio & Vniuersitate, quos culpabiles esse constiterit*, quare si omnes constiterit in cul-
E pa esse, excommunicari quoque omnes poterunt singillatim, aut vniuersè, Henriq. *lib. 13. cap. 25. num. 4. Sylu. Verb. excommunicatio 1. num. 10.*

Obiicies, Bonis spiritalibus nemo est nisi ob culpam propriam priuandus: Censuræ pœnæ sunt spiritales, non ergo ob culpam alterius irrogandæ.

Respondend. bona spiritualia strictius in

maiori sumi, quam minori, in illa enim gratiam & gloriam denotant: castigatio autẽ de qua ibi est sermo, idem sonat ac priuatio gratiæ in hac vita, & gloriæ in altera, cum in minori significet hæc etiã priuationem bonorum spiritualium quæ licet referantur ad salutem, non sunt tamen de eius necessitate, vt auditio sacri, preces publicæ pro nobis fusæ, quam iacturam æquum est credere Deum compensare & innocentibus aliunde reddere quod eis tali priuatione deperit, nam vt August. loquitur lib. de vera Religione ca. 6. Pater cœlestis qui in occulto videt, hos in occulto coronat.

Ratione vti debent, quia eius expertes, aut à statu deiecti mentis, vt peccare nesciunt, ita in peccato obstinati esse nequeunt.

Secundò, censura cum sit peccati pœna, alios non complectitur, quam qui peccare norunt, pueri ac furiosi laborare hoc vitio nesciunt. Si tamen aliqua vniuersitas, sine vlla exceptione suspendatur, vel interdicatur, furiosi, ac infantes in iisdem hærebunt pœnis, quibus illa: decreto Bonif. VIII. *in cap. si sententia 16. de sentent. excomm. in 6.* fidem hæc eius verba faciunt, *cum alicuius terræ populus interdicto innodatur, singulares ex eo personæ, quas interdictas esse constat, non debent alicubi, audire diuina, vel Ecclesiastica recipere Sacramenta.*

Cæterum, si quis antequam in amentiam incideret, inchoato contumaciter crimine & non consummato, erat Ecclesiæ præceptis, ac legibus contumax, hic in excommunicationem iuris incidet, Suar. *disp. 5 sect. 1. num. 20.* ac vero etiam in eum ferri hæc poterit, Vgolino auctore ac teste *tab. 1. cap. 17. §. 3. num. 4. Laym. tract. 5. par. 1. cap. 4. num. 3.* quia eius est culpæ affinis, nempe inobedientię quam Christus & decreta Pontificia, censura corrigendam esse aiunt, *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus,* quam ipse tamen nec dolore eluit, nec obsequio erga Ecclesiam abstersit.

Confirm. Absens, & inscius valide censura ligantur licet iniuste, furiosus autem habetur vt absens & inscius, vt habetur, *lege 2. parag. furiosus, digest. de iure codicillorum.*

Confirm. 2. Quem insania deprehendit in culpa lethifera, is si in eo statu viuere desinat, damnatur, etsi dum esset impos sui, redeundi ad Deum, ac peccati delendi dolore, ac lachrymis, incapax esset.

Si tamen amentis, aut furiosi morbus esset perpetuus prudentię non foret, eos à Iudice notari censura, cum enim sit hæc medicinalis pœna, maximè vero excõmunicatio, eã infligi non expedit alteri, quã qui sanari potest, cuiusmodi non sunt amentes perpetui;

A Secundò, excommunicandus debet Superiori Ecclesiastico subesse, quia est excommunicatio, quemadmodum & censuræ aliæ, pœna culpæ, ergo irroganda subdito à superiore, non regio, ac ciuili, quia omnis eius potestas est temporaria, vt hic corpori tuendo, vt Reipub. incolumitati studere debet, ita præter ea, quæ vsurpantur sensibus, supplicia non habet, quibus ab eius finibus nata iam, aut nascitura vitia eliminet, Ecclesiastico iudice est opus, qui ea spirituali pœna terreat, cuiusmodi censuras omnes esse, notius est quã vt à me dici oporteat, huic
B ergo suberit, hunc suspiciet ac timebit, quisquis censura feriendus erit auctoritate publica.

Quare particula proximè posita excluduntur primò, Dæmones, vtpote vitio suo obstinatè mali, nec contumaciam deponere, aut impietatem dediscere idonei. Nec refert quod humanis absistere corporibus, vera loqui, ab iniuria inferenda cessare, exorcismis Ecclesiæ, inuiti cogantur ac nolentes, nam hi censuræ non sunt, sed imprecationes, cuius rei est hoc argumentum, quod ab
C exorcista, iurisdictionem externi fori non habente, fieri soleant.

Secundò excluduntur Angeli, qui etsi ad Ecclesiam pertineant, eius tamen non sunt subditi, sed custodes. Bernardus *serm. 12. in Psal. qui habitat,* & in *serm. 92. super cantica,* ait *Angelorum custodiam vicem habere maceriæ in vinea Domini, quæ est Ecclesia prædestinatorum, cum Paulus dicat. Nonne omnes administratorij spiritus sunt, missi in ministerium propter eos, qui capiunt hæreditatem salutis.*

Excluduntur tertiò, Turcæ, Iudæi, Saraceni, cæterique id genus viri, sacris baptismi
D vndis necdum loti, nec enim bonis aliis censura priuat, quam quæ sunt spiritualia, quorum Christianus fit in Baptismo particeps, quare cum priuatio supponat habitum, sicut exhæredatio, amissio, denudatio, ius ad hæreditatem, possessionem, ac cætera quæ possunt amitti, qui Baptismi beneficio, non erit Christianorum adiunctus numero, censuris, earumque metu contineri non poterit in officio.

Quid? quod hæ subditorum duntaxat sunt pœnæ? quod iis irrogandis necessaria sit iu-
E risdictio? qua omni caret Ecclesia in non Baptizatum, *Cum hæc in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam, per Baptismi ianuam, fuerit ingressus, quid enim mihi,* inquit Apost. *de ijs qui foris sunt iudicare? Trid. sess. 14. cap. 2. de differentia Sacramenti Pœnitentiæ, & Baptismi.*

Quartò, sequenti particula, qua qui censura affici debet, dicitur *Superiorem Ecclesiasticum,*

» habere, remouetur propria cuiusque na, cum enim nemo sibi ipsi sit Supe- eo quod iurisdictio, ad personam di- am esse debeat, nemo quoque ferire nsura potest, nemo ligare. Deinde ec- non est contra rationem vt quis in pro- bi causa ius dicat? Ianuarium Grego- Papa primus arguit *lib. 2. indictio ep. 34.* *ro vindicta iniuriæ propriæ (quod sacris re- prohibetur) maledictionem anathematis rat*, ecquid id longe meliore fecisset si in seipsum Ecclesiasticæ seueritatis set aculeos ac si se loco auctoritate ia mouisset, si per censuram, in infi- n se classem inclusisset? Itaque si cui fex Episcopo imperet, eos vt suspen- t excommunicet, qui certi sunt crimi- i conscij, non erit ipse tamen, quam- s extra Ecclesiam, excommunicatus pensus, si rem tamen negotiaque, cum municatis habeat post sententiam la- eorum aggregabitur numero, & si lesia interdicta celebrauerit, erit vt et alius irregularis, non ex proprio, mmuni ac vulgato iure, Vgolin. tab. . parag. 8. n. 6. & 7.

ntò, excluditur Romanus Pontifex si sit in Ecclesia, non est in ea tamen ditus, sed tanquam pastor, eiusque ca- uare nec excommunicari potest, sunt censuræ, leges pœnales humani iuris, n teneri principem quoad vim coer- n, sed dirigentem tantum, opinio est hom. 1. 2. qu. 96. art. 5. ad 3. Itaque si liquem iniustè pulsaret, si cui ex ira tas manus inferret, etsi peccaret, ex- nicatus tamen non esset. Peccaret, , quia ad culpam lex eum obligat, im, cum sit æquitatis ac iustitiæ regu- a ipsum deflectere, scelus est, absque cutione, aut legis applicatione, qua- *n. non liceat distinct. 86.* prohibetur manu sua cædere, quod *id sacerdo- deceat*, pœna verò, legis obseruandæ lhibetur, vt ait Soto *lib. 1. de iustit. qu.* . quæ idcirco executione & applica- ndiget: executor autem est ipse Prin- cet exequatur per alium, absurdum t, vt seipsum quis cogat, etsi pœnam rit, subire possit.

e, quod censurarum, eadem sit hoc ratio, quæ legum, sed hæ nemi- nciunt, nisi quem superior his com- di intendit, ergo nec censuræ perti- ad alios, quam quos his ligari Præ- olet, at quis existimet in se sæuire ontificem, iisdemque teneri pœnis bus cum peccat, ac quemlibet è fæce triobolarem hominem?

Pars secunda.

A Vltimò, remouentur exempti, hoc est è Regularibus illi, quibus Pontificis indulgentia, beneficioque est concessum, ne ab Episcopis, (quorum potestati iure sunt communi obnoxij) ad quidpiam omittendum, aut agendum, censuris compelli queant, sicut sunt Mendicantes, testimonio Portelij in dubiis Regul. verbo Episcopus num. 5. *& alij quamplures, in quorum priuilegiis continetur, ne quisquam Episcopus vel Archiepiscopus, Monasteriorum suorum Monachos, pro vlla causa, vllo ve loco, interdicere,* B *suspendere, vel excommunicare præsumat*, Innocent. quartus *cap. volentes primo de priuileg.*

Casus sunt tamen numero quatuor, in quibus est Episcopo licitum animaduertere in Regulares, eosque ad præstationem officij censuris cogere.

Primus habetur in *cap. 16. sess. 25.* Trid. *Concilij*, ibi enim monentur Episcopi, vt curent nouitiis tam masculis, quam fœminis, è *Monasterio abeuntibus, ante professionem omnia restitui, quæ sua erant*, quam ad rem e- C *tiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit Superiores compelli possint.*

Secundi fit mentio in *cap. 5. eiusdem sess.* nam ibi, *sancta Synodus sub obtestatione diuini iudicij Episcopis præcipit, vt in omnibus Monasteriis sibi subiectis, ordinaria, in aliis verò sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram monialium, vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolata est, conseruari maximè procurent, inobedientes, atque contradictores, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita compescentes.*

Tertius habetur *sess. 13. cap. de obseruandis in* D *celebr. Missarum*, vbi Episcopis fit facultas prohibendi regularibus sub censuris, ne (si ita expedire iudicauerint) in Oratoriis celebrent, *nonobstantibus priuilegiis, exceptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscunque.*

Quartus est, cum qui Episcopus Regulares censuris notat, idem quoque est Legatus à latere, eiusmodi enim homini si fides est *Portelio in dub. Regul. verbo excommunicatio in addit. num. 5.* permissum est, contra exemptos, excommunicationem ac censuras quaslibet alias ferre, non alteri.

E

QVÆSTIO XIII.

An Censura ferri possit in mortuum.

DIsputant hac de re diligenter Couar. *in cap. alma mater priore parte relect. §.11.n. 8. A castro lib. 2. de iusta hæreticor. punitione cap. 19. & 20.* Nauar. *cap.27.n.13.& n.271.* Steph. de Auila *2. par. cap. 4. disp. vnica dub. 8. Ægid. disp. 13. dub. 6. Laym. tract. 5. cap. 4. Grafius lib. 4. cap. 6. nu. 9. Henriq. lib. 1. cap. 21. n.1. li.13. ca.25. Suar. to.5. de censur. disp. 5. sect. 1.* omniumque communis est, ac firmata rationibus multis opinio, mortuum censuræ capacem non esse.

Hanc ipsam sequitur Caiet. *to.1. opusculor. tract. 16. p. 5. parag. quod ad 2.* Caiet prorsus assentitur D. Antonin. *3. par. tit. 25. cap. 75.* & Sylu. *verbo excomm. 1. num. 7.* in eamque, tot & tantorum hominum auctoritate victi Theologi fere omnes, qui de Christiani hominis officiis commentarios scripsere, hoc tempore pedarij currunt.

At mihi contraria sententia adeo est vera, nulla vt eam ratio, mouere possit: est enim Pontificio responso, factis antiquorum minimè dubiis, multorum decretis, ac denique firma ratione subnixa.

Dico ergo, *Etsi mortui non omnium sint censurarum capaces, excommunicari tamen ob eadem crimina posse, ob quæ viui, excommunicati fuissent.*

Pars prima probatur de suspensione. Est enim perquam absurdum prohibere alicui, ne id agat, quod eum facere natura vetat: at defunctus, nec administrare beneficium, nec ei præesse potest, nec cætera obire ministeria, quæ Sacerdotis, aut Clerici sunt propria, ergo ab his, aut beneficio, suspendi nequit.

Pars altera quæ est de excommunicatione, probatur, his verbis quæ habentur *causa 24. q. 2. can damnationis 5. parag. his auctoritatibus. Sunt*, inquit canon, *quædam crimina, de quibus etiam accusari post mortem quilibet potest, vel damnari, veluti hæresis.*

Ad hoc testimonium, accedit & aliud, quo probatur de hæresi multos damnatos esse, quæ iis mortuis manifestari cœperat, quam in sententiam septem exempla proferuntur, & testimonia Diu. August. quinque 24 q. 2. can. sane 6. quæ indicant, *Impium dogma, & eos qui tali dogmati obnoxij sunt, anathematizari Ecclesiam velle, licet mortui sint, quam traditionem Ecclesiasticam, & alij Africani Episcopi seruauerunt, sed & Romana sancta Ecclesia, quosdam Episcopos post mortem*

A *anathematizauit, licet pro fide in vita sua, non essent accusati.*

Quid? quod Ecclesia in Constantiensi Concilio sess. 8. Wiclefum fatis functum est execrata? quod Dioscorum, & Pyrrhum vti exsecta de corpore suo membra, putida illa multisque fœtida criminibus, post mortem è fidelium erasos albo, publicè anathematizari quinta Synodus voluit? vt est *in edicto Iustiniani Imperatoris tomo concilior. 2. & in quinta Synodo collat. 8. pag. 77.* qua pœna affectos cum Theodoro hæreticos quoque

B plurimos eiusdem decreto Synodi, narrant omni fide maiores historiæ.

Cui opinioni fidem facit Innocentij tertij decretalis *à nobis 28. de sententia excomm.* vbi est his verbis: *In certis casibus, in canonibus denotatis, ligasse legitur Ecclesia mortuos, & soluisse.* Faciunt ergo pro nobis exempla Patres, Pontifices, momenta etiam rationum, cuique non mediocriter in Theologicis exercitato occurrent, nec pauca, nec infirma, cum ad ea mentem ipse suam paulò attentius referet.

Primum, qui cum viuerent, multis se

C contaminauere criminibus, in quibus etiam exhalauere spiritum, membra erant Ecclesiæ, ergo de ea eiici mortui possunt, & expelli.

Probatur, Probi & improbi sunt in Ecclesia dum viuunt, per externam professionem fidei Christianæ, Sacramentorum communionem, & subiectionem prælatis Ecclesiæ, vt docet Bellarm. *lib. 3. de Eccles. cap. 9.* At probi mortui, perstant in Ecclesia, licet non visibiliter, ergo & improbi mortui, ideoque agnito crimine, ob quod de ea merentur eiici, ab ea expelli poterunt.

D Dices damnati ergo futuri sunt de Ecclesia, quo quid magis ridiculum?

Respond. Vel sciuntur damnati esse, vel non: Si primum, non sunt de Ecclesia, eo quod hæc eos repudiet, quemadmodum & Dæmones: si alterum, sunt de Ecclesia præsumptiuè, & pro eis, fiunt preces & sacrificia; licet eis non profutura, ratio est quod esse viuum, vel mortuum, nihil mutet rationem subditi Ecclesiæ, quæ ex peregrinantibus Christianis constat, siue viuis, siue mortuis, vnde proprietas Ecclesiæ quod sit

E visibilis non est totius Ecclesiæ militantis, sed partis eius, quæ adhuc in terris agit.

Secundo probatur assertio, Ecclesia ius in mortuos habet, etiam in exteriori foro, hoc ipso acquisitum, quod sunt baptizati, quo iure vtitur, tollendo eis per censuras quidquid tolli potest, vt sepulturam, preces publicas, &c. quod autem eis omnia

viuis adimit, non tollat, id est ex acci-
quia iis iam sunt priuati, vt si quis dam-
r ad amittendas aures & patriam, ex
lenti est, quod patriam tantum perdat,
am carebat auribus.
onfirm. Ecclesia ius habet in corpus, &
am mortui, corpus quidem non illud
m arcendo à sepultura, sed humatum
iendo, sed exurendo, vt in Wiclefo est
n à Constant. Concilio, sed locum in
erræ fuit conditum, interdicendo. In
m autẽ quia eam priuat Ecclesiæ suf-
s, quod est efficere, vt non communi-
eius precibus, meritis, & Missæ sacri-
sicut cum superstites, ac viui cœtu pio-
mouentur, Ecclesiaque pelluntur.
Innocent. Papa I. vt est apud Nice-
lib. 4. historiarum cap. 34. Arsacium
Episcopum post mortem excom-
auit in epist. ad Arcard Imperat *Ar-*
quem pro Ioanne Chrysostomo in thro-
piscopalem introduxistu etiam post obitum
ramus, Vna cum omnibus qui consulto
communicarunt Episcopis, cuius etiam
sacro Episcoporum albo non inscriba-

ò, potest mortuus, à quibuslibet cen-
solui, ergo & innodari, quia eadem
i aptitudo, requiritur ad contraria,
qui ad visum est aptus, cæcitatis quo-
ntrahendæ non est incapax, quod au-
ortuus, solui à censurarum nexu
quo implexus hæret, dixit Innocent.
decret. à nobis 28. his verbis: *Vnde*
cunque se quis iuramento præstito, quod
pareret, humiliare curauerit, quantacun-
tentiæ signa præcesserint, si tamen morte
s, absolutionis beneficium non potuerit
, quamuis apud Deum absolutus fuisse
, nondum tamen habendus est apud Ec-
bsolutus. Potest tamen, & debet, ei Ec-
ficio subueniri, vt si de ipsius viuentis
a, per euidentia signa constiterit, de-
am beneficium absolutionis impenda-

cies primò, si mortui solui possunt
ab Ecclesia, idem erit vtriusque vi-
, mortuisque bona opera, & indul-
non per modum suffragij, sed abso-
pplicari poterunt, id verò quàm sit
à vero, nemo non intelligit.
est neganda. Quid est enim fo-
is in quo iudicia exercentur, seu
atio ac forma ea exercendi, at vtro-
est hic, & in alio sæculo adhibetur
cum quæ à ministris fiunt, hoc est
busin tribunali conscientiæ, hæc
er rata in cœlis habeat, iuxta illud
uatoris, Matth. 18. *Quæcunque li-*

A *gaueritis super terram erunt ligata & in cœlis,* quare non forum duplex, sed carceres duo sunt admittendi, in quos supremus iudex Christus Dominus ius habet, & secundum ipsum Vicarius eius, quod si quid est peculiare circa pœnas, & earum satisfactionem dicendum est, id esse accidentarium, & ex reseruatione Christi, sicut cum Episcopus reseruat sibi aliquem casum, quem non committit Vicario, licet Episcopi, & Vicarij idem sit forum, propertereaque ab isto ad illum, non datur appellatio, vnde simpliciter dici potest, idem posse Pontificem circa
B defunctos, quod circa viuos, ad satisfaciendũ pro illis, per Missas, bona opera, orationes, & indulgentias, licet aliter Bellarmin. sentiat lib. 2. de Purgatorio cap. 6. pro nostra tamen sententia facit, quod ipse cap. 18. sub finem asserit, particularia suffragia, quæ pro defunctis offeruntur Deo, conferri pecuniæ, quæ ab vno quopiam soluitur pro altero, quæ sentẽtia si est vera, defunctis prodesse ex iustitia potest Ecclesia, & non tantum ex gratia, & acceptatione Dei, vt ac-
C curatè docet Suar. tom. 4. disp. 48

Obiicies, *At quod post mortem, nullus excommunicari valeat, vel absolui,* inquit Gratian. 24. q. 2. statim initio, *ex verbis Euangelij monstratur quibus dicitur quodcumq; ligaueris super terram, &c. Super terram, inquit non sub terra, ostendens, quod viuentes pro varietate suorum meritorum, soluere possumus, vel ligare, de mortuis autem sententiam ferre non possumus,* quod confirmare videntur hæc Leonis verba ad Narbon. Episcop. epist. 90 cap. 7. *Nos autem,* inquit, *quibus viuentibus non com-*
D *municauimus mortuis cõmunicare non possumus.*

Respondend. primò, Ecclesiam aliter verba illa Christi interpretari solitam, vt refert Innoc. prolataque à nobis ex historiis testimonia indicant, quòd mortuos aliquando censurarum vinculis innexuerit.

Respondend. secundò, hæc verba, *super terram*, ad ligantes referri, non ligatos, ita *Fœlician. cap. 44.* apud quem est hæc Diu. Chrysost. oratio, *Etenim qui terram incolunt, atque in ea versantur, iis commissum est, vt ea*
E *quæ in cœlis sunt, dispensent*, cum Fœliciano facit Maldonat. *in eum Matthæi locum qui est ex cap. 16.* nam ibi caput Apocal. 20. explicans, ait his verbis: *Quæcunque ligaueritis*, Apostolis dari potestatem iudiciariam, eamque in curandis piorum animabus, quæ ad iudicium præpositorum pertinent, versari.

Ad Leonis auctoritatem Respondend. cum Innoc, non communicandum cum mortuis per absolutionem, si cum religionis contemptu & contumacia excesserint, non autem si cum vera pœnitentia, & necessitatis

articulus beneficium absolutionis impedi- A uerit.

Obiicies 2. Si ad Ecclesiam militantem mortui pertinent, erunt haud dubiè in via, meritaque consequi poterunt, quod est hæreticum.

Respondend. esse in via, quandiu enim flammis purgantibus expiantur, non sunt in patria, hoc est beatorum, Christique seruatoris, expetenda domicilia non incolunt, viætamen actus omnes, operaque exercere nequeunt, sed quorum duntaxat sunt capaces, quare satispati possunt sicut in via, B non autem mereri vt in vita.

Obiicies 3. Est excommunicatio medicina ægrotantium, salus errantium, pœna contumacium, mortui nec sanari possunt, nec in viam reduci, nec obedientes fieri.

Respondend. Excommunicationem medicinam esse, vel eius qui plectitur, vel aliorum, vt eius exemplo sapiant. Secundò, mortuorum quoque pœnam esse.

Obiicies 4. Qui recens excommunicatur, noui debet esse criminis capax, moneri insuper vt contumaciam ponat, at mortuus C quid peccat? de quo, vbi, & per quem admoneri officij?

Respondend. sufficere vt sit in crimine, non est autem monitio necessaria mortuo, quia ea fit, vt reus timore censuræ imminentis satisfaciat, quod à mortuo nequit exigi cum læsæ satisfacere Ecclesiæ nequeat.

Obiicies quintò, Censura plecti homines possunt, non alij, mortuis propriè non conuenit nomen hominis.

Minor physice est vera, moraliter falsa, corpus enim & anima siue coniuncta, siue D separata, habentur pro homine, sic Beati dicuntur esse in cœlo, damnati in inferno.

Dico vltimò, *Crimina ob quæ eorum auctores excommunicari sunt soliti, in Dei Ecclesia fuisse varia.* Primum est hæresis 24. *q.* 2. *can. damnationis quinto & sexto*, & in quinta Synodo Constantinop. confessione seu collatione 5. *Diodorus Archidiaconus, & Primicerius reuerentissimus notariorum dixit, sunt nobis præ manibus quæ electa sunt, ad præsentem quæstionem pertinentia, eo quod oportet & hæreticos* E *post mortem condemnari.* Et post pauca Photinus Diaconus probat ex Cyrilli scriptis, *recusandos nobis esse hæreticos siue in viuis sint, siue non.* Et collatione octaua eiusdem quintæ Synodi pag. 771. habetur Augustini diuersas epistolas recitatas, *significantes quod oportet hæreticos & post mortem anathematizari, quam traditionem Episcopi Africani seruauerunt, sed & Romana sancta Ecclesia, quosdam Episcopos, & post mortem anathematizauit.*

Respondet Castrus anathematizatos quidem fuisse hæreticos, non tamen excommunicatos, quod anathema ab excommunicatione tam re quam nomine differat.

Respondend. primò, anathema iuris canonici Doctoribus ac Conciliis idem esse ac excommunicationē, anathematizare quod excommunicare, quod probant Patres in Collatione 8. Synodi 5. Constantinop. ex his Pauli verbis ad Galat. 1. *Si quis vobis Euangelizauerit præterquam quod accepistis anathema sit. An ignorant*, inquiunt, *quod iudicium anathematis nihil aliud est, quam separatio à Deo?* id est, excommunicatio, de qua re nos pluribus postea.

Secundò, excommunicabantur post mortem qui *hæreticis facultates suas relinquunt, Collat.* 5. *Synodi* 5. *Const.* & in Concil. Africano sub Cypr. statuere Episcopi, *vt qui facultates suas in testamento, vel ex intestato hæreticis relinquunt, oportere & post mortem anathematizari.*

Tertio, excommunicantur post mortem qui sibi violentas manus intulere 23. *q.* 5. *can. placuit.*

Quartò is cuius mandato occisus est Clericus Richard. *in* 4. *dist.* 8. *art.* 5. *q.* 4.

QVÆSTIO X.

Quas ob culpas ferantur censuræ.

Assertio prima, *Communiter non sunt nisi ob culpas mortales infligendæ, Concil. Vormaciense can.* 13. cum enim cēsuræ pœnæ sint grauissimæ, ex leuibus eas infligi causis non decet, excommunicationem maxime, quæ est omnium maxima, vt patet, *ex causa* 11. *q.* 3. *can. nemo Episcopor. & can. nullus Sacerdotum ead. q. & causa.* Ratio est, quod pœna dicat ordinem ad peccatum, ergo grauis, & atrox, ad culpam communi ac veniali maiorem, qualis præter mortalem, nulla. *Illud enim quod ait, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus, grauius est, quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris obijceretur*, & mox, *alligatur homo amarius, & infœlicius Ecclesiæ clauibus, quam quibuslibet grauissimis, & durissimis ferreis & adamantinis nexibus*, August. *lib.* 1. *contra aduersarium legis & Prophetarum cap.* 17.

Quid? quod Trident. sess. 25 cap 3. Prælatis imperet, ne quem excommunicent, aut literas monitorias vlli concedant nisi causa discussa, ac post examen accuratum & diligens, reperta sit eiusmodi, quæ prudenti censeatur grauis.

Assertio secunda, *Aliæ censuræ communiter*

n possunt ferri, nisi ob mortale. Suar. *disp.* *.4. nu.7. Comitol. in resp. ons. lib. 6. q. 46.* *oisp. 13. dub. 8.*

obatur, pœna debet esse culpæ par & is, seu vt loquuntur alij, ei commensu- *ap. fœlicis de pœnis in 6. Index pœnam me- ex culpa*, quare id ei cauendum esse præcipit, in primo Officiorum, ne ma- pœna, quam culpa, atque vt ipse scri- . de legib. *Noxæ pœna par esto, vt in suo vitio plectatur, vis capite, auaritia mulctâ, cupiditas ignominiâ sarciatur.* At est sus- magna pœna, quid enim contingere i queat grauius, quam non posse sacra ere, in Ecclesia diuina munera colere, iastica sacerdotia obtinere? facit hæc ie incommoda suspensio, est ergo æquitatem ea subiri, ac pœnarum de- antum, ob culpam aliam, quam gra-

i communiter, quia nonnulli sunt opi- spensionem & interdictum irrogari posse ob venialem noxam, cuius sen- patroni præcipui, *Caiet. verbo præcepti ssio, parag. pœna præceptorum, Nauar. num. 165. de suspens.* secundum alios mil. *verbo suspensio*, quid enim, in- , obstat, quominus priuari quis offi- ui momenti valeat ab Episcopo, in culpæ leuis?

ressi sunt longius alij, dixere enim liquem culpæ expertem suspensione i, scripsit hoc his verbis, Diu. Thom. t. 18. q. 2. art. 3. quæst. 2. ad 1. *Aliquis ato proprio suspenditur, sicut & totum supponitur interdicto pro peccatis Regis.* definitio illa suspensionis, ad hunc explicata à Nauar. in Enchirid. cap. . 151. *Suspensio est censura, qua alicui Ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui el beneficij Ecclesiastici in totum, vel in certum tempus, vel in perpetuum, quoad ob suam culpam, à iudice vel à lege*, hæc n) definitio, sic est corrigenda, vt omen ad propriam trahatur, aut alie- ne qua suspensionem irrogari non m, cum ea vero, aut ordine ad il- rri posse, indicant exempla quæ se- .

m, in sess. 6. cap. 5. Trident. Conci- nitur, vt *Nulli liceat cuiusuis priuilegij , Pontificalia in alterius Diœcesi exerce- e Ordinarij expressa licentia, & in perso- Ordinario subiectas tantum, si secus fa- rit, Episcopus ab exercitio Pontificalium dinati, ab executione ordinum, sint ipso nsi.* At esse hi sine culpa queunt, cum io ordinantur Episcopo, fac enim rere, sibi ad hoc ministerium facul-

A tatem à proprio loci Episcopo concessam, quis ei prudenter, ac cum ratione non credat? si creditur, sunt ergo, culpæ omnis expertes, ac vacui, qui se illi initiandos submittunt, nec tamen à suspensione futuri sunt liberi, non est ergo suspensio, necessario pœna culpæ alicuius, à suspenso admissæ, sed ab altero.

Secundum, *sess. 14. cap. 2.* extat decretum quo titulares, & clero carentes Episcopi percelluntur, qui Pontificalia officia, in alterius B Diœcesi, nisi de loci Ordinarij expressa licentia exercent, & *quoscunque ad se venientes, etiamsi suorum Episcoporum, seu Prælatorum literas commendatitias non habeant, Clericali charactere insignire, & ad sacros Presbyteratus ordines promouere præsumunt. Contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum, aliter verò promotus, ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso iure sint suspensi.*

At quid vetat, eiusmodi Episcopum mentiri, sibi ius esse vnumquemque cooptandi in ordinem Ecclesiasticum? & ita eius ser- C mone delusos Clericos, ad eum, bona fide ordinum causa accedere, ac proinde sine culpa? quos tamen ab eo sic promotos, ne officia suorum ordinum exequi possint, Ecclesia prohibet, verum est ergo, suspensionem, pœnam interdum non esse vllius culpæ, quæ sit à suspenso admissa, sed ab Episcopo delinquente.

Assert. 2. *Culpa in cuius vindictam fertur censura, debet esse inobedientiæ, per quam reus Ecclesiæ monita, eiusque auctoritatem spernere censeatur.*

D Ita P. Sotus *lectione 3. de excomm. Nauar. c. 27. num. 9. Sairus lib. 1. cap. 9. num. 28.* clarissimè autem Christus, *Matth. 18.* & Pontifex in decret. *ex parte de verbor. signific. 23.* in priori enim exigit Christus, vt excommunicandus parere noluerit Ecclesiæ, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, id est perinde de illo cense, parem de eo opinionem concipe, ac si intra Ecclesiæ gremium, deque fratrum numero non esset.

E In posteriori Pontifex Innoc. causas recensens, ob quas infligi excommunicatio valeat, contumaciæ expresse meminit, *quia scilicet reus citatus stare noluit iuri*, offensæ similiter, *quia videlicet iussus noluit maleficium emendare*, & *cap. de sentent. excomm. in 6* postquam dictum est quomodo excommunicatio sit *pœna medicinalis non mortalis*, subiungitur. *Et hæc eadem in suspensionis, & interdicti sententiis, volumus obseruari*, quia vt Glossa adnotauit, *ista tria paria sunt.*

Cum autem auctore Diu. Thoma 2. 2. q.

105. art. 1. ad 1. & q. 104. art. 2. duplex sit inobedientia, specialis vna, generalis alia, quæri, & disputari solet, ob quam earum oporteat censuram irrogari.

Est generalis inobedientia, peccatum quodlibet contra legem, quæ pro obiecto ea habet, propter quæ violari solet. Specialis, est culpa contra speciale superioris mandatum facta, quæ & inobedientia formalis dicitur, & hæc contemptum exigit superioris, aut legis formalem ac proprium. Iam ergo

Dico, *Satis esse ad incurrendam censuram, inobedientiam quæ materialis sit ac generalis tantum.* Ita Laym. tract. 4. lib. 1. cap. 5. nu. 1. Auila parte 2. cap. 5. disp. 1. dub. 11.

Primò qui id omitit aut facit, quod facere, aut omittere iubetur sub censura, peccatum vnum duntaxat committit ei virtuti oppositum, ex cuius motiuo, venit in eam mētem Superior id vt iuberet, aut vetaret, at non vnum, sed duo faceret, si inobedientiam, quæ censura plectitur, oporteret esse formalem, hæc enim est speciale peccatum, & à cæteris distinctum.

Secundò, vt quis dicatur Ecclesiæ inobediens, sufficit contemptus tam eius, quā Superioris interpretatiuus, nam per eum sufficienter quis intelligitur inobediens, cum enim tam propter bona spiritualia quibus excommunicatus priuatur, quā Ecclesiæ auctoritatem, comminantis censuram, quilibet ei debeat obsequi, & abstinere à peccato habente annexam censuram, id si omittit facere, censetur auctoritatem Ecclesiæ, minoris facere quam debeat, in quo, est interpretatiuus quidam contemptus Superioris, ac Ecclesiæ, ergo eiusmodi, qui censuræ infligendæ sufficiat.

Inde infertur primò, censuras à iure, non omnes illatas esse, aut inferri ob contumaciam, quia eius irrogandæ causas alias habet Ecclesia Alexandro III. teste, in decretali *qua fronte de appellationib.*

Secundò, contumacia non quamuis inobedientiam, sed obstinatam, sed ex tumore mentis profectam significat. Iam vero, quam est improbabile, hanc duntaxat à Pontificibus puniri per canones, non aliam?

Deinde est hic contumax, qui emendare culpam monitus, aut satisfacere pro ea quæ præterita est, neutrum tamen vult, id est nec satisfacere pro præterito, nec in futurū se abstinere, aut corrigere. Cōtumax item est qui tribus edictis propositis, vel vno pro tribus, quod peremptorium appellant, literis euocatus, præsentiam sui facere contemnit.

At qui incidit in censuram ipso iure, à iure

A ob solam inobedientiam est ligatus, quantumcunque eum facti pœniteat, illudque emendare velit & proponat in posterum Ecclesiæ præcepto parere.

Tum quia multa sunt iura, quæ pro delictis excommunicationem, non secus ac suspensionem, & interdictum ferunt.

Infertur secundò, non esse necesse, vt quis sit formaliter inobediens, vt faciat aliquid propter contemptum præcepti, sed satis esse si formaliter contemnat præceptum, quicquid ipsum tandem, ad illud contemnendum moueat, formaliter autem quis contemnit

B præceptum, cum actu illud sciens, nihilominus contra illud facit, v. c. scio prohibitum cuique esse sub peccato, & censura, vti libris hæreticis, eosque legere, curiositate tamen captus, eos mihi legendos arrogo, contra obedientiam pecco, & in censuram incido, licet hæc animo non insideat cogitatio, quia istorum est librorum prohibita lectio, ea oculos, mentemque nihilominus pascere volo. Couar. parte 1. relectionis in cap. Alma parag. 7. num. 7. versu 4. hinc deducitur,

C Infertur 3. eum, qui contra præceptum quidpiam agit, si eius non meminit, censuram, quæ eius transgressori est inflicta, non incurrere, quia non est hæc eius transgressio, propriè obedientiæ contraria, qui enim præcepti non meminit, ignoranti par est, ac similis, quandiu manet obliuio, ignorans autem inuincibiliter, excusatur, Henriq. *lib. 13. cap. 17. n. 3.*

Assertio quarta, *Actus, cuius causa censura fertur, externus esse debet, patensque & in genere suo completus.*

D Habet assertio partes duas, prior quæ est de actu, qui incurrat in sensum, probatur ratione Diu. Pauli, qui ad Corinth. de internis iudicare Ecclesiam negat, eò quòd hæc emendare, hæc corrigere, aut merita punire pœna non possit, cum probari ac maleficij peragi nequeant, nisi verbo, aut euidenti se signo prodant, quare quæ Deo soli scelera sunt cognita, hæc censuris non castigat, aut emaculat, nec ei est in more hæresim quæ latet inclusa animo reseruare, aut inflicta excommunicatione ferire: simi it :r nec

E voluntatem efficiendi criminis, quod censura plecti solet, nec eius admittendi conatum ac laborem. Quia conatus, inchoatio tantum est actus, non autem actus ipse, cum absolutione omnimoda cuius est capax, ergo eorum actuum numero non comprehenditur, in quos censura cadit, *odia enim iuxta* regulam *iuris in 6. Reg. 15. restringi, & fauores conuenit ampliari. In pœnis etiam benignior interpretatio est facienda, regula 49.* ergo cum lex

m imponens, odium habeat, vtpote æ contraria, quæ libertatem amat, coaem horret ac respuit, est hæc de actu cto, ac completo in suo genere, intelliloqui, non de alio, vera est ergo as-

QVÆSTIO XV.

erenda censura, adhibenda sit aliqua mosub comminatione eius incurrendæ nisi pareatur Iudici Ecclesiæ.

nsuris monitionem aliquam præmitoportere, dixere Concilia, Meldense rolo Caluo habitum, anno reparatæ 345. Turon. 2. anno Chariberti Rehristi 567. Tridentin. *sess. 25. cap. 3.* ficibus Innoc. IV. *in cap. Romana 5. nt. excomm. in 6.* Alexand. III. *in cap. sibilis 26. tituli de appellationib.* Innoc. *ecretali 48. tituli de sentent. excomm.* is. *Sacro approbante Concilio, prohibeuis in aliquem excommunicationis sen, nisi competenti (vel vt est in cap. reilis 26. de appellationib.) canonica moramissa & personis præsentibus idoneis, si necesse fuerit, possit probari monitio, are præsumat.*

orte talis sit culpa, quæ ipso suo genere, s vel excommunicationis pœnam indu- xand. III. *cap. 26. de appellat.* nam nsuræ monitionem præmitti vllam necesse, alias nunquam est omit-

est, quod lex neminem vinciat, aut nisi promulgata. At est censura le, admonitio autem promulgatiotenet, secundum Vgolin. tab. 4. um. 2. est ergo censuræ præmittenitio.

ò, ignorantem damno aliquo affit æquum, vt habetur, *cap. cognosnstitutionib.* At inscientiam monit, est hæc ergo adhibenda anteirrogetur pœna. Ita Soto *in 4. art. 1. conclus. 4. Suarez disput. 3. sect. ib. 9. de matr. disput. 32. num. 13. 17.*

hac ratione: Omnes censuræ ex tione exigunt, vt has Episcopus taxat qui sunt contra Ecclesiæ iusaces promulget. At eum contuguere iustè quis potest, qui an igere, aut omittere sit iussus, ignoe eo docendus est à iudice, cum ione censuræ, nisi imperata fa*hic contra præsumpserit excommu-*

A *nicationis sententiam nouerit esse illicitam*, Innoc. IV. *in cap. Romana Ecclesia de sentent. in 6.* & licet *iusta fuerit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesiæ, per vnum mensem sibi nouerit interdictũ, alia nihilominus pœna mulctandus, si visum fuerit expedire.* Innoc. III. *in cap. sacro approbante 48.* extra de sentent. excommunic.

An hæc autem, non tantum sit vitiosa, sed etiam ob defectum monitionum irrita, controuersantur DD. & talem esse negat Caiet. *22. q. 66. art. 2. parag. ad secundam dicitur.*

primò, quia Paulus incestuosum sine moB nitione vlla præuia excommunicat. *1. ad Corinth. 5.* Gregor. item, libelli famosi auctorem occultum, nisi seipsum prodat, ac iudici indicet *causa 5. q. 1. can. quidam.*

Quid? quod ab Ambrosio Theodosius ab Innoc. Arcadius, fuerint ab Ecclesia auctoritate qua pollebant eiecti, ob factum absolutè præteritum? quod Nicolaus Papa duos Episcopos Thiergandum, & Guntherium, à sacris remouet altaribus, quod Lotharij libidinem, adulteriaque cum Gualdrada & Thierberga fouerent? 2. qu. 1. can. scelus 21.

C Sed enim sententia sola vera, & tenenda, est, non modo vt licitè, sed & validè censura feratur, ei monitionem aliquam sub comminatione eius subeundæ nisi pareatur, imperio Episcopi, aliquid præcipientis aut vetantis, necessario præmittendam videri. Ità Suar. *disp. 3. sect. 12. num. 3. & disp. 18. sect. 3. num. 29.* Ægid. *disp. 13. dub. 9. num. 82.* Laym. *lib. 1. tract. 4. cap. 5.*

Causa est, quod censuræ contumaciam postulent in eo, cui irrogantur publicè, at hæc esse nulla potest, cum præceptum supeD rioris ignoratur, nescitur autem, cum non promulgatur, est hæc ergo promulgatio, seu monitio necessaria, vt quem Episcopus censura liget.

Patet ex dictis, peccare Iudicem mortaliter, cum in quempiam per censuras animaduertit ante de officio non monitum, quia culpæ leues, cuiusmodi sunt veniales, iuste nequeunt ac prudenter pœnis castigari asperis, grauibus, ac duris: at homini Deum E metuenti contingere grauius quid potest, quam sacris arceri liminibus? ibi ne votis Deum placet ac precibus, cæterorum more, vetari? vtrumque Episcopo supplicium iura Canonum inferunt, punienti subditum, ante de re omittenda, aut agenda, sub censuræ pœna, non præmonitum vt est *in cap. sacro de sent.* in eo ergo peccati est plusquam leuis conscius.

Patet secundò, censuram ferri non posse,

ob peccatum, commissum quidem contra legem Ecclesiasticam, sed quod præteriit, duratque tantum habitualiter, (vt aiunt) quia censura non afficit nisi contumaces, contumacem autem eum esse quis dixerit, cui nihil præcipitur, quod ab eo agi, aut omitti oporteat? quia ad hoc requiritur, vt monitus ab eo quod ei interdicitur, non absistat, aut verò quod iubetur non agat.

Patet tertiò, Suspensiones & interdicta, quæ ob peccatum olim admissum feruntur non perseuerans tamen, quia eius memoria nulla est reliqua, censuras non esse sed pœnas. Enimuerò est censura omnis medicinæ instar, hanc autem adhiberi curando corpori, sanandis morbis, à quibus eius valetudo læditur, illo ipso quo adhibetur tempore, vt ipse non dicam, res ipsa loquitur.

Ad argumenta autem initio allata pro Caiet. sententia.

Respondendum primò, non esse probabile, à Paulo prius censuram inflictam, quam incestuosum secreto monitum.

Secundò, argumenta à negatione aut à silentio auctoris alicuius petita, nihil concludere valide, itaque nulla est hæc consequentia à Paulo incestuosum officij sui admonitum esse, sacræ non narrant paginæ, est id ergo ab eo prætermissum: quam enim multa æterno inuoluta sunt silentio? quæ tamen gesta esse cum laude, nemo honeste potest ac prudenter ambigere.

De Gregor. quod asseritur, negari debet, nec enim eum qui Castorium Notarium ac responsalem suum verbo, ac scripto improbè læserat, piorum mouit numero, sed eum nisi errorem deponeret, seque proderet, sanctissimi Sacramenti vsu, sub excommunicationis pœna interdictum voluit, verba ipsa canonis, *ex lib.5. epist.* 39. deprompta indicant: *Quod si non exierit, neque publice confessus fuerit, quisquis ille sit, qui hoc agere præsumpsit, vel consensum tantæ iniquitatis consilio præbuit, ex Dei, & Domini nostri Iesu Christi Spiritu definimus, vt sancti eius corporis, & sanguinis participatione priuatus sit.*

Theodosium autem & Arcadium, ob culpas ante admissas, excommunicatos esse, non modo est incertum, sed manifestè falsum, in postremum enim Ecclesiæ gladium exemit Innocentius, quod Chrysostomum contra fas, iusque exulantem, domum reuocare nollet.

De Theodosio hæc habeo dicere, primò, eum ab Ambrosio non tam excommunicatum, quàm dum patratum facinus pœnitentia elueret, aditu templi prohibitum.

Secundò, si fuit excommunicatus, de quo non constat, dico, ea non affectum pœna, nisi monitum, & ob eam causam duntaxat, quod Deo, & Ecclesiæ per pœnitentiam satisfacere obstinate renueret.

Ad vltimum, dici debet Thergandum & Guntherium, à Nicolao & Synodo de Sacerdotali officio communi calculo depositos fuisse, excommunicatos nunquam, loquuntur hæ voces. *Igitur decernente nobiscum, sancta Synodo, in præsentia depositi, & ab officio Sacerdotali excommunicati, atque à regimine Episcopatus alienati indubitanter existunt: can. scelus vltimo causæ 2. q. 1.*

QVÆSTIO XVI.

An vna tantum monitio sufficiat, an autem multiplex sit necessaria.

TRinam esse oportet, vt habet *cap. constitutionem de sentent. excommunic. in 6. Statuimus*, inquit ibi Pontifex, *vt monitiones, quas vt canonicè promulgetur excommunicationis sententia, statuunt iura præmitti, Iudices siue monitionibus tribus vtantur, siue vna pro omnibus, obseruent aliquorum dierum interualla.* Potest tamen vnica pro tribus fieri, præfixo eo temporis spatio, quod pro tribus sufficiat, iuxta leg. *contumacia dig. de re iudicata*, modus autem præfigendi tum termini, potest esse talis. *Moneo te semel, pro tribus vicibus, vt intra tres hebdomadas, aut dies, hoc vel illud facias, concedendo tibi dies singulos pro singulis monitionibus, aut totum illud tempus pro tribus monitionibus.*

Si tamen periculum esset in mora, resque ipsa, aut necessitas aliqua secus fieri exigeret, tunc officio, conscientiæque iudex satisfaceret, si à reo obsequium sub censura peteret, quam & neganti illico imponeret, dicendo v.c. *Sub pœna excommunicationis, interdicti aut suspensionis veto ne tale quid facias, impero vt obedias, quod ipsum quia facere recusas, sacris te altaribus remoueo, fidelium communione priuo, suffragia Ecclesiæ communia ad salutem tibi prodesse nolo*, Laym. *lib. 1. tract. 4. cap. 5. n. 4.*

Debet autem hæc monitio nomine iudicis fieri, & immediatè ipsi reo, sin minus in eius domo, aut si id esse nequit, in publico aliquo vrbis loco, vnde facile ad eum censuræ fama, notitiaque penetret. Suar. *disp. 3. sect.* 11.

Tertiò debet, *fieri personis præsentibus idoneis, per quas si necesse fuerit, possit probari*, Innoc. III. *in decretali sacro* 48. *de sentent.* vbi Panormitan. ait, non esse necesse, monitionem in scriptis fieri, quod si fiat, non requiri personas quæ probare valeant, cum scriptio,

orum testimonium suppleat.
arto, debet monitio, de qua est quæstio
omminatione censuræ, reo fieri, quia
, non erit hic præceptis Ecclesiæ ino-
ns, ac contumax, argumento est, quod
ncurrendæ metu, multi sapiunt, multi
iam deponunt ac contumaciam, ne er-
o causa detur aliqua querendi sibi fie-
riam, omissione rei necessariæ, ad e-
lectendum animum, iustus ei censuræ
ndæ ni pareat incutiendus est metus.
uertendum tamen, canonicam moni-
n solum requiri ad censuram, quæ est
nine infligenda pro culpa præterita,
esente, in qua reus contumaciter per-
ut pro qua satisfacere renuit, Suarez
ect. 8 Laym. supra *num.* 5. Innocent.
s expresse *in cap. Romana de sentent. in*
quandiu hic non iubetur sub censura
are delictum, aut pro eo iussus satisfa-
on paret, non est contumax, cum
acia supponat contemptum præcep-
e nullum à superiore, in eum ema-
citur.
rtendum secundo, ad incurrendam
m iuris, aut sententiæ cuiuscunque,
a futura, v. c. *si quis furatus erit. Qui-*
hoc aut illud fecerit, sit excommunicatus,
ensus, monitionem nullam esse ne-
m, quia tam lex quam præceptum,
mminatione censuræ, generale, aut
, sufficienter pro se loquuntur, sin-
e admonent si censuram vitare vo-
illud prætergrediantur, quare si fe-
ro immorigeris merito haberi po-
& inter contumaces poni.

QVÆSTIO XVII.

An Censura verbis ferri debeat.

ura, sicut quælibet alia sententia,
ba requirit, quibus iudex significet
censura plecti v. g. *excommunico te,*
o te excommunicationi, quare si hic
ntum, quempiam censura illiga-
t, nihil facit, nec si alicuius commu-
vitat, propterea excommunicat,
m eo impunè versari licebit, sicut
luit, hoc precisè nomine quod cum
ur. Romanus tamen Pontifex pos-
odo aliquem censura plectere, ab
ere, si se hac ratione excommuni-
absoluere velle significasset, vt ha-
rissimè, *ca. si summus Pontifex de sent.*
& in Clement. & sic puto explican-
on. si inimicus dist. 93. *si inimicus est*
ns, alicui pro actibus suis, vos nolite
ars secunda.

A *expectare, vt ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse, sed prudenter obseruare debetis, & voluntati eius absque commotione obsecundare, & auertere vos ab eo, cui ipsum sentitis aduersum*, Ostiensis in summa, *de sentent. excomm. parag. qualiter proferuntur*, hoc in summo Pontif. valere ait, cuius voluntas legem facit, in aliis autem iudicibus, sententiam esse necessariam, sed certe illa significatio sine verbis, aut signis æquipollentibus fieri nequit.

Verba dixi in genere, quia certa nulla & de-
B terminata inueniuntur in iure, quæ tamen adhibebuntur à iudice, idonea esse debebunt ad eius intentionem exprimendam, Sylu. *excommunicatio* 1. *n.* 5. alioqui sententia incerta erit ac nugatoria.

Debent etiam verba speciem censuræ exprimere, & quod hic & nunc feratur, proque præsenti tempore, alioqui erit tantum comminatio, non sententia. Quod si erunt aliquo modo dubia, quia non constat an ad præteritum, aut futurum pertineant: erunt hæc ex vi sua ac notione, maximeque ex
C intentione, ac consuetudine loquendi iudicis, diiudicanda, quo pertinet illud Gregor. lib. 26. moral. cap. 7. translatum in causam 22. q. 5. can. humanæ aures 11. *Certe nouerit ille, qui intentionem & voluntatem alterius variis explicat verbis; quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem, & intentionem, quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni*, quæ autem verba sententiam ferendam contineant, quæ latam, dicetur postea, in tract. de excomm. vbi etiam ex-
D plicabitur, an scripto proferenda sit sententia, an autem viua vox sufficiat.

Notare interim placet, primo, personam in quam censura fertur, diserte exprimendam esse, nam si est incerta, si hæc aut illa vage subiicitur censuræ, erit hæc nulla, quod tamen de ea duntaxat debet intelligi, quæ fertur ab homine, nam quæ à lege, vel statuto, vel ob futuras culpas, vniuersè & indefinitè imponitur, nullum notat, neminem necessario designat, nec est tamen inualida.

Secundo notandum, sententias hypotheticas ab homine latas, vim habere nullam,
E donec eis addita conditio, à natura ponatur, homine, vel casu, illasque tandiu censeri suspensas, sine vi ac robore, quandiu hæc non extat: quia conditio apposita sententiæ, qua censura est lata, indicat nolle iudicem eam à reo incurri, donec ponatur, Cœlestini III. testimonio in *cap. preterea de appellationib.* dum ait licere singulis appellare, dum impletur conditio, & ideo si iudex diem suũ obeat antequam hæc esse incipiat, vel amoueatur ab officio, vel reus forum mutet il-

lius iudicis, in censuram non incidet: quia hæc ante expletam conditionem erat nulla, & cum valere incipit, iudex in reum iurisdictionem non habet, quod intellige quando crimen non præcessit, v.g. si sententia Episcopi ita sit lata, *qui furto tale quid sustulerunt, nisi intra 10. dies restituerint, sint excommunicati*, qui sunt furati, etsi sexto die forum mutauerint erunt excommunicati, quia ex antecedente facto nata est obligatio, tam vt obsequi iudici debeant, quam vt censuris possint ad id adigi, & ratione delicti, subditi remanent illius Episcopi, vt patet, *ex cap. proposuisti de foro compet.* sin autem nullum præcessit crimen, mutato foro non astringentur, imo nec si crimen fuerit secutum v.c. Episcopus excommunicauit omnes qui tale crimen in posterum committēt, qui id commiserit, post mutatum forum excommunicatus non erit, imò etiam non mutato foro, si committat extra Diœcesim, aut intra eam, aut in loco exempto vt habetur in *cap. Vt animarum de constitut. in 6.*

QVÆSTIO XVIII.

A Censura incurrenda quænam excusent.

EXcusat primo, *Defectus culpæ mortalis in actione, quæ contra legem fit, eam sub censura prohibentem*, Secundo, excusat, *Defectus contumaciæ*. Tertio, *ignorantia, tam culpæ inexistentis actioni, quam præcepti Ecclesiastici eam prohibentis sub censura.*

Pars prima, quæ est de culpa, probationem habet facilem, est enim hæc, causa pœnæ illatæ, aut inferendæ, cum à ratione abhorreat, innocentem plecti.

Secunda, cōmuni Theologorum axiomate nititur, quod censuram nō incurrat, nisi qui peccat contra ius Ecclesiæ, cui etiam delinquendo est inobediens, at qui contra præceptum Ecclesiæ facere se ignorat, ei obsequi non recusat. Nec est contumax, nisi censuram illi adnexam esse intelligat, quia fieri potest, vt qui præcepto simplici ad opus omittendum, aut agendum non mouetur, cēsura audita, & cognita quæ eius est violationi adiuncta, impellatur ad officium: est hæc ergo cognitio, ad censuram incurrendam necessaria.

Verum enim, quoniam multiplex est ignorantia, acciditque, vt sit crassa, seu vincibilis, supina, & affectata, dubitari solet, qualem eam esse oporteat, quæ à censura excuset.

Faciam enodandæ quæstioni initiū, ab explicatione cuiusque ignorantiæ, & quidem Magister sententiarum *in 2. li. dist. 22. de ignorantia*, inuincibilem eorum esse ait, qui scire vellent sed non possunt, & hæc ignorantia non tam peccatum, quam peccati pœna est. Affectatam autem eorum esse dicit, qui cum possent scire, nolunt tamen. Crassam vero, seu supinam, illorum, qui nec volunt, nec nō volunt scire, has ignorantiæ species paulo aliter cæteri explicant.

Alex. Halens. in *2. par. q. 112. memb. 2.* inuincibilem agnoscit in iis quos nunquam de re, mala ne an bona esset, dubitatio vlla incessit. Simplicem, in iis qui aliquid præstant, vt sciant, sed non tantum, quantum esset opus, quam ignorantiam excusare ait à tanto, sed non à toto, *Crassa, inquit, est, quando quis negligit scire, nec tamen vult se nescire.* Affectatam iis tradit, quibus placet ignorare.

D. Thomæ de hac materia apertior est, clariorque sensus. Crassam enim ignorantiam, vel supinam, scribit esse negligentiam, incuriam, seu desidiam cognoscendi ea, quorum est notitia necessaria, quam ipsam ignorantiam indirectè voluntariam, & vitiosam esse demonstrat *in 1. 2. q. 19. ar. 6. & q. 76. ar. 3.* qua in quæst. loquitur, his verbis: *Ipsa ignorantia est voluntaria, vel directè, vt cum aliquis studiosè vult nescire aliqua, vt liberius peccet, vel indirectè, sicut enim aliquis propter laborem, vel propter aliquas occupationes, negligit addicere id, per quod à peccato retraheretur, talis enim negligentia, facit ignorantiam esse voluntariam, & peccatum.*

Alij vt Sylu. in *Ver. Ignorantia n. 5.* ignorantiam crassam & supinam aiunt esse, *qua quis scienda non scit, ex negligentia lata, siue lata culpæ, vt quia nō scit publica & manifesta, quæ omnes sciunt*, ad similitudinem hominis crassi, & supini, qui posita coram, iacentiaque ante pedes non videt.

Vincibilis est, quæ superari posset, si adhiberetur ea diligentia, quam hic & nunc aliquis tenetur afferre. Affectata, cum quis studio ignorat, vt possit peccare liberius. Neque tamen est omnis ignorantia vincibilis mortalis, sed ea duntaxat, quæ est explicatę in definitione allata proximè similis, cum enim adhibetur diligentia vt sciantur quæ sunt scienda, sed non tanta, quanta deberet, ignorantia ista vincibilis quidem est sed non mortaliter, eo quod negligentia quæ est in veritate inquirenda commissa, leuis est. Ad quæstionem ergo, à censura incurrenda, excusat ne omnis ignorantia?

Dico primò, *Qui immemor præcepti, quo aliquid iubetur, aut vetatur sub comminatione censuræ, illud violat, aut cum ignorantia non crassa aut supina, censuram non incurrit*, probat doctrinam hanc decretalis Bonifac. VIII. secunda de constitut. in 6.

vt

vt animarum periculis obuietur, sententiis, per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia, crassa non sit, aut supina.

Ratio est, quod cum inaduertentia ad præceptum Ecclesiæ, aut eius ignorantia non crassa, stare nequit contumacia, ac contemptus virtualis, in eo consistens, quod aliquis monitioni legis, aut præcepti, cum comminatione tantæ pœnæ, siue censuræ, parere recuset. *Nec enim* vt est *in lege si ignorans 10. dig. locati contemnit disciplinam qui ignorauit.* Ergo cum censuræ non sit locus, vbi nullus est contumaciæ, ignorans præceptum, sub comminatione censuræ latum, eam non incurrit, cum in illud committit.

Dico secundò, *A censura excusari qui cum concomitante ignorantia, quidpiam facit aut omittit, quod fieri aut omitti sub comminatione censuræ iudex vetuit,* Vasq. *to. 1. in primam secundæ, disput. 125. cap. 3.* Henriq. *lib. 11. cap. 10.* Sanch. *lib. 9. de matrim. disp. 32. num. 26.* Suar. *disp. 4. sect. 8. n 7. & 8.* Petr. de Nauar. *lib. 2. de restit. cap. 1. diffic. 7.*

Ratio est, quod talis ignorantia tollit notitiam legis Ecclesiasticæ, sine qua tamen, contumaciæ, ac contemptui virtuali dictæ legis, locus esse quis potest? Est enim ignorantia concomitans in eo, quod operans legem nesciuit prohibentem quid fieri, quod hic tamen egisset non secus, etsi sciuisset id lege esse prohibitum, tollit ergo hæc ignorantia præcepti notitiam, ergo & rationem voluntarij, consequenter & peccati, censuræque, cum hæc non nisi peccantes afficiat.

Indicat quidem prædicta ignorantia prauam in operante dispositionem animi, actualem aut habitualem, eamque culpæ non expertem, nego tamen eam obiectum censuræ esse, quod Ecclesia interna non puniat, sed quæ patent, quæque vsurpantur sensibus, vno, aut pluribus, dummodo tamen præcepti Ecclesiastici contumacem transgressionem, eamque externam habeant, ex quo fit consequens, operantem cum concomitante ignorantia, censuram non incurrere, quod repugnet, ignorantem aliquid sub comminatione censuræ, esse lege Ecclesiæ vetitum, eiusmodi violatæ legis reum esse, & proinde contumacem, cum legis transgressio voluntaria esse debeat, cuiusmodi nemo eam dixerit, nisi in operante præcesserit aliqua præcepti cognitio, quam tamen concomitans ignorantia adimit.

Dico tertiò, *Ignorantiam tam iuris quam facti, impedire censuram.* Assertionis huius auctor, ac approbator Alexand. III. in decretali *si vero quarta de sentent. excomm.* his verbis: *Si aliquis in Clericum nutrientem co-* A *mam, manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui, nec etiam excommunicatione notari, dummodò ipsum Clericum esse ignorauerit.*

Hinc enim argumentari sic licet. Quod quis nesciatur esse Clericus, ignorantia est facti, quod ignoretur, malæ eius tractationi censuram adiunctam esse, ignorantia est iuris, at vtrumque nesciuisse, Alexand. teste, est ab excommunicatione, quæ ab iniuria ei illata nascitur, liberum ac immunem esse, facti ergo, & iuris ignorantia, liberat à censura.

B Confirm. Censuræ nemo subest, nisi contumax, ac inobediens Ecclesiæ. At hoc appellari nomine non potest, nisi qui peccat in legem Ecclesiæ, peccare autem nemo est solitus, nisi cui cognitum est, obiectum circa quod delinquit, esse prohibitum, alioqui non esset eius culpa voluntaria, nec proinde vitiosa. At ignorantia tam legis, factum aliquod prohibentis sub censura, quam censuræ ei annexæ, voluntarium tollit, circa id quod ignoratur, ergo & peccatum, ergo & eius effectum, qui est censura, vera est ergo C assertio.

Dico quartò, *A censura excusat ignorantia eius crassa,* quando est causa antecedens, sine qua non violandæ legis, quæ aliquid prohibebat, aut iubebat, sub comminatione censuræ, id est quando ignorans eam non violasset, si sciuisset latam esse censuram contra transgredientem, causa est, quod talis non est contumax, nec incorrigibilis, cum sola eum monitio emendare, ac in bonam frugem reuocare potuisset.

D Dico quintò, *Quando ignorantia, quæ est crassa, non est causa sine qua non, sed concomitans, hæc à censura non excusat,* sensus est, quod quando ignorans, est ita dispositus, vt etiam si sciuisset opus, cui vacat, esse prohibitum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, illud nihilominus fecisset, eum censuram non effugere, sed ea teneri, perinde ac si sciens incurrisset in legem.

Causa est, quod talis sit verè contumax & incorrigibilis, contemnit enim Ecclesiam, & eius censuram, & de hac ignorantia est canon 2. de constitut. in 6. vbi est his verbis: E *vt animarum periculis obuietur, sententiis, per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non sit ac supina.*

Est in eandem sententiam scripta decretalis Innoc. III. cum illorum trigesima secunda, de sententia excommunicat. quam breuitatis causa missam facimus.

Dico vltimo, *Qui rem præceptam esse scit, aut vetitam, non tamen sub comminatione cen-*

furæ, quamlibet imperatam omittat, aut prohibitam faciat, censuram tamen non incurrit, habetur *in cap.* 32. tituli de sentent. excommun. Ratio est prima, quod *sententiis per statuta Ordinariorum prolatis, non ligantur ignorantes de constit. in 6. cap. Vt animarum secundo,* at qui nescit, præcepto censuram annexam esse, verè retenta verbi proprietate est ignorans, cum eius vim, ac circunstantias omnes, perspectas non habeat, de quarum numero est censuræ comminatio, incurrendæ ab eius transgressore, ergo, &c.

Secunda, est censura pœna contumacium, hoc est eorum hominum, qui Ecclesiam tacitè ac virtute contemnunt, cum quæ ipsa fieri præcipit, aut omittit, negligunt, at cui non est censura cognita, resque sub eius incurrendæ comminatione prohibita, aut imperata, hic proprie eius cōtemptor dici nequit, cum quæ sunt ignota homini, hæc negligere ipse, aut habere contemptui non possit: ergo, &c.

Quare quod de Clericis, qui contra statuta Siricij continentiam non colebant, dixit Innoc. *cap. primo epist. 3. ad Exuperium Tholosanū,* illos pœnis ab eo in intēperantes constitutis non teneri, ad quos *forma illa Ecclesiasticæ vitæ, & disciplinæ, non probatur peruenisse,* sed ignorantibus veniam dandam, *ita ut de cætero penitus incipiant abstinere, & ita gradus suos, in quibus inuenti fuerint, retentent, vt eis non liceat ad potiora conscendere, quibus in beneficio esse debet, quod hunc ipsum locum, quem retiuent, non amittunt,* quod (inquam) dixit Innoc de his Clericis, hoc de Christianis omnibus est censendum, vt eos ignorantia præcepti, iurisque, extra censuræ metum omnem constituat. Hæc de ignorantia, pergamus ad cætera.

Quarta, ergo causa quæ à censura excusat, est defectus promulgationis, & receptionis legis, in qua sub ea aliquid præcipitur, aut vetatur ratio est, quod lex non nisi recepta obliget, ergo si eius, nullus vnquam inter homines vsus fuit, nec censuræ quoque per eam delinquentibus constitutæ, esse poterit.

Quinto, excusatur à censura qui in legem peccat quidem, sed non lethaliter per actum externum, qui vere sit mortalis, etsi interior sit talis. Nam Ecclesia actus merè internos non punit, sed Deus, iuxta communem sententiam, quam habet Diu. Thom. 1. 2. q. 91. Suar *tom. 3. in 3. par. disp. 70. sect. 3.* ex alia parte, noxas veniales constat censuris reprimi, ac coerceri non posse, vera est ergo assertio.

Sexto, excusat defectus actus interni, nam exterior sine interno, actus verus non

A est, sed simulatus, Nauar. *c. 11. Enchir. num. 27.* Henriq. *lib. 3. c. 21. §. 1.*

Septimo excusat metus grauis mortis infamiæ, exilij, iacturæ bonorum, &c.

Primo, quia eiusmodi timor, nonnunquam ab obseruatione præcepti Ecclesiastici liberat, cum non sit probabile velle Ecclesiam, matrem vtique pientissimam, decreta sua legesque, cum aperto mortis, aut infamiæ discrimine, custodiri ab homine, liberabit ergo similiter hic metus, à censuræ nexu, quod autem præcepta cessent Ecclesiæ, cum animo metus talis imprimitur,

B probant Suar. *lib. 3. de legib. c. 30. num. 14.* Ægid. *disp. 13. dub. 12. concl. 2.* & exemplum est, in eo, quem Tyrannus domi, die festo cohibet, impeditque, metu mortis ne sacro intersit, talis haud dubiè ei obsequendo non peccat, quia *quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit,* de regul. iuris regula 4. nec excommunicationem in eos latam. qui præcepto Ecclesiæ non satisfaciunt, incurrit.

Ratio est, quod qui ex graui metu peccat, alioqui non peccaturus, non censetur con-

C tumax, neque delinquere ex contemptu potestatis Ecclesiasticæ, sed ex infirmitate, sed ad censuram, contemptus saltem interpretatiuus Ecclesiæ est necessarius, ergo, &c. hæc ferè Laym. *tract. 5. par. 5. c. 5. de censur. in communi num. 9.*

Nonnunquam dixi, quia incidere possunt tempora, in quibus propter mortis infamiæque metum, violari Ecclesiæ præceptum non oporteat.

Primum, cum eius transgressio exigitur in contemptum Ecclesiæ, nam tūc quidlibet

D acre licet & toleratu asperum, dictuque, ferendum est potius, quam lædenda dignitas Ecclesiæ, cui naturæ iure, diuinoque, debita est veneratio.

Secundum tempus est, cum metus non est eiusmodi, qui hominem constantem mouere possit, ac debeat, nam à metu leui, cuiusmodi est offensiunculæ apud Principem, iacturæ bonorum exiguæ, vt aurei vnius aut duorum, iusta nulli ac probabilis esse causa potest, præcepti Ecclesiastici non seruandi,

E ergo nec vitandæ censuræ, qua visum est Ecclesiæ, eius transgressionem pro auctoritate plectere, ab ea ergo non excusat metus, cui pro obiecto leue quidpiam obuersatur, cura, studioque constantis viri, dignum non satis.

Tertium tempus, in quo metus à censura non excusat, nec à violatione præcepti humani, hoc est Ecclesiastici, in eo est, cum æquitas, ratioque postulant dictum præceptum seruari, etiam cum aperto capitis, ac fortunarum periculo, quod accidit cum actio

ctio per censuram prohibita, ratione talis prohibitionis redditur intrinsecè mala, tunc eam exercens contra legem Ecclesię, licet ob metum grauem, peccat, & pœnam dictę legis, puta censuram, aut irregularitatem incurrit.

Exemplum est in excommunicato nominatim, ac denuntiato publice, quem cum tali vinculo celebrantem, metus etiam iustus à culpa & pœna, hoc est *irregularitate* eximit, vt dicetur postea. Et hæc de metu.

Octauo, excusat à censura, indeliberatio animi in violando præcepto Ecclesiæ, aliquid iubentis aut vetantis sub censura, nam hæc culpam mortalem impedit, ergo & censuram, cum hæc illam, vt effectus causam suam præsupponat.

Nono, excusat casus fortuitus, nam qui fortuitò, & non ex proposito committit in legem, etsi aliquando peccatum peccet æterno mactandum supplicio, non adhibendo sufficientem diligentiam, non est tamen contumax, nec præcepti Ecclesiastici contemptor, consequenter nec excommunicatus.

Decimo excusat incertitudo iuris aut facti, nam in dubio melior est conditio possidentis libertatem suam, quam non possidentis *de regulis iuris in 6. regula 65.*

Vndecimo, consuetudo rationabilis pręscripta, *extra de consuet. cap. finali.*

Duodecimo, cum lex quidpiam sub comminatione censuræ vetans, præsumptione nititur, non veritate, solidè neminem ac efficaciter obligat, Sylu. *verbo excommunicatio q. 9.*

Similiter, nec cum cessat totus finis legis aut certe principalis, Henriq. *lib. 13. cap. 17. parag. 4.* quia tunc eius omnis obligatio interit.

Decimotertio, vt necessitas, vtilitas, ac quæuis alia causa rationabilis, non seruandi legem, excusat à culpa, ita & à censura, Ægid. *disp. 13. dub. 9.*

Decimoquarto, cum censura est contra facientem, cooperantes, participantes, mandantes, consulentes, ea non comprehenduntur, nisi eorum specialis fiat mentio.

Primo, quia pœnas coerceri, odiaque restringi est necesse iuxta *regul. iuris in 6.* decimam-quintam, *Odia restringi & fauores conuenit ampliari.*

Secundo, lex subditos Principis eatenus afficit, stringitque, quatenus est hoc ei placitum, cum enim actus agentium moralium operentur secundum eorum intentionem, ad eos duntaxat, non alios pertinebit pœna legis, quos Princeps in ea vocibus designabit, iisque non ambiguis, ergo si facientem

A hærere solum in censuræ pœna volet, ab ea cooperantes, consulentes aut iubentes erunt liberi. Quod si cooperantium in decreto fiat mentio, id intelligi debebit, cum limitatione triplici.

Prima est, quod cooperans causa sit efficax peccati, & sine qua principalis, de eo perpetrando cogitationem habuisset nullam, aut si aliqua eum pulsasset, non tamen efficaciter, ac cum effectu.

Secunda, quod actio principalis causæ sit completa, v. g. mandat seruo Dominus plagas vt Clerico imponat, colaphum ei infringat, vt ille, id est imperans, societatem pœnæ, sicut & maleficij, cum seruo coeat, sitque vt hic excommunicatus, oportet Clericum male ab isto pati, verbera corpore suo excipere, iniuriam in fama, aut membris recipere.

B

Tertia, quod cooperantium expressa fiat disertaque in lege, aut sententia mentio, nam si loquatur, de causa exequente duntaxat, aut consulente; mandans ea non comprehenditur, consequenter nec pœna peccantium propria.

C

QVÆSTIO XIX.

An is quem censura ob culpam aliquam suam ligat alia vinciri possit.

Dico primò, *Quem censura constrictum tenet, hic si post eius absolutionem habitam, rem pœna consimili dignam faciat, iteratò ea affici poterit.*

D Ratio est, quod censuræ mortis instar non habeant, sed medicinæ, quam frequentari, ac repeti pro necessitate temporis, ac morbi, quo corpus afficitur, tam bene informata ratio, quam ipsa, qua se quisque prosequi debet charitas, exigit.

Dico secundo, *Censura ligatum, antequam absoluatur, iterum sæpiusque ligari posse*, quia excõmunicatus perseuerat subditus Ecclesiæ cum sit baptizatus, ergo & pœnis iisdem quibus cæteri obnoxius, si eas fuerit peccando commeritus.

E Confirm. Clementina secunda de sent. excommunicat, in fine Pontifex, *excommunicatos & interdictos publicè, qui in ipsis Ecclesiis nominatim à celebrantibus, vt exeant, moniti, remanere præsumpserint, excommunicationis sententia, (à qua per sedem duntaxat Apostolicam, absolui possint) sacro approbante concilio innodat*, vera est ergo Assertio.

Dico tertiò, *Si vno quopiam facto violentur variæ leges, quarum obseruatio imperetur sub totidem censuris quot sunt leges diuersæ numero, ea-*

rum transgreßor non vna quapiam censura, sed multiplici vinctus erit.

Probatur primò Innoc. III. testimonio in decretali cum pro causa 27. de sentent, excomm. ibi enim Archiepis. Lugdunensi dat in mandatis, *vt vbi ei constiterit Archidiaconum, ob duplicem causam excommunicatum fuisse, & expreßisse tantum alteram in literis, quas super absolutione sua impetrauit, ipsum tanquam excommunicatum, satisfacere Ecclesiæ suæ pro altera, monitione præmissa adigat*, Clementina autem prima de sepulturis sanxit Clem. vt *qui propriæ temeritatis audacia, defunctorum corpora, non sine contemptu clauium Ecclesiæ, in cæmeteriis interdicti tempore, in casibus à iure non conceßis, vel excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel manifestos vsurarios scienter sepelire præsumunt, ipso facto excommunicationis sententiæ subiaceant.* Hinc enim patet, eum qui aduersus hoc Papæ Conciliique decretum, dum interdictum viget, vsurarium manifestum, nominatim excommunicatum, aut interdictum, terræ mandaret, non vna sed triplici excommunicatione, stringendum esse: huius enim legis capita instar sunt plurium, habentque pœnam suam propriam, quæ incurri potest, independenter à reliquis, quod autem vnus, idemque triplici illa macula, de qua fit in Clement. citata mentio, sit resspersus, est per accidens, cum reperiri queant in hominum numero plurimi, qui sint notati singularibus vitiis, ob quæ à Clement. sepeliri vetantur, quos tamen sacra impertiri humo posse, canonica Clementis quinti & Concilij Viennensis lege repugnante, prudenter quis putet?

Confirm. Qui manifestum vsurarium, publicè excommunicatum, ac nominatim interdictum, fato functos, domo effert tumulandos in templo, aut cæmeteriis, triplici se culpa impiat, ergo cum seiungi hæc ab eodem subiecto valeant, si vnica erit excommunicatio, qui trium est delictorum reus, duorum impunitatem habebit, nec constabit, quodnam eorum maximè præ cæteris plectetur, aut quod absoluetur à Iudice, cum illud absolui erit necesse.

Obiicies, ergo qui Sacerdoti iniuriam, vimque inferet, in totidem excommunicationes incidet, quot ordines habet.

Nequaquam, causa est quod ex vna parte gradus Sacerdotio inferiores, id est, Diaconatus, Subdiaconatus, &c. ex accidēti personæ non inhæreant Presbyteri, sed per se, ex alia autē, vnica tantū lege percussio vetetur Clerici, quare mirabile videri nulli debet, si qui in Sacerdotem, eiusque dignitatem incurrit, vnica tantum, & simplici censura, A non septena vinciatur, cum Sacerdos, non septies, sed semel tantum per tonsuram, in Clericorum cœtum sit ascitus, consequenter semel tantum sit Clericus.

Dico quartò, *Cum plures legem Ecclesiasticam non seruant, quæ aliquid agi, aut omitti sub censura imperat, ea ligati sunt omnes, qui in eam peccant.*

Ratio est, quod verè eam omnes violant, vt supponitur, sitque per accidens, quod idem sit numero subiectum, in quo hæc læditur, vt si tres Clericum eodem tempore B percutiant, vnica est percussio, læsus vnus, tres lædentes, totidemque iniuriæ.

Confirm. vel eorum vnus tantum in censuram incidit, vel nullus, vel omnes, non primum, quia in pari sunt culpa omnes, ideoque maior non est vnius ratio quam aliorum, non secundum, enimuero absurdum est, imò impossibile legem infringi, & pœnam eius à transgressore non incurri: ergo omnes, quod nos contendimus.

Dico quintò, *Si in personis pluribus, lex censoria violetur ab aliquo, tot hic erit censurarum reus, quot personas offenderit*, v. c. percutit quis C eodem furore percitus, Clericos decem, decies est excommunicatus, eodem patrem & matrem impetu interimit, bis est homicida. Causa est, quod personæ singulæ, integra sunt, totalia, & per se distincta obiecta nefandi eius facinoris, estque fortuitum, quod ab eodem, non multiplici ac vario, sed eodem morbo animi laboranti, sint perculsi.

Confirm. Si quis Clericos decem inhonorè pulsauit, semel tantùm est excommunicatus, quæro ob quem nominatim de ea turba, si producatur in specie aliquis, cum D eadem sit omnium dignitas, eadem vitæ ratio, proferendi erunt omnes, & sic erit necesse dicere, tot censuras incurrisse eum, à quo sunt hi iniuriam passi, quot sunt hi numero.

Nec est dicere, à singularibus personis quæ sunt læsæ, iniuriam vnam totalem resultare, quæ sit excommunicationis obiectum, nam primo, iniuriæ sunt hæ omnes graues. Deinde vt essent exiguæ, non coalescerent tamen ad conflandam vnam ali- E quam, quæ sit tanta, quantam eam esse oportet, vt censura puniatur, sicut ex multis venialibus simul iunctis, non fit vna quapiam culpa grauis ac mortalis.



DE IVDICE ABSOLVENTE à Censuris.

QVÆSTIO I.

A quo communiter absolui censuræ posit.

DIco primò, *Censuram tolli communiter absolutione legitimi iudicis*, causa est quod absolutio iudicialis sit actio *ex can. 9. sess. 14. Concil. Trid.* sed ius ei dici nequit, in quem dicenti nulla iurisdictio competit, exigit enim iudicium (inquit Diu. Thom.) *in 4. dist. 19. q 1. art. 1. ad qu. 3.* vim coactiuam in iudice, id est potestatem vt cogere reum possit, ad ea præstanda, quæ iudicij æquitas postulat, ergo cum ea iudices legitimi polleant, hoc est ciuilium, capitaliumque causarum arbitri, dictum est verissime, in eo iudicio, in quo de conscientia, commercioque reparando cum hominibus agitur ob censuram, quæ tale cõmercium, ac consortium adimit hãc absolutione legitimi iudicis tollẽdam esse, Videndus Anton. *in 3. parte tit. 25. cap. 2. §. 2.* Richard. *in 4. dist. 18. art. 9. q. 3. Rosella in verbo Absolutio num. 1. Angelus eod. tit. 1. num. 1. Caiet. in verb. excommunicatio tract. postrema de excomm.*

Confirm. Excommunicatio seu censura quælibet alia, non cessat per mortem eam ferentis, vt colligitur ex can. si Episcopus 11. qu. 3. quia postquam per sententiam iudicis legitimi pœna est imposita, transit hæc in rem iudicatam, nec per mortem eius in quem est inflicta, quia pœna censuræ in excommunicato mortuo, quoad suos effectus remanet, priuationem scilicet sepulturæ, sufffragiorum communium Ecclesiæ, cum iis hic carere debeat, iuxta *cap. à nobis 2. de sentent. excomm. cap. is cui de sentent. in 6.*

Quid si censura notatus contumaciam ponat? quid si Ecclesiæ obsequi statuat?

Respondend. ne tunc quidem censuram desinere, exigit illa quidem antecedentem contumaciam, sed vbi est illa semel contracta, per seipsam deposita contumacia, non cessat, sed per absolutionem, quare *nisi eius beneficium subsequatur, nec Episcopus, nec alij debent communicare eidem, nisi fuerit secundum formam post iuramentum præstitum absolutus, quia qui cum excommunicato scienter communicauerit, excommunicationis pœnam contrahit cum eodem.* Clem III. in decretali *cum desideres 15. de sentent. excom.*

Dico secundò, *A censura per sententiam particularem lata, cum tantum iure communi ac citra priuilegium absoluere solitum, qui eam posuit, eius superiorem, aut in officio, prouinciaque successorem.*

A

Opinionis huius auctor ac patronus Innoc. III. *in cap. 11. de officio iudic. Ordinar.* vbi ad consulta Heliensis Episc. respondet, *sine mandato Pontificis excommunicatum à delegato, non posse per alium, præterquam in mortis articulo, absolutionis gratiam obtinere, nisi forte delegatus talis extiterit, cui alius succedat in onere, & honore*, in eandem sententiam scripti sunt canones secundus Concil. Antioch. 1. decimus sextus Arelat. primi 47. *Nicani Arabici. Nullus Episcopus soluat, quẽ alius ligauit Episcopus, quandiu ille qui ligauit vixerit.* Causa est, *quod eiusdem sit soluere, & ligare de pœnit. dist. 1.* cum enim sine iurisdictione ambæ hæ actiones exerceri nequeant, eaque in excommunicatum, ac suspensum ab homine careant quilibet alij præter iudicem, eius superiorem, aut successorem, fit planum, à censura lata ab homine per sententiam, absoluere præter eos posse neminem, sicut est in assertione positum, quare de Hugone Lugdun. Episcopo queritur Iuo epist. 65. quod Puteacenses à se & Coepiscopis ob furta, *communione priuatos se nesciente communioni reddidisset, ac per hoc, scelerum suorum impunitate, ad perpetranda maiora scelera relaxasset.*

B

C

Dico tertiò, *Censuram per sententiam generalem latam, ab eo remitti posse, cui vel iure ordinario, vel ex priuilegio, concessum est ab his absoluere, quæ sunt statuto, aut iure imposita.* Ita Tolet. *li. 1. cap. 16.* Henriq. *li. 13. c. 28. n. 5 lit. Y.*

Ratio est, quod censura lata generaliter, æquiparatur censuræ iuris, aut statuti, sed hanc remittere potest Sacerdos quilibet, modo eam sibi auctor canonis non reseruauerit *cap. nuper de sentent. excomm.* ergo & generalem inflictam ab homine.

D

Min. est certa, maior sic probatur, censura lata ab homine generaliter, non continet sententiam, cum hæc tempus connotet, personam denotet, rem designet, sed præceptum tantum, quidpiam vetans aut iubens sub censura, non ergo irrogatur iniuria iudici, non eius iurisdictioni, si censuram quâ hic præcepti sui trãsgressores affici voluit is rescindat, ac adimat cui iure, aut priuilegio concessum est eam remittere.

E

Sane cum per citationem rei, quæ necessario antecedit sententiam causa iudicialis sit cœpta, fit iniuria Episcopo qui ei dedit initium, si alius illum absoluere tentet, præter superiorem aut eius successorem.

Excipiendi sunt casus sequentes, primus est, cum eius qui censuram tulit, iurisdictio interiit, nempe quia cessauit esse iudex: aut est extincta, quia de Ecclesia per excom-

municationem, exiit, aut est eius auctoritate qui poterat, depositus aut suspensus.

Secundus est, cum excommunicans delegata sibi potestate dixit sententiam, factaque sibi delegatio finem cœpit, Nauar in can. verbum de pœnitent. *distinct.* 1. Innoc. III. *in cap. quærenti 26. de officio delegati*, ibi enim sciscitanti priori S. Fidiani, quibus temporum spatiis crederetur delegati à Roman. Pontifice circunclusa auctoritas, respondit *delegatum ab eo, non solum vsque ad quadrimestre tempus, quod ad soluendum debitum, à lege reo conceditur, sed vsque ad integrum annum iurisdictionem sibi commissam, ad exequendum sententiam exercere posse.*

Tertius est, cum superior iudici, qui reum censura irretiit, eius adimendæ potestatem tollit, habetur in *cap. graue nimus de præb.* quia cum ab ea absolutio pendeat, vtpote iurisdictionis actio, ea sublata, aut extincta inferior quid potest?

Quartus est, cum superior, factum inferioris, id est prolatam ab eo in reum sententiam, ex certa scientia, & cum cognitione causæ (vt aiunt) confirmat, Nau. in cap. *Enchirid.* 27. *num.* 40. Suar. *disp.* 7. *sect.* 2. *n.* 14. Ratio est, quod tunc eam superior sui iuris esse velit, sibique propriam faciat, consequenter eius sibi absolutionem reseruet, vt docent DD. in *cap. ex frequentibus de institutionib.* Sylu. verbo *absolutio* 2. q. 4.

Quintus est, cum censuræ absolutio, est superiori eius qui inflixit, iure reseruata, exemplum est incendiariis & excommunicatis pro violenta manuum iniectione in Clericum. Hi enim decreto Clement. 3. *ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio, ad Apostolicam sedem sunt mittendi cap. tua nos 19. de sentent. excommu.*

De superiore, quod est dictum, cum nempe à censura Iudicis inferioris absoluere posse, de eo debet intelligi, qui supremam & plenam in eos potestatem obtinet, quos censura obstrictos tenet: qualem habet Papa in omnes excommunicatos, Generalis in eos, quos Priores, Guardiani, aut alij Superiores immediati ob culpam aliquam suam, censuris reuinxere Ecclesiæ, quia tales sunt eius subditi, ab eo ergo pro auctoritate vinculis solui suis poterunt, cum erit necesse.

Quid si Legatus à Latere, in ea residet vrbe in qua Episcopus, etiamne ei tum fas erit, quem hic censura aliqua publicè notauerit, eius manum proprio Præsule posthabito, emaculandæ huic labi adhibere?

Nequaquam: ratio est, quod subditorum causæ in prima vt loquuntur instantia, terminari coram Episcopo debeant, de quibus proinde Legato cognoscere, post Trident.

A Concilij constitutionem *sess.* 24. *cap.* 20. *de reform.* illicitum, nisi vel per appellationem ad ipsum deuoluantur, vel Episcopus, eas intra biennium à die motæ litis definire negligat.

Archiepiscopi par est eademque ratio; nam nisi ad eum facta fuerit loco, ac tempori opportuna prouocatio, aliorum quam qui immediatè sibi subiacent, nexus frangere aut laxare, lege Ecclesiastica id ei prohibente, non potest *cap. venerabilibus de sent. excomm. in* 6. & tunc citari partes debent,

B ab eoque appellandi causa illis quæ fuerit cognosci, maximè si eius sit æquitas dubia *ca. Romana parag. cum autem de appellat. in* 6.

Dixi *non aliorum quam qui sibi subiacent*, vt ostenderem Episcopos in causa Regularium super relaxatione censurarum, quas incurrent, tentare iure nihil posse, cum sunt hæ iis irrogatæ ob culpam, quæ ad regularem disciplinam pertinet eo quod *Monachi correctio primo loco ad Abbatem spectet*, Glossa *in cap. quanto de officio Ordinar.* Excipe casum, in quo ipsi subessent Episcopis, nam tunc ab iniqua prælati sui sententia, ad iu-

C stam Episcopi appellare possunt secundum Abbat. *in cap. reprehensibilis de appellat.* Hæc de superiore.

Quod autem successor, similiter à censura, quam antecessor tulit, absoluere valeat scripsit Bonifac. VIII. de maioritate & obedientia in 6. cap. 1. his verbis: *Episcopali sede vacante, potest capitulum, seu is, ad quem Episcopalis iurisdictio, tunc temporis noscitur pertinere, ijs, quibus posset Episcopus si viueret, ab excommunicationis sententia, siue iuris, siue hominis fuerit, absolutionis beneficium impertiri.*

D Dicti sui causam hāc habet, quod successor, pari sit auctoritate præditus in sibi subditos, ac qui eum in magistratu, officioque præcessit, Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 4. *parag.* 3. cuius rei hæc est ratio, quod potestas ligandi ac soluendi, Prælato competat, ratione beneficij, muneris, aut dignitatis suæ, at hæc non interit cum homine, sed ab eo, transit in successorem, cum beneficio. Vera est ergo assertio.

E

QVÆSTIO II.

De Iudice delegato absoluente à Censuris.

AD absoluendum à censuris latis ab homine, delegari duobus modis quis potest, primo ab homine, id est iudice, secundo à lege, & quod ad primum.

Dico, *Delegatum habere eam potestatem, quam ei delegans communicauerit, non maiorem.*

Ratio

io est, quod Ordinarius iure commu-
rogare sibi potest, qui partes suas ob-
qui prouinciam cum est necesse ge-
ices suas in administranda re commu-
eant, ergo cum quicquid delegatus
deleganti acceptum referat, non sibi,
hypothesi impar est ex se muneri,
lterius nomine obit, his terminis
ctoritatem circunscribi est necesse,
elegans præstituet, hi ampliores esse
nt, quam quos ipse definiet.

2. *Quando Papa aut ordinarius mandat excommunicet, aut suspendat certum n, sine alia commißione causæ, non posse modum eum absoluere, quem alterius vo- c mandato ligauit.*

est, quod tunc excommunicans non
sed executoris meri partes agat, si-
uit cum Vgolino Auila *par. 2. cap. 7. ib. 9. casu 4.* Suar. loco ante citato,
m. 8.

em deficiente delegante, data de-
risdictio intereat, res est auctorum
ambigua.

ndi hæc est causa, quod eodem
legatus ad delegantem non se ha-
Vicarius ad Episcopum, quorum
a est forum, tribunal vnum, ab il-
um, nulla est appellatio.

tamen tertiò, *mortuo, vel censuris im- legante, integra adhuc re, quam erat s delegatus, eius potestatem deficere: ante mortem, vel illius excommunica- risdictione sibi demandata vti cœperit, nchoatam explere posse.*

hæc assertio fidem ab auctori-
.III. *in cap. licet vndique trigesimo, potestate iudicis delegati.* Interro-
n à Pictau. Episcopo, an collega
ui coniunctim cum illo, causæ co-
nandata fuit à sede Apostolica,
am defuncti nomine, possit ne-
efinire, *Respondit,* in hæc verba:
one à suo sibi collega delegata, eo vi- n cœperit, quia mandatum huiusmo- a, morte mandatoris expirauit, non fficium iudicandi, si verò ante mor- risdictione vti cœperit taliter deman- suas & alius poterit adimplere, qua
rem præsentem dici expressius
, nescio.

otestatē quæ est à lege, cum absoluēdi ē ordinarius ligauit, duplici ex causa
est, quia nec hic, nec qui eius no-
ulit adiri, ac conueniri potest,
tract. 5. c. 7. n. 2. sub finem, nam
eis est suppositus, paratus est sa-
cautionem præstare, quod quam
terit eius se cōspectui offeret, cui
s secunda.

A absolutio reseruatur, consequi hanc ei lice-
bit ab alio quam eius auctore Nauar. *lib. 5. consil. 49. num. 6. de sentent. excomm. edit. 2.* ita ei asserendi auctor Alex. III. in decretali *qua fronte 25. ad Cantuar. Episcop.* his verbis: *Si quis pro contumacia, vel alia qualibet causa, interdicto, vel excommunicatione tenetur astri- ctus, & offert se ad iustitiam, de his, pro quibus sententiam ipsam excepit, index eum, (ne in ex- communicatione decedat) absoluere poterit, e- tiamsi pars aduersa, ne absoluatur, appellationis obstaculum interponat: ab ipso tamen ante abso-*
B *lutionem, sufficienti cautione recepta, quod vel in præsentia Romani Pontificis ad cuius audien- tiam appellatur, si maluerit aduersarius, vel co- ram iudice, cui causam delegauerit, iuris pareat æquitati.*

Hæc Pontifex: habetque hæc causa, lo-
cum maxime in mortis articulo, quem Pa-
norm. apud Nau. *cap. 2. nu. 9.* definit tempus
illud, in quo homines fere semper diem
suum obeunt, *cap. autem 26. n. 31.* id tempus,
in quo mors probabiliter timetur, quæ est o-
pinio Couar *§. 11. in ca. alma mater n. 8. versu ego vero,* Henriq. *li. 3. de pœnit. cap. 11. num. 3.*
C *litera P.* nostraque in tract. de Sacra. pœnit.

In articulo ergo, siue periculo mortis si is
conueniri nequit, qui vinculū Ecclesiasticū
reo intulit, nec alius, qui ab eo, aut supra eum
facultatem habeat, in cuiuslibet Sacerdotis
iure est id tollendi, eumque reconciliandi
Ecclesiæ per impositionem manus, Trid.
sess. 14. cap. 7. quem locum explicans Nauar.
cap. 6. num 26. solum excipit Sacerdotem hæ-
reticum, à quo dissentiunt, Fœlicianus *de excomm. cap. 41.* Henriq. *lib. 3. de pœnit. cap. 11. num. 8. & lib. 13. cap. 27. num. 3. & lib. 14.*
D *cap. 6. num. 7. D. Thom. in 4. sentent. dist. 28. qu. 1. art. 1. ad 3. quæstiunculam,* quum enim ibi
dubitanter proposuisset, possetne is qui ani-
mam agit, inducere ad suam salutem, scele-
rumque à se admissorum absolutionem, ac
veniam, eos Sacerdotes qui hæresi, aut pel-
licatu sunt contaminati, nimirum posse res-
pondet, quod spiritualis necessitas maior sit
quam corporis, sed aliquis (inquit) in neces-
sitate vltima, aliorum rebus vti potest inui-
to domino, peræque ac suis: ergo & in mor-
tis articulo, vt spirituali suæ necessitati sub-
E ueniat, potest à non suo Sacerdote absolui.

Eandem sententiam tuetur *in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. Canus in relect. de pœnit. parte tertia Ta- biena in verbo Absolutio 1. num. 32. Angelus in verbo Confessio 3. num. 2. Paludan. in 4. dist. 17. q. 3. art. 2.* ipsique, dum de pœnitentia agere-
mus, argumentis ostendimus, iure diuino,
atque etiam perpetua lege Ecclesiastica, Sa-
cerdotem quemlibet, posse in mortis arti-
culo, quemuis à quouis peccato liberum fa-

cere, neque hac iurisdictione priuatos esse hæreticos, ignorantes, & excommunicatos, in quo non illis gratificatur Ecclesia; sed moribundo, cuius saluti vult hac sua indulgentia cautum esse, eumque à desperatione procul facere. Vtvt sit de causa, res sane ipsa plana sit, primo ex verbis Concil. Trid. *sess. 14. cap. 7. de casuum reseruat.* ipsa verba hæc sunt. *Veruntamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusuis peccatis & censuris absoluere possunt.* Si omnes, ergo etiam hæretici, suspensi excommunicati, interdicti, ob quæ verba palinodiam Nauar. cecinit, & quam sententiam dixerat *cap. 26. manu. num 26.* retexuit in *cap. 27. nu. 272.*

Equidem restringenda sunt odia, diducendi fauores vt est *in regula iuris 15. de regul. iuris in sexto.* Ampliantur autem, si de eorum numero, qui bene mereri de pœnitente possunt, cum Deo per absolutionem reconciliando, hæretici, excommunicati, & suspensi, non excludantur.

Quid? quod non sit credibile, Deum & Ecclesiam, quibus est salus nostra cordi, nolle eam à quouis quæri, quæsitam autem recipiendo Sacramento pœnitentiæ à Sacerdote quolibet, recipi quocunque tandem sit ille maculatus scelere.

Ab eo petere illud quiuis potest modo pœnitens, & quidem tanquam rem sanctam, sibique ab illo diuina lege debitam, potest ergo & hic ei ministrare, potest ad sacra religionis eum admittere mysteria, qui in his, ac Sacramētis, vnicū salutis credit sibi esse perfugium. Quod si in his largiendis minister peccét, id suo ipsius fit vitio, nulla rei quæ flagitatur natura, aut flagitantis studio, vel conditione, flagitiū ipse suū dimittat, ac detestetur, tū demū renunciet ipse mihi, ecquid sit in præbendo Sacramento vitij. Licet inopi, licet angustiis rei familiaris, ac domesticę angustiis presso, quærere fortunæ suæ labanti præsidium ab vsurario, quamuis sciat illum daturum mente improba. Similiter ancillæ, seruoque, operam dare licet ei, qui concubinā domi alit, in necessariis familiæ, domusq; ministeriis, qualia sunt parare cibos, sternere lectos, instruere mensam, comitari Dominā, etsi vtriq; sit compertū, huic cum amasiis, rē negotiaq; intercedere, cum castitate pugnātia, vt enim qui caritate aliena, ac mutuo acceptis pecuniis, iuuari in dubiis suis temporibus ab vsurario postulat, vtitur iure suo, neq; dantis animū ipse offendit, sed ille suo se scelere cruentat, eas petenti tribuēdo, animo à Christiana pietate alieno, hoc est vsurario, ac improbo, ita & qui necessitate coacti, ser-

A uus & ancilla, pellici inseruiunt, in re minimè mala, quod est officij faciunt, obsequuntur vt viuāt, quod ius ac æquitas homini concedūt, operā illi suam deferūt, quid in eo est quod magnopere homo prudēs arguat? si hanc ad flagitium Domina referat, si ad pellicatū, sibi imputet, nihil est in hoc opere, quod vitio, seruo verti debeat. Paria de eo æstima, qui ad retinendā, vel potius reparandam animi salutem, pœnitentiæ Sacramentum poscit, vt enim iure poscit, quamuis excommunicatus, aut hæreticus à scelere discedere nolit,

B ita vterq; male tribuit, si cum peccato, quod dolore ipse suo expiare potest, distribuit.

Dixi *modò pœnitens*, primo, quia id statuit Innoc. *in cap. à nobis. de sent. excom.* Secundo, quia alioqui absolutio, ei non foret vtilis, valeret tamen, quia daretur ab eo, qui ad id, necessaria est autoritate prędītus, quod sufficit, neque enim perseuerans contumacia, facit hominem incapacē absolutionis à censuris, quēadmodū facit gratiæ. Sicut enim potest iudex contumacem non excōmunicare, ita & absoluere, quod si reualescat, mortemque

C Dei beneficio euadat, à censuris, erit nihilominus liber ac solutus.

Reliqua est altera causa, ob quam absoluitur reus ab alio, quàm à suo iudice, nēpe, quia ei quidpiā incumbit facere, quod impedito cēsuris, vna aut pluribus, aggredi, ac tentare, non est licitum, quæ ei tamen nequeunt ab eo qui inflixit remitti, quod ab inuicem hic & ille distent de cuius explanatione causæ, magnopere sollicitos nos esse, nihil est necesse, cum eam praxis fori ac tribunaliū ferè omnium, exploratam reddat ac certam.

D Actiones porro, quarū causa excōmunicatus, absolui potest à Sacerdote simplici, sunt eæ quę necessitudinem magnam habēt, cum bono cōmuni, aut priuato excōmunicati, vt testari, innocentiā tueri, se in iudicio defendere, obiecta sibi crimina refellere, beneficiū obtinere, &c. quę alioqui essent inualida, si ab homine censuris illigato fierent, & huiusmodi absolutio, dicitur vulgo ad reincidendū, vel absolutio ad certū actū, vel cautelā, *c. Veniēs de testib.* vel *ad tēpus* Couar. *§. 11. n. 6.* Et quidē ad ferendū testimoniū reos ab-

E solui, patet ex dicto *c. Veniēs de testib.* praxisq; iuris Pontificij id habet, vt facilius terminentur lites, Butrius *in c. Veniens citat.* Imola *in c. ab excom. de rescript.* tradit; Hostiens. nūtios ad sedem Apostolicā missos, si excōmunicati sunt, prius absolui quam audiantur.

De beneficiis dicere nihil est necesse, cum constet, ea non conferri nisi absolutis prius à Pontifice: forma ipsa mādati Apost. indicat præscripta his verbis in Concordatis. *Ac volentes præfato N. præmissorum meritorum intuitu gratiam facere specialem, ipsumque à quibus* ius

excommunicationis, suspensionis, & interdi-
,aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris &
ius, à iure, vel ab homine, quauis occasione,
causa latis, si quibus, quomodolibet innoda-
xistit, ad effectum duntaxat præsentium con-
endum absoluentes, &c.

Non prodesset tamen hæc absolutio, si uisus de beneficio, excommunicatus es- ob hæresim. Hostiens. *in cap. excommu- nius paragr. credentes de hæretic.* Felinus *p. Apostolicæ de except.* vel propter impe- s executores, seu nuntios Apostolicos, on. *in 3. part. summæ tit. 24. cap. 13. de mmun.* propter literas Pontificis corru- Rebuff. *in comment. ad formam mandati ncordat*, aut moram in excommunica- e vltra annum, Boerius *in decision. Bur- .290.* eo quod talis negligentia, suique ia, animi male de fide sentientis, pro- lis sit nota. Rebuff. proxime citat. Et quam quod Papæ, idem quoque Lega- atere, in collatione beneficij solemne ere, vt ei hypotheticam, & vt loquun- solutionem ad cautelam præmittere , iuxta Felin. *in cap. ad eminentiam rent.* non est id tamen Episcopo simi- oncessum, non vocata parte, glossa in *excommunicatos 11. qu. 3.* nisi sponte, que vt aiunt suo reum excommunicas- on aliena prece. Rebuff. parag. *inno- xistit.*

QVÆSTIO III.

icus, in articulo mortis positum, possit à Censuris absoluere.

no est de absolutione data, aut danda communi, absque speciali commis- quæritur, an Laicus, prima dunta- sura initiatus, sine deputatione pe- Pontificis, moribundum reconci- clesiæ eiusque Sacramentis valeat, ei in tali casu hoc est deficiente Sa- , aut iudice proprio, hanc ei iurisdi- tacitè tribuente.

posse defendunt Nauar. *de pœnitent. 6. cap. 1. in princip. num. 83. & se-* Faber de censur. *in 4. sentent disp. 25. p. 8.* Turian. de censur. *lib. 2. disput. 4.* Couar. *in cap alma mater parte 1. num. 9.* Corduba *in sum. q. 18. art.* Henriq. *lib. 3. de excomm. cap. 27.* otus *in 4. dist. 18. qu. 4. art. 4.* Pa- *dist. 17. qu. 3* Vgolin. *tab. 1. cap. 4. um. 7.* Auila *2 par. cap. 7. disp. 1. clus. 1.* quæ præcipua sint huius o- irmamenta, intelligetur, post ex-

A plicatam secundam sententiam.

Contraria igitur opinio probata est his omnibus Syluestro in *ver. absolutio 1. num. 8.* Panormitano *in cap. Pastoralis parag. propte- rea de off. Ordinarij*, Angelo, *ver. absolutio 3. num. 39.* de la Cruz in direct. *par. 7. de ex- comm. dub. 5. conc. 1.* Sancio in *selectis disp. 44. num. 7.* Tabienæ *verb. absolutio 2. num. 8.* Feliciano de *excommunicatione cap. 42.* An- tonino *3. parte titulo 17. cap. 4.* vt alij multi sileantur, qui hac de re dixerunt elegãter ac disertè, suamque sententiam scriptis im-
B pressam reliquerunt. His rationibus tueri se hæc potest opinio.

Prima, Christianus quilibet, in quocunque necessitatis articulo, tenetur diuina ac naturali lege, grauiter laboranti opem ferre quam potest, ergo & præciso necessariis ad animæ salutem remediis indigenti, qualia sunt nouæ legis Sacramenta, non negare ea, sine quibus hæc ei præberi nequeunt, nã si secus ageret, immani se scelere obligaret, istud autem est censuræ relaxatio, hanc ergo Laicus, negare nec potest, nec debet a-
C genti animam, hoc est in mortis articulo, eiusque periculo constituto. Si enim hæc potestas dari potest à Pontifice Laico, cum eam concedi non est necesse, quid est causæ quamobrem in extrema ægri necessitate, eam Ecclesia Laico datam nolit?

Secundum argumentũ bonitate eiusdẽ Ecclesiæ nititur. Quã enim est parũ verisimile, periclitantibus illam filijs, eo maxime tempore, nolle succurrere? aut sepultura Catholica, piorumque suffragiis priuare eos velle? Deinde si redintegrãdi hominis ius ac
D potestas, Laico dari potest, cum eam tamen concedi nihil est necesse, dubitare, an in dubiis ac periculosis ægri temporibus, illam Ecclesia, Laico datam esse velit, ecquid est eius caritati, prudentiæque iniuriam facere?

Obiiciunt aduersæ partis fautores. Primò, Glossam *can. vltimi causæ 24. q. 1.* in qua est in spiritualibus Laicum, etiam in mortis articulo nihil posse, nisi quod est illi expressè concessum in iure, quo de numero non est censuræ relaxatio etiam in mortis articulo.

Respondend. huic Glossæ, duas esse contrarias, prima est in *cap. à nobis, verbo non poterit de sent. excommunic.* altera in *cap. Pastoralis*
E *parag. præterea de officio Iud. ordinarij.*

Dicendum 2. quæ petuntur ex Glossa allata, sententiæ nostræ non officere, ait enim. *De omnibus quæ spectant ad officium Sacerdotis, illud solum licere Laicis credo in necessitate, de quibus expressum inuenio.* At absoluere à censuris, res non est functionis Sacerdotalis necessario, cum non Sacerdos, iurisdictione Ecclesiastica instructus, in externo

foro id possit, vt est in *cap. transmissam 15. de electione.*

Obiiciunt 2. Causa cur in mortis articulo, cuiuis Sacerdoti liceat, de censuris quibuslibet absoluere, locum non habet in Laico, nihil est ergo rationis, cur ei tum in eas arbitrium detur ac potestas.

Anteced. probatur, ideo voluntate Dei, & Ecclesiæ, Sacerdos quilibet, quemlibet in extremis versantem reddere potest Ecclesiæ, solutis tamen ante nexibus, quibus tenebatur, quod peccata his manentibus, ab eo remitti nequeant, ergo cum Laico ius in peccata, competere nullum queat, nec in censuras competet.

Anteced. est negand. cum consequentia confirmationis, nam cum nulla sit inter censuras, peccataque necessaria connexio, à censuris potest quis eximi, peccatis insolutis, quorum est in tribunali Dei, reus, nam ex quo Episcopus, electionis suæ confirmationem accepit, quamuis Sacerdotali charactere necdum insignis, Cœlestini III. iudicio, *de talibus & consimilibus* (hoc est excommunicatis ac suspensis) *præter ea quæ maioris inquisitionis discussionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant, quod iustum est, & Ecclesiasticæ conuenit vtilitati, statuendi habet liberam facultatem*, remitti ergo sine peccatis censuræ possunt, necnon ab alio, quam Presbytero

A quibus absolutus à Laico si moritur, efferri poterit, terræque sacræ sine alia absolutione mandari, sin autem, conualuerit, pristinæque redditus valetudini curare se, suaque cœperit, ei se sistet à quo tanquam à legitimo suo, veroque iudice, illi, vinculi sui, quærenda solutio fuerat, vt de eius voluntate ac imperio, illis satisfaciat, quorum causa est excommunicatus, alioqui in eandem relabetur censuram, vt post Pontificem in *cap. eos qui de sentent. excommunicat. in sexto*, habet Fœlicianus. Ex quo can. habetur insuper, posse quem citra mortis periculum, per Sacerdotem à sententia ab homine lata absolui, cum ei iudicem, à quo absoluendus esset adire non est integrum ob impedimentum legitimum, cuiusmodi habere sunt censendi pauperes, quibus ad iter Romanum, opes copiæque non suppetunt, aut corporis vires, vt infirmi, aut si adsunt, vagari tamen eos sexus, decentiaque non sinunt, vt mulieres, *cap. mulieres cap. cætero de sentent. excommunic.* aut pericula, quibus erit eorum salus, famaque, si se viæ committant, exposita. Hæc enim pro excommunicato, aut censuris irretito cum faciunt, omnis est illis adeundi Episcopi, aut proprij Presbyteri à quibus absolui valeant, honesta, iustaque ratio, vt habetur *in cap. nuper de sententia excomm.* maxime si impedimentum futurum est perpetuum, aut ad multos annos duraturum, quod si breue foret, tantisper expectandum crederem dum sublatum esset, precumque tum Ecclesiæ, ac suffragiorũ communium iactura quã patitur, patientiæ, obedientiæque suæ merito compensabitur.

Est id autem absoluenti cauendum in primis, ne pro absolutione data, aut impertienda, aliquid pretio æstimabile recipiat, vt admonet Pontifex *in cap. ad aures de Simon.* est enim ea exactio iniusta & simoniaca, simoniaca quidem quia absolutio spiritualis est actio, eaque à iurisdictione spirituali pendens, non est ergo eius venditio abiuncta à Simonia, data tamen pro pretio non est inualida si Syluest. fides est *in verb. Simonia num. 8. dicto 4.* nec eius emptio, Simoniæ infecta vitio, si à redimendæ vexationis studio, amoreque sit profecta, quia in tali casu non datur pecunia, tanquam absolutionis pretium, eique æquiualens, sed tanquam motiuum, & medium alliciendi animi alterius, vt voluntatem prauam deponat, beneque dispositum absoluat.

Secundo dans pecuniam eo fine quo diximus, non censetur irreuerentiam absolutioni facere, sed ei honorem deferre, dum suo facto illam sibi testatur esse necessariam, in quo quid est magnopere, quod rei spiritualis dignitatem offendat?

Est tamen ea pecuniæ exactio semper iniusta, quia vbi à reo satisfactum est culpæ, in cuius pœnam, censura est illi imposita, absolutio ei non est neganda, vtpote ei debita.

Casus vnus est tamen, in quo talis exactio macula carere omni est censenda, nempe cum pecuniæ certa summa à Superiore pendi à reo iubetur, quandiu in censura manebit, nam cum per ipsius stet contumaciam, quo minus absoluatur, iustum est eam exigere cum peccati sit pœna.

Circa prædicta occurrunt hæc dubia.

Primò, *An labi quis in censuram interdum possit sine culpa.*

Inficiantur Caietan. & Armilla *in verbo suspensio*, in eamque venisse mentem videntur quod pœna comes sit culpæ, ergo cum sint censuræ pœnæ Ecclesiasticæ, eæque graues, non sunt hæ ab innocentibus repetendæ. Accedit eodem quod censuras percurrenti, quæ priscis Patrũ nostrorũ sæculis ab Episcopis fuere, aut Conciliis inflictæ mortalibus, ne vna quidem se offeret, quæ non sit ob noxam irrogata, quam etiam lethalem esse oportere, sanxit *Concil. Aurel. 5. can. 2. Vermac. c. 13.* his verbis: *Nemo Sacerdotum*

dotum quemlibet rectæ fidei hominem pro paruis & leuibus causis, à communione suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres ab Ecclesia arceri iusserunt committentes.

Ab eorum tamen opinione deducunt me multa, vt quod interdicta ciuitate v. c. sacrorum quoque vsu interdicti sint pueri, quos minor ætas, ingenium recti nescium, ponit extra omne peccati periculum. Deinde posse quempiam culpæ expertem suspensione coerceri iampridem scripsit Diu. Thom. *in 4. sentent. dist. 18. qu. 2. art. 3. quæstiuncula 2. ad 1. Aliquis*, inquit, *sine peccato proprio suspenditur, sicut & totum regnum supponitur interdicto pro peccatis Regis*, de quo nos postea pluribus, parentum sane scelera in liberis vindicari, humanæ diuinæque leges testantur, in Exodo c. 20 & 34. quos tamen, antequam nati essent, peccasse quis credat?

Dubium secundum, *An omnis ignorantia mortalis, seu mortaliter culpabilis, sit crassa & supina, & proinde à censura non excusans.*

Affirmat Suar. de *Censuris disp. 4. sect. 10. num. 10.* verum enim sententia contraria, quæ est Mart. Bresseri de conscientia erronea *lib. 5. cap.* . Sanch *lib. 1. in præcepta cap. 16. num. 7.* sola vera est, & tenenda.

Ratio est, quod ignorantia crassa, & supina, Syluest. teste *in Verbo Ignorantia num. 5.* sit ea *qua quis scienda non scit ex negligentia lata, siue latæ culpæ, vel quia non scit publica, & manifesta, quæ omnes sciunt, ad similitudinem hominis crassi, & supini, qui non videt etiam posita coram*, quæ est etiam opinio Nauar. in summa *cap. 23. nu. 45.* Sed non omnis ignorantia eorum, quæ communiter sciuntur à sui similibus, crassa est, & supina; etsi sit mortalis.

Probatur, Ignorantia crassa oritur, Sylu. teste *ex negligentia iuridica lata, siue latæ culpæ*; quæ est omissio diligentiæ ab omnibus eiusdem conditionis hominibus adhiberi solitæ, vt Nauar. tradit loco proxime citato, quæ est quædam negligentia maxima, quæsita & studiosa *cap. quæsitum de pœnit. & remissionib.* & quæ ideo dicitur dolus *cap. 2. de deposito.* Sed vt omissio diligentiæ ad ea intelligenda necessariæ quæ eiusdem classis homines norunt sit mortalis & vincibilis, non requiritur maxima, sed sufficit mediocris aliqua negligentia, ergo non omnis negligentia mortalis, est crassa aut supina.

Dubium tertium; *An censura affici delinquens sit censendus, qui delictum non absoluit, cui pœnæ loco censura est addita.*

Pro affirmante faciunt, qui in genere criminum, conatum ipsum, vt crimini proximum puniendum esse volunt, perinde ac si vere commissum esset, in his sunt Iurisperi-

A ti *in leg. si qua Cod. de Episcopis & Clericis.* Et sane, si quæ ea de re leges sunt scriptæ, attendere placuerit, dubitationi locus vltra futurus est nullus; quid enim dilucidius de hac materia dici potest quam quod est in lege, *si quis Cod. de Episcopis si quis non dicam rapere, sed attentare tantum, iungendi causa matrimonij sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur* & *digest. ad leg. Corneliam lege Diuus: In maleficiis voluntas spectatur non exitus*, quibus verbis docetur, non factum, sed causam eius, hominumque consilia, in pœnis irrogandis spectari oportere.

B Mihi hæc tamen opinio; multis est nominibus improbabilis, primo, quod non ab omnibus concedatur; eum qui ad consciscendum scelus est nisus, eadem pœna puniendum, qua qui admisit, de quo videndus est Couar. in *2. par. relect. de homicidio nu. 6.*

Secundò, quod leges perinde in conatum, ac factum animaduertentes, totius sint orbis consuetudine abrogatæ, testimonio Couarr. loco citato *n. 6. 10. & 11.*

C Tertiò quod lex Ecclesiastica voluntatem non puniat, vtpote legislatori incognitam, sed opus, quare sic censeo, censuris illaqueari neminem, nisi qui actionem, quæ censura mulctatur, perfecit. Ita Panorm in cap. cum in cunctis paragr. Clerici de electione sunt hæc eius verba. *Posuit Ioan. Andreas vnum dictum semper mente retinendum in regula. Quia in Mercurialibus, super verbo pœna dicens. Quod vbi pœna apponitur à iure ipso facto propter aliquod delictum commissum, nunquam est locus illi pœnæ, nisi delictum illud sit consummatum, quantumcunque fuerit inchoatum, sed*

D *posset extraordinariè puniri, quia inchoauit.* Sentiunt idem, dicuntque, Couar. *in relectione de homicid. part. 2. num. 5.* Alfonsus à Castro *lib. 2. de potest. leg. pœnal. cap. 6.* vbi his verbis mentem suam aperuit. *Ideo nunquam aliquis in excommunicationem incidet à iure latam, quamuis conetur facere id, propter quod est imposita excommunicatio, nisi verè perfecerit illud.*

Patet ex dictis primò, non teneri pœnis Gregorianæ constitutionis, contra mono-

E machos, qui ad locum certamini destinatum pugnæ causa se contulit, in eoque diu hæsit aduersarium operiens.

Patet secundò, ab iisdem immunes videri ac esse, qui strinxere enses, impediti sunt tamen ne eosdem in sese mutuo conuerterent, quia pœna Gregorianæ constitutionis ad eos non pertinet, inter quos est pugna condicta, nisi certent, manumque ac ferrum reipsa conferant, est enim ea sanctio pœnalis, cuiusmodi quæcunque est, est hæc interpretanda strictissime, per regulam;

dia 15. de regul. iuris in sexto.

Confirm. in pœnam legis non incidit, qui id non efficit, quod hæc punit, at hi inter quos est condicta pugna, quamuis vltro citroque iniuriis se vulnerent, arma ad cædem parata ostentent, præfidentis animi ac ferocis signa multa inuicem indicent, reipsa tamen quandiu non confligunt, actionem propter quam excommunicantur non suscipiunt, vt ex his constitutionis verbis fit planum. *Auctoritate Apostolica statuimus, omnes illos, qui ex condicto statuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiserint,* oportet igitur pugnam esse commissam, ad contrahendam istius bullæ pœnam propriã.

Dubium quartum, *An pueri censurarum sint capaces.*

Omnino, sunt enim hæ pœnæ peccantium, at pueros, cum sunt doli capaces, peccare posse nemo ambigit, ergo & puniri quin valeant, nemo prudens negauerit.

Et primo quidem si feratur interdictum, contra vniuersum populum, eius pœnam & censuram eos pati, scripsit Syl. in ver. Interdictum 3, num. 18. sic enim ille: *interdicto populo, interdicti sunt impuberes eius; si sunt doli capaces, quia ætas illa plena est malitiis, & mendaciis:* eos quoque si hominem interfecerint irregularitatẽ contrahere tradit Glossa *in cap. 2. de delictis puerorum*, Sylu. in verbo *homicidium 3. qu. 1.* excommunicationem autem similiter eos subire à canone latam, si quis suadente diabolo, cum manus violentas Clerico inferunt, dixit Panormitanus in *cap. 2. de delictis puerorum*, quam iustè verò ac prudenter, vel hinc patet, quod ab æquitate Ecclesiæ, solitaque sua aduersus miseros pietate non magis abhorreat, iustis hanc pœnis castigare iussis suis inobsequentes pueros, quam eosdem à Christo cœlesti exutos gratia, flammis addici sempiternis, si facinus ea pœna dignum forte consciscant, facit hoc Christus, facere ergo & alterum potest Ecclesia.

Quid? quod non deceat ætatem ad vitia pronam, impunitate peccandi, ad maiora illici, fieret id verò, si quæ non sunt in viris ferenda, hæc in pueris dissimularet Ecclesia, censuris: hi ergo, quarum sunt capaces, coerceri poterunt, si quando quid peccarint, quod sit huic pœnæ par & æquale.

At qua ætate, quoue eius anno illarum pœnam luent? quo pueritiæ tempore huic subiici, voluntate Episcoporum poterunt? etiamne ante pubertatem, aut ea tantum inchoata, circa ætatis annum 14.

Sotus *in 4. distin. 12. qu. 1. art. 11.* eos ante annum duodecimum vel quartum decimum legibus Ecclesiæ teneri negat, consequenter

A pœnis eius ac censuris mulctari posse.

Panormitan. in *cap. 2. de delictis pueror. nu. 4.* Glossa *in cap. postremum de sentent. excom.* Antonin. *parte 3. tit. 26. cap. 3.* existimant eos illicò ac sunt doli capaces, Ecclesiæ legibus permittendos esse, quod communiter accidit, cum in iis ea se ratio aperit, quæ non ad peccandum tantum requiritur, sed etiam ad parendum Ecclesiæ, quare vt excommunicatione possint affici, nosse debent, hanc inobsequenti pœnam ab ea propositam, ad eius autem cultum, ac salutis

B propriæ commodum pertinere, ei à se, cæterisque deferri obsequium.

Dubium quintum, *An censuræ, actus valorem impediant, qui exercetur ratione publici officij.*

Dico primò, *Quæ fiunt ab excommunicato, suspenso, aut interdicto, tolerato hæc actus valorem non impediunt.*

Ratio est prima, quod Ecclesia eiusmodi hominum generi vim ac potestatem agendi non adimat.

Secunda, quod fides publica, Ecclesiæque tolerãtia, opera in quæ tum incumbunt,

C publicæ tranquillitatis causa, pacisque, valere, ac rata esse velit, ita Doctores in *leg. Barbarius dig. de offic. prætor.* Nauar. in Manual. *capite 9. num. 9. Valida est absolutio illi pœnitenti concessa, qui præ ignorantia confessus est Sacerdoti vinculo excommunicationis, interdicti vel suspensionis irretito, qui quidem non est publice denunciatus, sed solum est suspensus, vel excommunicatus per sententiam à iure, ab homine, vel statuto latam, quoniam censuræ occultæ in præterito tempore, & etiam aliæ in præsenti, nisi fuerint in publico denuntiatæ, non impediũt valorem*

D *actus, qui ratione publici officij exercetur*, placuit hæc opinio Nauarri Panormitano in decretalẽ veritatis, de dolo *n. 41.* Tabienæ verbo *excomm. 1. parag. 13.* Innoc. in *cap. 1. de schismaticis*, ibi enim ait, conferentem ordines si est excommunicatus secretus, & toleratus, non impedire executionem ordinum in iis qui illos suscipiunt.

Dico secundò, *Gesta ab excommunicato, suspenso, aut interdicto denuntiatis, inania esse, ac nulla*, ita Innoc. III. in decretali *Veritatis 8. de dolo & contumacia*, declarat à deposito, va-

E lide fieri nihil posse, nihil à suspenso, aut excommunicato publice, *Ea nihilominus reuocantes*, inquit, *in irritum, quæcunque post inhibitionem Apost. sedis, seu factam suspensionem, & excommunicationem, de rebus Ecclesiæ alienare præsumpserit.*

Huius opinionis est hoc argumentum non leue, quod acta ratione officij, sint sine iurisdictione, cassa ac irrita: at hæc est excõmunicatis, suspensis denunciatis adem-

pta

pra per Ecclesiam, argumentum est canon. Innoc. III. 24. *ad probandum de sentent. & re iudicata*, vbi iurisdictionis defectu, ac inopia, datam à delegatis iudicibus sententiam, infirmandam scribit quod *Vnus ex delegatis iudicibus, qui eam protulerunt, excommunicationis vinculo publicè esset innodatus, quādo sententia lata fuit.* Vera est ergo assertio, quæ à toleratis geruntur ac fiunt, eius occasione magistratus quem publicum gerunt, rata esse, quod in iis (quæ est Innoc. ratio) dignitas ac iurisdictio resideant, ita quæ non tolerati faciunt, natura sua ruere, iacere, firma non B esse. Sunt hi autem non tolerati Panormit. auctore ac teste *in cap. Veritatis de dolo*, qui sunt depositi, qui dignitatis insignibus spoliati, qui notorij percussores Clerici, aut publice sunt excommunicati.

Dubium sextum, *An dari, aut promitti superiori quid possit, vt ab excommunicatione nocentem liberet.*

Est id pridem à Lucio Papa III. reprehensum, *quod sit indignum, & Ecclesiasticæ rationi contrarium, vt absolutionis beneficium redimatur.* Equidem est hæc spiritualis, & à C spirituali iurisdictione, vt effectus à causa pendens, quæ autem à concretione sunt terrestri libera, quæ natura suâ spiritualia, hæc æstimari pretio, aut distrahi sine peccato posse, quis putet? empta tamen non est inualida, Sylu. si est fides *in Verbo Simonia num. 8. dicto 4.*

Ratio est, quod culpa, potestatem superiori non adimat, nec voluntatem iuuandi excommunicati, quæ ambæ res, solæ sunt in Superiore ad eius abrumpenda vincula D necessariæ.

Quid si hunc ad huiusmodi commercia, impietatis plenissima, excommunicatoris cogat improbitas? à quo vt Ecclesiæ redderetur, eiusque Sacramentis, gratis, ac sine nummis, impetrare non potuit?

Eum Simoniæ arcessit Vgolin. *tab. 1. cap. 5. num. 5.* quod excommunicatoris vexatio, nihil sit aliud quam absolutionis negatio, quam redimere, est absolutionem emere. Hæc ille.

Sed contra. Alienæ occurrere culpæ, ideoque pecuniam, aut ea quidpiam æstimabile, peccanti dare, vt ea absistat, culpa E nō est, est hoc ei vero qui vexationē redimit, propositum, non autem emere gratiæ aut reconciliationis cum Deo, Ecclesiaque beneficium, quod Diu. Thomæ non videtur improbandum *in 4. sentent. dist. 25. qu. 3. art. 2. in fine & 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3.* vbi agit de Iacobo, qui à fratre ius primogenituræ sibi diuina dispositione debitæ, emit sine vlla sua culpa, qua tamen Esau non caruit, illud

A vendendo. Idem dicendum, de excommunicato, cui debetur à suo Iudice, censuræ à se contractæ relaxatio, vbi satisfecit officio, eaque præstitit omnia, quæ læsa charitas, admissaque per eum culpa postulabat.

Dubium septimum, *An peccet, qui legem sancit, qua iubeantur excommunicati, certam pecuniæ summam quot diebus, & hebdomadis pendere, quandiu se superiori absolutionis gratia, non sistent?*

Respondend. quandiu per eorum contumaciam stabit, quominus è vinculis Ecclesiæ, quibus astricti hærent, liberi abeant, æquitatis esse, prudentiæque, pecuniam exigere, quæ sit peccati pœna, non absolutionis pretium, alioqui lex iniusta esset, eique morem qui gereret, improbus.

Dubium octauum, *An cum datur facultas absoluendi ab excommunicatione qualibet, & omnibus casibus, ijs duntaxat exceptis, qui continentur in Bulla cœnæ, censeatur etiam data facultas esse, absoluendi ab excommunicatione reseruata Episcopo?*

Omnino, cum enim Papæ auctoritas, iisdē definita sit terminis, quibus orbis ipse, constat quæ ab Episcopis, immissa sunt vincula nocentibus, laxari ab eo posse, & rescindi, cum placet: ergo & ab illis, quos ad eam rem, sibi subrogatos volet, tanquam delegatos. Substituit autem, cum in Iubilæis, confessarios adhibet reconciliandis pœnitentibus, cum potestate censuras ac peccata remittendi cuiusquemodi, exceptis his quæ cœnæ Bulla continet, possunt ergo tum Confessarij, eos absoluere à censuris & peccatis, quæ iuris esse sui voluere Episcopi.

Velle autem Pontificem, Confessario cuilibet tum subesse reseruata ab Episcopo, indicat ipse concessionis contextus, ac series, ecquid enim illa loquitur, in Confessariorum esse iure, quidquid non est de eorum genere quæ reseruata sibi Pontifex voluit in Bulla cœnæ? ergo & censuras Antistitum, alioqui vt illa excipit, sic & censuras excepisset, quas sibi proprie seruari in Diœcesi Episcopi imperant: exceptio enim iuxta Iurisperitorum axioma verissimum, in non exceptis, firmat regulam *lege quæsitum dig. de fundo instit.*

Dubium nonum, *An quando quis, ab excommunicatione absoluitur, cum obligatione reincidentiæ, nisi conditionem impleat absolutioni appositam, eadem numero excommunicatio redeat.*

Non redire probat hoc argumentum, quod quæ desierunt esse, renasci denuo sine noua quapiam actione nequeant, at fuit excommunicatio prima illa, absolutione Iudicis sic abstersa, nullum eius vestigium

vt sit reliquum, nã ex hypothesi eadem excõmunicatus non iterat, quorum causa, primo in vincula incidit Ecclesiæ, non est ergo hæc eius excommunicatio in quam reincidit, eadem numero, cum ea quam peccando primò subiit.

Est tamen ei perquàm similis, & catenus dicitur reincidere ac relabi, quatenus hæc irrogatur iure, propter inobedientiam & contemptum virtualem Ecclesiæ, in non præstando quæ hæc iussit, & quæ reincidens olim acceptauit, quo de iure planum est testimonium in decretali Bonifac. VIII. *eos qui 22. de sentent. excommunic. in sexto*, vbi postquam eos leuitatis arguit, qui cum Episcopis suis de obsequendo iisdem fidem dedissent, hacque isti spe inducti, eos censuris fecissent liberos, sua tamen promissa non fecissent, tãdem decernit, *ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ in eandem sentẽtiam reincidere ipso iure*, quam ad rem requiritur formalis in eo contemptus, qui absolutionem à censura sibi ab illo non quærit, qui dare poterat, patet ex textu vbi talis contemptus fit expressa mentio: quare qui ex metu, verecundia, aut quapiam alia causa, ad eum cui dicta censura est reseruata non accedit, eam denuo non incurrit, quia quod ad eum non veniat, non est tribuendum contemptui.

Dubium decimum, *An in Iubilæis dari posset absolutio à peccato cum reincidentia, & si nequit, quando sit hæc ei adiungenda conditio?*

Absoluendus vigore Bullæ, aut Iubilæi, absolutè, & semota conditione omni debet absolui, nullo modo cum reincidentia, nisi præstet promissa, eaque quæ secum ipse statuit, vt Iubilæi fructu gaudeat.

Primò, quia hic casus, non est de eorum numero, quos Papa Bonifacius non nisi cum hoc onere remitti voluit, ergo cum restringendæ sint pœnæ, coercenda odia, danda in Iubilæis absolutio, non est limitanda reincidentia, vt circunstantia ad eius validitatem necessaria, cum casus, & censuræ, diuersi sint generis, dictaque proinde de eorum altero, intelligi de alio nequeant.

Secundò, Sacramentalis absolutio, conditionem non admittit de futuro, quia Sacramenta cum sunt, operantur necessario, nec eorum effectum suspendere potest vlla conditio, ab eius ergo abhorret essentia, vt detur cum reincidentia.

Quæ sunt ergo tempora, quibus eam conferri cum hac conditione iura præcipiunt? qui casus inter cæteros præcipui, quibus non decet canonum lege, conditionem hanc in absolutione omitti?

Duo, non plures, primus est, cum qui teA nebatur obstrictus aliqua censura, est ab ea ob mortis imminens certumque periculum, solutus à iudice. Alter cum ab ea quidem est à Papa, vel eius legato exemptus, sed cum onere, suo se sistendi ordinario primo quoque tempore, aut alteri, quod tamen non præstitit, lubet audire Bonifacium ea de re sic loquentem in decretali, *eos qui 22. de sent. excom. in 6. Eos qui à sententia canonis, vel hominis (cum ad illum, à quo alias de iure fuerant absoluendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legi-*B *timum pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absoluuntur, si cessante postea periculo, vel impedimento huiusmodi, se illi à quo his cessantibus absolui debebant, quàm citò commodè poterunt, præsentare contempserint, mandatum illius, super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & satisfacturi, prout iustitia suadebat: decernimus (ne sic censuræ illudant Ecclesiasticæ) in eandẽ sententiam reincidere ipso iure. Idem statuimus de his quibus cum à sede Apostol. vel à legatis ipsius beneficium absolutionis consequuntur, iniungitur vt ordinariorum suorum, vel aliorum quorumlibet suscepturi*C *pœnitentiam ab eisdem, se conspectui repræsentent, & passis iniuriam, satisfactionem exhibeant competentem.* His duobus casibus exclusis, non datur à iure reincidentia, vt notãrunt Couarr. in commentario *can. Alma mater parag. 11. num. 6.* Ludouic. de Beia *par. 2. casuum, casu 30. respons. ad tertium dubium.*

Dubium vndecimum, *An prius absolui pœnitentem oporteat, ab excommunicatione, quam peccatis, seu an absolutio excommunicato data, sit valida.*

D Sunt in peccato, quod annexam censuram habet, spectanda duo, vnum est, reatus inimicitiæ diuinæ, alterum, obligatio illam deferendi ad suum iudicem, primum tollitur contritione, aut absolutione legitimi Sacerdotis, alterum solius iudicis, à quo vt à reseruatore censuræ quam reo intulit, est hæc remouenda priusquam de peccatis detur ei per absolutionem venia. Iam ergo quæritur, an si secus fiat, hæc sit futura rata, ac valida.

Talem fore negauere Sylu. *verbo Confessio 1. qu. 5.* & verbo *Confessor. 3. q. 8.* Armilla E verbo *Absolutio num. 5.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 2.* Vasq. *in 3. par. eo. 4. tract. de excom. dub. 4.* Tolet. *lib. 3. cap. 8.*

E Patribus D. Cyprian. multis locis epist. maxime 10. 11. & 12. iuxta editionem Pamelij, quibus locis acri eos sermone insequitur qui *contra Euangelij legem, contra honorificam Martyrum petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesin grauissimi atque extremi*

tremi delicti factam ante manum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam impositam, offerebant lapsis pacem, epist. 11. ad Martyr. & Confessor. quam tamen parum vtilem, quia eam non præcesserat de peccatis facta apud Episcopum confessio, & ab eo recepta absolutio, indicat hæc eiusdem sancti Martyr. oratio in tract. de lapsis, *contra Domini ac Dei legem, laxatur incautis communicatio,* (hoc est remittitur excommunicatio) *irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil profutura accipientibus, non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam.*

Alij contra, hanc absoluendi rationem approbant, ac fermè omnes, huius sententię principem proferunt Angelum *verbo Confessio* 1. §. 10. quem postmodum sunt sequuti, Monal. *tit. de sent. excomm. parag.* 28. Supplementum verbo *Confessio* 1. *parag.* 4. Ludou. de Beia *par.* 3. *casu* 4. Nauar. Enchir. *cap.* 9. *num.* 3. Suar. *to.* 4. *disp.* 31. *sect.* 3. *num.* 6. Caiet. in summa *verbo absolutionis impedimenta* Villal. *tom.* 1. *tract.* 9. *difficult.* 40. *num.* 7. quam in partem meus inclinet animus, docebunt assertiones proxime sequentes.

Assertio prima, *Qui peccatorem Deo reconciliare parat, priusquam eum reconciliauerit cum Ecclesia per absolutionem à censura, quam contraxit, peccat.* Ad hanc rem confirmandam haud leuia proferri argumenta solent, maiorum autem neruorum, hæc videntur.

Primum, quia contra quàm Ecclesia præcipit, in communionem Sacramentorum eum vocat, qui hæc quandiu est ab ea exclusus, eiusdem legibus frequentare vetatur: nec enim vt est in *can, quicunque vigesimo septimo causæ* 24. *q.* 1. *qui ab vnitate fidei, vel societatis Petri Apostoli, quolibet modo semetipsos segregant, vinculis peccatorum absolui, & ianuam possunt regni cœlestis ingredi.*

Secundum, excommunicato sacris interesse, eorumque gaudere fructu non licet, vt ostenderaus postea, at inter diuina omnia, principem habere locum videtur Sacramenti perceptio, cum animæ causa, cultusque Deo exhibendi gratia, sit ab eodem institutum in Ecclesia.

Tertium, Censura magis à Sacramentorum vsu remouet, quam à iure beneficiorũ, ab illis enim directe, & immediate repellit, nec esse potest, quin hunc effectum in eo producat, quem afficit ligatque, cum repugnet esse in Ecclesia, & extra, quod tamen vsu veniret, si excommunicato v. c. ad Sacramenta, eorumque aspirare vsum fas foret, sed isti, iure Ecclesiæ interclusus est omnis ab beneficia aditus, cum *enim excommunicatis communicari non debeat, patet quod Clericis excommunicationis vinculo innodatis, Ec-*

A *clesiastica beneficia conferri non possint, nec illi ea retinere valeant licitè, nisi forsitan cum iis fuerit misericorditer dispensatum, cum ea non fuerint consecuti canonicè.* Innoc. III. *in cap. postulastis de Clerico excommun. ministrante.* Excommunicatis Sacramenta sunt ergo potiori neganda iure, quam beneficia.

Assertio secunda, *Ad Sacramenta excommunicatum admittere, à nexu suo, hoc est censura quam culpa sua incurrit, non liberum, peccatum est sacrilegij.*

Probatur, temerare rem sacram, id est, B eam contra quam eius dignitas postulat, tractare manibus, vel mente, sacrilegium est Diu. Thoma auctore 2. 2. *qu.* 99. *art.* 3. Id facit quisquis impium, quisquis alienum ab Ecclesia, ac ab eius Sacramentis semotum per censuram, ad horum participationem & vsum recipit, qualem esse excommunicatos omnes docet Pontifex Gregor. IX. *in cap. si celebrat. vltimo de Clerico excomm. ministrante.*

Secundo, Sacramentum conferre velle ei, cui non licet recipere, culpa est, eaque Sacramenti sanctitati opposita, proindeque sa- C crilegij.

At est Sacramentorum passiua administratio interdicta excommunicato in *cap. si celebrat. citato:* ergo & Sacerdoti actiua respectu eiusdem est prohibita.

Secundo, Sacerdoti ius extra Ecclesiam positis, dicere non licet, nam cum hæc auctore Paulo, potestatem in eos nullam habeat. *Quid enim mihi,* inquit, *de his qui foris sunt iudicare?* nec dare Sacerdoti potuit, cum id & illi concedenti esset criminosum, & Sacerdoti perquam flagitiosum. Sed abso- D lutio sine iurisdictione, cuius hic liberum vsum non habeat, data pœnitenti, labe est infecta sacrilegij, cum sit abusiua, ac sacrarum vocum, in quibus vis est, essentiaque formæ posita, applicatiua subiecto cum peccato. Vera est ergo assertio, excommunicatum, de peccatis excommunicatione durante absolui sine sacrilegio non posse.

Assertio tertia, *Etsi sit hæc absolutio illicita, est tamen valida, rataque.*

Huius opinionis causæ multæ, præcipuæ sunt quæ sequuntur.

E Prima, quod est absolutio rata, cum est his ornata conditionibus quæ à sacris Theologis exponuntur, in quibus est, vt confessioni de peccatis integræ, ac dolenti, ab eo qui eam dare potest adueniat. At talis esse potest, quæ datur excommunicato, censura adhuc sua implicito, quid enim vetat, quominus eam integram obeat? dolorem autem de peccatis quin concipere queat, eumque propter Deum summe dilectum, nemo

est qui ambigit, potestas autem absoluentis dubia esse cui potest? cum hic sit excommunicati Superior vt supponitur, ordinario in culpas, hominesque iure præditus, & ab omni censura liber, data ergo excommunicato per eum absolutio, si non est licita, certe est rata.

Secunda, si est absolutio Sacramentalis excōmunicato collata, ipso iure irrita, quæro quo maxime, diuino? at eius rei, nulla fit in sacris literis mentio. Deinde iure diuino, per id tantū, reddi potest absolutio inanis ac nulla, quo de eius substantia aliquid demitur, at nego quidpiam de ea detrahi, aut tolli per censuram, qua tenetur irretitus, qui cum ea absoluitur, vt est in priori argumento ostensum. Nec est similiter irrita iure Ecclesiastico, cum tale nullum dari queat, alioqui eius aliquod extaret in corpore iuris indicium quale nullum proferri potest.

Tertia, si censura absolutionem eius irritam redderet, qui bona fide eam recipit, illumque ad Sacramentum pœnitentiæ faceret inhabilem, æque faceret ad omnia, cum ex æquo interdicta ei sint singula, at qui id dici de omnibus non potest vt antea est probatū, & probabitur postea fusius: ergo, &c.

Quarta, cum quis de suis peccatis apud inferiorem Sacerdotem confitetur, & defert censuram aliquam, quæ ad Superiorem conscientiæ iudicem pertinet, potest Sacerdos inferior, iure suo, cuncta eius qui confitetur peccata audire, eique absolutionem largiri, pro absolutione autem censuræ, eum ad superiorem remittere, vt habet opinio probabilis, in quo casu, datur Sacramentalis absolutio, excommunicatione necdum sublata auctoritate Ecclesiæ, valida ergo est, rataque flagitiorum remissio, excommunicato pœnitenti data, quod erat probandum.

Antecedentis doctrinæque in eo traditæ, assensor, & comprobator est Henricus, cum absolutionem, quæ est à ministro Ecclesiæ, diuidi posse ait, tùm ratione reconciliationis, quæ potest per partes fieri, sicut patet (inquit) in excommunicato pluribus excommunicationibus, potest enim absolui ab vna, sine alia. Quam doctrinam, Gabriel *in 4. dist. 17. q. 1. art. 2.* sequitur, docetque reconciliationem quæ fit cum Deo, diuisionem non admittere, posse autem eam, quæ fit cum Ecclesia, dicit idem S. Anton. 3. *par. titulo 14. cap. 19. parag. 6.* Caiet. *in summa Verbo Absolutionis impedimenta*, Nau. *in Manuali cap. 9. num. 4.* Barthol. in Medina *in summa lib. 1. cap. 11. parag. 3.* de Beia *parte 3. casu 4.*

Quæ contra proferuntur, sensum habent expeditum, ac facilem, vt patebit ex eorum

A solutione.

Et primo Respondendum, Cypriani testimonio hoc tantum effici, quod ipsi vltro admittimus, peccasse Presbyteros cum crudo adhuc tempore, pace Ecclesiæ nondum reddita, exomologesi necdum facta admissorum, lapsos reconciliabant Ecclesiæ, quod esset hæc eorum laudabilis in speciem caritas, eiusdem Ecclesiæ legibus opposita, Episcoporum auctoritati aduersa, ipsisque adeo reconciliatis, ac eorum commodis periculosa, & quidem opposita erat Ecclesiæ

B legibus, priscisque venerandæ antiquitatis moribus, nam primo à lapso fiebat Sacerdoti priuata confessio, hanc sequebatur pœnitētia publica, post quam fiebat exomologesis, id est confessio alia, quam publicam fuisse indicare videtur Pammel. in epist. 13. deinde sequebatur manus impositio, hanc autem ad Eucharistiam admissio, & libera cum fidelibus communicatio, quorum omnium cum nihil in pace lapsis concedenda, Carthaginenses Presbyteri seruarent, erat eorum aduersus illos præpropera immaturaque beneuolentia, vt Ecclesiæ moribus

C minimè consentanea, non probanda Cypriano, eiusque ac nostro proinde iudicio damnanda.

Fuit etiam Episcopis probrosa, quia quod erat eorum munus proprium, à censura scilicet absoluere, ac lapsos Ecclesiæ reddere, hoc sibi eius temporis Sacerdotes, temerario vendicabant ausu, sic illis *honorem Sacerdotij sui, & Cathedræ*, vt Cypr. *ep. 13.* queritur, impiè subtrahentes ac iniustè. Erat etiam ea reconciliatio recipientibus periculosa, quia cum esset facta præposterè, more non ser-

D uato Ecclesiæ, sæpe vertebatur eis in noxā, nec enim cum talem martyrum precibus ac libellis mendicant, *quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam, pœnitentia de pectoribus excutitur, grauissimi, extremique delicti memoria aufertur: operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis, altis & profundis infixa visceribus, dissimulato dolore contegitur*, Cypr. *de lapsis.*

Enimuero cum sit hominis restitutio in Ecclesiam, culpæque condonatio per eum admissę, quando ad idola fœdo pietatis deli-

E quio transit, iurisdictionis actio, data ab eo, qui eiusmodi potestate caret, inanis est ac nulla. Iam quæro, ecquid tali aliqua præditi essent Carthaginenses Presbyteri? cum ne quempiam ad communicationem admitterent, ante pacem Ecclesiæ redditā, cœtumque ea de re Episcoporū ac Cleri habitum, iis Cyprianus eorum Episcopus vetuisset tam frequenter, vt fidem faciunt eius epist. 10. maxime & duæ proximè quorū nihil est.

Primum

simile in casu proposito in quo supponitur à potente, censuræ remissam fieri. Sed habent aduersarij alia quæ opponant.

Primum, Est excommunicatus, vsu tam actiuo Sacramentorum, quam passiuo Papæ decreto prohibitus, in *cap. si celebret. Vltimo de excommunic. ministrante*: est ergo eorum incapax, ergo conferri ei non debent.

Prima conseq. est falsa, si in ea sit sermo de incapacitate quæ absolutionem nullam faciat, non autem illicitam.

Secundum, Impedit censura, ne qui ea est vinctus, valide excommunicet aut absoluat, ergo ne valide quoque absolui queat,

Anteced. respondendum est, cum distinctione, nam is quem censura ligat, notus est nemini, vel omnibus, puta, quia denuntiatus est publicè, aut est notorius percussor Clerici.

Si primũ, impensa ab eo absolutio censenda est valere, quia censuræ occultæ, & non publicè denuntiatæ coram & actus valorem non impediunt qui exercetur ratione publici officij, vt asserunt Doctores, *in cap. ad probandum de sententia & re iudicata*, si alterum, habenda erit pro inani, ac nulla, quia ad eam excommunicatus vim non habet sufficientem, & idoneam, vtpote quæ est ei sublata ab Ecclesia, sicuti est planum *ex decretali* Innoc. III. *Vigesima quarta ad probandum de sentent. & re iudicata*, alteraque eiusdem, in titulo *de dolo & contumacia*, cui initium *Veritatis est Verbum*, vbi hic Pontifex in irritum reuocat, nullarumque esse virium indicat, *quacunque post inhibitionem sedis Apostolicæ, seu factam suspẽsionem, & excommunicationem, de rebus Ecclesiæ Curiensis Episcopus alienare præsumpserat*: hinc enim est perspicuum, facta per excommunicatum, qui denuntiatus est in publico, subsistere non posse, nec proinde datam per eum absolutionem valere. Hæc enim vt sit rata, ac valida, pendet ab actuali iurisdictione absoluentis in absolutum, qualem in istum excommunicatus denuntiatus nullam habet, cum hanc ei Ecclesia ademerit, quod potest, eo quod tam ipsa, quam eius concessio, humani sit iuris, non autem habitualis, quia talis iurisdictio cum charactere Sacerdoti confertur in ordine, ideoque diuini est iuris, quemadmodum & forma ipsa Sacramenti pœnitentiæ, vtpote à Christo instituta, quæ causa est, cur quoad valorem suum essentialem ab humana potestate non pendeat, & ex consequenti non possit impedire Ecclesia, ne prolata super pœnitente ei non prosit, per accidens tamen, & indirectè, vel ob peccatum mortale in quod excom-

A municatio fertur, vel ob iurisdictionem actualem, quæ ad absoluendum requiritur, & est iuris positiui, vsum illius actiuum prohibere potest. Beia *loco supra citato*.

Dubium duodecimum, *An peccet, qui excommunicatum iniustè, ac sine causa, absoluit in conscientiæ foro à peccatis, non à censura*.

Nequaquam: causa est, quod non cuiuslibet censuræ relaxatio, absolutioni à peccatis præmitti debeat, sed veræ, hoc est eius, quæ Dei, prudentiumque iudicio sit talis. At quæ est iniusta, hoc est lata pro non crimine, non est talis, nec excommunicatio
B simpliciter & absolutè, sed secundum quid tantum, nempe in foro exteriori duntaxat, & quoad externam communionem.

Dubium decimumtertium, *An habens facultatem absoluendi ab excommunicatione, delegare eam possit alteri*.

Qui potestate est ordinaria ad absoluendum instructus, delegare eam potest alteri, patet in Episcopo, cui iure conceditur, constituere sibi plures, vel vnum Vicarium seu Officialem *cap. quoniam de officio ordinar. & cap. Romana eod. titulo in 6.* qui etsi sit, ac re-
C putetur ordinarius, iurisdictionem tamen delegatam eo nomine habet inter cætera, quod eam Episcopo acceptam referat. Hostiens. *in cap. Romana de officio Ord.*

Quare cum delegatus Papæ, ad vniuersitatem causarum, sit respectu earum quasi ordinarius, quemadmodum & qui ex priuilegio perpetuo, sibi ratione dignitatis aut officij concesso, potestatem absoluendi obtinet, eam cum lubebit, committere poterit alteri. In summa *his quibus ex officio, in certis casibus competit illos absoluere, qui pro violenta*
D *manuum iniectione, incidunt in canonem sententiæ promulgatæ, licet aliis huiusmodi absolutionem committere, cum viderint expedire*, Greg. IX. extra de officio iudicis Ordinar. cap. finali.

Possunt etiam Religionum Prælati facultatem quam habent dare alteri, patet ex citata decretali quam calculo suo cõfirmant, Sylu. verbo *absolutio 4. num. 6. in fine*, Henriquez *lib. 6. cap. 7. §. 3.*

Dubium decimumquartum, *An excommunicati absoluere sese possint mutuo*.

E V. C. Presbyteri duo, pugnis se ac verberibus affecere inuicem, de his quæritur, an sua sibi mutuo, excommunicationis vincula possint tollere.

In hac enodanda quæstione operam suam posuere olim Sorbus in Annotat. ad Compend, *Verbo Absolutio quoad fratres paragr. sed si succederet*, Beia *4. parte responsion. casu 6.* Portelius *par. 2. casuum casu 30.* de qua quid sit sentiendũ exponã aliquot assertionibus.

Prima Assertio, *Nec mutuam sibi deferre operam, nec delata vti possunt hi duo Presbyteri, si habent ad manum alios, quos ad expiationem culpæ suæ adhibeant, aut nihil sit necesse, properato ad eam rem vti, nec quidquam eos vrgeat operam sibi mutuo dare confitentibus.*

Probatur, charitatis lege tenentur omnes, proximo suo causam culpæ non offerre, oblatam autem, si possunt tollere, sed hi, de quibus est hic sermo, auctores sibi sunt inuicem peccandi, cum contra caritatis prudentiæque iura petunt, ac se cohortantur mutuo, vt sibi absolutionis beneficium impertiant, quod tamen nequeunt sine peccato, eo quod eorum per Ecclesiam sublata sit ac suspensa iurisdictio, sine qua tamen prodesse quid potest manuum impositio? absolutio autẽ quando sciungi à sacrilegio? esset tamen ea postulatio culpæ expers in eo, qui illam à Prælato exigeret, cum & ille ius petendi habeat, & iste obligationem dandi, quod autem in eo versetur opere, male, & cum culpa, tribuere ipse sibi debet, quam enim erat illi facile de peccatis dolere, ea retractare animo, meliora in posterum proponere?

Assertio secunda, *Si necesse est celebrare, vt euitetur scandalum, si dicenda Missa vt audiatur à populo, cui alter percussorum præest, ambo sibi possunt remissione censuræ consulere, mutuoque remittere*, quia *quod in lege non est licitum, necessitas facit licitum de regul. iuris regula* 4. nec est probabile, velle Ecclesiam eos priuare remedio, quo si minus discuti necessitas, at ei certe occurri potest, proindeque eorum auctoritatem suspendere tùm velle, ac tollere, quam est improbabile? quod si integra manet, si non impedita ac restricta, voluntate benefica ac liberali Ecclesiæ, quid est rationis, quamobrem sibi hi inuicem quod petunt, non tribuant?

Confirmatur, cum quis est ad eas redactus angustias vi morbi, vt eum mori oporteat, ab excommunicato absolui potest, cum enim Deus, nullius hominis æternum interitum, sed salutem velit, instrumenta ad eam consequendam à se instituta, ei non vult eripi, eriperentur autem, si pœnitenti in mortis articulo, Sacramentum pœnitentiæ, quod est ad salutem adipiscendam diuinitus comparatum, excommunicatus tribuere non posset, voluntate ergo Dei, & Ecclesiæ, quæ à Dei voluntate, & decreto discrepare non potest, excommunicato cuilibet in necessitate absoluere est licitum, ergo & percussori notorio Clerici, quemlibet sui similem, si ambobus, aut eorum alteri metuitur infamia, populo autem scandalum, nisi hic & nunc ambo sacrificent, aut

A saltem eorum alter: quam ad rem digne obeundam, ac sine scelere, opus est reconciliatione cum Deo per gratiam, cum Ecclesia autem per pœnitentiam, id est absolutionem, partem eius præcipuam, & censuræ incursæ relaxationem.

Obiicitur contra, sine iurisdictione absoluere, est operam suam ludere, sed excommunicatus excommunicatione maiore, Sacramentorum actiuo vsu, eaque conferendi potestate caret 24. q. 1. *can. audiuimus cap. si celebrat de Clerico ministrante*, valide ergo nihil ac fructuose excommunicatus face-

B re, in alterius causa pari secum irretiti vinculo poterit.

Respondend. primò, excommunicatò cuilibet iurisdictionem non tolli per censuram, quam peccando subiit, sed denuntiato tantum & notorio Clerici percussori, vt est in Bulla Mart. quinti *Ad euitanda*.

Respondend. secundò, excommunicatum regulariter carere iurisdictione, eiusque vsu, Ecclesiam tamen in gratiam fidelium, vtrumque ei in necessitate relinquere, nè

C Sacramento pœnitentiæ, maxime necessario salutis remedio destitutus, intereat.

Obiicitur 2. qui cum excommunicatione exercet actum ordinis, est irregularis, iubetur enim deponi, aut ad tempus, ab officio suspendi, decreto Alexand. Papæ tertij *in cap. Clerici 3. & cap. latores quarto de Clerico excomm. ministrante*, quod iuste sane non fecisset Alexander ac honeste, si in excómunicati iure foret, alium cum res temporaque vrgent, absoluere.

Respondendum ad maiorem, in citatis

D canonibus, reos duntaxat plecti ac nocentes, quo de numero, cum non sint qui Sacramentum in necessitate administrant, eò quod Ecclesia id illis tacitè permissum esse velit, mirandum non esse, si quam illi depositionis sententiam pro temeritatis suæ ausu incurrunt, ab ea sint hi, peræque vt à culpa liberi.

Dubium decimũ quintum, *An cum Pontifex, postulanti à censura solui, annuit vt Confessarium sibi ad id idoneum eligat, cuius opera*

E *absolui queat, seruata tamen iuris forma, necessario illi sit detegenda conscientia in Sacramento, pœnaque verberum subeunda, quæ est canonibus præscripta.*

Dico primò, *Etsi extra Sacramentum, remitti censura possit à prælatis*, vt docent Rodriguez *to. 1. qq. quæst. 61.* Portelius *par. 2. casuum càsu* 30 & à Regularibus quibus id Papæ benignitate licet, secundum Sanch. *lib. 8. de matr. disp. 34. num. 29.* hac vti tamen potestate nequeunt, cum sunt ab excommunicato, iuxta facultatem ei à Papa traditam, electi

ti in eius Confessarium.
ars prima, omnium ferè confessione est
a, nam Inquisitores sacri officij quis nes-
orâ ac publice hæreticos à sua absolue-
eresi, & non à peccatis cæteris, cum eo-
confessiones sæpe non excipiant? Dein-
postatas, hoc est transfugas, ac institu-
ertores, à Religionum præpositis in or-
n recipi, ac à censura absolui, eorum
essione prius non audita, vsus ipse
biorum communis indicat, vera est
assertionis pars prima.
era fuit an absolutio censuræ, à supe-
udice delegata, abiungi possit à pec-
um Sacramentali absolutione, habet-
ec probationem æque aut magis faci-
c prima Nam delegato concessi sibi
delegante, terminos egredi in præ-
e officij nō licet, secus ludit operam,
par est, ac debet, commissam sibi
ciam ex fide obit. At cum Pontifex
municato indulget, vt liberandi sui
Confessarium eligat, virum fide, ac
ia conspicuum, ius eius ac faculta-
Pœnitentiæ Sacramentum restrin-
reuocat: est hoc ergo absolutionis
ndæ causa à censura, frequentandum.
o, quia talis potestas pro foro con-
: conceditur, quod forum propriè
rum iudicium respicit.
de in priuilegiis quæ à Pontif. Ro-
dantur Religiosis, fit confessionis
qua non audita, ad absoluendas cen-
prædicta priuilegia non suffragan-
in iis dicatur eos posse, à censura
e, *ante tamen auditis pœnitentium con-*
s.
dò, si confessio scelerum non est
ni præmittenda censurarum, cur
rij, Pontifex in sua Bulla meminit?
piscopum, excommunicatum non
quidem cum Confessarius, quà ta-
essionibus excipiendis nomen ha
eo quoque operam illum deferre
nitenti, ac excommunicato vult
sic quidem vt absolutio à censuris
viæ, ac dispositionis necessariæ ad
em culparum, quam nonnisi con-
posse, est certum.
cundò, *Etsi communiter forma ab-*
æscripta ab Ecclesia pro foro externo
at cum excommunicatus reconcilia-
, omissa tamen quin valide fiat, at-
se, non impedit.
am probetur, meminisse conue-
s quasdam instituto Ecclesiæ, ab-
ublicæ à censuris, præmitti opor-
uibus nos supra in quæst. de eius
orma,

A Secundo iure quoque exigi primò, vt qui est ob graue delictum excommunicatus, iuret quod amplius tale peccatum non committet; Alexand. III. *in cap. ex tenore 10. de sent. excom.*

Secundo, si in eum dicta est sententia excommunicationis, ob iniuriam illatam alteri, nisi ei sit satisfactum, aut ipse iniuriam remiserit, cogendus est satisfacere totaliter, aut ex parte, antequam censuræ suæ absolutionem recipiat, Innoc. quartus *de sent. excomm. cap. 2. & cap. ex par. 23. de verbor. si-*
B *gnificatione*, quod si pro contumacia notoria fuit in eum dicta sententia; ab eo impensæ repetendæ erunt, *cap. venerabilibus 6. de sentent. excomm. in 6.* quod si offensa, aut contumacia, pro qua est excommunicatus fuerit dubia, sufficiet cautionem dare, vt dicitur in eo canone, cuius rei est hæc ratio, quod æquitas non sinat, ab eo repeti, quod certo deberi non constat Quod si nec satisfacere, nec cautionem realem dare ipse poterit, præstabit iuratoriam.

Dico iam ergo, *Etsi preces omittantur, &*
C *verbera, quibus excommunicatum oportet affici, Ecclesiæ instituto veteri, absolui tamen vtiliter ac validè.*

Ratio est, quod absolutio, à voluntate iudicis habentis ad id potestatem idoneam, vim trahat: At esse ambæ hæ res possunt in iudice, quamuis preces præstitutas ab Ecclesia, cæteraque adhiberi in Diœcesibus singulis solita, non vsurpet.

Secundo; cum secreto, & clam arbitris, vt in conscientiæ foro datur absolutio, eiusmodi cæremoniis nullus est locus, & tamen
D est hæc rata ac valida, non sunt hæ ergo ad eius substantiam necessariæ. Et quidem cum absolutio à censura, sit iudiciaria, non Sacramentalis, quibuscunque demum vtare verbis, dummodo exprimendæ intentioni absoluendi idoneis, idipsum operatur, ac efficit, quod innuit, vsitata tamen pro eo foro sunt ista. *Ego te absoluo à vinculo absolutionis, quam incurristi propter tale factum, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ.*

E Quid si Papa, aut Episcopus, significent iis literis, quibus absoluendi facultatem delegato tribuunt, mentis esse suæ, vt absolutio non nisi seruata iuris forma, ac satisfacta parte detur?

Priori loquendi modo Pontifici aliud propositum non existimo, quam vt Confessarium, cuius vtitur opera in soluendo Ecclesiastico censuræ vinculo, sedulò officij sui admoneat, eique quantum suadebunt æquitas, personæ conditio, ac tempus, iuris formam, Ecclesiæque priscum morem seruandum esse, non autem, si ab eo tantillum re-

cesserit, absolutioni vim nullam, ac efficaciam esse velle, Ludouic. de Beia 4. *parte casu 6.*

Causa est, quod ea præscriptione nouam absoluendi formam nolit inducere.

De Altero maior est difficultas, quibusdam absolutionem irritam esse affirmantibus, nisi prius satisfactum sit parti, negantibus aliis. Pro priore parte stant Suar. *disp. 7. sect. 5. num. 41.* Caietan. *verbo absolutio ante vltim. paragra.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 2.*

Opinionis huius vnica est ratio, quod concessio subiecta conditioni futuri temporis, aut præsentis, non tenet, conditione ea non posita, vt patet ex *cap. cum dilecta 22. de rescriptis*, vbi Innoc. III. processum aduersus custodem Hostiensis Ecclesiæ, contra formam sui rescripti, ac iuris ordinem attentatum, irritum decernit ac inanem.

In eandem sententiam scripta est ab Honorio III. *decretalis venerabili 37. de officio Iudicis delegati*, in qua Cusentini Episcopi acta omnia contra Cephaludens. Episcopum abroganda censet, *quod Abbas contra mandati sui tenorem, ad inquirendum vtrum de dilapidatione suspectus esset Episcopus, eo non restituto processit, & Archiepiscopus ipse, (cum iam functus esset officio, dicto Abbati committendo in integrum vices suas) huiusmodi negotium dicto thesaurario non potuit demandare.*

Secundo, si qui ponit conditionem, nullo modo vellet, ea non extante, assentiri absolutioni, quamuis in Ecclesiæ foro censeretur valida, in foro tamen conscientiæ esset nulla, vt affirmant Theologi. In Ecclesiæ etiam foro, quando constaret Pontificem assentiri noluisse, pronunciaretur absolutio nulla: ergo cum potestas delegati, voluntate Papæ conditioni sic adhæreat, vt ab hac illam pendere velit, ista non seruata, illa corruet, ergo & absolutio. Et hanc communem esse Doctorum sententiam scripsit Ægidius de Coninch. *disp. 14. dub. 16. num. 210.* Quam tamen quidam non probant, eo quod adiectione conditionis appositæ, cum sit de genere earum quæ iure communi insunt, delegati potestas non restringitur, sed admonetur tantum, ad quid iure communi obligetur, sed omissio conditionis, quæ de iure inest, factum non reddit inualidum, ac inane, sed illicitum tantum.

Probatur min. Conditio quæ de iure inest concessioni alicui, non plus operatur cum exprimitur, quam quando tacetur, sed cum non exprimitur, absolutio, ea non seruata, valide datur, quia potestas eius conferendæ, non sic præbetur, nec sub ea conditione ac lege, vt alias actus non valeat: ergo

A idem dicendum quando exprimitur. Hæc ille.

De re præsenti iudicium est hoc meum. *Primo Peccare, qui contra quàm Pontifex literis suis imperat excommunicatum à sua censura liberat, parte non satisfacta.*

Primò, quia hic iusta iubenti non obsequitur.

Secundò, quia potestatis sibi traditæ terminos egreditur.

Tertiò quia parti nocet, quæ non nisi ægre postea, reparationem est habitura illatæ sibi iniuriæ.

B Dico secundò, *Absoluentem hoc modo, id est, sine satisfactione prauia læso exhibita, teneri de damnis, si quæ forte sua incuria, negligentiaque ille est passurus.*

Causa est, quod eorum sit causa saltem indirecta, nam si præterita reparari curasset, prout mandabat Pontifex, nec reum absolutione impertiisset, nisi post factam restitutionem damnorum, pecuniæ, aut rei, quarum causa impetrata est censura, læsus his non careret, ergo cum absoluens suo vitio, culpaque, huiusce carentiæ indirectè sit

C causa, eam præstare læso tenetur, sub culpa.

Dico tertiò, *Excommunicatum ante satisfactionem parti exhibitam validè, ab eo absolui qui habet potestatem ordinariam absoluendi, aut si delegatam, eiusmodi tamen quæ sit absoluta, nec conditione vlla restricta à iudice.*

Pars prima probatur argumento facili, nempe quod nusquam sit in iure irrita, aut Pontificum vel Conciliorum decreto irritanda. Et quoniam potestatis indefinitæ, hoc est nullis restrictæ circunstantiis, vis est

D eadem ac ordinariæ, dicendũ est, absolutionem censuræ, datam à delegato, cuius potestas est absoluta, non conditione vlla contracta, tantum valere, quantum quæ ab ordinario præbetur.

Dico quartò, *Eum qui habet tantum potestatem absoluendi delegatam, absoluere inualide ante satisfactionem, si hoc expreßè dicatur in delegatione potestatis*, vt si dicatur, *Alias absolutio sit nulla*, aut *non valeat*, secus est (inquit Ægid, ante citatus *num. 209.*) si tantum dicatur, *aliter non absoluat*, vel *nullatenus absoluatur*, quia etsi iis verbis prohibeatur absolu-

E lutio, non tamen irritatur.

QVÆSTIO IV.

An Episcopus in Diœcesi existens aliena, possit suos subditos absoluere ab hæresi aut casibus in Bulla cœnæ contentis.

Qvod aliis in rebus, hoc in præsenti materia vsu venit, vt de ea varij varia existiment, ac sentiant. Abit in opinionem negantem Suarez *to. 5. de censur. disp. 41. sect. 2. num. 11.* Henriq. *de Irregularitate lib. 14. nu. 5.* Manuel. Rodrig. *to. 2. summæ cap. 69.*

Oppositam tuendam sibi Sanchez credidit *to 1. Decalogi lib. 2. cap. 11. num. 18.* Ledesma *to. 2 summæ tract. 1. cap. 6. post. 20. conclusion. difficult. 1.* Fagundez *in primum præcept. Decalogi lib. 1. cap. 15* quam nos opinionem vt ante Concil. Trident. tempora probabilem ac tutam, ita post eiusdem decreta, periculi plenissimam censemus, namque cum iis, ac magnorum Theologorum auctoritate confligit. Ordiamur à Concilio.

In sessione 24. cap. 6. signatè hæc habentur. *Liceat Episcopis in irregularitatibus & in quibuscumque casibus, etiam sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi, per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere:* ergo cum à Concil. restringatur absolutio, ac facultas eam dandi ad Diœcesim propriam, extra eam extendi non debet.

Peccata quidem alia in foro animæ, sine cognitione causæ, & iudiciali strepitu, Episcopus in aliena constitutus prouincia remittere potest validè, & licitè, quod iurisdictio voluntaria extra territorium exerceri valeat, non contentiosa ac clamosa, non autem, quæ continentur terminis Bullæ cœnæ Domini,

Cuius rei, ac assertionis hic positæ, reddi hæc causa potest Quod absolutio vtpote iudicialis actio Concil. Trident. testimonio, *sess. 14. cap. de absolut.* potestatem in reum, eiusque culpas exigat. At Episcopo data à Concilio loco definitur, ac personis, loco quidem, quia impertienda est in Diœcesi propria, personis autem, quia ab Episcopo, aut Vicario, subditis non est neganda, data ergo aliis, & alibi non valet.

Quid si extra Sacramentum potestate vti tua tentet? quid si absoluere non confessum?

Respondend. id eum posse, primo, quia absolutio ab excommunicatione non est Sacramentalis.

Secundo, ex dictis antea, Clerico primæ tonsuræ, hoc est aggregato in Clericorum numerum per tonsuram, ab Ordinario, hoc est Pontifice, aut alio, cui ex propria officij

A sui ratione, aut magistratus, quem obit in Dei Ecclesia, tanquam ordinarius, committi potest excommunicationis, ac cuiuslibet alterius censuræ absolutio, secundum Nauarr. *Conc. 11. de priuileg. q. 2.* at quod isti, facere tùm est licitum, Episcopo non est prohibitum, ergo vt ille, id est Clericus, absoluit extra Sacramentum, ita & isti, id est Episcopo, hoc tentare, & aggredi est permissum. Nec refert, quod id eis tantum *in foro conscientiæ, non eorum Vicariis*, licere Concilium velit, *sess. 24. cap 6.* nam his verbis

B Concilium tantum indicat, patrocinari se hæreticis, eorumque causæ fauere nolle, eos nempe per absolutionem Episcopi aut iudicis Ecclesiastici, eximendo à potestate magistratus regij, sic vt ab eo puniri de hæresi nequeant, si quæstionem de ea exerceri, aut litem illis super ea vnquam intendi contingat. Ita Homobonus *par. 1. tract. 5. cap. 5. qu. 31.* Claud. Soleri *de potestate Confessor. cap. 30. parag. 1.* Diana *par. 1. tract. de absolutione ab hæresi resol. 2. versu Notandum est.*

Huic quæstioni agnata est alia, nempe num eiusmodi homini qui impiæ doctrinæ

C venenũ ebibit, cum se in Catholicorum castra recipit, palam, & in ciuitatis vniuersæ oculis, eiuranda sit in Episcopi manibus hæresis, ac redeundum cum Ecclesia in gratiã, eo modo, quem suis ipsa legibus præscribit.

Respondend. primo, in hæreticis publicis antequam absoluantur, reconciliationis & pœnitentiæ signa exigi.

Secundo, de iis constare debere Episcopo.

Tertio, post eiuratam hæresim, impiaque dogmata, cogendos esse, vt spondeant, se in fidei veritate mansuros. Et quia sunt excom-

D municati, iuramento obligandos esse, ad odium hæresis, & promissum de ea nunquam profitenda edendum.

An autem Sacramentaliter absolui possint, pœna iis prius non imposita, quam canones præstituunt, estque in eo, vt dum Psalmus *Miserere* canitur, publicè in scapulis vapulent, controuersantur auctores.

Sentit Comitolus *lib. 4. resp. q. 2.* peccare Episcopos, qui censura publica aut publico, irretitos scelere, Ecclesiæ eiusque Sacramentis restituunt, & absoluunt sine iureiurando,

E psalmo *Miserere*, & verbere.

Nobis quia non sunt ista in vsu, sufficit, cum eiuratione errorum publica, ac sponsione iurata, de non profitenda vnquam hæresi, Episcopo se in vtroque foro submittere, in interno quidem, maculæ delendæ causa, quæ tali peccato adiuncta hæret, in externo autem extinguendæ censuræ, qua mulctari Ecclesiæ placuit, qui professione hæresis, capitales ac apertas ini-

micitias secum gerunt, quia tamen absolui Sacramentaliter excommunicatus non potest, nisi prius soluta eius excommunicatio fuerit, eius cum Deo reconciliationem, eiusdem cum Ecclesia, subsequatur est necesse. A

QVÆSTIO V.

De effectis Censurarum circa Reos.

CEnsurarum effecta ad duo reuocantur capita, quædam enim ipsum irretitum afficiunt, quædam alios, de quibus postea. B

Quod ad primum vnicus est, effectus primarius & generalis, secundarij sunt alij ex sententia censuræ violatæ nati, de quibus Vgol. *tab.* 1.*c.*13. *&* 14.

Primarius earum effectus est, vsus spiritualium priuatio, nam excommunicatus, Sacramentorum administratione & receptione priuatur, communione item fidelium vt habetur, *cap. penultimo de sententia excommunicationis*, interdictus diuinis officiis, præsertim Missæ interesse non potest, *cap. penultimo de sententia excommu.* quæ pœna locum quoque proportione quadam afficit, cum qui Episcopi auctoritate est interdictus, sacris operantes non admittat, in eo enim diuina officia expleri nequeunt, ne ab eo quidem, quem interdictum non tangit. Secus agentium pœna, est irregularitas Papæ reseruata, *cap. is qui in Ecclesio, §. is vero de sententia excommunicationis in 6.* suspensus similiter Ecclesiastica munera ex officio obire nequit vt toto tit. *de Clerico excommunicato, ministrante* cauetur. C D

Dixi *Priuari vsu*, nec enim Censuræ reo ius, & potestatem legitimam auferũt, ad pristina sua redeundi munia cum resipuerit, argumẽto est, quod hæc fere per susceptionem Baptismi ac Ordinis accipitur, quæ Sacramenta, characterem animæ imprimũt indelebilem. Adde quod Ecclesiæ censuras irrogantis intentio nusquam fuerit, his qui sunt innodati, culpa sua ac scelere, cum ponunt contumaciam, ac ad frugem bonam redeunt, aditum ad honores Ecclesiæ claudere, aut potestatis suæ vsum tollere. Excommunicatus sane, ordinem si ei conferatur, recipit, patet ex *cap. cum illorum de sententia Excommunicationis* Sacramenta item vere confert, Eucharistiam conficit, etsi omnia illegitime & impiè. Hinc est etiam quod suspensus a beneficio, eius fructibus duntaxat priuetur non ipsius possessione & iure, vt patet ex *ca. cupientes* 16. *ca. Cæterum de electione & electi potestate in* 6. vbi aperte pœna suspensionis à priuatione beneficij distinguitur, nec qui, suspensus, idem quoque suo est beneficio exutus nisi crimen ob quod est suspensus, excommunicatus, vel interdictus, beneficij priua tionem inuehat, vt hæresis. E

Dixi *spiritualium*, qua voce, eam scilicet accipiendo fuse, etiam Christiani intelliguntur, sunt enim spirituales res quædam, eo quod Deo sint dicati, eiusque templum per Baptismum & Eucharistiam effecti. *Nauar. de Iubilæo notabili* 31. *num.* 48. versu. *Et quod in relectione* eoque pertinet articulus, communionis Sanctorum, id est consecratorum Deo.

Huius porro effectus tres sunt circunstantiæ, locus, tempus, & personæ, quod ad locum attinet, censura constrictus, vbique est priuatus vsu spiritualium, nam est hæc pœna personalis, sed sequitur sua pœna nocentem, sicut & culpa, & vniuerse suum subiectum accidentia, ergo &c. Itaque interdictus, nusquam gentium audire sacrum aut interesse diuinis poterit, suspensus, fructibus beneficij caret, obuentionibusque annuis, etsi in eius Diœcesi non sit situm à quo est suspensus, quod si dicta est in eum suspensionis sententia ab officio ab eo vbique cessare, excommunicatus autem omnium Christianorum consuetudinem declinare debet, nisi quatenus iura permittunt. Vgol. c.13. §. 2. & communis doctorum sententia.

Sotus tamen in 4. *dist.* 19. *q.*1. *art.*5. id verum esse vult duntaxat in censuris à Pontifice latis, qui cum iurisdictione omnimodam hoc est vniuersam habeat, hoc est tam late patentem, diffusamque quã patet orbis, & proinde tam in eum qui censura plectitur, quam cæteros quibuscum congreditur diuino beneficio obtineat, mirum videri nulli debet si his, ne cum eo versentur & agant vetare possit.

Sed respondend. cum Soto *dist.* 22. *q.*1. *art.*1. *concl.*1. non subditos eius Episcopi, qui censuram inflixit, ad excommunicatũ vitãdum obligari non ab eo, sed iure communi, quod ad omnes pertinet; eo enim cauetur, ne quis cum excommunicatis communicet, *can. si quis à proprio,* 11. *q.*3. & ibidem, *canone sicut Apostoli &c. can. si quis frater,* & aliquot sequentibus. Idem Sotus ex Concilio Niceno can.5. hæc verba profert, *seruetur ista sententia vt si qui ab aliis excommunicantur, ab aliis ad communionem non recipiantur.* Idem habet Calixtus Papa loco cit. decretorum, Couarr. *parag.* 3. *num.*2. Vgol. *cap.*13. *parag.* 8. *&* 10. Concilium *Antiochenum canone* 6. *Si quis à proprio Episcopo fuit excommunicatus, ne prius ab aliis suscipiatur, quam fuerit à proprio Episcopo susceptus.*

De

De circunstantia temporis quæri duo possunt. Primum est, quando spiritualium rerum vsu priuetur reus, quando congressu hominum, culpa commissa?

Illico ac est hæc admissa cũ tamen sub pœna Cẽsurę latæ sentẽtiæ, sit prohibita aut certe statim atque est lata à iudice, est enim hæc priuatio, quasi proprietas, naturam censuræ consequẽs, quod ipsum & significare Innoc. tertius voluit in *c. pastoralis de appellationibus*, dum ait excommunicationem, *executionem secum trahere*, quia nimirum nec illa, nec censuræ cæteræ, quæ spirituales sunt pœnæ, nullam ad executionem sui, exequentis actionem exigunt, cuius rei hæc videtur esse ratio, quod censuræ sint vincula, vinctum autem ac ligatum forti nexu, ire huc & illuc, aut agere posse libere quis putet?

Rationem dat aliam, Vgolin. *cap. 13. §. 5. num. 3.* nempe quod res diuinæ, quod spiritualium vsus rerum, nobis in instanti tribuitur, nam accepto Baptismo, illico Christo coniungimur & Ecclesiæ, communique totius corporis vita participamus, eadem est, similisque cæterorum Sacramentorum ratio, cum eorum effectus bene præparato animo in instanti tribuantur, ergo & instanti per censuras tollentur: vnumquodque enim eo modo adimitur, quo est inductum, quæ ratio bona est, modo caueatur amphibologia, quæ in voce statim ac instanti latet, non enim sunt eadem, quia posset hic vsus in instanti tolli, licet id post vnum annum fieret, nec excipiendę sunt sententiæ, quæ sub conditione certi temporis feruntur, aut à quibus appellatur, quia nec illæ ligant nisi expleto tempore, nec hæ si perfectè latæ sunt, appellatione suspenduntur: quare statim atque censura est, sequitur effectus iste necessario.

Posterius est; quandiu & pro quanto tempore, reus istarum vsu rerum, de quibus nos paulo ante, sit priuatus?

Respondend. tandiu donec absoluatur, nam neque morte rei aut iudicis, neque abrogatione legis vt diximus, neque dolore, aut contritione ac satisfactione absolui est censendus, vt patet ex *cap. à nobis 2. de sententia excommunicationis, & cap. sacris & cap. ii, cui de sententia excommunicationis in 6.* & aliis, quæ videri possunt apud Vgolin. *cap. 13. parag. 6. & 12.* Nauar. *c. 27. n. 36.*

Hinc est quod semel excommunicatus pro tali semper sit habẽdus, donec de absolutione constiterit, vt docet Couar. in *caput alma, parag. 2. num. 6.* vbi etiam ait, quod qui cum eo communicant eum præsumere possint ac credere absolutum, si communi opinione ita putetur, habita ratione personæ & diuturnitatis temporis.

Nec obstat quod passim dicitur, censuras ad tempus ferri, in quo etiam à depositione, & degradatione differunt, quæ in perpetuum reddunt homines incapaces rerum spiritualium.

Non obstat (inquam) enimuero sentiendũ est has pœnas esse per se perpetuas, censuras autem ex accidente; vt enim potest reus satisfacere, & absolui quouis tempore; ita est per accidens, quod nolit aut morte interueniente non possit.

B Quod attinet ad tertiam circunstantiam, dubium est non leue, an qui occultè censura est ligatus, non tamen denuntiatus, vsu spiritualium abstinere debeat, si abstinendo peccatum ipse suum prodat, sibique infamiam creet: sic enim hic animo videtur constitutus vt non possit non peccare, vel per inobedientiam formalem, vel per scandalum.

Respondeo & dico primò, *In genere reum eundem remanere, siue censura eius sit publica, siue occulta, nec denuntiationem quidquam ipsi afferre, vel auferre, sed hanc spectare populum tantum, ad eumque referri, vt eum vitare teneatur.*

C Quia *extrauagans, ad euitanda*, signate ait sibi non esse propositum, *excommunicatos, suspensos, interdictos in aliquo releuare*, nec eis quomodolibet suffragari; debet hic ergo, licet sit Parochus, aut ex officio teneatur sacrum facere, vniuerse loquendo abstinere sacris, aliter mortifere peccabit, fietque irregularis; qui autem sacro eius intersunt, modo ne sit denuntiatus, aut notorius percussor Clerici, culpa vacabunt.

D Dico secundò, Cum Vgol. *cap. 13. parag. 4. num 2.* cum reus, causam impedimenti prodendo, damnum famæ, aut alterius rei graue nullũ incurrit, eam explicare, vsuque abstinere sacrorum debet, quod si his carere nequeat, quin peccatum occultum suum prodat, sicque periculum famæ, vitæ, grauis iacturæ rei familiaris adeat, iusta erit ei causa diuina obeundi officia, sine vllo noui peccati committendi, aut irregularitatis incurrendæ metu.

E Causa est quod duplici obligatione cõcurrente, minor cedit maiori, at hic iura duo coeunt, confliguntque inuicem, naturale & Ecclesiæ, primum hoc est naturale, præcipit non abstinere, quia vetat se infamare, positiuum è contra secus, eo quod censura priuat vsu spiritualium, illi ergo, non huic parendum, nisi forte quis credat, piam matrem Ecclesiam, velle morem sibi geri, aut cum tanto damno decreta sua seruari?

Confirmatur, Sacerdoti, ne se infamet, impune licet ac sine scelere, cum conscien-

tia peccati mortalis celebrare, si ei confessarij apud quem illud deponat, copia non suppetat. Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 7. quidni ergo idem etiam censura ligato liceat? nam peccatum mortale non est minus impedimentum ad celebrandum, quam censura, nec propterea cogetur peccare, quia de admissis potest conteri, ac cum animo suo statuere, primo se quoque tempore obtinendæ absolutionis causa, conscientiam explicaturum Presbytero, plenè ac integrè.

Secundò, excommunicato occulto Eucharistia cum publice eam petit, à Parocho proprio est danda, si negari nequit quin infametur, aut in suspicionem commissi alicuius facinoris vocetur, Diu. Thomas 3. *par. quæst.* 80. *art.* 6. vbi vniuerse de occultis agit peccatoribus, ergo & à nobis potest accipi nec enim minus conseruare famam meam, quam alienam teneor, Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 7. §. 1. *num.* 139. vbi ait irregularem ex occulto homicidio, si ei probabiliter est certum, eum nisi celebret infamatum iri, posse id ante dispensationem sine crimine facere, qui tamen inchoàto sacro recordatur se esse in censura, ab eo cessare debet, nam non minus violatur authoritas Ecclesiæ celebrando in excommunicatione, quam ante excommunicatum, aut publicum Clerici percussorem, at in his euentibus sacrum est intermittendum Presbytero: ergo, &c.

Duæ tamen sunt exceptiones ab hac regula, altera timor infamiæ vel grauis damni imminentis, altera si Missæ canon sit inchoatus, multoque magis si incepta consecratio: tunc enim sacrum perfici est necesse, maius enim est malum, sacrificium inchoatum non absoluere, quam illud ipsum excommunicato audiente & spectante celebrare: vide Diu. Thomam 3. *parte quæst.* 87. *art.* 6. *ad secundum* Viualdum *in candelabro aureo de Eucharistia numer.* 65. Nauarrum de *Oratione cap.* 16. *num.* 59. *&* 60.

QVÆSTIO VI.

Declaratio primarij effectus Censurarum seu, quænam per Censuras non tollantur.

DVo in dubium vocari possunt, alterum an per censuras bona temporalia tollantur, alterum an etiam priuilegia.

Et quod ad primum Dico paucis, *censuris vinctos retinere suum patrimonium, rerumque suarum dominium, & possessionem, vsumfructum, ciuitatem, libertatem, captam item vsu-*A *capionem posse perficere.*

Ratio est, quod hæc non sint spiritualia, nec eorum vsus, vnde adueniente censura in suo statu permanent, sicut viceversa adueniente iactura temporalium, supernaturalia intacta manent, & his sublatis perire naturalia non est necesse.

Posset tamen Ecclesia quæ ius in temporalia suorum subditorum habet, in ordine ad spiritualia his eos priuare præsertim ad tempus, sicut datur in interitum caro, vt spiritus saluus fiat; Pleni sunt libri, plenæ historiæ B subditorum, quos ab improborum principum obedientia, ac fidelitate eximere Papæ placuit, de quibus Petrus Greg. *lib.* 33. *Syntagmatum cap.* 9. *num.* 2. sed hæc licet præuiam censuram habeant, præcisè tamen vi eius non fiunt, sed potius in pœnam peccati propter quod iure bonis priuari debent, v. g. propter hæresim, vel in pœnam contumaciæ, quam in censura retinent; Excipiendus est ab hac regula casus, in quo specialiter canones derogant alicui ordinariæ potestati, vt in *cap. decernimus de sententia excommunicationis in* 6. & *cap. intelleximus de iudiciis*, excom-C municatis facultas tollitur, agendi, patrocinandi, testificandi, &c. in iudicio, quæ tamen ordinariè ac communiter permissa sunt homini.

Quod ad secundum dico, *Clericos Laicosque quauis censura ligatos, sua priuilegia retinere, eisque vt prius, vti posse, nisi eis specialiter per sententiam derogetur*, hæc assertio vniuerse probari potest, sicut proxima, sed inductione apertius, vtiliusque.

Primùm de Clericis, deinde de aliis, Clericus igitur (quo nomine etiam Religiosi om-D nes continentur saltem quoad censuras, vt patet ex *cap. Parochianos vestros de sententia excommunicationis*) Clericus inquam, in censura priuilegium retinet, vt qui eum percusserit, in excommunicationem incidat.

Probatur primo, quia priuilegij huius vsus censuras non violat, nec obedientiam Ecclesiæ, cum nil sibi vsurpet, excommunicatus quod illa per censuras ereptum reo velit, nam hic nec Sacramentorum, nec hominum communione vtitur, nec officium aliquod diuinum obit, neque fit diuinorum
E particeps.

Quid? quod Ecclesia causas, ob quas hoc priuilegio Clericum priuatum esse oporteat expresserit? quarum prima est cum reipsa de gradu suo est deiectus, *cap. degradatio,* 2. *de pœnis in* 6. in fine.

Secunda, cum contempto habitu Clericali, *tyrannidi, se & enormitati inuerecunde immiscet*, Clem. III. in *cap. cum non ab homine*

14. *de sententia excommunicationis.*

Tertia, cum Sodomiæ labe est infamis, ex constitutione Pij quinti, quæ incipit, *horrendum*: Adde & Digamum *cap. Vnico de Digamis in 6.*

Syluest. verbo *assasini*, *num.* 3. ait Clericos diffidatos, ob homicidium, per assasinos, impune sine excommunicatione posse occidi, quia priuati sunt omni priuilegio Clericali, quod ad secundā causam de prædictis referri potest, deinde cum non suadēte diabolo Clericus percutitur; nam quas ob causas, non incideret quis in excommunicationem eum percutiendo si excommunicatus non esset nec incidet si ob easdem, eū excommunicatum percutiat. Deinde priuilegia Clerici amittit Clericus cum manifestus est hæreticus. Innocentius in cap. *si Vere, de sententia excommunicationis, & cap. ad abolendam de hæreticis, parag. præsenti.*

Nec enim est credibile Ecclesiam, quæ crimen hęreseos detestatur præ cæteris, velle manifestum hæreticum priuilegiis fouere, & ad audendum, beneficentia sua impellere.

Contra tamen facit caput *ad abolendam* 9. *de hæreticis Vbi sic* Lucius III. *Qui manifestò fuerit in hæresi deprehensus si Clericus fuerit, totius Ecclesiastici ordinis prærogatiua nudetur*, &c. quę verba vtpote imperatiui modi latam sententiam non continent, sed ferēdam, vt notauit Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 13. *in parag.* 15. dum hæc ergo in eum non dicitur, priuilegium clericale seruabit, Sylu. verbo *hæresis primo nu.* 14. *Versu* 4. *hæreticorum pœna.*

Præterea datur hoc priuilegium, in fauorem ordinis Clericalis, & non Clerici ordinati, vt dicitur in *cap. contingit interdum* 45. *de sententia excommunicationis.* At est hæreticus (vt supponitur) Clericus, donec sit reipsa depositus, ergo &c.

Confirmatur, depositio hoc à degradatione differt inter alia, quod hæc Clerico priuilegium hoc adimat, non illa, vt ait Sylu. *Verbo degradatio num.* 1. & 8. innuuntque Nauar. *cap.* 17. *num.* 79. Tabiena *Verbo degradatio num.* 2. Fœlicianus *cap.* 1. *de depositione.*

Vtraque sententia, tam momentis rationum quam Doctorum auctoritate est probabilis, ad priorem tamen inclino.

Vnde ad *cap. ad abolendam.* Responderi potest, prærogatiuæ nomine, non priuilegium de quo hic agitur, sed officium intelligi & beneficium, docent hæc verba citatæ decretalis, *totius Ecclesiastici ordinis prærogatiua nudetur, & sic omni officio & beneficio spoliatus Ecclesiastico*, &c. & *cap. degradatio de pœnis in 6.* priuilegium ab officio & beneficio separatur, itaque actualis hæretici degra-

A datio non est priuilegiorum spoliatio, quibus sua cum hæresis coram Deo hominibusque exuerat, sed positiuæ pœnæ inflictio, quæ particularem iudicis executionem requirit, qualis est actualis degradatio, vt ait Angelus *Verbo degradatio.*

Ad secundum patet ex dictis responsio.

Ad tertium dicendum, alios aliter sentire, saltem in crimine hæreseos, idque satis esse.

Dices si priuilegiis Clericorum hæreticus excidit, impunè ante realem degradatio-
B nem in eum manus sæcularis iudex mittere poterit, quo quid absurdius?

Respondend. non posse, quia deditionem rei in iudicum manus, fieri iura vetāt, quam non præcessit realis degradatio, patet ex *cap. ad abolendam* 9. & *cap. primo de hæreticis in 6.* si tamen id iudex faceret, in excommunicationem non incideret, sed tantum peccaret, imo ne peccaret quidem, si propter periculum eum suo iudici tradendum comprehenderet.

Secundum priuilegium, quod Clericus notoriè excommunicatus retinet, est ius Ec-
C clesiastici fori, vt scilicet ante sæcularem iudicem conueniri nequeat, ne si velit quidem, patet ex toto tit. de foro competenti præsertim *ex cap. si diligenti*, vbi id cauetur sub excommunicatione & aliis pœnis, idque siue ad tutelam ordinis Clericalis, siue vt per alienam culpam, iudici Ecclesiastico, non fiat iniuria, si ei sui subditi subtrahantur.

Tertium, pro rebus suis nec portoria, nec vectigalia præstare Clerici quamuis censura innodati debent, sed immunitate ordini
D concessa gaudent, *cap. primo, & cap. Clericis de immunitate Ecclesiarum in 6.*

Commune est autem Clericis & Laicis, vt priuilegia exemptionum sibi sua seruent, nec ob censuras in ordinariorum potestatem recidant, Innocent. IV. *cap.* 1. *de priuilegiis in 6.*

Denique qualibet censura etiam interdicto ligatus, in Ecclesiam vt asylum confugiens, Ecclesiarum immunitate gaudet, nec inde vi potest extrahi vt sentit Nauar. *cap.* 25. *cap.* 24. nam 17. *q.* 4. *can. reum* 9. sine vlla
E restrictione præcipitur, *Vt reum ad Ecclesiam confugientem nemo abstrahere audeat, neque inde damnare ad pœnam, Vel ad mortem, Vt honor Dei, & Ecclesiarum eius conseruetur.* Hæc ibi. Itaque non indignitatis hominis, sed diuini honoris ratio habetur, vt locus ei sacer sit instar asyli: non enim decuit, vt vbi orantes reos se fatentur vbi omnes veniam summissis petimus animis, ibi reum, nihi referre gratiæ, nihil spiritalis emolumenti confe-

quidomuique diuinæ non dari, quod domibus principum conceditur.

Accedit quod ab hac immunitate, canonica lege non excludãtur alij, quam qui Ecclesiæ bellũ vt publici hostes intulere aliquãdo, aut vero etiã cum ad eã tuendi sui gratia veniunt, imprudentes adhuc inferunt: vt apud Nicephorum *lib.* 3. *cap.* 4. de Eutropio Arcadij cubiculario legitur, qui quam legem ipse tulerat, vt vel ab aris rei vel inuiti extraherẽtur, hanc malo suo est expertus passusque. Vide syntagmata Gregorij *lib.* 33. *cap.* 21.

His adiungẽdi latrones publici, his nocturni depopulatores agrorũ addẽdi, vt habetur *cap. inter alia de immunitate Ecclesiarum*, insuper & qui spe immunitatis in Ecclesiis vel Cœmeteriis, crimina perpetrant ibidem, *ca. vltimo*, ab his si abiueris, Clerici cæteri etiam censuris vincti, immunitate gaudent loci sacri. Enimuero si qui nostris non sunt adhuc initiati mysteriis Ecclesiam intrantes, vt Christiani fiant, hac immunitate potiuntur, vt docet Nauar. *cap.* 25. *num.* 20. nempe id iis qui iampridem sunt Christiani iure negabitur? infertur ex dictis locum interdictum, vi huius censuræ, sua priuilegia non amittere, vnde ciuitas interdicta suas nundinas, vniuersitates, exemptiones, &c. retinet: Ecclesia interdicta, est instar asyli, sicut alia quæuis. Enimuero vis duntaxat interdicti est in eo, ne in Ecclesia eo affecta, diuina fiant, quare cum pœnas extẽdi iura prohibeant, maxime in detrimentum Ecclesiæ, mea est opinio, reis in ea, salutis locum perfugiumque esse.

QVÆSTIO VII.

Exceptio primarij effectus Censurarum, siue quem omnino spiritualium vsum censura irretitus retineat, & quem non.

TRia hîc sunt explicanda. Primò, quænam hic non possit.

Secundò, quænam licite, & sine culpa valeat.

Tertiò quænam illicite, & cum peccato, quæ propter prolixitatem, totidem erunt articulis explicanda.

Quod ad primum suppono, eorum qui sunt censuris ligati, quosdam occultos esse, manifestos alios ac notorios, rursus quosdam tolerari ab Ecclesia propter commune bonũ, alios minimè, quales sunt qui de nomine appellantur, publiceque denuntiantur, quibus adiungi debent qui Clericorum percussores sunt publici.

Dico ergo primò, *Qui non tolerantur ab Ecclesia Sacramentum pœnitentiæ non conferunt*, Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 13. *parag.* 16. *num.* 12. Nauarrus *cap.* 4. *num.* 2. *cap.* 9. *num.* 8. *cap.* 27. *nu.* 272. Couar. *priore parte in cap. alma parag.* 6. *num.* 7 *concl.* 6.

A Probatur Sacerdos neque iurisdictionem actualem, neque eius vsum habet, nisi ex iure positiuo & authoritate Ecclesiæ, at iurisdictionem hanc, eiusque vsum tollit Ecclesia excommunicatis, quos non tolerat, inualidum est ergo & vsurpatum, quidquid ab eis actum fuerit. Vnde sequitur Parochum excommunicatum, munus suum alteri delegare non posse, quia eidem dare iurisdictionem, quod est delegare, non est permissum cum ea careat, Vgol. *tab.* 2. *cap.* 10. §. 2. *nu* 3. *& c,* 11. §. 4. *n.* 3.

B Probatur secundò ex parte recipientis Sacramentũ. Non potest quis absolui à peccatis, in statu peccati mortalis positus, vereque peccans lethaliter, cum in re graui Ecclesiæ præceptum violet: ergo Sacerdos absolutionis beneficio cum non impertit, nihil ergo agit, nisi quod sacrilegium enorme ac graue committit.

C Dices quid si eum pœnitens denuntiatum nesciat?

Respondend. cum à culpa immunem fore ob ignorantiam, nil à confessione tamen consecuturum spiritualis commodi, quia pœnitentis ignorantia confessario iurisdictionem non tribuit, quare eidem iteranda erit confessio, vbi primum de re ei constiterit. Couar. loco cit. §. 6. *n.* 7. *Conclus.* 7. fatendum tamen Deum iuri communi alligatum non esse ac in gratiam simplicis populi, quod ministro deest, supplere posse.

D Excipiendus est etiam mortis articulus, de quo supra, quia iurisdictionem tam ad absoluendum à censuris quam peccatis, indulget eo tempore Ecclesia, vt patet ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. etsi contra sentiat Couar. §. 6. *num.* 8. *concl.* 8. non tamen sine hæsitatione, quare nec peccabit, nec irregularitatem contrahet, qui animam agentem absoluet, quod de conferente dicitur, idem multo magis, de recipiente in ea necessitate dici debet, quia propter quod vnumquodque tale & illud magis.

E Dico secundò, *Neminem qui se siue iuste, siue iniuste censuris ligatum agnoscit, siue toleratus sit, siue non, ad Sacramentum pœnitentiæ appellere animum posse*, hæc assertio communis est omnium, præterquam Caietani in summula, *verbo absolutionis impedimentum sub finem versu ibi tertium est quod absolute loquendo*, quem refutant Nauar, *de pœnitentia dist.* 5. *can. fratres num.* 48. & apud Ioan. Gerson & Couar. item loco citato §. 6. *nu.* 6. *concl.* 4.

Vgol.

Vgolin. *tab. 2. cap. 7. parag. 2. num. 5. & 6.* pro opinione Caietani facere videtur Henriquez *lib. 1. cap. 25. & lib. 13. cap. 12. num. 2.*

Probatur autem conclusio, per censuram priuatur homo tam Sacramentorum perceptione, quam eorum vsu: ad ea ergo accedere, animum si induxerit, Ecclesiæ præceptum negliget, & ita culpæ non erit expers ergo cum qui est mortiferæ alicuius conscius accipit Sacramentum, committat sacrilegium, hic gratiam ac absolutionem non recipiet.

Confirmatur, ex communi vsu Ecclesiæ, quæ prius à censuris, quam à peccatis absoluit, quod etiam in mortis articulo fieri potest ac debet, Couar. *parag 6. concl. 4.* Quod si hæc vrgeret adeo vix vt temporis tantum esset, quantum ad hæc verba pronuncianda est necesse, *absoluo te ab omnibus censuris & peccatis tuis*, quod vix est credibile, satis esset dicere, *Absoluo te ab omnibus peccatis tuis.* Vide Viuald. in candelabro tractat in de excommunicatione *n. 32.* Vgol. loco cit. *n. 7.*

QVÆSTIO VIII.

Quænam licite, & sine culpa, ab eo qui est in Censura, fieri iura sinant.

DIco primò, *Quemlibet, & quomodolibet censuris irretitum posse atque adeo debere in mortis articulo Baptismum conferre, si alius huius Sacramenti magis idoneus minister non adsit, sine ceremoniis tamen Ecclesiasticis.*

Posse dixi, id enim concedit Ecclesia de *consecratione dist. 4. can.* aliud est 39. *can.* nullus 46. *can.* quomodo 41. nec Hæreticos, Schismaticos, Iudæos, & Ethnicos ab hoc caritatis officio exclusos voluit, ne cuiquam deesset tam necessarium ad salutem Sacramentum. Dixi *debere*, nam *can. quicumque de consecratione dist. 4.* iubetur Presbyter vbilibet gentium positus, sub pœna depositionis baptizare in articulo mortis infirmum nondum Christo natum, ergo si Ecclesia nō vult quidquam Presbytero ne baptizet impedimento esse, nempe volet vt alij qui de iure esse ministri huius Sacramenti possunt, censuris prohibeantur ne baptizent?

Peccabit ergo excommunicatus, &c. tunc non baptizans, & quidem grauiter, cum omittentem hoc caritatis officium, pœna depositionis qua vix vlla est grauior excipiat, nisi excusetur ignorantia.

Dixi *nisi adsit magis idoneus*, hoc est nisi sit ad manum qui minus impedimentum habeat, præcipuum omnium est infidelitas, tum sexus, deinde ordinis priuatio, quarto ordinariæ iurisdictionis destitutio, postremo censura.

Quare si quem baptizari oportebit, erit hoc proprium Parochi munus, eius defectu baptizabit Sacerdos quilibet, alius, tum Clericus à censura immunis, si tales nulli ad manum erunt, adhibebuntur ad eam rem Sacerdos & Clerici censuris impediti, inde Laicus, post Laicum mulier, post hanc infidelis, qui ordo fere ex D. Thoma colligitur, *parte 3. q. 67.* & astipulantur Nauar. *cap. 22. num. 7.* Syluest. *verbo Baptismus 3. num. 1.* in fine, vbi ait melius esse baptizari à Laico, quam à præsente Sacerdote excommunicato, vel hæretico, vel suspenso, quæ tamen non est Vgol. opinio *cap. 13. num. 10.* ibi enim ait Sacerdotem excommunicatum potius debere baptizare, quam non Sacerdotem, imo, & Parochum excommunicatum, quam Sacerdotem non Parochum, quia hæc necessitas impedimentum censuræ tollit, & ad commune ius reuocat, per quod Parocho incumbit conferre Baptismum, præ alio Sacerdote, & Sacerdoti, præ alio ordine Presbyterij non insignito.

Ego contra, Ecclesiam existimo non solum hoc impedimentum censuræ in necessitate tollere, sed quodlibet aliud, sed prius tamen minus, quam maius, & si necessitas nō adsit, nullum tollere, vnde quia defectus ordinariæ potestatis minor est quam defectus ex censura ortus, ideo præsente Parocho excommunicato, nō Parochus à censura liber, infirmum Ecclesiæ, Deoque per Baptismum adiunget, & quia minus est impedimentum in Diacono, defectus Sacerdotij, quam in Sacerdote, vsus Sacramentorum priuatio, ideo Diaconus atque adeo quiuis Clericus, præ tali Sacerdote, baptizabit. Et quia ordinum quibus homines fiunt ad Sacramenta ministranda idonei, totalis ac integra carentia, maius est impedimētum quā absentia potestatis exequendi ordinis quo quis est instructus. Ideo Clericum, præsertim Sacerdotem, censuris licet irretitum, Laico præferendum puto contra Syluest.

Dixi *sine ceremoniis*, eas enim tum adhibere esset præter mentem Ecclesiæ quæ vult tantum necessitati occurrere per ea, quæ sunt Sacramento essentialia, quo de genere non sunt cæremoniæ, quare non modo peccat, qui tum eas adhibet, quasi ex officio administrans Sacramentum, vt solebat ante censuras, sed est etiam irregularis, non obstante necessitate; cui soli cum satisfacit, nec peccat, nec est irregularis.

Dico secundò, *Quemuis Sacerdotem in*

mortis articulo posse, ac debere absoluere ab omnibus peccatis, & censuris, potest quidem, quia sic indulget Ecclesia pro eo tempore. Debet, quia sic exigit charitas, quæ animam perire non sinit.

At enim (inquies) etiamne ceremonias Sacramenti proprias, adhibebit tum Sacerdos illud administrando?

Respondet Vgol. affirmatiue *parag.* 17. *num.* 11. quia Sacramentum pœnitentiæ administrari à Sacerdote non potest, nisi vt tali, ac propterea ex officio, itaque cum ei tum detur facultas administrandi Sacramenti, etiam & datur adhibendi cæremonias, quod in Sacramento Baptismi non valet, quoniam cum & Laicus, & Sacerdos administrare possunt, & in eo casu permittitur excommunicato baptizare sicut Laico. Hæc ipse.

At ego puto Ecclesiam quæ indulget hanc potestatem excommunicato, in gratiam moribundi pœnitentis, velle tantum ei concedere, quod est necessarium moribundo, non autem quod facit ad decus ac dignitatem excommunicati. quæ causa me impellit vt credā, adhiberi has non posse sine irregularitate, id enim esset administrare hoc officium, sicut prius, quod censura irretitus citra irregularitatem nequit, nec excusat necessitas, quia non sunt ceremoniæ ad Sacramentum simpliciter necessariæ.

Ad Vgolinum dico, Sacerdotem administrare tunc hoc Sacramentum ex priuilegio, quod non extenditur extra necessitatem, non autem ex officio: Sacerdos enim non absoluit vt Sacerdos v. c. sed vt iurisdictione præditus, nec puto Baptismum à Sacerdote excommunicato administrari quasi à Laico, cum vt dixi, Laicus sit minus idoneus ab baptizandum, quam Sacerdos excommunicatus, sed quasi à Sacerdote, absolutionem & dispensationem ad illam necessitatem habente.

Dico tertiò, *Omnia diuina munera quæ oneris rationem aliquam habent, à censuris innodato obeunda esse, modo ne sint prohibita*, assertionis est hæc ratio, quod non sit æquum reū ex sua culpa fructum ferre, cum damnum potius pœnamque pati debeat, Vgolin. *tab.* 1. *ca.* 13. *parag.* 13. quare ad Ecclesiæ ieiunia sicut prius, & sub eadem pœna tenebitur; ad solutionem decimarum, eleemosinam in casu necessitatis, Eucharistiam, crucem, imagines Christi, & Sanctorum reliquias venerandas, præterea ad preces horarias, aut canonicas persoluendas, cum per censuram nec beneficio, nec ordine sacro, nec religiosa professione quis priuetur, his autem nominibus aut eorum aliquo teneatur ad officium, etsi nec fructum beneficij, nec honorem propriæ dignitatis culpa sua participet, eas autem solus leget non cum alio, etiam excommunicato, nec cum famulo, nisi excuset necessitas, quia communicandi cum vllo nisi in necessariis, quæ semper excipi intelliguntur, ius hic non habet, suspensus tamen vti alterius opera poterit, & cum eo recitare, quia hoc ipso communione hominum non caret, non tamen in choro nec cum superpelliceo, &c. quia sic ex officio legeret, à quo eum esse suspensum, supponimus, quæ autem isti licent, excommunicato peræque permissa non esse. causa est, quod omnis ei sit interdicta hominum societas ac congressio, non item suspenso.

Obiicies. non magis videtur teneri Parochus ad horas, quam Sacramenta administranda, aut recipienda, sed secundum & tertium non potest, ergo neque primum.

Respondend. disparem esse rationem, primum enim oneris est, secundum honoris, tertium autem ad bonum ipsius suscipientis pertinet, esset autem contra intentionem Ecclesiæ, quem vult castigare, hunc honore aliquo, vel commodo afficere, ideoque dum preces leget, abstinebit hac prece *Dominus vobiscum*, hoc enim ad ordinis sacerdotalis honorem pertinet, vt dixit Archidiaconus in *can. penultimum distin.* 28. earum locum hæ supplebunt, *Domine exaudi orationem meam*, quibus vti non Sacerdotes solent, Vgolin. *cap.* 14. *parag.* 1. *nu.* 10. Maiolus *lib.* 3. *de Irregularitate cap.* 21. *n.* 6.

Dico quartò, *Posse eum qui est in censura, obire aliqua, quæ rationem pœnæ, aut obligationem non habent, sed tanquam priuatum, aut Laicum, non autem vt Ecclesiæ ministrum*, v. g. mensæ benedicere, interesse, concionibus, viros graues à quibus excitetur ad dolorē, ac resipiscendum alloqui, ex propria deuotione percurrere rosarium, horarias preces legere, nec solum domi aut in agris, sed in Ecclesia modo seorsim, ab aliis Nauar. *cap.* 27. *num.* 19. Potest etiam interdictus ab Ecclesia, aliquibus diebus festis sacro interesse, ac diuinis officiis in Ecclesia, vt habetur in *c. alma mater, de sententia excommunicationis in* 6.

Ratio communis est, quod his exercendis ad Dei amicitiam reditum, viamque sibi facilem munit, quod Ecclesia eius salutis auida in primis appetit, vnde miror Vgolinum *ca.* 13. *parag.* 14. *num.* 6. in ea esse opinione vt credat, excommunicato & interdicto fas non esse, aqua se benedicta aspergere, quia inquit, est quoddam Sacramentale ab Ecclesia

clesia ordinatum, tum ad disponendum ad gratiam, tum ad id quod feruorem gratiæ impedit tollendum, at censura constrictus non potest vti spiritualibus &c.

Nam propter hæc ipsa dicendum esset, Ecclesiam hac velle ipsos vti, nolle tamen de facto, quia maior ex confusione dum ea carent, speratur fructus, quā ex vsu eius, hæc ipsa est causa, cur homines loci interdicti, aqua lustrali à Sacerdote aspergi nequeant, vt ait Syluest. *verbo interdictum 5. num. 6.* nec seipsi aspergere, sicut nec excommunicati, quia est quoddam Sacramentale, cuius vsus, sicut Sacramentorum, eis est sublatus non suspenso.

Postremo huc pertinent, quæcunque inueniuntur in iure concessa censura notatis, ob aliquem bonum finem, vt cum in fauorem fidei admittuntur, vt testimonium contra hæreticos ferant, *cap. in fidei fauorem, de hæreticis in 6.*

QVÆSTIO IX.

Quænam possit qui est in Censura, licet illicite & cum peccato.

Dico primò, *Baptismum ab eo quem Ecclesia censuris innexum tenet, valide etiam citra necessitatem dari.* Fidem habet hæc assertio *à dist. 4. de consecrat.* eamque probat hæc ratio. Non sunt rebaptizādi, qui ab hæreticis ritè sunt, ac Christiano more sacris vndis abluti, de consecr. *dist. 4. can. 43. & can. ab antiqua 44. & can. siue hæreticus 51.* quia per bonos & malos ministros æque baptizat Christus *can. aliud est 39. eiusd. dist.* nec amittunt schismatici baptizandi potestatem *can. nullus 40.* id autem falsum esset, si censuris innodatum, baptizare puerum nefas foret.

Dico secundò, *Confirmationem, à censuris irretito, valide conferri & recipi.* Priorem partē tuetur, Vgolin. *parag. 16. num. 3.* qui id etiam de baptismo & ordine asserit, quod characterem imprimant, non est hæc tamen ratio, huius rei adæquata & vera: facit enim character vt confirmatio iterari nō debeat, non tamen vt conferatur à censuris ligato valide; Causa ergo eius rei verissima est, quod per censuras potestas non est sublata Episcopo, sed eius est tantum vsus impeditus, in quantum pendet ea potestas, ab ordine qui Episcopo tolli nequit, vsus autem à iurisdictione, quæ cum sit de iure positiuo, auferri potest ac adimi.

Posteriorem defendit Nauar. *de pœnitentia dist. 5. can. consideret parag. cautus num. 28.* V-

A golin, *tab. 2. cap. 7. parag. 2. num. 2.* Couar. *parag. 6. num. 5. versu, cæterum etiamsi,* Caietanus *in summula, verbo absolutionis impedimenta sub finem.*

Rem probat Nauar. argumento facili ac obuio, nempe quod nemo quamlibet ad audendum proiectus, confirmationē iteratò ei dare auderet, qui eam ab Episcopo cum censura irretitus foret, dari sibi passus esset, cuius rei causa haud dubie non est alia, quam quia characterem, propriaque Sacramenti insignia, hæc quæ primo est collata ab excommunicato, aut censuris impedito Epis-
B copo, animæ impressa reliquit.

Ad hanc rationem Caietanus addit aliam in *verbo confessio iteranda.* sub finem, nempe quod ex decretis Pontificum, aut iure non constet, à censuris suscepta Sacramenta irrita reddi, aut nulla, cum tamen multa excommunicatis sint inhibita, quæ si fiant sunt inania, vt acquirere beneficia, eligi ad aliquam dignitatem, &c. valebit ergo recepta in censuris confirmatio.

Dico tertiò, *Matrimonium in censura valide conferri & recipi.*

C Assertionem hanc tuentur, iidem auctores qui supra Couar. in *Epitome quarti decretalium 2. parte cap. 6. initio num. 3.*

Proque ea facit decretalis Innoc. III. *significasti 6. de eo qui duxit in matrimonium quam polluit, ipsaque ratio.* Enimuero matrimonium cōtractus est, at eum excommunicatis inire vbi prohibitum? factum ergo in censura matrimonium, est ratum.

Dico quartò, *Extremam item vnctionem ab eo quem censura notat, valide conferri,* Vgolin. *tab. 1. cap. 13. parag. 16. num. 13.*

D Probatur, potestas conferendi huius Sacramenti pendet ab ordine, qui in conferente cum censura remanet, ergo si materiam idoneam, subiectumque Sacramenti capax inuenerit, vere illud conferet.

Dico quintò, *Eucharistiam in censura verè confici, & recipi, non tamen administrari sine culpa posse, ne quidem in mortis articulo.*

Pars prima & secunda sunt certæ, omniumque communi approbatæ sensu, *in 4. dist. 13.* plerosque citat & sequitur Vgolin. *tab. 1. cap. 13. parag. 16. nu. 6.* sed instar est omnium Diu. Thom. qui tertia parte *qu. 82. art.*
E *7. & 8.* docet hæreticos, schismaticos, excommunicatos & degradatos, hoc Sacramentum conficere, quia remanet in eis potestas consecrandi, tributa per ordinationem indelebilem sacerdotij.

Secunda pars, ab eodem docetur, *3. parte q. 80. parag. 3.* & ab Apostolo, cum eum asserit qui Sacramentum indignè accipit, iudicium sibi manducare & bibere; hinc enim

infertur vt à scelerato confici illud potest, ita & posse recipi, nefas autem id esse indicant Pontificum decreta multa & varia, in titulo *de excommunicato ministrante*, tum ratio ipsa, quæ exigit, vt extra communionem fidelium per censuram excommunicationis positus, communionis Sacramento priuetur, factusque aliquo modo per illam prophanus, à Sacramento omnium sacratissimo arceatur, administrari ergo illud nec decet: nec expedit censuris implicito, ne quidem in mortis articulo Vgol. *tab. 1. cap 13. §. 16. n. 9. 10. & 11.* eiusque rei est hæc ratio, quod id nulli vnquam Ecclesia concessisse legatur. Sane Hermenegildum eximia indole iuuenem, stirpe Regem laudat Gregorius Papa, quod in Paschate, cum in mortem immineret, ab Ariano oblatã Eucharistiam respuerit, *causa 24. q. 1. can. Vlt. quia etsi exterius iacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus,* Nec par est Sacramenti huius, & Baptismi, Pœnitentiæque in illo articulo, necessitas, nam qui tunc Eucharistico pane reipsa non pascitur, pascetur in voto, & quia propter Ecclesiæ imperium ab eo sibi temperat, fructu vt credibile est, non minore id faciet, quam si vere eum sibi dari permitteret, cum baptismi pœnitentiæq; solũ votum, cũ suscipi ambo possunt fit, periculosius, nec adultis cõmune cũ infantibus.

Dico sextò, *In censura ordines Valide conferri & recipi.*

Pars prior est Diui Thom. *In supplemento tertiæ partis qu. 38. art. 2.* Couar. *in cap. alma parag. 6. n. 6.* Vgol. *cap. 13. parag. 16. num. 5.*

Probatur; potestas quæ Sacerdoti datur cum consecratione, est perpetua, nec auferri vnquam potest aut perire, sicut nec consecratio, ergo cum ab ea pendeat ordinatio, collata hæc in censura erit rata.

Equidem vt est in can. ab excommunicatis & *can. ordinationes 9. q. 1. qui à separatis ab Ecclesia Romana consecrati sunt, cum ad Ecclesiæ Vnitatem redierint, seruatis propriis ordinibus, misericorditer suscipi iubentur,* fuere hi ergo iis collati valide.

At enim (inquies) ordinatio quæ ab excommunicatis celebratur, nullas omnino vires obtinet, nec consecratio est appellanda si fides est Gregorio *lib. 3. epist. 20. Nos consecrationem* (inquit) *dicere nullo modo possumus, quæ ab excommunicatis hominibus est illicite celebrata.* Item *excommunicati illicite manus imponunt, quia potestatem ordinandi non habent, Vbi autem est illicita manus impositio, Vulnus infligitur, Vnde reiterari necesse est, quod minime probatur esse collatum,* quæ est opinio Papæ Damasi epist. 4.

Respondend. ordines ab eorum executione seiungendos esse: itaque si censura irretitus, etiam hæreticus, ordines in Ecclesia Catholica receperit, eosdem, si quæ sunt Sacramento essentialia, formam scilicet & intentionem adhibeat, verè conferet, Ecclesia tamen in odium Hæreseos, Schismatis, aliorumue criminum, ob quæ ab Ecclesia præcisus fuit ordinans eos vult esse irritos, & quoad executionem, nullos, vt scilicet sic ordinati, ordines suos exercere nequeant, sed suspensi. Sint & irregulares, vt est in rubrica *de eo qui furtiue ordinem suscepit*, à peccato enim excusat ignorantia, ab irregularitate nullo modo.

Posteriorem partem tuetur Couar. ibidem & Nauar. loco cit. *dist. 5. de pœnitentia num. 29.* Caiet. *Verbo absolutionis imped. menta*, qui idem etiam de Extrema vnctione asserit, Vgolin. *tab. 2. cap. 7. §. 2. num. 2.* estque ad manum decretalis, *cum illorum 32. de sententia excommunicationis*, vbi Innocentius tertius vult excommunicatos, si fuerint seculares Clerici, & nihilominus ordines accipere non sint veriti, *à susceptis ordinibus in perpetuum deponendos esse*, Regulares autem esse suspensos; At deponi ab ordine, aut ab eius executione, vsque suspendi nequeunt alij, quã qui sunt eo initiati, nõ ergo obstat cẽsura quo minus eius collatio valida sit, ac rata.

Dico septimò, *Qui non est excommunicatus sententia iudicis, neque publicus percussor Clerici, Verũ dat ac Validum pœnitenti pœnitentiæ Sacramentum, quare non est iteranda eius absolutio, siue pœnitẽti nota sint eius Vincula, siue ignota,* Couar. *§. 6. n. 6. concl. 5.* pro qua opinione citat Adrianum Medinam, Caiet. & Nauar.

Ad quos accedo, quod nullum intercedere videatur impedimentum, quominus sit ea absolutio valida, nam eam impertiens, habet adhuc ex permissione Ecclesiæ, potestatem sufficientem ac idoneam, quãdiu hæc illam, ei per denuntiationem non abstulit, potestque pœnitens sine peccato, iure sibi ab Ecclesia indulto vti: dummodo absolutioni non ponat obicem, est hęc ergo valida & ex parte suscipientis sancta.

Confirmatur ex c. si celebrat. 10. de excommunicato ministrante, vbi de excommunicato sic loquitur Gregor. IX. *Peccat conferendo Ecclesiastica Sacramenta, sed ab eo collata, Virtutis non carent effectu, cum non Videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum remotus.*

Dico octauo, *Qui bona fide recipit absolutionem, nesciens, aut oblitus se constrictum censuris, Vel qui putat probabiliter se posse absolui à peccatis, priusquam à cẽsuris, Vt putabat Angelus, Vere absoluitur à peccatis, nec tenetur cõfessionem cum sua sibi censura fuerit cognita, iterato facere.*

Hæc

Hæc assertio est Couar. §. 6. *num.* 6. *conclus.* 2. & 3. Nauar. *de pœnitentia dist.* 5. *in can. fratres num.* 4. Caietani *in summula, verbo absolutionis impedimenta versu secundum est quod per accidens, & verbo Confessionis iteratio* sub finem, Angeli *verbo confessio* 5. *num* 10. Vgol. *tab.* 2. *cap.* 7. *parag.* 2. *num.* 5. & 6. Vivaldi *in candelabro de excommunicatione num.* 30. *versu* 2. *conclusio.* Vbi hanc sententiam dicit esse probabilem & in praxi tutam, proque ea citat Paludanum, Adrianum, Ledesmam, Victoriam, Vgolinus autem etiam citat Ioannem & Bartholomæum Medinam, qui omnes fere, saltem sex primi, quos vidi, hoc ex professo disputant, Henriq. *lib.* 13. *ca.* 12. *num.* 2.

Probatur autem, si censura absolutionem eius qui bona fide eam recipit, irritam faceret eumque redderet ad Sacramentum pœnitentiæ inhabilem, æque redderet ad omnia, cum perinde ei sint omnia interdicta, atqui de omnibus est probatum illa in censuris recipi valide, ergo & pœnitentiam. Non fit ergo hoc Sacramentum irritum à censura, quatenus Sacramentum; sed nec quatenus tale, quia supponimus nullum esse in conferente impedimentum, à recipiente autem non poni obicem gratiæ, cum nulla sua culpa ignoret in censura se esse: ergo, &c.

Confirmatur, *ex cap. Apostolicæ de Clerico excommunicato ministrante*, vbi dicitur celebrantes diuina, cum suspensionis suæ non sunt conscij, irregularitatem non contrahere, sed ab ea ob probabilem ignorantiam immunes esse, sic enim Gregor. eius nominis nonus *Quia tempore suspensionis ignari celebrastis diuina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos.*

Dixi *bona fide*, quia vt ait Henriquez loco citato, si ligatus excommunicatione etiam minore, scienter à peccatis absolui velit, sine absolutione excommunicationis præuia ei impertita, absolutio est nulla, quia eius confessio manca est, nec integra, vtpote debito dolore & proposito destituta, ac vacua.

Quid si pœnitenti sua censura nota non erat, aut si nota, non vt reseruata?

Fuit opinio Palud. *dist.* 22. *qu.* 3. & *dist.* 18. q. 4. non valere.

Præ illa placet Henriquetij sententia, ac aliorũ, cum illo absolutionem receptam bona fide, & vrgente scandalo, aut alia quapiam necessitate valere, quia Sacerdos in pœnitentem iurisdictionẽ non impeditam habet, nec enim hæc, culpa rei adimitur iudici, itaque directe hic à non reseruatis absoluet à reseruato indirecte, cum obligatione tamen

A illud superiori confitendi, cum erit opportunum.

Pro parte tamen negante, quæ est Adriani & Paludani apud Couar. loco cit. Syluest. verbo *Confessor.* 3. *num.* 12. est hoc argumentum.

Sacerdos quem non tolerat Ecclesiã, quia est denuntiatus, absoluere siue scientem, siue ignorantem non potest, quia hæc eũ ad id fecit inhabilem, ergo nec Sacramentum ab eo quis recipere potest quia ad id est per Ecclesiam inhabilis, ergo sicut ille nihil confert, ita iste nil recipit.

B

Minor probatur, ex *cap. si celebrat* 10. *de Clerico excommunicato ministrante*, vbi est, peccare quidem excommunicatum conferendo Ecclesiastica Sacramenta, ab eo tamen collata, esse valida, quia non est à *collatione sed à participatione Sacramentorum quæ in sola consistit perceptione, remotus.* Hæc Gregorius qui vt patet collationem receptioni opponit, cumque illam dicat validam, licet culpabilem, hanc sine dubio dicit esse inualidam.

Respondend. hoc canone effici in speciem, omnem Sacramenti receptionem irritam esse, quod quia cum plerisque aliis pugnat in quibus validum dicitur Sacramentum, quod in censura receptum fuit, vt patet in ordine, ideo quærenda nobis eius est intelligentia.

C

Dico ergo Pontificem id in ea decretali spectasse, vt ostenderet censura irretitum; Sacramenta conferre valide, de recipiente quod est additum, probationis instar habere, quam non est necesse demonstratiuam esse. Addendum insuper eam contraria consuetudine, & communi Doctorum sententia abrogatam esse.

D

Dici etiam potest, voluisse Pontificem Sacramentum ab eius effectu distinguere, & dicere, excommunicatum, vtrumque conferre in subiecto apto, non tamen vtrumque, id est Sacramentum & eius effectum recipere, sed tantum primum, effectu enim & virtute Sacramenti caret, qui illud recipit in censura, quia peccat faciendo contra præceptum Ecclesiæ, quæ cum à perceptione Sacramentorum remouet. Et ex hac assertione vt notauit Caiet. & post eum Nauar. locis cit. infertur plerosque qui excommunicati sunt, alterutra excommunicatione, & eius obliti, in ea perdurant multos annos, cum eius erunt memores, iterandæ confessionis iure non teneri, sed tantum absolutionis petendæ ab excommunicatione. In contraria vero opinione, ab eo sunt omnes iterandæ, qui in minorem excommunicationem inciderit nisi

E

Pars secunda. H

à censuris priusquam à peccatis fuerit absolutus, hæc de Sacramentis pro instituta breuitate sufficiant, de Sacramentalibus sit vltima propositio.

Dico vltimò, *Non solum censuris innodatum, sed etiam denuntiatum, valide Sacramentalia conficere, ea tamen indigere reconciliatione, in his sunt consecratio Ecclesiæ, Cæmeterij, Chrismatis, altaris, calicis & cæterorum vasorum sacrorum, benedictiones item vestimentorum, domorum, aquæ, frugum, imo sponsi, & sponsæ, Abbatum ac Virginum,* Vgolin. *tab.1. cap.13. parag. 16. nu. 14. & 15. & tab. 2. cap.10.* Syluest. *verbo consecratio 2. num. 6.* Angelus *verbo consecratio Ecclesiæ num. 6.* Tabiena eodem *verbo num. 8. versu 7. in fine.*

Probatur, per censuram potestas ordinis non tollitur, vi cuius hæc fiunt.

Quid? quod ad iurisdictionem ista non pertineant, quæ denuntiato tollitur, quod eadem per censuram, culpamque prælati non fiant, consecrationis aut benedictionis materia incapax? quod nec forma sua virtute priuetur?

De personis maior est dubitatio, cum enim scienter excommunicati vtantur opera, & cõsequenter peccent, quam amabo gratiam benedictionis aut consecrationis accipient?

Pro certo tamẽ habeo benedictiones eiusmodi ac cõsecrationes esse validas; nõ enim iterantur, sed tantum res illæ pro ipsarum conditione legitime reconciliantur, vt cum prædictis docet Durandus *lib.* 1. rationalis diuinorum officiorum *cap.6. num.46.* & licet personæ ipsæ vt supponimus, peccent, dicendum tamen videtur eas tunc pro Dei benignitate posse recipere aliquam gratiam gratis datam, v. g. gubernandi, continendi &c.

Dixi indigere reconciliatione, quia his actionibus quæ fiunt ab homine, quem Ecclesia à se proscripsit, hæc grauiter offẽditur resque ei ingratæ quodammodo, & inuisæ fiunt, vnde pro conditione naturæ suæ reconciliari eas oportet, idque per impositionem manuum, aquæ aspersionem, preces & ceremonias.

QVÆSTIO X.

De irregularitate ob violatas censuras.

Dupliciter fere censuræ contemnuntur. Primo faciendo, quod propter ipsas est illicitum.

Secundò, id omittendo, ad quod censuris compellimur, propter primum in irregularitatem incidimus; propter secundum aggrauationibus, reaggrauationibus, aliisq; arbitrariis pœnis subiacemus, quare de irregularitate hac quæst. de cæteris sequenti.

A Irregularitas ergo (quo nomine intelligitur inhabilitas quædam ad suscipiendos ordines ac susceptorum vsum: irregularitas (inquam) ab eo contrahitur qui reipsa excommunicatus, suspensus vel interdictus, solita diuinorum officiorum munera scienter exercet, aut exerceri coram se imperat.

Dixi *contrahi*, est enim irregularitas pœna latæ sententiæ, ideoque nullam iudicis sententiam requirit.

B Addidi *reipsa*, nec enim ad incurrendam hanc pœnam, sufficit propria aut aliorum opinione, censura irretitum esse, etsi id ad peccandum sit satis, si quid conscientia reclamante fiat, sed oportet reipsa irretitum esse, sicut in excommunicationem non incidit qui Laicum, quem putabat esse Clericum pupugit, Vgolin. *tab.1. cap.14. parag.1. nu.24.* cuius rei alia non est ratio, quam quod id iure non est cautum, sintque odia restringenda.

C Est hæc verò irregularitas reseruata Pontifici, licet excommunicatio à quouis inferiore prælato emanasset, docet Maiolus *lib. 3. de irregularitate cap. 21.* quod de maiore excommunicatione intelligendum censeo; nam qui minorem contrahit in eaque celebrat, non fit irregularis vt clarè dicitur, *in cap. si celebrat. de Clerico excommunicato ministrante*, licet, vt eligatur ad beneficium vel dignitatem Ecclesiasticam, omnino fiat inhabilis.

De suspensione idem aperte dicitur, *in cap. 1. de sentent. excommunicationis in 6.* de interdicto non obscure ibidem *cap. is cui est Ecclesiæ,* &c.

D Dixi *solita*, nec enim simpliciter prohibet Ecclesia, ne Clerici munera sua obeant, sed ne more solito, & sicut prius ex officio; patet ex canonibus proxime citatis.

Ex officio autem diuina quempiam fecisse, & consequenter irregularem factum esse, colligitur primo ex loco vbi exercentur, secundo si sint eiusmodi, quæ à Clericis tantum administrari queant, nam quia solius est Episcopi cõfirmare, ordinare, consecrare, &c. Sacerdotis autem sacrum facere, confessiones audire, sepelire, benedicere, &c. quo-

E modocumque ab illis hæc fiant, fecisse ex officio sunt censendi, si vero ea Clericus ministeria obeat, quæ à Laicis fieri est in more, v.c. baptizare in mortis articulo, sacro inseruire sine apparatu ac ceremoniis, & similia, ea non dicetur ex officio facere, sicut cũ eas ceremonias ad sacrorum vsum adhibet, aut vestes eius ministerij proprias, Diaconus quidem

dem Diaconi, Sacerdos Sacerdotij, tali enim modo his vacare, est ea exercere sicut prius, & non Laico ritu, quod diserte cautum est in Concil. Antioch. *can.* 4. *& can. si quis Episcopus 7. causæ* 11. *q.* 3. eodem pertinet vespertinas preces in choro occinere cum superpelliceo, aut in proprio & ordinario loco cum cæteris &c. eorumque more.

Dixi *Diuina officia*, qualia haberi debent quæ à ordinibus pendent, ad quos tantum irregularitas ordinem dicit, ideo qui ab excommunicatione absoluit sine ceremoniis, quæ ad Ordinem Clerici pertinent, non fit irregularis, huiusmodi enim absolutio munus non est ordinis sed iurisdictionis, Vgol. loco cit, *num* 20.

Dixi *Scienter* quia ignorantia probabilis & non crassa, non solum à peccato excusat, sed etiam irregularitatem impedit, vt habetur in *cap. Apostolicæ, de Clerico excommunicato ministrante*, nam etsi de suspensione sola ibi sit sermo, habet tamen idem in cæteris censuris locum, Nauar. authore *cap. summæ* 27. *n.* 244.

Ratio est, quod in hac re Pontifex, irregularitatem pœnam esse voluerit præsumptionis, ac temeritatis eorum, qui diuina in censuris exercent, ac celebrant, patet ex *can. si quis Episcopus damnatus*, 6. *& can. si quis Episcopus in Concilio* 11. *q.* 3. *& cap. latores de Clerico excommunicato ministrante*, in priori enim exigitur, *vt audeant*, in altero, *vt præsumant*, quod si cum causa de censura sua dubitauerint, non ex leui tantum scrupulo, sacris abstinebunt ne peccent, & fiant irregulares. Innoc. III. *capite illud Dominus* 5. *de Clerico ministrante.*

Dixi denique *si curet corā se exerceri*, id est, vt loquitur Nauar. loco cit. si eorum celebrationi authoritatem præstet, nempe quia principem locum in Dei Ecclesia tenet, vt Episcopus, aut in prouincia vt princeps. patet ex *cap. illud Dominus*, *versu illud autem, Licet autem in hoc non videatur omnino culpabilis extitisse, quia tamen in dubiis via est eligenda tutior, nisi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare. Illud autem quod sub spe veniæ, diuina sibi fecit (postquam se à nobis nouerat excommunicatum) celebrari, & communioni fidelium se ingessit, potius contra eum facere credimus quam pro eo.*

Patet ex dictis, irregularitatem omni Clericorū ordini, si quid hi contra supra dicta faciāt, annexam esse. Repugnat, Soto in 4. *dist.* 25. *q.* 1. *art.* 3. sed canones vniuerse loquuntur, nullumque eximunt, *Clerici autem* (inquit Alexand. III. *in decretali Clerici* 3. *de Clerico excommunicante*) *Si quis à suis, aut etiam*

A *de mandato Romani Pontificis, ab alienis Episcopis interdicti vel excommunicati, diuina officia celebrauerint, nisi moniti sine dilatione redierint, perpetuæ depositionis sententiam pro ausu tantæ temeritatis incurrant.* Quare non poterit etiam quæ minoris cuiuslibet sunt ordinis exercere, Maiolus *lib.* 3. *cap.* 21. *num.* 7. & Nauar. *cap:* 27. *num.* 163. qui à temporalibus est auctoritate legitima suspensus, vt ab officio Doctoris, Aduocati, Procuratoris, à quibus Ecclesia nonnunquam suspendit vt patet ex *cap. si aduersus de hæreticis*, ea exercendo

B munera, peccabit quidem contra præceptum Ecclesiæ, non fiet tamen irregularis, idem dicendum de recipiente fructus beneficij à quo est suspensus.

Similiter non fit irregularis qui in censura Sacramenta recipit, quia non est id vlli sub pœna irregularitatis prohibitum, sed peccati tantum, ac nouæ excommunicationis minoris.

Quid? quod recipere Sacramenta non sit Clericorum proprium dūtaxat, sed Christianorum omnium? quos tamen irregula-

C res fore si Sacramenta suscipiant in censura, nemo dixerit.

Excipiendi sunt ordines, quod eos nominatim in eo statu recipi nolit Ecclesia in *cap. cum illorum de sentent. excommunicat.* quod ab initiatis propter censuras exerceri nequeāt, vt significatur in *cap. vltimo de Clerico excommunicato ministrante.*

Soto in 4. *sententiarum distin.* 25. *q.* 1. *art.* 3. *parag. in ordinatione*, scribit, se nescire, sitne verum quod Syluester ait, eum qui in

D excommunicatione minores ordines recipit, irregularem esse, sed canon *Clerici tertius* vniuerse de ordinibus loquitur, quare non est audiendus.

Est & alia exceptio cuius meminit, Henriq. *lib.* 13. *cap.* 6. *num.* 3 nempe non peccare Parochum, nec irregularem fieri, cum occulte excommunicatus, inductus tamen à subditis, etiam extra necessitatem, Sacramēta suppeditat, quia tunc alieno gaudet priuilegio, subditorum scilicet iure petentium, & vnicuique in censura posito, alieno se ære liberare, debitaque licet soluere.

E

QVÆSTIO XI.

De pœnis contumaciæ in Censuris.

CONtumax, variis pœnis & ab homine, & à iure plectitur, à iure quidem duas statutas esse reperio, priorem à Paulo III. habeturque apud Nauar. in *can. ita quorundam de Iudæis notabili* 11. *in Glossa vltima*

num. 14. & 15. estque in eo sita vt qui per annum in censura culpa sua perstiterunt, generali absolutione quam summi Pontifices vltro, in concessione quarumcunque gratiarum, vel beneficiorum collatione tribuunt eiusque effectu, ac fructu minimè gaudeant: vnde beneficij collatio facta eiusmodi hominum generi, quamuis eam absolutionem contineat, est nulla, vt docent Rebuffus *in praxi beneficiorum*, & Nauar. loco citato *num.* 17. quinetiam ea pœna eos quoque qui quatuor mensibus, in censura hæsere sine pœnitentia, nonnunquam affici, dixit Nauar. quare prudentiæ esse ait, in supplicatione quæ Pontifici offertur, clausulam hanc derogatoriam addere, non obstante scilicet regula de insordescentibus.

Pœna altera est, vt qui per annum in excommunicatione contumax perseuerat, si excommunicatus est, quod in respondendo de crimine, ob quod postulabatur in iudicio contumax extiterit, pro conuicto habeatur, pœnamq; supplicio tali crimini per leges debitam luat: canon enim *rursus trigesimus sextus causæ vndecimæ q.* 3. *Vult vt qui intra annum causam suam purgare contempserint*, nulla eorum *vox postea penitus audiatur*, quod à Gelasio quoque statutum est eadem causa & quæstione *can. quicunque* 37. idem dicendum de crimine hæreseos, licet enim caput *cum contumacia de hæreticis in* 6. latam sententiam non contineat, suppletur tamen in authenticis, *lege Lazaros tit. de hæreticis*, de qua Couar. *in cap. alma priore parte parag.* 7. *num.* 11. *versu sed & in causa heresis*, ob quam excommunicatus quisquis erit, si de ea absolui non curat intra annum, non caret suspicione prauitatis hæreticæ contemnens mandatum Ecclesiæ *cap. excommunicamus primo de hæreticis*, Piasecius 2. *parte praxis c.* 4 statuitque Concil. *sess.* 25. *cap.* 3 *de reformatione, vt quicunque per annum censuris nexus in illis insorduerit, quacunque tandem ex causa ligatus fuerit, contra eum tanquam de heresi suspectum procedi possit*, hoc enim ipso occasionem existimandi præbet, in ea se opinione esse vt credat, Ecclesiam potestatem ligandi & soluendi non habere, aut huiusmodi censuras, vana esse nomina, nugasque canoras, quod vtrumque hæreticum est, efficiet autem hæc suspicio, vt is in quem cadit, purgare se iubeatur, quod si facere non potuerit aut noluerit, habeatur pro conuicto.

Quæres, *An ex hac annali contumacia ipso iure Clerici sua amittant beneficia.*

Respond. vi contumaciæ præcisè aut censuræ, sed non amittere ea, sed fructus eorũ tantum, vt habetur in *c. pastoralis de appellationibus in fine*, si crimen tamen de quo in iudicio appellatus est Clericus, huiusmodi esset de quo conuictus, peractusque si foret, priuaretur beneficio, crederem eum, post hanc annalem contumaciam, illo, iure quam optimo authoritate iudicis posse spoliari: est enim contumacia huiusmodi, causa satis idonea, ob quam quis beneficiis suis excidat, etsi delictum, cuius causa est excommunicatus minus sit, quam vt hac pœna plecti debeat, Couar. *in cap. alma mater parag.* 7. *num.* 10. Vgolin. *cap.* 14. *parag.* 3. *num.* 5.

Ab homine vero punitur contumax, tã qui reus est primarius, quam qui ei adhæret ac communicat, arbitraria pœna, eaque varia & multiplici, pecuniaria, corporali, spirituali, prout prælato prudens charitas dictauerit, sed ita tamen vt posterior sit, aut putetur priore grauior, tripliciter autem pœnas augeri posse contumacium tradit Vgolin. *cap.* 14 §. 3.

Primò, diuersæ pœnæ additione, vt qui suspensus est excommunicetur.

Secundò, adiectione pœnæ, eiusdem generis vt qui suspensus est à missa, à beneficio, omnique officio suspendatur.

Tertiò, eiusdem pœnæ iteratione, vt qui semel est excommunicatus, secundo, tertio sæpiusue excommunicetur, perseuerans autem anathematizetur, aut deponatur, crescente scilicet pœna, perseuerante culpa, quando ergo contumax in censura, à iudice aliqua harum pœnarum afficitur, huiusmodi punitio, aggrauatio dicitur, quia prior pœna per huius accessionem fit grauior, quod si nec hac secunda pœna resipiscit, additur altera quæ dicitur regrauatio, licet etiam quater aut sæpius fiat, hæcque de censurarum effectis, ratione eorum qui eis irretiti sunt, dicta sunto.

QVÆSTIO XII.

De effectis Censurarum circa non Reos.

INnocentes pœna aliqua affici, non est malum: compatiuntur enim inuicem membra, nec iuste Christianus recusare quid pati, pro salute proximi ægrotantis potest, pœna hæc autem est, obligatio vitandi censuris irretitos, qui est generalis, imo censurarum erga ipsos, effectus solus ac vnicus.

QVÆSTIO XIII.

De obligatione vitandi Censuris innodatos.

NOn eadem est hoc tempore, quæ fuit maiorum æuo hæc obligatio. Olim quidem ipso iure tenebatur quisque, non solum notum excommunicatum, vel interdictum publice, priuatimque vitare, occultè autem quē talem esse non nisi tamen occulte nosset, patet ex *cap. cum non ab homine de sententia excommunicationis & aliis*. Hoc nostro sæculo Patrumque: à temporibus Cōstantiensis Concilij, duo duntaxat hominum genera vitare tenemur, nominatim scilicet denuntiatos, & publicos Clerici percussores, tredecim fere interiectis annis, subsecutum est Basileense Concilium, à quo iussi fideles non solum denuntiatos, sed etiam publicos & notorios excommunicatos in congressu fugere. Et quanquam habeat vtrumq; Concilium propugnatores suos, eosque plurimos, vt videre est apud Henriq. *lib. 13. ca. 5.* Viualdum *de excommunicatione num. 70.* Vgolin. *tab. 1. cap. 13. parag. 7. num. 7.* Couar. *in cap. alma parag. 2. num. 7.* numero tamen Constantiense superat, ipsoque communi vrbis ac orbis assensu, vt ait Nauar. *cap. 27. num. 35.* cui vt par est & nos quoque subscribimus, eiusque Extrauagantem, quam habet ibi Nauar. estque in constitutione Leonis 10. lata anno 1516. *quæ incipit in eminenti*, cum Ecclesia vniuersa amplectimur.

Tenentur ergo sub pœna excommunicationis minoris, fideles omnes censuris irretitos vitare, cum publice & nominatim denuntiati sunt, vel si non sint denuntiati, sunt tamen Clericorum percussores notorij.

Dixi *teneri*, quia sunt hæc Concilia quoad huiusmodi saltem decreta, approbata à Pontificibus, Martino V. Nicolao V. & à Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 11.* & ab eodem Leone. *Minoris excommunicationis* dixi, est enim hæc pœna, conuersantium cum excommunicato, nisi forte eiusdem essent participes criminis, tunc enim in maiorem excommunicationem inciderent.

Dixi *Censuris*, omnes enim & singulas complectitur citata Extrauagās, verba indicant, *Vt nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi &c.*

A Dixi, *publice denuntiatos*, v. g. in Ecclesia, à Parocho, inter missarum solemnia, vel à iudice pro tribunali, multis consciis, vel cum literæ declaratoriæ tam censuræ contrahendæ, quam personæ excōmunicatæ affigūtur loco publico, pro regionis consuetudine ac more, talē certè fuisse priscæ Ecclesiæ, Honorij decretum indicat, relatum à Grat. *in causam 11. q. 3. can. 20. Curæ sit omnibus Episcopis, excommunicatorū omnino nomina tā Episcopis vicinis, quam suis Parochianis pariter indicare, eaq; in celebri loco posita, præ foribus Ecclesiæ cunctis conuenientibus inculcare, quatenus in vtraque diligentia, & excommunicatis vbique Ecclesiasticus aditus excludatur, & excusationis causa omnibus auferatur*, & in can. *Apostolus 31. eiusdem causæ & quæst.* hæc leguntur, fornicator sententiæ nominationem intelligens.

B

In hac autem denuntiatione, personæ vitandæ de nomine debent exprimi, ob eam causam, in excommunicationem fideles non incidunt, vtendo Caluinistis familiariter etsi speciatim hi in bulla Cœnæ quotannis excommunicentur, seque Caluinistas fateantur, imo quæ est Henriq. & Nauar. locis cit. opinio, si quis à iudice vocatus nominatim vt causam dicat, si sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, citatus vt mentem suam respondeat parere abnuat, & ob contumaciam non comparendi, aut non parendi vocanti iudici, excommunicationem contrahat, cum vitandi, licet eius censura neminem lateat, nulla est necessitas, dum nominatim & publice non denuntiatur à iudice.

C

D Denuntiatis *notorios percussores Clericorum*, addidi, quod eorum fiat in ea Extrauagante mentio, qui autem sint notorij, facilius est intelligere quam dicere, notorius communiter dicitur, qui in maiori parte viciniæ, aut Collegij, aut pagi, notus est per testes oculatos, in magna autem populosaque vrbe, non satis esse, factum visum à sex vel octo, vt dicatur notorium, scribit Henriq. loco cit. §. 2. Verum enim ne dubitationi sit locus Concilia ipsa explicant, quale notorium intelligant, cum aiunt, tale esse factum vt nulla possit tergiuersatione celari aut aliquo modo iuris suffragio excusari, quare Couar, in priore parte relectionis, in canon. *alma. §. 3. n. 2.* tradit eum, qui in vno loco denuntiatus est publice, vbique vitandum esse, eo quod non toleratur ab Ecclesia, ac si probari potest denuntiatio, publice, si nequit, occulte tantum vitandum esse.

E

QVÆSTIO XIV.

Explicantur aliqua dubia circa prædictam obligationem.

PRimum, *An sine peccato conuersari cum excommunicatis liceat, &c.*

Nequaquam, quia Ecclesia peccatum non sustulit conuersantiū, sed pœnam duntaxat, & quo quis maius periculum conuersandi adit, nisi necessitas excuset, hoc eius est peccatum grandius, præsertim conuersando cum hæreticis, quorum sermo, vt cancer serpit.

Secundum, *An à Parocho excommunicato, interdicto, notorio concubinario &c. liceat audire sacrum, & accipere Sacramenta.*

Licet, atque adeo etiam exigere, nec enim eum peccare vtendo iure nostro cogimus, aut ei noxæ auctores sumus, cum si velit, culpam odisse, eam emendare, ac absolui valeat, Sacramenta tamen cum tractat, siue occulte, siue publice sit censuris irretitus, committit sacrilegium, & incurrit irregularitatem nisi excusetur, ex eo quod soluit debitum vt dixi antea.

Tertium, *An Parocho Sacramenta censuris implexo dare liceat.*

Ei qui nescitur excommunicatus publicè nunquam negabit, ne eum reddat infamem, manifesto non denuntiato, si negare potest sine scandalo, nunquam dabit, neque si hæc negare ei sine damno suo sit liberum, alioqui vti poterit Ecclesiæ indulgentia, quod si is in contemptum censurarum, vel Ecclesiæ Sacramenta exigeret, ne morte quidem proposita conferenda erunt, quia dari tunc sine graui peccato nequeunt, Sacerdos autem non Parochus ius semper recusandi habet, modo postulantem infamare caueat, in denuntiato vero, vel publico Clerici percussore, non est timenda infamatio.

Quartum, *Si dum fit sacrum, aut ministrantur Sacramenta, diuinaue obeuntur officia, excommunicati se ingerant, quid agendum?*

Si sunt denuntiati, vel percussores Clericorum publici, intermitti ea oportebit donec abeant, aut si abire sua sponte noluerint, foras abigentur, secus facere, culpa est non tamen irregularitati nexa Gregor. X. auctor in *cap. 15. de sententia excommunicationis in 6.* causa eius rei vnica, nempe quod id non sit expressum in iure, Gregor. ibi.

Similiter, si ipsi suspensi, excommunicati, interdicti denuntiati non fuerint, quantumuis diuina sacrilege exequantur, his tamen sine peccato interesse fas erit, quod si de-A nuntiati erunt; populus templo egredi debebit, excepto eo qui ministrat sacro, si tamen excommunicatus illud audit in vno sacello, licebit audire in alio, etiam in eadem Ecclesia, sic enim non communicatur excommunicato, Vgol. *tab. 2. c. 8. §. 5.*

Quintum, *An prophana cum censura innodatis tractari possint sine culpa.*

Possunt, quia diuina tantum sunt prohibita, nec in suspensione, & interdicto dubium esse vllum potest, quia per eas censuras prophana non vetantur.

B Dices non fauet Extrauagans *ad Euitanda* his qui sunt in censura, ergo cum eis conuersando peccabimus, quia cooperabimur eorum peccatis: si enim cum iis non vixerimus, nec hi nobiscum agent.

Respondet Viualdus *de excommunicatione num. 78.* cum Ledesma & Soto distinguendo, aut enim qui est à censuris liber, prius cum excommunicato incipit agere, aut viceversa, si primum neuter peccabit, quia liber priuilegium habet, & in gratiam eius excommunicatus excusatur; Si secundum, excommunicatus peccabit sicut prius; C quod intellige de communicatione ciuili aut vtere præcedenti responsione ad quartum & vide Vgolin. *tab. 2. cap. 22. parag. 1. num. 3.*

QVÆSTIO XV.

Diuisio Censuræ in suspensionem, excommunicationem & interdictum.

EX singulis censurarum causis, aliqua D earum diuisio peti potest, tres tamen traduntur præcipuæ, prima est ab efficiente vt scilicet diuidantur in eas quæ sunt ab homine & à lege de quibus supra: A forma petuntur duę aliæ, de quibus duabus quæstionibus sequentibus.

Et primo suppono censuram pœnam esse, & sententiam, vt pœna est, diuiditur in excommunicationem, suspensionem & interdictum, vt sententia in iustam & iniustam in ratam & irritam, de priore primum dicamus.

E Tres ergo sunt pœnarum spiritualium species, quas loco citato definiuimus, excommunicatio, suspensio & interdictum, neque plures, neque pauciores, etsi Soto 4. *sententiarum distin. 22. qu. 3. art. 1.* numeret quinque, adiuncta scilicet irregularitate & cessatione à diuinis, communis tamen sententia & authoritate, & ratione satis idonea confirmatur: Innocentius enim tertius, quærenti quid per censuram Ecclesiasticam debeat

debeat intelligi respondit sententiam suspensionis, excommunicationis & interdicti vt est in *cap. quærenti de Verborum significatione.*

Ratio autem exacta huius numeri non facile affertur, Fœlicianus quidem *cap. de excommunicatione*, tribus tantum modis censuram ferri posse dixit pro triplici delictorum genere, & diuersitate, quam diuersitatem ipse non explicauit, fortasse nec potuit, nam pro eisdem delictis modo has, modo illas censuras latas inuenimus.

Vgol. *tab. 1. cap. 26.* dixit censuram tripartitam esse ratione eorum qui ipsa constringũtur, qui sunt Clerici, Laici, & loca, suspensio solos Clericos afficit, loca soli interdicto fiunt obnoxia, Clerici autem & Laici soli excommunicationi subiacent, maxime vero Laici, verum hæc exacti numeri ratio parum est exacta vt patet, quod etiam eius author significat, itaque aliam profert sine dubio meliorem, quoniam non est hæc pœna aliud, quam bonorum Ecclesiæ priuatio, dupliciter autem his priuari possumus, aut omnibus simul, aut aliquibus, Secundo priuari possumus hisce bonis actiue, passiue, & vtroque modo, excommunicatione priuamur omnibus actiue & passiue, suspensione aliquibus actiue tantum, interdicto aliquibus vtroque modo, quæ singula seorsim suis locis explicabuntur accuratius.

QVÆSTIO XVI.

Diuisio Censuræ in Ratam & Irritam, &c.

NAuar. *cap. summæ 27. num. 3.* & passim omnes, sententiam censuræ in iustam diuidunt & iniustam: & hanc, in validam & inualidam subdiuidũt, siue ratam & irritam, quam etiam nullam vocant, rectius tamen instituetur hoc modo diuisio, quam etiam videtur secutus Fœlicianus *cap. 29. de excommunicatione*, vt censura primo in ratam & irritam diuidatur, rata autem in iustam, & iniustam, prior enim diuisio videtur otiosa, eo quod validum latius patet, quam iniustum, & est genus iustæ iniustæque sententię, deinde irrita non est iniustæ censuræ species, ne censuræ quidem, sicut homo pictus, non est species hominis, neque animalis, quia tamen habet aliquam similitudinem cum censura, ob quam & nomen ipsum retinet, ne nos affinitate sua fallat, non est plane prætermittenda imo agnoscenda; in diuidendo tamen inter veras species constitui non debet, sed à principio statim seponi.

A Rata ergo censura est, quæ habet ea quæ sunt de eius essentia, ex parte iudicis, rei, & causæ, ob quam censura fertur, quæ autem illa sint, dictum est suis locis.

Irrita siue nulla, cui aliquid essentiale deest, quot autem illa sint, ex dictis est colligendum, Nauar. *cap. 27. num. 4.* quinque modos posuit censuræ irritæ, posuere alii septem, & inter eos Henriq. *lib. 13. cap. 16.* tradit, defectu iurisdictionis censuram in septem casibus esse nullam, non negat tamẽ posse aliunde esse nullam, vt quæ errorẽ intolerabilem nonnunquã continere dicatur.

B Sunt qui nouẽ modos ponant, quindecim alii, vt Sylu. *verbo excommunicatio 2. num. 1.* alii octodecim vt Fœlicianus *cap. 30.* Iusta censura est, quæ non solum essentialia habet, sed insuper requisita omnia ex parte causarum omnium, iniusta autem cui aliquid non essentiale deest, quod tribus fere modis accidit.

Primo ex malo iudicis animo, non sanitatis subditorum cupido, sed vltionis, aliaue perturbatione sauciato, & tunc nihilominus valet sententia, licet peccet qui eam dicit

C non quidem contra iustitiam vt supponimus, sed contra caritatem, quia sententia à iurisdictione vim habet non à iudicis bonitate.

Secundò, si causa iniusta fuerit, vt cum leuis est culpa, iniustum enim est pœna graui qualis est censura, leue quodpiam erratum castigari, cum diuina lex iubeat, *Vt pro mensura peccati sit plagarum modus*, *Deut. 25.* aut cum præsumpta contumacia, vere non fuit contumacia, vt si excommunicetur aliquis vt soluat debita, quæ soluere nequit,

D in his enim exterioribus & contentiosis oportet Ecclesiam opiniones & probabilitates sequi, *ideo & fallere sæpe contingit, & falli propter quod contingit interdum vt qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, Ecclesiastica sit censura innodatus*, Innoc. III. *in decretali à nobis 28. de sententia excommunicationis*, de quo & Vgolinus *tab. 1. cap. 13. parag. 3. sub finem*, si tamen magnam haberet huiusmodi sententia iniustitiam, ac intolerabilem errorem, vt aiunt valida non foret, sicut esse est censenda, cum iniustitia est leuis vel occulta, quia licet ri-

E gide loquẽdo, valere non debeat, cum, vera pœna veram culpam supponat, voluit tamen Ecclesia, vitandi maioris mali causa permittere, tales vt sententiæ vim haberent, maxime cum hæ scandalum nullum creent, eo quod iniustitia cuius arguuntur, non sit aperta & euidens, cum reos constet semper esse querulos, ac pro se iustitiam, pro iudicibus autem iniustitiam facere, in communi

ſermone dicere ſolitos ſundata autem erit in eo caſtigatio, quod ſit æquiſſimum priuatum quempiam etiam culpa ſua nulla, pro communi bono damnum ferre, nam etiam è ſano brachio ad ſanitatem totius corporis ſanguis elicitur, itaque negant nonnulli credendum eſſe Soto *in 4. ſententiarum diſt.* 22. *q.2.ar.3.concl* 4.aſſerenti excommunicatum hunc non videri,nec Eccleſiæ carere ſuffragiis qui eſt innocens, licet probatus ſit nocens, quod eiuſmodi iniuſta ſententia par ei ſit & æqualis, quæ eſt nulla, de quo nos alias.

Tertiò, excommunicatio eſt iniuſta ſi ordo iuris ſeruatus non fuerit, qui in eo eſt vt admonitiones fiant, vt ſcripto tradatur ſententia, vt ea cauſam cenſuræ contineat, & cætera, de quibus antea, hæc enim ſi deſint aut eorum aliqua, valebit ſententia, quia ſunt de iure poſitiuo, in quo diſpenſant Pon- A tifices, cum patiuntur valere ſententias his non ſeruatis, & pœna nihilominus iudicem afficiunt, ſic enim fit vt cenſura, quæ eſt natura ſua formidabilis, terrorem maiorem inferat, dum conſtat eam malo etiam animo, & iniuſta ex cauſa, ac præter iuris ordinem latam ligare, qui enim eam contemnit, peccatum mortiferum admittit vt docet S. Thomas *in 4. ſententiarum diſt.* 18.*q.* 2.*art.*1.*ad* 4. & alij plerique apud Couar. B *priore parte electionis in cap. alma parag.*7.*num.* 5. 6.*&* 7. Vgol. *tab.* 1. *cap.* 13. §. 3. *n.* 5. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 15. ibi tamen ait Couar. eum qui iniuſte eſt excommunicatus, ſi ſcandalum abſit, occulte ſine peccato, diuina celebrare officia poſſe, proque eadem ſententia Caiet. Adrianum, Driedonem citat, additque, eſſe id ex mente canonum, de quo nos poſtea.



TRACTATVS



TRACTATVS SECVNDVS

DISPVTATIO PRIMA DE EXCOMMVNICATIONE.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Excommunicatio.



EST Excommunicatio maior, *Censura Ecclesiastica, directe & absolute separans fideles à communione quæ in potestate est Ecclesiæ tã sacra, quam ciuili cæterorũ fideliũ.* Fideliũ nomine intelligendi sunt baptizati, in quos solos illa potestatẽ exercet, *Censuræ* autem, pœna eiusdẽ Ecclesiæ authoritate illata, ad vindictã peccati à nocente admissi, quæ pœna non est cruciatus aliquis corporis, aut priuatio mera rei temporariæ, sed tam hæc, quam Sacramentorũ, & suffragiorum dictæ Ecclesiæ, carentia: quæ duæ res, in definitione excommunicationis significantur nominibus communionis tam ciuilis quam sacræ.

Consistit autem communio ciuilis, in his actionibus quæ ad humanam societatem pertinent, vt est confabulatio, salutatio mutua, communis mensa, cæteraque, quibus inter nos, alij aliis communicamus, præter quam communionem sunt & aliæ. Triplicem Nauarr. facit in Enchirid. 27. *numer.* 17. internam, exteriorem & mixtam, interna fit per gratiam, fidem spem & charitatem, quibus duabus virtutibus, vt vnius corporis mystici mẽbra, Christo capiti ac seruatori nostro nectimur: iuxta Paulum ad Rom. 10. *Multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*, primæ ad Corinth. 12. *Sicut enim*

A *corpus vnum est, & multa habet membra, ita & Christus etenim in vno spiritu omnes nos baptizati sumus.* Mixta, posita est in participatione eorundem Sacramentorum, suffragiorum & precum communium, insuper eiusdem sacrificij, ac rerum huiusmodi, sine vllo respectu ad fructus, quorum causa sunt hæc instituta à Deo in Ecclesia. Exterior vt diximus, est in cõmunicatione ac vsu rerum, quæ ad humanam societatem ac conuictum pertinent, & vtraque hac communicatione, externa scilicet ac mixta priuat excommunica-

B tio, non tamen interiore, nam cui fides, cui spes, ac caritas nisi volenti potest adimi? à quo gratia nisi à volente perdi? Et licet excommunicatio maxime si maior est, esse sine eius carentia nequeat, ratione mortalis culpæ, cuius est pœna 11. *q.* 3. *canone Episcopi* 8. & canone *nullus Sacerdotum* 42. à qua pendet, vt effectus à sua causa, nunquam tamen impedit excommunicatio, quin ad eam communicationem homo cum Deo, redeat per pœnitentiam, nequit ergo fidelis per excommunicationem priuari communione interna cum Deo, per gratiam.

C Additum est propterea in definitione ea duntaxat per censuram communicatione priuari hominem, *quæ sit in potestate Ecclesiæ*, qualis est Sacramentorum participatio actiua & passiua, sacrosanctum Missæ sacrificium, suffragia Ecclesiæ communia, horarum publica lectio in choro aut templo, indulgentiæ, sepultura, prælatorum iurisdictio, beneficiorum collatio, dispensatio in votis, iuramentis, & impedimentis matrimonij, prima enim illa quæ purè est spiritalis, à solo Deo auferri potest, qui secundum legem ordinariam, charitatem non nisi ob peccatum peccantis proprium adimit, nec

fidem, nisi ob infidelitatem simile est in ordinum characteribus, quos nec Deus, nec Ecclesia vlli tollunt.

Facta quoque est mentio censuræ, nec cuiuslibet, sed Ecclesiasticæ, palam vt facerem, mihi hic de diuina sermonem esse nullum, quam, qui labe fœdatus est mortali contrahit, nisi eam dolore absterserit, partem habiturus est inter Dei familiares ac amicos nullam, mortuus autem æternis mactabitur in igne cruciante suppliciis.

QVÆSTIO II.

Quibus nominibus appellata est olim Excommunicatio.

PRimò, dicta est segregatio *in Concil Antioch. can.* 2. quo sensu dixit Zonar. in eum canon. ἀφωρισμένους γίνεσθαι καὶ ἔξω τῆς συνάξεως τῶν πιστῶν, id est, *segregari & extra cœtum fidelium eliminari.*

Secundò, quod suspensioni, & interdicto conuenit, excommunicationi speciatim tributum video, vt censura diceretur à Tertul. *in apolog. cap. 39. ibidem exhortatiqnes, castigationes, & censura diuina, nā ei indicitur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu.*

Tertiò, vocatur à Concil. Tur. 2. can. 24. *cœlestis gladius*, a Cypriano, *epist. 62. spiritualis, spirituali gladio superbi*, inquit, *& contumaces necantur, dum Ecclesia eiiciuntur, Abstentio epist. 38. notabili* 10. hinc abstenti pro excommunicati, & abstinere pro excommunicare phrasi apud eum satis vsitata & frequenti. Sic enim de Fœlicissimo epist. 38. *Accipiet sentētiam quam prior dixit, vt abstentum se à nobis sciat*, & in epist. 55. *Fœlicissimum hostem Christi, non nouum, sed iam pridem ob crimina sua plurima, & grauissima abstentum, & non tantum mea, sed plurimorum Episcoporum sententia condemnatum, reiectum & pulsum de Ecclesia.*

Idem & alia periphrasi circumloquitur, *Vt arcere à communicatione Epist.* 28. *&* 40. *Nō communicare* vt in explicatione orationis Dominicæ, *Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente grauiore aliquo delicto, dum abstenti, & non communicantes à cœlesti pane prohibemur, à Christi corpore separamur*, & paulo post, *vt manifestum est eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Eucharistiam iure communicationis accipiunt, ita contra timendum est, & orandum, ne dum quis abstentus separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, comminante ipso nisi manducaueritis carnem filij hominis.*

Idem ab eo expressum sub nomine eie-

A ctionis ab Ecclesia, in *Epist.* 40. 47. *&* 55. idem dictum à Conc. Antioch. *can.* 2. Carthagin. *can.* 30. idem à Tertul. cum ait, *in cap.* 11. de idololatria lanistam arcendum ab Ecclesia, stupri reos prohibendos à communicatione fraternitatis, item *ad vxorem lib.* 2. *cap.* 3 impios relegandos in *perpetuum dissidium*, aduersus hæret. *cap* 30. eos submouendos à limine, & omni tecto Ecclesiæ, de pudicit. *cap.* 4. *&* 14. sic & absoluere ab excommunicatione appellat, *largiri post liminium Ecclesiasticæ pacis, ad Ecclesiam reuocare*, Ecclesiæ incorporare *de pudicit. cap.* 15.

B Iisdem quibus Cypr. & Tert. vsi sunt vocibus, Hieron. & Gregor. Nyssenus, nam ille excommunicatum *epist.* 1. eiici ait de Ecclesia rabido dæmonum ore discerpendum, iste autem, id est Nyssenus, segregatione (hoc est excommunicatione) ei claudi à Sacerdotibus portas Ecclesiæ in hac vita, in altera vero Regni cœlorum ab Angelis, *Nunc autem si quid humanitus acciderit, & mors repente tanquam fur aduenerit, scias tibi quæ illic sunt, esse clausa, sunt diligentes & non ludentes*

C *ianitores Regni, vident animam ferentem signa segregationis, non secus atque quempiam, qui sordida & impexa coma arguit carcerem, eamque eiiciunt à via quæ tendit ad ea, quæ bona sunt, & pulchra*, Gregor. in orat. *aduersus eos qui ægrè ferunt reprehensiones.* Et quoniam est excommunicatio pœna, eaque qualibet alia grauior, quod per eam de Ecclesiæ exterminati finibus prædæ simus, furorique expositi dæmonum, exosi Deo, diuinis eius oculis graues, Angelorum ludibrium, cœli terræque opprobrium, excommunicatum rabido

D dæmonum ore discerpi dixit Hieron. *epist.* 5. conteri etiam ac frangi spirituali mucrone, quo truncatus (inquit) eiicitur de Ecclesia, *Miror sanctum Episcopum, in cuius Parochia esse Presbyter dicitur, acquiescere furori eius, & non virga Apostolica, virgaque ferrea confringere inutilem, & tradere in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat*, Hieron *epist.* 53. cum autem tradi sathanæ dixit Apostol. *prima ad Corinth.* 4. quo quid est homini metuendum magis? quid maiori vitandum cura? *abiicitur*

E *in ciuitatem in locum immundum deditus scilicet sathanæ, in interitum carnis, nec amplius reædificatur in Ecclesia post ruinam*, Tertul. *de pudicit. cap.* 20. ergo spes ei salutis nulla reliqua, cum extra Ecclesiam beatum esse, ac in diuorum sanctimonia certum sibi habere locum, nulli sit concessum mortalium, *Anathemati enim honoris gratia, nemo accedere audet, & ab eo qui ab Ecclesia abscissus est, omnes separantur, tāquam à Deo abalienati*, Chrysost. hom. ad Rom. 16.

QVÆSTIO

QVÆSTIO III.

Quid anathema ab excommunicatione differat.

Est anathema, vox significatu ac notione ambigua, in bonam malamque partem vsurpari à Doctoribus solita, secundum Chrysostomum hom. de anathemate *tom.5.*

Et primò quidem ἀνάθημα penultima longa, idem est ac donum, ex voto, in accepti beneficij memoriam, Deo in templo appensum *Pollux lib.1.* ideoque separatum à rebus prophanis, quandoque vero quod à Deo seiunctum est per impietatem, hac voce anathematis intelligi, cùm complura diuinæ scripturæ exempla declarant, tum maxime, quod apud Iustinum legitur in hæc verba: *Anathema id dicitur quod Deo dedicatum, & in communem vsum amplius non conuertitur, aut quod à Deo per malitiam est abalienatum,* Iust. *lib. quæst. & respons.4. q.121.*

In eandem sententiam scripsit hæc Chrysost. ad Rom. homil. *16. Quid est anathema audi Paul. loquentem, qui non amat Dominum Iesum Christum, is anathema sit, hoc est ab omnium commercio segregatus, alienus ab omnibus sit. Nam quemadmodum anathema donum quod Deo dedicatur, nemo est qui temere manibus contingere audeat, nec ad id propius accedere, sic & eum, qui ab Ecclesia separatur, ab omnibus abscindens, ac tanquam longissime abducens, hoc nomine à contrario scilicet appellat, magno cum terrore omnibus interminatur, ab eo vt separentur, ac pedem referant,* ἀναθεματίζειν enim idem sonat, ac deuouere, detestari separare à Deo, vt in nouella 231. *parag.* θεσπίζομεν, & in *constit.* 31. quid est enim anathema, inquit Tarasius *in actione 7. Synodi Nicænæ 2. nisi separatio à Christo vt enim anathemata quæ Deo oblata sunt à rebus aliis communibus, atque humanis segregantur, ita is qui anathema factus est. à reliquo fidelium cœtu, qui Deo additi, & dicati sunt auellitur, atque distrahitur, & ab ipso Deo, vel ipse potius à seipso Diabolo mancipatur,* Zonaras in *can.* 3. eorum qui post primam & secundam Synodum sunt in templo sapientiæ editi, *Anathema enim æternæ est mortis damnatio*, Concil. Meldense *can.* 56. quique fit sub anathemate ἀποδιαιρεῖται τοῦ θεοῦ προσοικειοῦται δὲ καὶ προσκληροῦται τῷ σατανᾷ καὶ ἀνάθεμα ἐκείνου αὐτὸς ἑαυτὸν ποιεῖ, id est, *diuellitur à Deo, Satanæ vero adiungitur, atque adducitur, seque illi instar anathematis obnoxium ipsemet constituit,* Zonar. supra.

Et quoniam quæ Deo sunt inuisa, quæ diuinis eius oculis dura ac grauia, in ea mala omnia confluere, his oppleri, ac obrui est necesse, ob eam causam, qui nobis execrabiles, qui culpis suis odiosi sunt ac graues, proindeque fugiendi, vt à Deo abalienati, & ab Ecclesia abscissi, antiquis dicebantur anathema hoc est maledicti Hieron. in cap. 14. Zachar. loquens de Paulo optante anathema esse pro fratribus: *Pro fratrum salute, inquit, anathema esse cupit, imitari volens dominum suum, qui & ipse cum non esset maledictio, factus est maledictio.* His de nomine anathematis, eiusque vsu prænotatis, respondere quæstioni non est difficile.

Dico ergo primò, *Per anathema, communionis priuationem, ac suffragiorum Ecclesiæ maiorem non adferri, quam per excommunicationem.*

Probatur, est anathema ex dictis idem ac sacer, execrabilis, & quasi quoddam piaculum, separatus, excisus à Deo: at idem significat excommunicatio, sic dicta quod qui ea percelluntur à communicatione corporis Christi arceantur, vt ex Cyprian. in tractatu de orat. Dominica antea audiuimus.

Dico tamen secundò, *Distingui ab excommunicatione anathema ceremoniis quibusdam, & accidentibus, præterquam quod maiore cum terrore, infamiaque inferebatur ab Episcopo, suas etiam ceremonias formidinis pœnas habebat, quas in excommunicatione adhibitas non legimus Presbyteros, scilicet duodecim, qui eius stipantes latera, lucernas ardentes manibus præferebant, quas in anathematis detestationem, ac odium proiectas, conculcabant pedibus,* vt est *in can. debent 106. causæ vndecimæ q. 3.* conculcatas autem vt narrat Glossa eius *can.* extra templum vti sal infatuatum eiici oportebat, nulli postmodum futuras vsui, *can. non omnes 2. q.7* hoc modo excõmunicatum in Constantiensi Concilio fuisse Petrum de Luna, alias Benedict. XIII. scripsit Nauclerus, Venetos autem à Clem. V. quos anathemate notatos, sacris interdixit, eosque pro seruis, vbicunque reperirentur, haberi voluit, Platina in Clem. V. extat & execratio facta per Gregor. VII. contra Henricum II. cum abrogatione Imperii, & solutione iuramenti subditorũ, ab eius fidelitate, & translatione imperij in Rodulphum Platina *in vita eius.* Chilpericum aiunt cum in Episcoporũ cœtu qui in Basilica Sancti Petri Parisiis est habitus anno salutis 557. reum se esse Prætextatus Rothomagensis Episcopus maiestatis læsæ confessus esset, petiisse vt in pœnam ab eo admissi sceleris, *aut tunica eius scinderetur, aut centesimus octauus Psalmus, qui maledictiones Ischarioticas continet, super caput eius recitare-*

tur, aut certe iudicium contra eum scriberetur, ne in perpetuum communicaret Gregor: Turon. *lib.* 5. *historiæ cap.* 19. qua pœna maiora in Gallia scelera plecti solita, indicat canon 24. Concil. Turon. 2. sub Cheriberto anno post Christum natum 567. ibi enim præcipitur eius Ecclesiæ Presbytero, cuius bona quispiam rapida cupiditate occupasset, vt eum officii admoneat: *Quod si pertinaciter in peruasione perstiterit, & se tollere post tertiam commonitionem de re illa, aut Ecclesiæ, aut propria noluerit, conuenit vt omnes omnino vna conniuentia, simul cum omnibus Abbatibus, ac Presbyteris, vel Clero, auxiliante Christo, circunsepto Clericali choro, necatori pauperum, qui res peruadit Ecclesiæ Psalmus* 108. *dicatur, vt veniat super eum maledictio illa, quæ super Iudam venit, qui dum loculos faceret, subtrahebat pauperum alimenta, vt non solum excommunicatus, sed etiam anathematizatus moriatur.*

Ex quo patet primò, non Sacerdotes duodecim modo, sed omnes qui tum in ea erant Ecclesia, vbi in reum dicebatur anathema, Episcopo illud pronunciant, fuisse præsentes, ac testes, id enim hæ voces indicant: *Cum omnibus Abbatibus, ac Presbyteris, vel Clero,* addo amplius, ab Episcopis quoque prouinciç postulatum, ne tùm abessent, cum in reum dicebatur anathema: *Illud etiam annecti placuit, vt qui de fratribus ad dandum solatium venire pro certa infirmitatis necessitate non potuerit, Abbates & Presbyteros in vice sua transmittat, quod si præter certam infirmitatis excusationem commonitus, aut venire, aut transmittere noluerit, remotum se à fratrum caritate cognoscat,* Concil. Turon. 2. *can.* 24. sane in Meldensi Concil. sub Sergio Papa & Carolo iuniore, Episcopis præcipitur, *vt eorum nemo quemlibet sine manifesta, & certa peccati causa, communione priuet Ecclesiastica. Anathema autē sine consensu Archiepiscopi, aut Coepiscoporum prælata etiam monitione nulli imponat, nisi vnde canonica docet authoritas can.* 56.

Secundò, colligendum ex dictis, anathema non nisi sub vitæ finē consuesse solui, ac sæpe ne tunc quidem solutum, alioqui cur qui est excommunicatus, iuberetur à Concilio *anathematizatus* mori, si viuentis adhuc ac sani vincula, Ecclesiæ potestate rupta essent aut solui possent? ob eam causam appellatur in Concilio Parisiensi 3. *Perpetuū, can.* 5. & in secundo imperant Patres vt *perpetuo anathemate feriatur, qui res Ecclesiæ confiscare præsumpserit,* ob eandem causam dicitur *irreuocabile,* ab Aurelian. 5. *can.* 15. *procellosum* à Matisconensi 2. *can.* 14.

Tertiò, colligendum ex dictis, anathema summarum scriptoribus, idem esse ac qui est execrabilis, cum enim *anathema* sit A *separatio à Christo,* Concil. Nicæn. 2. *act.* 7. vel quidpiam quod est à rerum aliarum seiunctum consortio, Diu. Thomas in *cap.* 2. *ad Galat.* vel quod sui imprimebat odium in animis hominum, adeoque iisdem erat abominandum ac graue, quo sensu *Iosue* 6. vrbs Hiericho iubetur esse *anathema & omnia quæ in ea sunt,* & 1. ad Corint. 12. habetur neminē anathema Iesu dicere, *nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Iesu, hoc est eum execratur,* hinc est quod qui anathema promulgatur in Conciliis, idem quoque habeatur vt B diuinitatis hostis, cœlo terræque detestabilis, *quasi in publicum infamiæ expositus, vt notatus ab omnibus erubescat, & conuerso conueniat, illud quod sequitur, vt Spiritus saluus fiat in die Domini,* Hieron. *in lib. Iud. hom.* 2. *relatus à Grat.* 11. *q.* 3. *can.* 21.

QVÆSTIO IV.

Quotuplex sit excommunicatio.

C Diuiditur excommunicatio primò, in eas quæ sunt à iure, & homine.

Secundò, in generales & specificas.

Tertiò, in cōminatorias & latæ sententiæ.

Excommunicatio iuris est, quæ continetur in iure canonico, vel per modum legis fertur, perseuerat autem etsi eius author diem suum obierit, estque talis excommunicatio, lata vel à Concilio, vel ab Episcopo Romano per statutum perpetuum, quod continetur in Extrauagantibus Clementinis, Bullis, aut decretis Pontificum.

Particularis iuris excommunicatio, ortum D habet à lege Synodica, lata in eum v. c. *qui quid dixerit, aut egerit præpostere.* Ita capite vt animarum 2. *de Constit. in* 6. decernitur, excommunicatione Synodica contra fures fulminata ab Episcopo, non comprehendi qui extra prouinciam positi degunt, quia *ius dicenti extra territorium impune non paretur.*

Est autem inter vtramque hæc differentia, quod excommunicatio prioris generis, id est generalis, ad omnes pertineat qui sunt in Ecclesia, posterior ad eos tantum, qui in Diœcesi versantur ac habitant, de Graff. *lib.* E 4. *cap.* 2. *num.* 1.

Excommunicatio ab homine est ea, quæ à iudice Ecclesiastico fertur in reum per modum mandati, & sententiæ temporariæ, quia non habet causam perpetuam nec ordinarie vniuersalem, sed eius authore mortuo moritur, aut deposito ab officio, aut cum excommunicatis expirat, vel cum causa excommunicationis: & huiusmodi censurarum ab homine.

Quædam

Quædam sunt generales, specificæ aliæ, generales neminem notant, sed vniuersos ac singulos, qui contumaces mandatis extiterint secusque fecerint, quam vetatur aut iubetur per legem, vt si excommunicentur omnes qui vtentur armis, specificæ hominem designant, nomen & crimen: vtrique hoc commune est, arcere à Sacramentorum vsu actiuo, & passiuo, & communione in diuinis, ac si forte Clericus est, qui est excommunicatus, & aliquem sui ordinis actum exercere tentet, erit irregularis irregularitate à solo Papa dispensabili, si res erit cognita, si occulta, ab Episcopo, vt dicitur in Trid. *sess. 24. cap. 6.*

Et quanquam in hoc censuræ hæ duæ conueniant, differunt tamen, quod quæ est à iure, duret perpetuo, vtpote causam perpetuam habens donec reuocetur, aut in dissuetudinem abeat, cum altera desinat, desinente eius authore, secundo excommunicato absoluto aut mortuo, tertio transacto negotio, de quo agebatur.

Reliquæ sunt duæ excommunicationis species explicandæ, nomen vni comminatoriæ, alteri latæ sententiæ: comminatoria reuocat à culpa metu pœnæ subeundæ, latæ sententiæ est, quæ ipso facto incurritur, & vtraque iusta esse potest aut iniusta, iusta est in qua nulla circunstantia desideratur earum, quas postulant canones ne sit iniqua, qualis erit, si sit circunstantiis ad actum virtutis necessariis circumsepta, nempe vt feratur à iudice in subditũ contumacem, seruato iuris ordine, & cum intentione debita.

Iniusta è contra est, quæ aliquam aut plures earum desiderat, quare erit iniusta si timore terreno, si contra ordinem iuris, si propter odium alicuius, vel ad fauorem sine iusta causa infligatur, *can. quatuor 11. q. 3.* ex quo sequitur quod lædat potius inferentem quam excommunicatum, *can. certum can. de illicita 24. q. 3.*

Rursus diuiditur excommunicatio in validam & inualidam.

Est inualida auctore Soto *dist. 22. q. 1. art. 1.* & Nauar. *cap. 27. num. 4.* in quinque maxime casibus.

Primus est cum à non habente authoritatem infligatur.

Secundus, cum contra priuilegia alicuius intentatur.

Tertius, cum patentem ac apertum errorem, eumque non tolerabilem in materia continet, si propter bonum opus, aut culpam venialem & non mortalem inferatur.

Quartus, si post appellationem legitimam.

Quintus si in ea ferẽda prætermissus sit ordo iuris, aut si quis excõmunicet aliquem, eo

A quod nõ det id, quod de iure dare nõ debet, *Clement. Pastoralis de re iudicata*, aut si iudex participãtes cũ excõmunicato à se excõmunicet, quẽ tamen sine trina monitione præuia cum aliquot dierum interuallis excommunicauit, quo tamen tempore propter scandalum iudici parendum erit, quia in foro externo sententia lata ex falsa causa, & sine iuris ordine tenet, valet q; donec de cõtrario constet, *cap. sacro extra de sentent. & eod. tit. in 6. cap. 1.* Petr. Gregor. *Partitionum iuris lib. 4. titulo 16. cap. 1* quoad Deum tamen non ligat,
B *canone certo 43. & can. non debitis 64. causæ vndecimæ quæst. 3.*

Est autem excommunicatio latæ sententiæ censura, cui adiuncta est ipso facto pœna priuationis à sacrorum vsu, & communione fidelium, sine alia iudicis sententia, soletque his verbis à Papa, Concilio, aut canone concipi, *Sit ipso facto excommunicatus, incurrat excommunicationem, Subiaceat excommunicationi*, vel *Excommunicamus.*

Comminatoria pœnam inferendam tantum habet, vt cum dicitur *Excommunicetur, Prohibemus sub pœna excommunicationis*, Nau.
C *cap. 27. num. 12.* de qua nos postea pluribus.

Erit autem vtraque nulla secundum Glos. ad *cap. præsenti 10. de sentent. excomm.* Petr. Gregor. *partition. iuris lib. 4. tit. 16.*

Primo, si post appellationem legitimè interpositam, appellans excommunicatus fuerit.

Secundò, si errorem intolerabilem habeat, de quo nos supra *cap. venerabilibus de sent. in 6.*

Tertiò, si qui excommunicationem tulit,
D authoritate ad id necessaria careat, *cap. audiuimus 3. de consuetud. cap. cum olim de priuileg.*

Quartò, si à iudice quidem suo est lata, sed excommunicato *capite audiuimus 4. & canone aperto 36. causæ 24. q. 1.*

Quintò, si à delegato, sed contra delegantis intentionem excommunicetur *cap. fin. de præb. cap. authoritate de priuileg.*

Sextò, si proferatur ab intruso vel à iu-
E risdictione suspenso, *can. alienationes 12. qu. 2.*

Septimò, si proferatur à violante interdictum hominis, *cap. tanta de excess. prælatorum.*

Octauò, si contra tenorem sui priuilegij *cap. cum. Cappella & cap. quanta de priuileg.*

Nonò, si quid excommunicato sub pœna excommunicationis mandetur, quod esse nequit. Glos. in *cap. tuam de sentent. excom.* Greg. loco citato.

Alia est excommunicationis in maiorem & minorem diuisio, maior hominem tam perceptione Sacramentorum, quam communicatione cum fidelibus priuat, minor ab ea communione tantum separat, quæ est in passiuo vsu, seu perceptione Sacramentorum.

Excommunicationis autẽ maioris, quædã solemnis dicitur, altera minimè. Solẽnis est execratio, vel ad maiorem terrorem introducta excommunicatio, adhibitis quibusdam ritibus, & dicitur *anathema* quod Cœlestini III. iudicio adhiberi non debet nisi cum excommunicatio reo non profuit, *si depositus*, inquit, *incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumacia crescente anathematis mucrone feriri*, de iudiciis *cap. cum non ab homine* 17.

QVÆSTIO V.

In quo excommunicatio quæ est ab homine, ab ea quæ iuris est, differat.

Differunt primò, duæ hæ censuræ principio, ac efficiente sui causa, quæ enim est ab homine, certum aliquem exigit, qui illam infligat: quæ autem est à iure, nequaquam, cum eam non modo Episcopi, sed & Concilia generalia, aut prouincialia, statuto perpetuo inferre queant.

Secundò, differunt amplitudine, prior enim cum authorem sui habet Episcopum, prouinciæ suæ limites non egreditur, his arcetur, extra eos sese non effert, *cap. à nobis 21. de sentent. excomm.* quæ autem est à Papa vel Concilio generali per statutum non aliis circunscripta est locorum regionibus, ac spatiis, quam terrarum orbis, quæ autem est à iure, quod ab Episcopo in Synodo est prouinciali sancitum, etsi sit perpetua quemadmodum prior, ad ea tamen loca non extenditur, quæ sunt extra prouinciam posita, sicut nec eius iurisdictio à quo est lata.

Tertiò, differunt quod quæ est specialis, ab homine in hominem, excommunicati nomen exprimat, aut certè (quod habent Couarruuias & Sotus) iis sit concepta vocibus, his argumentis notata ac signis, quæ certam ipsius notionem auditoribus imprimant, quod ea non facit quæ est à iure.

Quartò, differunt quod excommunicatio quæ est ab homine, ferri debeat ad emendandum peccatum præteritum, quod est adhuc aliquo modo præsens, in mora, aut contumacia, non autem ad impediendum futurum, Innoc. IV. author in *c. Romana §. caueant de sent. excom. in 6. Caueant ne sententias excommunicationis tales, siue specialiter siue generaliter in aliquos pro futuris culpis, videlicet si tale quid fecerint, vel pro iam commissis sub hac forma, si de illis intra tale tempus minimè satisfecerint, proferre præsumant, nisi mora in exhibenda satisfactione, vel culpa, vel offensa præcesserit.* At quæ est à iure, pro obiecto habet peccatum futurum, vt ipsum impediat, Graffius *lib. decision. 4. cap. 2. num. 7.* neque tamen inficiari possumus, iusta esse aliquando tempora, quibus secus quam scripsit Graffius, vsu venire queat: nã quis in Episcoporum iure esse neget, peccatis quorũ vbiq; plurima est seges, ne in Diœcesi cui præsidet radices agant, pro authoritate ire obuiam? & quia verbis ac precibus non potest, sacris Ecclesiæ fulminibus ac armis territa, è prouincia sua ad inferos vnde sunt pestilenti Dæmonum ore, ad bonorum perniciem afflata, retrudere cum ignominia?

Quid? quod pro futuris culpis, sententias excommunicationis generaliter aut specialiter in aliquos, dici ab Episcopo tunc tantum Innoc. quartus in decretali Romana *§. de sentent. excommunicat. in sexto*, noluerit, cum *rationabilis (quam in sententiis suis exprimant) causa non subest*? at dari eiusmodi plurimas posse quis neget? sunt de hoc genere sequentes.

Prima, cum non infrequenter ac raro, delictum in vrbe vel prouincia aliquod, facienti turpe, Reipublicæ vero graue, admittitur.

Secundò, cum coniectura verisimili timetur, *& ita*, inquit Graffius, *lib. 4. decision. cap. 2. num. 10. forensi vsu, & praxi iamdiu inductum est, vt istæ excommunicationes generaliter ferri ab homine possint pro futuris culpis, vt refert* Couar. *in cap. alma mater parag. 10. nu. 1.* quã consuetudinẽ non omnino improbabilẽ esse, ac præsuli vitandam Clem. III. decret. à nobis 21. *de sentent. excom.* indicat, nec enim eos ibi arguit, qui sententias dicebant eiusmodi, sed eas, earumque vim & nexum ad eos duntaxat reuocat, ac cohibet, qui eorundẽ erant potestati obnoxii, *à nobis fuit ex parte tua quæsitum, vtrum si quis ita pronunciauerit, quisquis furtum fecerit, sit excommunicatus, hæc generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de iurisdictione illius? ad quod dicimus, quod hac sententia non nisi subditi obligantur.*

Quintò, excommunicatio quæ est ab homine, ab ea quæ iuris est distinguitur, quod illa cesset eo mortuo, aut ablato ab officio, à quo est lata, nisi in eam lapsus quis esset, ante eius obitum, nam tunc cum oporteret absolui ab eo, qui illi in iurisdictione succes-

fit, aut eius superiore, vt habetur in *can. si Episcopus* 11.q.3. qui eo est ex Epaunensi Concilio translatus in cuius *can.* 28. est his verbis: *Si Episcopus ante damnati absolutionem, obitu rapiatur, correctum aut pœnitentem, successori licebit absoluere*, cum altera, quæ est à iure permaneat eo defuncto, qui eius est auctor, nisi à successore, aut eius superiore abrogetur.

QVÆSTIO VI.

Quodnam sit Excommunicationis obiectum, quisue eius finis?

OBiectum Theologis est duplex, materiale vnum, formale alterum, materiale est ipsa res, quæ per operationem attingitur, formale ratio per quam illa constituitur in esse obiecti, v.c. color obiectum est materiale visus, lumen formale, quia color sub aspectum non cadit, nisi illuminatus.

Dico primò, *Excommunicationis obiectum materiale, esse pœnam quæ infligitur.*

Probatur est illud obiectum operationis C practicæ in esse intelligibili, quod est effectus in esse reali, sed pœna est effectus sententiæ iudicis.

Maior sic probatur, est hoc discrimen inter operationem practicam & speculatiuam, quod ista contempletur suum obiectum, illa autem faciat, non potest autem illud facere, nisi ante concepto modo, ac ratione illud faciendi, sicut qui domum extruit, eius formam in ligna, lapides, & cæmenta non inducet, nisi proposita sibi prius domus idea, ad cuius exemplum, eam in esse reali constituat. D

Dico secundò, *Excommunicationis formale obiectum esse æqualitatem inter culpam & pœnam.*

Probatur, excommunicatio iustitiæ vindicantis est actio, debet ergo inter nimium & parum, ęqualitatē ponere, at qui peccauit habet plus æquo, qui autē est offensus, infra meritum vt docet Arist. 5. Ethicor. *ca* 8. est hæc ergo inæqualitas, reuocanda ad id quod mediocritatē facit, vni quidpiam auferendo, peccanti nēpe bonorū vsum quibus fruitur, E eique imperando vt satisfaciat offenso, prout culpæ ac offensæ ratio exigit, sicut est in Deuter. 25. *Pro mensura delicti, erit & plagarum modus* Apocalyps. 18. *quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum & luctum.*

Dico tertiò, *Excommunicationis finem primarium, esse bonum Ecclesiæ publicum, secundarium, excommunicati ad bonam mentem reditum.*

A Probatur est excommunicatio vindicantis iustitiæ actio, at vindicare, at punire, eorum sunt partes tantum, qui magistratum gerunt in Rep. cui & consulere pro virili sua debent, excommunicatio ergo eius spectat spiritale commodum, bonumque, insinuat hoc Paul. 1. ad Corinth. 5. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit, & auferte malum ex vobis ipsis. Resecandæ sunt carnes putridæ*, inquit D. Hier. 24 q.3 *& scabiosa ouis à caulis repellenda.*

Pars altera habet ab hac ratione fidem. Est excommunicatio medicinalis, non mor- B talis, vt ait Pontifex *c.1. de sent. in 6.* adhibenda est ergo vt solet medicina, in ægroti scilicet salutem ac bonum, sic Apostolus primæ ad Corinth. 5. incestuosum satanæ tradit, *in interitum carnis, vt spiritus saluus sit, in die Domini nostri Iesu Christi*, & primæ ad Timoth. 1. *Ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare.*

Dices nulla est ergo futura iudicis Ecclesiastici in reum animaduersio, si hic turbet, si excandescat, ac tumultuetur, nec enim porrigenda est medicina, nisi quibus est futura vtilis, eo quod cessante causa, cessare quoque effectum sit necesse.

Respondend. etsi in nocentis noxam censura sit excommunicatio, eo quod hic sapere, ac posita contumacia Ecclesiæ morem gerere abnuat, profuturam tamen Reipublicæ Christianæ, qui est censuræ finis primarius, cuius voluntati obsequi, nutus ac imperia sequi, animum inducent cæteri, ne qua nocentem pœna plecti vident hæc illos eius, ac iudicis imperio reuinciat.

QVÆSTIO VII.

Propter quam culpam ferri maior excommunicatio debeat.

DVbitandi hæc causa inter multas, quod olim inflicta videatur à Romanis Episcopis, leuibus admodum de causis, vt de cæteris taceam, in Romano Concil. Gregorius nominis primus, Presbyteris ac Diaconis prohibet, ne canendis Psalmis dent operam, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, sed id Subdiaconis ac minoribus Clericis intactum relinquant. *Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentauerit, anathema sit, can autem* 4. eiusdem Concilii eādem pœnam irrogat, velantibus feretrum Romani Pontificis, quæ duæ res tamen, vt sunt exiguæ, ita non videntur acerbitate tanti supplicij plectendæ, similiter cōs

si quis distin. 23. excommunicatur Clericus qui comam nutrit, quo quid esse potest in speciem minus ad Dei gloriam, populique Christiani commodum vtile?

Vt de responsione constet, Notandum est ante omnia, non hic nos loqui de excõmunicatione, quam minorẽ vocant: hanc enim intentari ob peccatum veniale est certum, incurritur enim ob congressum, vsumque cum nominatim excommunicato in rebus ciuilibus, quem culpæ maioris quam venialis quis arguat?

Notandum secundò, grauitatem materiæ in ordine ad mortale, tam ex obiecto, quam eius fine ac circunstantiis petendam esse, cuiusmodi coiuisse tum non paucas est probabile, vi quarũ, res de quibus hic agitur, censeri tum paruæ nec possent, nec deberẽt.

Prima assertio, *Iure tam Dei, quam Ecclesiæ, excommunicatio cui maior est nomen, non nisi ob mortale inferri debet*. Ordiamur ab vltimo, est ea de re insignis ac locuples oratio Leonis primi in epistola 86. ad Episcopos Galliæ & Germaniæ his verbis. *Nulli Christianorum facile communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus vltionem, inuitus & dolens quodammodo, debet inferre animus vindicantis, cognouimus enim pro commissis & leuibus verbis, quosdam à gratia communionis exclusos, & animam pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam saeui supplicij sauciatam, diabolicis incursibus vt facile caperetur obiectã. Certe si quãdo talis causa emerserit, vt pro criminis qualitate, aliquem faciat iuste communione priuari, is tantum pœnæ subdendus est, quem reatus inuoluit*. Hæc ille. Quã in sententiam scripsere multa multi, antiquiora sunt quæ habentur in Concilio Nicæno *can.* 5. vbi iubetur inquiri, *an aliqua indignatione, aut contentione Episcopi sui, fideles sint excommunicati*, in Concil. Agathensi *can.* Episcopi 2. & *can. nemo Episcoporum* 41. *can. nullus Sacerdotum* 42. *vndecimæ causæ q.* 3. quibus recenti memoria vis est addita à Concil. œcumenico Trid. *sess.* 25. *c.* 3. de reformatione vbi prohibetur Episcopis, ne excommunicent ob aliam causam quam grauissimam, seu vt verbis vtar Concilij, *Non alias quam ex re non vulgari, causaque per Episcopum diligenter considerata*, quid autem rei non vulgaris nomine intelligi debeat, explicuit Meldense Concil. cum excommunicationem ferri vetuit ob culpam aliam quam mortalem, *Episcopi qui Sacerdotali moderatione postposita, innocentes, & minimis causis culpabiles excommunicant*, dicuntur culpę affines esse, *ob quam, communicatio eis denegetur à reliquis Episcopis vsque ad tempus Synodi*, Concil. Agath. can. 2.

A iure Ecclesiæ veniamus ad diuinum ac naturæ.

Primò, pœnæ debent culpis pares esse vt dicitur in *cap. fœlicis de pœnis in* 6. vbi præcipitur iudici vt *pœnam metiatur ex culpa*, ergo cum pœna excommunicatione nulla sit grauior *can. corripiantur* 24. *q.* 3. nasci hæc debet ex culpa graui, at talis est sola mortalis ex Soto in 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 4. ergo ob solam mortalem iure diuino, ac naturæ, intentanda est excommunicatio.

Maior probatur, vt iusta de nocentibus repetere supplicia actus est vindicantis iustitiæ, ita est commutatiuæ, illa ipsa æquare culpis, non quod illis cum sunt mortales, par pœna vlla esse possit, id enim quoad æqualitatem esse nequit, cum sint diuersorum ordinum, sed tantum quoad proportionem, quæ in hoc est posita, quod vt mortalis culpa in suo genere est magna, ita & excommunicatio in suo sit genere talis, hoc est non modica, Suarez *de censuris in communi disp.* 4. *sect* 4 vtpote quæ suffragiis Ecclesiæ, & cõmunione tam actiua Sacramentorum, quam passiua reum priuat, qua iactura quænam in hominum vita esse potest acerbior?

Iam argumenti minor ostenditur authoritate Christi, à quo Matth. 18. dictum legimus, per eum numerum iustorum auctum iri, qui modum peccatis suis ponit fratris sui admonitu (*si te audierit eum lucratus eris*) at hunc solum lucrari possumus, qui perierat aut è potestate Domini, contra ius fasque egressus erat, quod ipsum, nulli præterquam reo culpæ mortalis conuenit: ob eam ergo solam, lege Dei, & naturæ, maior excommunicatio est imponenda, quare si ab ea, ob ignorantiam, vel animi passionem reus excusetur, excusabitur etiam à censura excommunicationis, suspensionis, & interdicti, *Laym. tract.* 5. *lib.* 1. *cap.* 5. *nu.* 1. Diana 3 *par. tract.* 6. *resol.* 51.

Confirmatur cum Deus æquitatem diligat, quam & teneri in dictis, factisque nostris omnibus imperat, quis credat, sic eum fuisse sui, rectique nescium, vt quod in homine ferre ipse nequit, id authoritate sua firmauerit? vt pro culpa leui, pœna acerba & grauis imponeretur homini, quod tamen fieret si noxa venialis castiganda esset eius imperio Ecclesię sacro fulmine, & tamen, *nisi essent grauia delicta, quæ excommunicatione plectenda sunt, non diceret* Apost. 1. ad Corinth. 5. *Congregatis vobis, & meo Spiritu iudicaui tradere huiusmodi hominẽ sathanæ in interitũ carnis*, Aug. *de fide & operib. ca.* 26. Equidẽ si fides est Gregor. Nisseno, *in oratione, aduersus eos qui agre ferunt reprehensiones*, excommunicatus non modo

modo grauissimis in hac vita vinculis premitur, sed mortuus quoque cœlo in æternum exclusus, *conquerens de suo malo consilio, flensque & eiulans, perpetuo erit in tetro & mæsto loco abiectus, tanquam in angulo, & nunquam desinet, & nullam admittet consolationem, luctum extendens in æternum*, at nemo diuorum religionibus, eorumque est vita in cœlo indignus, nisi qui peccauit lethaliter, non est ergo excommunicatio, quæ hominem, Dei cœlitumque iucundissimo conspectu priuat, ob peccatum aliud quam mortale inferenda nocentibus, *can. nemo Episcoporum 41. can. nullus, can. plerumque paragrapho causæ ergo 11. q. 3.*

Quam sententiam dixit quoque Aurel. Concil. 5. anno Childeberti 38. Christi 549. cum sanxit, *Vt nullus Sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro paruis & leuibus causis à communione suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres; ab Ecclesia arceri iusserunt committentes.*

Sententiam dixere contrariam aliqui, maxime de suspensione vt Armilla *verbo suspensio n. 1.* Lopes *in instruct. parte 2. ca. 32. de irregularitate*, Molina *de iustit. to. 4. tract. 7. disp. 75. n. 2.* Megala *in 3. part. lib. 7. cap. 2. q. 1. n. 7.* & cum illis ego de excomm. minore, quam nec sine causa probabili ob veniale irrogari posse credo, cum Suar. de *censuris in communi disp. 4. sect. 4.* vt de facto incurritur propter communicationem in rebus humanis cum excommunicato vt habetur in Carthagin. 4 *ca. 24.* quam tamen ex obiecto leue quidpiam esse, maxime cum est in re temporaria, nemo prudens negare potest, suspensio autem, irregularitas ex delicto, & interdictum nunquam incurruntur quemadmodum & maior excommunicatio nisi ob mortale, secundum Sanchez *de matrimonio lib. 6. disp. 32.* Sa *verbo suspensus ab officio versu qui certus est*, Villalobos *to. 1. tract. 21. diff. 28. n. 8.* Bannes *in 2. 2. q. 64. art. 8. tract. de irregularitate*, quia cum suspensio & irregularitas sint pœnæ grauissimæ non est credibile eas ab Ecclesia ob solum infligi veniale.

Secunda assertio, *Potest Ecclesia vetare peccatum quodlibet mortale, sub pœna excommunicationis*, quia quod est mortale, locum in rebus malis, ac vitandis principem obtinet, cum præcludat aditum ad diuinam gratiam, est ergo eiusmodi quod hac pœna puniri queat.

Fieri id nihilominus communiter non debet, sed si quod Ecclesia censuris suis insequitur, id eiusmodi esse est necesse, quod specialem grauitatem habeat, coniunctam cum Ecclesiæ scandalo, quod aliter impedi-

A ri nequeat, est enim excommunicatio medicina, *causa 2. q. 1. c. multi 18. & c. 1. de sentent.* sed non nisi periculose laborantibus, ac plusquam vulgariter, medicina adhiberi solet, maxime aspera, rudis, & vellicans, & si talis datur, his qui aliter curari possunt, contra rationem datur, ita à pari non patiuntur prudentia ratioque, parē in eum censuram ferri, qui aliter emendari potest, qualis præsumitur esse qui Ecclesiæ monita non spernit.

Assertio tertia, *Tale tamen peccatum internum esse non debet, nec præteritum, id est quod*
B *esse desiit, nec proinde aliter amplius quam habitualiter perseuerat, qualia sunt non ieiunasse festo die, seruorum opera fecisse, sacrum tūc non audisse habetur c. ex parte de verb significat.* in quo est, aliquem excommunicari iuste posse, quia satisfacere pro peccato, aut citatus iudici parere renuit & *c. 1. de sent. excom. in 6.* dicitur quod cū facta, infecta esse nequeāt & excōmunicatio, idemque est de suspēsione nō sit pura pœna, siue vindicta, sed medicinalis, at peccatis præteritis medicina afferri nulla potest sed futuris, quæ sola impediri possunt, medicina enim futurum respicit, non mere
C præteritum, id autem cui per excommunicationem mederi Ecclesiam conuenit, ipsius est rei contumacia, quam per illam domari, frangique ad exemplum oportet.

Duo tamen sunt tempora, in quibus ferri ob culpam præteritam, censura potest.

Primum est, in eius pœnam quod est in suspensionibus creberrimum, sed tunc nō sunt hæ propriæ censuræ, vtpote non medicinales, Ægid. *disp. 13. dub. 9.* sed vindictæ, suppliciaque.

Secundum est, cum censuræ sunt à iure,
D vel per sententiam generalem sunt latæ aut ferendæ, ipsoque facto incurrendæ, sic vt alia iudicis sententia non sit opus, nam tunc pro culpis præteritis, non tamen emendatis, eas ferri posse nemo ambigit, vt cum dicitur, *qui pro tali crimine nō satisfecerit sit excommunicatus*, cum enim culpæ non sint emendatæ, moraliter adhuc perseuerant, vtpote pro quibus necdum est satisfactum, nec obedientia iusta præcipienti reddita, in quo est contumacia.

E Quarta assertio, *Peccatum excommunicatione puniendum, non est aliud communiter quam inobedientiæ*, ita Diu. Thomas 2. 2. q. 2. Victoria *in summa tract. de excom. nu. 6.* Couar. in *c. alma mater parte 1. §. 9. num. 1.*

Sane peccatum illud quod excommunicandus admittit, dum Ecclesiæ parere renuit, in *can. 25.* Synodi Turon. secundæ, dicitur consistere, *in despectu Dei* (verba sunt Concilij) *Ecclesiæ & Pontificum.*

Secundò, non est censura instituta, nisi ad

frangendam nocentis inobedientiam aduersus Ecclesiam, Matth. enim 18. exigitur: vt excõmunicãdus noluerit Ecclesiam audire, peccatũ ergo excõmunicatione plectendũ, esse debet inobedientiæ, hoc est cõtumaciæ.

In ea porro peccatur dupliciter, primo manifeste, secundo præsumptiue vt loquuntur, præsumptiue est quis inobediens, seu contumax, cum sciens se citandum à iudice, latet tamen, ne ad ipsum mandata eius penetrent, vt fecit Nestorius sicut est in Ephesino Concil. *parte* 1.

Secundò, cum impedit ne citetur, quia enim manifeste non apparet, cum nolle parere, ideo dicitur præsumptiue tantum contumax, tuncque est satis, iudicis imperium vni ex domesticis eius notum fieri, aut ad fores domus ipsius affigi.

Manifeste autem aliquis est contumax. Primo, cum audiente spectanteque iudice, parere se velle aut posse negat sententiæ, contra se per eum datæ, nulla tamen probabili eius negationis ratione reddita, *can. certum est* 43. *causæ Vndecimæ q* 3.

Secundò, cum apertè ac palam facit contra id quod est prohibitus, vt si iussus manere domi ad certum tempus, eo necdum exacto, inde demigret, alioque abeat.

Tertiò, cum extra iudicium, coram aduersario, ac testibus ad fidem faciendam idoneis, negat certum sibi esse iudici imperanti obsequi.

Quartò, cum causatur iustum sibi non comparendi in certo loco impedimentum esse, quod tamen nec probat, nec ad superiorem iudicem appellat, in prætorio ei suo per se, & alios, de absentiæ suæ causa facturus fidem, ita declarata assertio probatur.

Per excommunicationem, homo Ecclesiasticis bonis, communione scilicet fideliumque suffragiis priuatur, & excidit, at quam parum est æquum, hac eum pœna affici, qui prius se de eius gremio per inobedientiam non subduxit? Stephan. de Auila *cap.* 5. *dub.* 6. *par.* 1.

Equidem vt quis Ecclesiæ sinu censeatur exclusus esse, exigit Nicænum Concil. *can.* 5. vt suo Episcopo euidenter peccauerit, verba sunt canonis, ὅπως οἱ ὁμολογουμένως προσκεκρουκότες τῷ ἐπισκόπῳ κατὰ λόγον ἀκοινώνητοι παρὰ πᾶσιν εἶναι δόξωσι, at in Episcopum eiusque iura proprie non incurrit, qui ei imperanti debitum non negat obsequium.

Secundò, ante censuram præmittenda est triplex monitio, at huius rei causa non est alia, quam quia ante illam, censeri contumax non potest, supponunt ergo canones ad censuram excommunicationis incurrendam, contumaciam esse necessariam, at

A hæc, inobedientia sublata stare quî potest? fac enim obsequi me monenti, fac parere eius voci, ecquid nota peruicaciæ abstersâ, audiam morigerus, Episcopoque non contrarius?

Tertiò, Christi imperio Matth. 18. requiritur in eo qui est vitandus vt Publicanus, & Ethnicus, contemptus Ecclesiæ, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus*, at Ecclesia maxime negatione obsequii sibi debiti contemnitur, hæc ergo excommunicationi in alium ferendæ, præsupponenda est ne-

B cessario.

Notandum tamen in præsenti materia, formalem excommunicati inobedientiam non requiri, materialem sufficere & impropriam. Impropria est, cum ad violationem præcepti, non mouetur inobediens à superioris contemptu, dicendo apud se, (*nolo quia iubeor*) sed à motiuo, quolibet alio, modo cum operatur, meminerit præceptum esse de re omittenda, aut agenda sub excommunicationis pœna, alioqui actio, mala non esset, malitia inobedientiæ.

C Propria & formalis inobedientia est ea, quæ nititur formali superioris contemptu, estque in reiectione expressa imperij ab eo positi, quo sic declarato.

Dico, *Ad effectum excommunicationis Ecclesiasticæ, materialem inobedientiam sufficere*: ita Couar. supra *num.* 7. *§.* 7. *Verbo* 4. quia cum disceditur à præcepto Ecclesiæ, non faciendo quod præcipit, aut agendo quod vetat sub excommunicatione, virtute contemnuntur eius claues, & authoritas, ergo

D cum contumacia saltem tacita.

Quare qui consulto, id est cum conscientia prohibitionis factæ singulis, de ingredienda domo Monialium, in earum nihilominus septa penetrat, præter peccatum mortale, excommunicationem incurrit, non is vero, qui legem violat, actu quidem, sed sine memoria pœnæ quæ ei est adiuncta, quia sic non est Ecclesiæ inobediens, obliuio enim par est ignorantiæ, at qui inuincibiliter, culpaque sua nulla, rem sub excommunicatione prohibitam esse nescit, ab eius est nexu, vinculisque liber, Henriq. *lib.*

E 13. *cap.* 17. *num.* 3. ita non sunt (in probabili ac tuta sententia) excommunicati seculares, qui cum ignorantia legis Ecclesiasticæ, quæ beneficia emi vetat, de iis tamen certo paciscuntur pretio.

Infertur 2. actum nullum internum quantumuis malum, excommunicationi inferẽdæ sufficere, si desit externus in suo genere lethifer ac mortalis, quare qui ira percitus ac odio, id est voluntate inductus lethali nocendi Clerico, in eum non nisi leuiter incurrit,

incurrit, quia eius impressioni se alter opposuit, ac ne ei necem inferret, obstitit, pro excommunicato haberi non debet, quia talis percussio in suo genere talem pœnam non meretur, sicut nec peccatum mere internum externo destitutum, causa est quod Ecclesia de occultis non iudicat *cap. tuis de Simonia*, ergo nec de iis pœnam per censuras repetit.

QVÆSTIO VIII.

In quibus casibus excommunicatio potest esse iniusta & tamen valida.

DIco primò, *Excommunicationem esse iniustam & tamen ratam & validam, quando fertur contra legalem iustitiam, id est secus quam leges canonicæ præcipiunt.*

Probatur, sententia non desinit esse rata, etsi in aliquo accidente deficiat: at forma iudicij præscripta in *can. sacro de sententia, accidentalis est dictæ sententiæ.*

Probatur, tam illo *cap. quam cap. reprehensibilis de appell.* exigitur vt excommunicationi prætermittatur canonica monitio, id est trina & tamē *c. Rom. 2. de sent. in 6.* dicitur quod lata sine tali monitione sit iniusta non tamen inualida, vera est ergo assertio.

Dico secundò, *Excommunicationem esse iniustam & inualidam primo ob defectum potestatis in excommunicante siue quia ea caret absolute, siue quia ea est impedita & suspensa, impedita quidem per censuram excommunicationis, suspensa autem per legitimam appellationem, quæ interposita fuit ante latam sententiam à iudice,* habetur in *c. 1. can. præterea 2. de appellationibus cap. solet de sentent. excom. in 6.*

Ratio est, quod excommunicatio ferenda cum sit actio iudicialis iurisdictionem in infligente exigat; est enim sententia quæ lata in non subditum, à iudice non suo, est iniusta & nulla, vera est ergo assertio.

Dico tertiò, *Censuram esse inualidam si substantialis ordo iudicij prætermittatur*, vt si reus ad sui defensionem non admittatur, maxime quando factum non est notorium, si nulla monitio sententiæ prætermittatur, quia in his duobus casibus sciri nequit an sit contumax.

Dico quartò, *Censuram esse quoque inualidā, si feratur*, primo, *ob causam iniustam & ei non proportionatam puta ob culpam venialem.* Secundò, *ob causam non subsistentem, puta ob peccatum nunquam admissum, etsi putetur factum, quanquam falso.* Tertio, *si nec reipsa, nec secundum allegationes & externi fori præsumptionem eius irrogandæ causa subsit*, vt si Episcopus excōmunicet eos qui in Paschate confitentur priuilegiatis quia talis excommunicatio intolerabilem errorem continet.

QVÆSTIO IX.

Quid sit contumacia, cuius causa fertur excommunicatio, & quotuplex.

QVoniam in contumaces & proteruos, excommunicationis pœna est constituta, operæ pretium facturus videor, si quæ de ea animo concepta habeo, paucis hic indicauero.

Est in eo contumacia qui obfirmato animo iudici se sistere respuit aut parere, Vgol. *tab. 1. cap. 17 §. 7. num. 6. & 8.*

Dixi obfirmato; est enim hæc proprietas contumaciæ, quæ species est inobedientiæ, sæpius enim ex negligentia, vel leuitate animi, superiori quidpiam imperanti non paretur, hæcque in admonitionum contemptu, quæ ad labefactandum hominis animum præmitti solent, prodit se, ac exerit.

Diuiditur autem contumacia bipertito, species eius prima est in non parendo, in non comparendo alia, de vtraque agit Couar. *1. parte in caput alma, §. 9. num 3.* & quanquam duas has contumaciæ species ab inuicem distinctas neget, sed vnam sub altera, vt speciem sub genere contineri asserat: non comparere enim comprehenditur sub non parere, dici tamen vere potest, parere, sumi hoc loco strictius, nempe pro obedientia, quæ præstatur aut negatur iudici, quod qui facit peccat, estque contumax, qui autem male citatus, & à iudice non suo, ad iudicium venire iussus, aut alium pro se mittere, detrectat imperium, magistratum non contemnit, nam vt ait Petrus Gregorius *lib. 48. syntagmatis cap. 3. num. 1.* sine præiudicio iuris fit citatio, neque ex eo quod quis vocatus venit, ideo in iudicem consensit, cum exceptiones vel fori, vel actiones, vel priuilegia tutò coram eodem allegare queat. Contumax in non parendo est, non qui non paret, sed qui cum obedire teneatur, non obsequitur, puta qui iustam non habet rationem non parendi, vt habetur lege contumacia, digestis de re iudicata, & vtraque hæc contumacia iustam superiori, causam ferendæ in non obsequentem censuræ suppeditat.

Contumaciæ posterior diuisio est, in manifestam, & præsumptam, Manifesta vt est in *ca. venerabilibus de sentent. in 6.* est quadruplex.

Prima, cum quis iudici sistere se velle

A negat, probabili nulla excuſationis ſuæ ratione reddita.

Secunda, cum quis aperte eius iuſſa violat, contra eius imperia facit, quæ libido dictat.

Tertia, ſi extra iudicium, citatus licet, coram aduerſario & teſtibus idoneis, negauit ſe pariturum.

Prima eſt manifeſta, euidentia confeſſionis. Secunda rei. Tertia probationis, Quarta cum quis cauſatur impedimentum, v. g. non comparendi in certo aliquo loco, & id non probat, neque ad ſuperiorem iudicem appellat, id probaturus, & iudex interim ordinarius pronuntiat, impedimentum tale nullum eſſe, tum reus manifeſta tenebitur contumacia, quam appellemus licet, cauſationis.

Contumacia præſumpta eſt, quæ ad prædictarum aliquam non refertur, aut defectu vnius cuiuſpiam circunſtantiæ, aut alicuius adiectione, quæ culpam rei minuat, v.g. ſi nil dixit, ſed latuit, vel aliter ne citaretur impediit, hic dicitur præſumptiuè contumax, quia clare ac manifeſte, eum parere nolle non conſtat, & quoniam eſt vtraque contumacia, tum vera tùm falſa, quæritur quid ſit iuris, ſi falſo putetur aliquis contumax?

Reſpondendum, ſi talis contumacia, in iudicio probata fuerit, ſufficit ad cenſuram, ſin autem ſit euidens, & vt loquuntur notorium, aliquem non eſſe contumacem, in eumque tamen iudex ſententiam dicat, erit hæc nulla; vtpote quæ intolerabilem errorem contineat, à quo ſententiam nullam irritam eſſe communis eſt Doctorum opinio.

Notandum ſecundò, pro alterius contumacia, alium quempiam incurrere cenſuras non poſſe; de excommunicatione eſt id certũ, vetant enim hoc iura pleraque. Sit inſtar omnium quod habetur in *can. ſi habes 24. qu. 3.* vbi fuſe hæc quæſtio Diui Auguſt. verbis diſputatur, in epiſtola ad Auxentium 75.

Ratioque eſt aperta, excommunicari alium lege canonica non conuenit, quam qui eſt aperte contumax, vel talis eſſe præſumitur ex cauſa, qui neutro modo imperiis ſe opponit Eccleſiæ, materiam circa quam verſetur excommunicatio non habet, contumax autem ac inobediens quiſquis vere eſt, auditque, hic non pro aliena, ſed ſua plectitur contumacia, adhæret enim hæc perſonæ, nec in alium transfunditur, &c.

QVÆSTIO X.

An excommunicatus ſit extra Eccleſiam, & Dei gratiam.

DIco primò, *Excommunicatum in interna gratiæ & charitatis communione perſiſtere poſſe, multoque magis in eiuſdem fidei & ſpei vnitate*, ita ſentiunt Couar. loco citato *num.* 5. & 8. & §. 6. *num.* 2. & §. 6. *n.* 2. §. 7. *num.* B 5. Vgolinus, *tab.* 2. *c.* 9. §. 7.

Ratio eſt clara, quia excommunicatio non eſt peccatum, ſed pœna peccati, ſolius autem peccati eſt tollere gratiam, contrarij ſcilicet ſuum contrarium, pœna autem non eſt oppoſita gratiæ. Deinde finis excommunicationis & cenſuræ omnis, eſt ſanare hominem, & conſequenter reſtituere gratiæ Dei, quæ eſt ſanitas & vita animæ, pugnaret ergo cum fine ſuo, ſi gratiam ipſamet auferret.

Denique perditio noſtra non ex nobis ſed ex aliena voluntate penderet, ſicut alienæ C voluntatis eſt, vt excommunicatione feriamur: Poteſt tamen dici, excommunicationem priuare nos gratia ex accidente, quia priuat nos Sacramentis & ſuffragiis, quibus præſens gratia augetur, & amiſſa recuperatur.

Dico ſecundò *Iuſte excommunicatum, ex eo quod eſt in peccato mortifero, & extra charitatem, non deſinere eſſe in Eccleſia, & eius membrum, & habere imperfectum quendam & vitalem fidei, & ſpei motum, non à vita gratiæ, ſed à vita Chriſti, aliquo modo coniuncti cuius mem-* D *brum eſt, licet aridum, & vt manus arida conſeruat vitam vegetatiuam, neque enim corrupta eſt aut fœtet, vt manus abſciſſa.* Ita peccator, habet quendam vitalem motum fidei & ſpei, proptereaque poteſt eſſe Eccleſiæ membrum, imo legitimus eius miniſter vt ait Henriq. *lib.* 13. *cap.* 4. *num.* 1. Quod elegantius explicat Bellarm. *lib.* 3. *de Eccleſia ca.* 9. in ſolutione primæ obiectionis, ait enim peccatores non eſſe vera membra corporis Chriſti, quantum attinet ad rationem mem- E bri, vt eſt pars quædam viui corporis, eſſe tamen vera membra in ratione inſtrumenti, vt Epiſcopos vera capita, Doctores veros oculos, ſeu linguam huius corporis, quia membra fiunt viua per charitatem, qua carent, at fiunt inſtrumenta operatiua per poteſtatem ordinis ac iuriſdictionis, quam ſine gratia ſtare poſſe, vt ipſe non dicam, res ipſa loquitur.

Et licet in naturali corpore membrum mortuum, verum eſſe inſtrumentum operationis

rationis nequeat, potest tamen in mystico, quia in illo operari bene nisi per bona non potest organa, nec opera vitæ exercere si sunt eius exercendæ instrumenta mortua, si arida succique vacua, quod in corpore mystico locum similiter non habet, quia huius corporis anima, quæ est Spiritus sanctus, æque bene operatur per instrumenta mala, ac bona, viua & mortua.

Dico tertiò, *Excommunicatum qui omnium conscientia est talis, ac proinde manifestus & denuntiatus siue id iuste, siue iniuste sit factum, esse extra Ecclesiam.*

Probatur, caret excommunicatus externa Sacramentorum communicatione ac hominum, à qua habet Christianus, vt sit in Dei Ecclesia eaque visibili, quæ est in terris, vt ait Bellarm. *lib. 3. de Ecclesia cap. 6.* in responsione ad primum, quia ad eam requiritur tantum veræ fidei professio, Sacramentorum communio, & subiectio ad legitimum Ecclesiæ Pastorem, qui est Rom. Pontifex.

Probatur, item ex *can. omnis Christianus* 11. q. 3. vbi ex August. habetur eum qui excommunicatur, sathanæ tradi & fieri extra Ecclesiam. Dicit id Tertul. in primis *de pudicit. cap. 3. illis*, inquit, *traditis sathanæ, id est extra Ecclesiam proiectis*, & alibi. Hoc est *cap. 20. eiusdem lib. abiicitur extra ciuitatem, in locum immundum deditus sathanæ in interitum carnis, nec amplius reædificatur in Ecclesia post ruinam*, Cyrillus in Ioan. *lib. 6. cap. 20. sicut enim nunc homicidæ, vel adulteri, vel cæteri capitalibus criminibus rei, ab Ecclesia pelluntur, ita tunc confessores Christi, à Synagoga Iudæorum eliminabantur*, Cypriani mens eadem, modusque loquendi, sic enim cum de excommunicatione differit, *Spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia eiiciuntur*, epist. 62. eodem sensu absolutionem ab excommunicatione appellat, Tertul. in *lib. de pudicit. cap. 15. Postliminium Ecclesiasticæ pacis*, absoluere autem *ad Ecclesiam reuocare, Ecclesiæ incorporare.*

Et certe communis hominum sensus verbaque ipsa Scripturæ & Patrum, aperte clamant, excommunicatos extra Ecclesiam esse, vt pote ex ea pulsos factosque sicut Ethnicos & Publicanos.

Dixi, Manifestum & denuntiatum, quia qui occulte in excommunicationem iuris est lapsus, verè, adhuc est de Ecclesia, quæ visibilis est, sed numero, & non merito, sicut & occulti infideles, vt fuse docet Bellarm. loco cit. *cap. 10.* & vice versa, qui iniuste excommunicati sunt, & per charitatem in interna & præcipua Ecclesiæ communione perseuerant, non sunt in Ecclesia

A numero, sed merito, non sunt corpore, sed animo, quod eis ad salutem est satis.

Obiicies, extra Ecclesiam; non potest vllus saluari, iniuste excommunicatus aut etiam iuste, vbi egerit pœnitentiam potest saluari, licet moriatur sine absolutione à censura; ergo non est extra Ecclesiam.

Respondeo maiorem esse veram de eo qui est extra Ecclesiam & numero & merito, aut etiam solo merito.

Obiicies secundò, in Ecclesia est visibili, quisquis ex ea eiicitur, at qui culpâ suâ sese

B iam in excommunicationis vincula induit, ab Ecclesia per iteratam excommunicationem expellitur, in ea est ergo.

Respondet Vgolinus *tab. 2. cap. 8. parag. 7.* excommunicatos, quoad ea quæ in suum cedunt commodum esse extra Ecclesiam, non autem quoad Ecclesiæ in ipsos potestatem.

Vera responsio est excommunicationem quæ secundo intentatur, proprie ex Ecclesia non eiicere, quippe iam eiectum, sed magis magisque hominem, ad participanda Ecclesiæ bona reddere inhabilem.

C Nec facit Ecclesia contra illud Pauli, *Quid mihi de his, qui foris sunt iudicare*, latius enim patet esse subditum Ecclesiæ, quâ esse in Ecclesia, quare cum primum illud, vt quis sit censuræ capax, sufficiat, iterato moueri quis loco, & piorum numero per censuram poterit, cum per eos qui foris sunt, D. Paulus non subditos intellexerit.

QVÆSTIO XI.

D *Quem modum in ferenda excommunicatione tenere oporteat.*

INtentandæ censuræ est hic modus seruandus, qui iudici, dum peccata punit, quare vt hic aduersus reos placabili esse debet animo, ac de his pœnas repetere, ira, odio, ac voluntate mala vacuus, ita his carere morbis animi est necesse, quem Ecclesiæ authoritas, offensique numinis dolor aduer-

E sus nocentem incitat. Sit hæc ergo prima Ecclesiastici iuridici cautio, vt in intentando sacro Ecclesiæ fulmine, rectam intentionem habeat, qualis est futura, si nocentis commodum spectet, aut Ecclesiæ Deique gloriam, secus facere, est à recto, & æquitate deflectere, vt dicitur in *can. Episcopus, can. Presbyter* 11. *q. 3. & cap. cum externi de sententia & re iudicata in 6.* ac communiter & ex genere suo peccatum mortale, cum odium, nocendique studium charitati aduersari possint plusquam vulgariter. Secus est opinan-

dum cum iustitia quidem seruatur, nec insons iniquitate iudicij opprimitur, sed illud Iudex coactus pronuntiat, & non ex inclinatione iustitiæ, tunc enim est eius sentētia, nisi quid aliud intercurrat, valida, cum propensionis huius defectus, non impediat, quin inter culpam admissam à reo, & pœnam excommunicationis qua punitur, sit æqualitas.

QVÆSTIO XII.

Quomodo sententia excommunicationis sit ferenda & quibus vocibus.

SVppono 1. cum Sylu. *excommunicatio* 1. *num.* 13. iudici explicandam esse mentem suam, ac voluntatem excommunicandi de præsenti, nam si animo tantum quempiam censura illigatum velit, nil facit, *Gabr. in* 4. *dist.* 18. *qu.* 2. *art.* 2. *conc.* 7. Quia sententia sic dicenda est in reum, vt audiri & intelligi valeat.

Suppono 2. neminem hoc ipso excommunicatum esse, quo vitatur ab Episcopo, eo quod declinatio rei à iudice, certa non sit eius condemnatio.

Suppono 3. Romanum Pontificem excommunicare hoc modo, si se ante iis vti signis velle indicauerit, habetur in *cap.* 4. *si summus Pontifex de sentent. excommunicationis*, in Clementinis, vbi his verbis Clemens, *Si summus Pontifex scienter excōmunicato participet literis, verbo, vel osculo, ipsum per hoc absoluere nulla ratione censetur, nisi se velle exprimat, illum ex hoc pro absoluto haberi.*

Prima assertio, *Certa nulla sunt verba ferendæ excommunicationi præstituta, quæ ei sint pro forma substantiali* Vgolin. *tab.* 1. *cap.* 20. *num.* 1. nam hæc quæ habentur sub finem Concil. Arausicani primi, *Canonica instituta, & sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, authoritate Dei & iudicio sancti Spiritus, à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & consortio Christianitatis eliminamus*, hæc inquam non sunt necessaria, cum aliis vtantur PP. vt refertur in Concilio Chalcedonensi actione 1. vbi dicta legitur sententia in Eutichem his verbis: *Decreuimus per Dominum Iesum Christum, ab eo blasphematum, extraneum eum esse ab omni officio sacerdotali, & à nostra cōmunione & primatu Monasterij*, in Concilij autem Ephesini actis *to.* 2. *cap.* 10. condemnatio Nestorij, Christo tribuitur. Concil. verba sunt ista: *Igitur Dominus noster Iesus Christus quem suis ille blasphemis vocibus impetiit, per hāc sacram Synodum, eundem Nestorium omni prorsus Episcopali dignitate priuatum, & ab*

A *vniuerso nihilominus consortio Sacerdotum, & cœtu alienum esse decernit.*

Quare sufficit signum quoduis expressiuum voluntatis excommunicandi, in habente potestatem: Sylu. *verbo excommunicatio* 1. *num.* 15. quia ad censuram irrogandam, nil requiritur præter potestatem eius imponendæ, & voluntatē externo signo sufficiēter declaratam, ea vtendi potestate contra eum, qui culpam admisit huic pœnæ proportionatam ac parem, at cum voluntate non necessariò verbis exprimi potestas debet, B cum scriptis, nutibus aut signis, patere possit ignoranti, verba autem quæ maiorem excommunicationem irrogari notant, sunt ista *excommunico*, tē aut his æquipollentia *præscindo te ab Ecclesia.* Eiicio te *extra Ecclesiam*, & similia.

Secunda assertio, *Non sufficit verba esse idonea ad exprimendam intentionem iudicis censura innodantis, cum si talia non essent, nugatoria sententia foret, sed insuper speciem exprimere censuræ debent, quæ in præsenti fertur, alioqui comminatio tantum esset & non sententia.* Quod si erit dubium, an verba inserta sententiæ ad C futurum pertineant, an ad præteritum, recurrendum erit ad verba, quibus hæc componitur, ad intentionem iudicis, & loquendi consuetudinem, iuxta Greg. *l.* 26. *moralium c.* 7. & refertur 22. *q.* 5. *can. humanæ aures*, ac si dubia erit iudicis intentio, an tutior potius, quam fauorabilior pars sit eligenda, vtscilicet reus excommunicatum se putet, & pro tali se gerat, petendo absolutionem sui vinculi, vel eius declarationem, dicetur postea.

Olim quidem, quantum ex antiquis scriptorum monumentis colligere nobis licitum, D ad Episcopi sententiam, addebatur, communis Cleri, ac Abbatum imprecatio, cum qua excommunicatus turpem in modum, extrudebatur spectante populo de Ecclesia, fidem facit canon 24. Concilii Turon. 2. sub Chariberto Rege anno Christi 567.

Reperio, & id priscis sæculis, inter excommunicandum, fuisse in more, vt excommunicati tunica scinderetur, opinor, vt eo Patres indicarent emblemate, ab Ecclesiæ illum cœtu, Christique Domini cura tutelaque seiunctum esse: cuius moris meminit, E Gregor. Turon. *lib.* 5. *historiæ cap.* 19. cum de conuentu Parisiis habito agit, in quo est causa Prætextati Rothomagensis Archiepisc. Chilperico Rege accusante discussa anno Christi 577. Benedicti Papæ V. circumuentus enim à Berthramno Episcopo, crimen de quo accusabatur à Rege, cum esset confessus, *Petiit Rex, vt tunica eius scinderetur*, sed horum in præsenti nullus vsus in Dei Ecclesia,

sia, quare ad censuræ formam, non sunt necessaria.

Quid si scriptis literis reo iudex significet, se eum ob admissa crimina priuare sacris, excludere Ecclesia?

Respondend. satis id videri vt eum pœna illata, datisque ad illum epistolis declarata comprehendat, quia nihil est quod suadeat, sententiam vocibus ac ore proferendam esse, nam quod ex scripto dici eam oporteat vt est præceptum ab Innoc. IV: in Concil. Lugdun. & *cap. cum medicinalis de sentent. in 6.* abunde huic imperio fit satis, cum iudex animi sui sensum committit literis, reumque vsitata ac communi loquendi forma in Ecclesia, quâ quis ab ea vt indignus repellitur, ab eius Sacramentis, eorumque vsu remouet, Panorm. ad *cap. præterea 2. de appellat.* Regin. *lib. 9. cap. 10. sect. 4. num. 10.*

QVÆSTIO XIII.

An sententia excommunicationis scripto proferri debeat.

DOctorum communis est opinio, scripta verbis adiungenda esse, tuetur se hæc opinio decretali Innocentij IV. cum medicinalis *de sent. excomm. in 6.* in qua hæc leguntur: *Quisquis excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur.* Hæc ille.

Cui non vnam eiusce rei postulandæ causam fuisse reor.

Primò, ne festinatò, temerè ac sine prudentia pœnam hic vlli irroget, enimvero dum sententia scribitur, mens componitur, ira sedatur.

Secundò, vt haberet excommunicantis superior, si forte eius tribunal tentari à reo accideret, vnde ei auxilium, opemque, in tempore afferret.

Tertiò vt qui plectitur, causam supplicij sui intelligens, illam correctum iret.

Quartò, vt ex causa quæ sententiæ inserta foret, hanc omnes probarent, nemo reprehenderet.

Quare cum hæc sit Innocentij sanctio in re graui, quamque intersit boni publici seruari, est eius violatio mortalis, Nauarri iudicio, Enchir. *cap. 27. num. 18.* Stephani de Auila *2. parte cap. 2. disp. vnica,* quibus suffragatur ipsa ratio, nam pœnæ grauitas, culpæ fœditatem ac momentum indicat, at si præcepti huius præteritio, illud omittendi incurrendæ suspensionis occasio, manet enim suspensus per vnum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis officiis, qui sine scripto excommunicat. *cap. 1. de sentent. excommunicat. in 6. & cap. sacro extra de sentent. excommunicat* intra quod tempus, si officium obierit certi ordinis proprium, vsu sacrorum priuabitur, & erit irregularis, quæ tamen pœna ad Episcopos non pertinet, eosque qui excommunicatum denuntiant, iuxta Auilam proxime citatum, quia vt suspensio Episcopos afficiat, debet expressa eorum fieri mentio in lege, quæ eam reis imponit, vt dicit decretalis, quia *periculosum de sententia in 6.* qualis nulla habetur in *cap. cum medicinalis, de sententia excommunicat. in 6. & cap. sacri eod. tit. extra.*

QVÆSTIO XIV.

Quid sit seruandum in excommunicatione ferenda ex parte excommunicati, & de monitionibus quæ ei præmitti debent.

DIco primò, *præmonendum reum esse, vt Ecclesiæ pareat,* Valentinum Concil. sub Lothario ann. 855. *can. 23.* Innoc. III. *cap. sacro 48. de sententia excommunicat.* his verbis: *Prohibemus ne quis in aliquem excommunicationis sententiam ferat nisi competenti monitione præmissa,* quod inculcant & alij Pontifices, *cap. statuimus, cap. constitutionem c. Romana 5. eod. tit. in 6. & can. omnes decimæ 16. q. 7* De aliis autem censuris habetur, *in c. reprehensibilis de appell. cap. statutum de sent. in 6.* sciscendi huius præcepti causæ fuere variæ.

Prima, quod antequam procedatur ad verbera, adhibenda sint verba.

Secunda, quod à prudentia æquitateque abhorreat, ignorantem damnum subire, vt dicitur in *cap. cognoscentes de constitutionibus.*

Tertia quod lex non obliget, neo puniat nisi promulgata, at excommunicatio legis instar habet, monitio autem promulgationis ergo, &c.

Quarta, quod excommunicatio ob pœnæ grauitatem, nō feratur nisi in contumacem *11. q. 3. can. nemo Episcoporum,* qualis nullus est, qui ante excommunicationem particulariter latam, monitus non est; nam qui non obedit legi vetanti aut præcipienti aliquid sub censura, ipso facto incurrenda, vel superioris mandato, quod ad instar est continuæ monitionis, in sciente mandatum, vere est contumax & inobediens: ergo

Confirmatur, non est contemptus, nisi peccans norit excommunicationem latam esse in rebelles, eius enim notitia forte illū

in quem intentatur, reuocaret ad officium.

Debet autem hæc monitio fieri sub comminatione censuræ.

Primò, quia reus non censetur contumax, nisi post talem comminationem nolit obedire.

Secundò, quia ex Trident. *seß* 25. *cap.* 3. censuræ non sunt adhibendæ nisi cum ad emendationem peccantis, mitiora remedia non suppetunt, at de eo constare non potest nisi post factam talem comminationem, fit enim sæpe, vt qui simplici monitione non mouetur, moueatur audita tali comminatione Hæc Ægid. *disp.*13.*dub.*9.

Dico secundò, *Cum Excommunicatio est ab homine, monitionem triplicem præmittendam esse*: ita dicitur 16. *q.* 7. *can. omnes decimæ*, *cap. contingit & cap. constitutionem*, *de sententia in* 6. *cap. reprehensibilis* 26. *de appellationibus cap. sacro* 48. *de sentent. excommunicat.* Et probatur ex verbis Christi, *Matth.* 18. quæ reum tertio officij sui admonendum indicant, antequam vlla sit eius euitandi obligatio, & in Concil. Turon. 2. sub Chariberto, cum de reprimendis bonorum Ecclesiæ iniquis occupatoribus ageretur, *Eos*, inquit Concil. *can.* 24. *conuenit à Presbytero eius Ecclesiæ, cuius interest admoneri, & si restitutionem distulerit, adhuc quasi filius ab omnibus fratribus ad reddendum missis epistolis compellatur, quod si pertinaciter perstiterit, & se tollere post tertiam commonitionem de re illa noluerit conuenit vt Psalmus* 108. *dicatur vt veniat super eum maledictio, &c.*

Has autem monitiones iuxta Sotum in 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *versu.* 3. Henriq. *lib.* 3. *de excom. ca.* 22. *n.* 3. Sanch. *lib.* 9. *disp.* 32. *n.* 13. fieri oportet sub pœna excommunicat. quia cum hæc pœna, sit vltima & summa, non debet irrogari nisi ob contumaciam, eamque magnam: at hæc, contemptui non est iuncta, nisi puniendus hac censura, moneatur officij sui sub pœna eam subeundi.

Ob eam causam tradit Sanch. loco proxime citat. excommunicatum non esse, qui rem quidem malam esse nouit, ac à Deo, & Ecclesia prohibitam, sed non sub pœna excommunicationis incurrendæ, qua de re nos pluribus postea, cum de irregularitate q. de causis ab ea excusantibus. Sed vt vnde deflexit, eo reuocetur oratio, excommunicationi monitio præmittenda est triplex.

Prima secreta est (*argue illum intra te & ipsum solum*, Matth. 18.

Fit secunda coram testibus.

Tertia, audiente Ecclesia id est prælato, quem nos morem veneranda patrum antiquitas, decretaque docent seculorum omnium, quorum testimonia extant plurima, sacris interspersa canonibus, *cap. illud* 5. *de Clerico excommunicato ministrante*, & in Concil. Ephesino *partis* 2. *actione* 1. vbi à Patribus docentur Imperatores, Theodosius & Valentinianus, admonitum esse Nestorium officij, quod canones (inquit Concil.) præscribant tertio contumacem esse admonendum, & citandum τῶν κανόνων παρακελευομένων τῇ τρίτῃ κλήσει παρακαλεῖσθαι τὸν ἀπειθοῦντα, quod repetitur *actione* 4. *parte* 2. quod si tertio, inquit Cyrillus vocatus adhuc non comparuerit, tunc demum sancta & œcumenica Synodus canones secuta, meritam sententiam in illum feret ὁ τρίτῃ προσκληθεὶς κλήσει εἰ μὴ ἀπαντήσειε τηνικαῦτα, ἐκ τῶν κανόνων, αὐτὴ ἡ ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος ψηφιεῖται τὸν ἀπολειμμένον.

B

Nobile ea de re testimonium est in Constant. Synodo *act.* 3. in qua Patres Eutychem datis ad eum literis sic affantur. *Arbitramur te non ignorare quæ à sanctis regulis definita sunt, aduersus minime obedientes, & nolentes ad satisfaciendum occurrere, cum & tertia ad eos vocatio facta fuerit, ne ergo teipsum his quæ pie ab eis statuta sunt configas, vel nunc tertio à nobis vocatus per Presbyteros &c.*

C

Eadem monita ad Dioscorum sunt data in Concil. Chalced *actione* 9. quibus cum parere renuisset, Patres sacrum ensem in eum distrinxere, vt indicant hæc eorum verba, petita ex damnatione ad illum missa. *Præter alia hæc commissa in quibus inuentus es reus, etiam ter euocatus ab hac sancta Synodo, secundum diuinas regulas, vt accusationibus responderes, minime occurristi.* Claudam hunc locum illustri Cœlestini Papæ testimonio, in epistola ad Nestorium data cuius exẽplum extat in Concil. Ephesino parte prima, sic ergo ad Nestorium Pontifex. τοιγαροῦν εἰ καὶ ὁ ἀδελφὸς Κύριλλος ἤδη ποτὲ διὰ δευτέρων ἐπιστολῶν μεθοδεῦσαι, φησὶ θέλων σε τοῦτο ποιεῖν ὅτι μετὰ τὴν πρώτην καὶ δευτέραν ἐκείνου καὶ ταύτην τὴν ἡμετέραν ἐπιτίμησιν, ἣν δῆλόν ἐστι εἶναι τρίτην λοιπὸν παντελῶς ἀπὸ τῆς τοῦ συνεδρίου ἡμῶν καὶ τῆς τῶν χριστιανῶν συνόδου ἀπεκλείσθης ἐὰν μὴ εὐθέως τὰ κακῶς εἰρημένα ὑπὸ σοῦ διορθωθῇ καὶ μὴ εἰς ταύτην τὴν ὁδὸν ἐπανέλθῃς ἣν ἑαυτὸν χριστὸς εἶναι μαρτύρεται, &c.

D

E

Debet autem reus in huiusmodi monitione exprimi de nomine, hoc primum, secundo debet, hæc fieri coram idoneis testibus per quos probari possit vt habetur *cap. sacro de sent.*

Tertiò, tribus diuersis vicibus, aut vna pro tribus, cum competenti interuallo, vt si dicat iudex, *moneo te pro tribus vicibus, vt intra tres hebdomadas, aut dies, hoc vel illud facias, cõcedẽdo tibi singulos dies pro singulis monitionibus*

aut

aut totum illud tempus pro tribus monitionibus.

Quartò, requiritur vt hæ monitiones fiant iudicis nomine.

Quintò, ipsi reo immediate, aut si abest, in eius domo, quod si hoc ipsum sit difficile, in templo, aut alio loco publico, vnde notitia ad eum ex rumore publico peruenire queat, quod si per contumaciam non pareat, absens excommunicari poterit, iuxta Suar. *disp.* 3. *sect.* 11. Couar. *in cap. alma parag.* 9. Laym. *tr.* 5. *lib.* 1. *c.* 5. *n.* 4.

Ab hac lege excipiendi sunt casus sequentes, primus est quando excommunicatio fertur pro delictis inobedientiæ notoriis, *cap. sacro* 48. *de sent. excomm. can. manifesta* 16. *causæ secundæ q.* 1. vbi habetur quod manifesta sine accusatione sunt iudicanda, *cap. illud* 5. *de Clerico excommunicato ministrante, cap. Venerabilibus de sent. excommunicat. in* 6. nam tunc aut nulla monitio est necessaria, aut si aliqua, non nisi vna, maxime si delinquentis clara est perspicuaque contumacia, vt si citatus dicat iudici se non compariturum, iussa non facturum.

Probatur, monitio fit ad sciendum, vtrum reus obedire velit iudici, nec ne, ad eum conuincendum contumaciæ, at scitur sufficienter esse contumax, cum aperte negat se pariturum.

Secundò, non potest se reus purgare coram iudice, cum eius crimen est cognitum, sed eius rei causa monitio est instituta, *cap. proposuit de concess. preb.* ergo tum, necessaria nulla est monitio.

Dixi *inobedientiæ* vt ostenderem, non quoduis crimen apertum & notum inducere hoc vinculum, sed solius contumaciæ, nam etsi sit certum peccasse reum, non tamen constat eum esse Ecclesiæ immorigerum: ergo cum peccato ob quod fertur excommunicatio, annexa esse debeat inobedientia, ad eam probandam, monitio præmitti debet vna aut multiplex.

Secundus est, cum est periculum in mora Felinus in *cap. Romana de sent. excomm.* Glossa in *cap. cum medicinalis* 1. *de sent. in* 6. Synodus quinta Romana in hæc verba: *Debet esse prouisio, vt vindictam admonitio manifesta præcedat, & res ablatas qui retinet, æquitate patrocinante, legibus restituat, quod si neglexerit, & necessitas compulerit, demum prædonem sacerdotalis maturata districtio percellat,* tunc autem est periculum in mora, quando periculum est impendentis mali, aut facti necessitas dilationem non patitur, in quo casu iudicem statim rem aggredi posse, excommunicationem comminari, & nisi reus obediat, illam ferre posse tradit, Layman. *proxime citatus num.* 4.

Pars secunda.

A Tertius est, cum excommunicatio fertur per legem, quæ instar statuti habet, aut ab homine, pro delictis futuris, vt si in Synodo prouinciali dicat Episcopus, se excommunicare eos qui furabuntur imposterum hoc modo. Quicunque hoc fecerit ipso facto sit excommunicatus, suspensus, & ita colligitur ex *cap. à nobis* 21. *de sent. & cap. reprehensibilis* 26. *de appellationibus*, habetque expresse cum Panorm. in *cap. Romana de sentent.* Sayr. *lib.* 1. *cap.* 7. quia simul ac lex est promulgata, aut præceptum est latum sub comminatione censuræ, statim pro se loquitur, B cunctosque quantum est satis sufficienter admonet, ne contra peccent, ob eam causam qui Clericum percutit, eo ipso excommunicationi subiacet, latæ in *can. si quis suadente* 17. *q.* 4. quia qui canon, voluntate Pontificis censuram hanc inducit, abundè quotidie subditos admonet, ne id agant, cuius causa est hæc lata, ideoque non necessaria est alia monitio, vt constet an sit in opinione sua peruicax, Ecclesiæ autem inobediens.

Tertia assertio, *Excommunicatio quam non* C *præcessit trina monitio non est nulla sed iniusta:* ita Nauar. 27. Enchirid. *num.* 8. Couar. in *can. alma mater.* 1. *parte* §. 9. *num.* 7. & probatur ex *cap. Romana* 5. *de sent. in* 6. vbi præcipitur Archiepiscopo Rhemensi, & eius Officiali, ne excommunicent sine monitione competenti, quod si fecerint (inquit canon) *sciendum est eis, sententias suas iniustas esse, non tamen nullas.* (*Trinam* dixi) nam omnem omittere, est excommunicationem nullam reddere P. de Soto *lect.* 3. *de excommunicat.* Nauar. 27. *num.* 10. quia de ratione excom- D municationis est, vt inferatur in pœnam contumaciæ aduersus Ecclesiam, at nulla est, cum non est præmissa monitio imperij Ecclesiastici, circa rem omittendam, aut agendam, sub pœna excommunicationis; quomodo enim quis censeri potest inobediens Ecclesiæ, si eam iubere ignoret? & quidem sub hac pœna, quæ quoniam est maxima, debet ei cognita esse, quia cum eius ignorantia, potest existimari peccans, paratus esse ad obediendum, cum ei proponetur volũtas Ecclesiæ. Quicquid sit de hac ratio- E ne, eiusque veritate: ita sane expresse habet *cap. constitutionem* 9. *de sententia in* 6. & *cap. statuimus* 13. *eiusdem tit.* vbi est his verbis: *Statutum Greg. Papæ X. factum ad declarationem constitutionis Innocentianæ, quæ prohibet participantes excommunicatis, ea participatione quæ solum minorẽ inducit, maiore excommunicatione ligari, monitione canonica non præmissa, in sententiis suspensionis, & interdicti, præcipimus inuiolabiliter obseruari, decernentes easdem sen-*

L

tentias non tenere aliter promulgatas.

Quarta assertio, *hæ monitiones, quas dicimus tres esse oportere fieri vno, eodemque die non debent, sed inter vtramque, moram sufficientem, ad exhibendam satisfactionem, intercedere est necesse*, decreto Innoc. IV. in *cap. Romana* 5. *de sent. in* 6. & Gregor. X in *cap. constitutionem* 9. eodem titulo & libro, hanc vero moram, quam Gregor. *Competens interuallum nominat*, oportet esse bidui, nam debet esse competens, secundum Innocent. in *cap. Romana* 5. *de sent. in* 6. at talis non est vnius diei tantum, ergo duo vt minimum, sunt necessarii, quod autem vnus non sit talis, habemus, ex *cap. constitutionem* 9. *de sententia*, vbi Gregorius X. exigit interualla dierum numero multitudinis, ergo vnus non sufficit, duo sunt necessarii secundum Laym. *lib.* 1. *tr.* 5. *c.* 45. *n.* 4.

Excipiendi sunt duo casus, primus est, cum propter præsentes circunstantias, res tantam moram, ac dilationem non patitur, nam tunc omissis competentibus interuallis, vna monitio pro tribus esse poterit, ita Gregor. X. in *ca. constitutionem* 9. *de sentent. excomm. in* 6. his verbis: *Statuimus vt inter monitiones, quas vt canonice promulgetur excommunicationis sententia, statuunt iura præmitti, iudices siue tribus monitionibus vtantur, siue vna, pro omnibus obseruent aliquorum dierum competentia interualla, nisi facti necessitas, aliter ea suaserit moderanda. Moderanda* dixit vt indicet, primo dierum interualla fore competentia, si pro personarum, & negotiorum ratione, ea arbitrio suo iudex regat, si reus intra tempus ab eo præstitutum, obtemperare potest si velit.

Tertiò, his verbis Pontifex indicat, spatium certum nullum esse temporis, ad quod ea *dierum interualla*, oporteat protrahi.

Quartò, necessitatem nullam, tantam esse posse, quæ excuset à prætermittenda cõminatione censuræ, quæ est vera monitio.

Secundus casus est, cum excommunicatio fertur à iudice in delinquentem, cui lex eam absque alia monitione comminabatur, si peccaret, Couar. in *can. alma mater* 1. *parte parag.* 9. *num.* 3. Tamen antequam denuntietur, ipsa criminis admissione excommunicationem aut censurã incurrisse, debet citari data illi copia sui defendendi, Laym. *li.* 1. *trac.* 5. *c.* 5. *part.* 1.

Primò, quia nemo condemnatur nisi auditus, Nauar. *c* 27. *n.* 10.

Secundò, ad officium iudicis pertinet declarare, à reo crimen id admissum esse, cui per leges Ecclesiæ adiuncta est excommunicatio: fit id verò, eiusdẽ euocatione ad iudicium, vt id audiat Auila 2. *parte de excom-*

A *municat. c.* 5. *dubio* 5.

Sane cum de excommunicatione lata in Nestorium Constantinopolitanum, Ioannes Antiochenus ageret in conciliabulo, vt de eius vi, efficaciaque constaret singulis, dicto Ioanni qui ei cœtui præerat, in id incumbendum primo fuit, vt intelligeret an ἐλέγχων γενομένων ἢ ἐρήμην κατεδίκασαν οἱ ἐπίσκοποι τὸν νεστόριον, conuictum, an vero indicta causa Nestorium Episcopi cõdemnassent, cui responsum esse à Candidiano acta memorant, quod sine vllo prorsus examine, iudicioque actum id à Cyrillo cæterisque esset,
B ὡς χωρὶς τινὸς κρίσεως καὶ ζητήσεως τὰ παρ' αὐτῶν πετύπωται.

Notandum tamẽ est ex Sayro *c.* 12. *l.* 1. Reginald. *lib.* 9. *cap.* 10. *sect.* 2. *num.* 186. fieri id posse dupliciter, primo separatim, secundo coniunctim, separatim, si iudex reum admoneat vt intra tres dies vel duos, læso satisfaciat, quibus exactis idem imperium iterat, illudque tertiùm repetit, coniunctim autem, cum assignatur tempus seu terminus, qui sit instar trium monitionum, proque illis valeat, vt si dicat iudex,
C *admonitum te volo, vt intra sex dies, aut horas, quas tibi pro distinctis monitionibus canonicis esse iubeo, Petro satisfacias, ad iudicium acced[...] resipiscas, &c.* hæc enim monitio sufficit ex *cap. constitutionem de sent. excom. in* 6.

QVÆSTIO XV.

An monitio personalis esse debeat & quæ sint pœnæ excommunicantis sine monitione.

D

PRima assertio, *communiter qui anathemate feriendus est, moneri debet à Præsule, Episcopum, enim,* inquit *can.* 73. Apostolorum, *de aliquo, per fide dignos accusatum, ab Episcopis vocari necessarium est, & si quidem comparuerit, & confessus, conuictusque fuerit, censura irrogator Ecclesiastica: si vero vocatus non obtemperauerit, secunda quoque vice vocet[ur], missis duobus ad eum Episcopis, quod si per contumaciam, nec sic quidem obtemperauerit, Synodus contra ipsum*
E *suam pronuntiato sententiam, ne quid tergiuersando, detrectandoque iudicium, lucri facere videatur.*

Secundò, iudici constare debet, an excommunicandus sit contumax, cum excommunicatio non feratur nisi ob inobedientiam: at id sciri non potest, nisi personaliter (vt loquuntur) monitus, imperanti debita neget obsequia, ita Couar. *relectione de sent. excom.* §. 9.

Tertiò. quia Gregorii decreto in *cap. constitutionem nono de sent. in* 6. excommunican-

dus ob participationem in crimine, nominatim est admonendus, at facta monitio nominatim, vt est personalis, ita fit quoque personaliter reo, qui est, nisi discat sapere excommunicandus à iudice: vera ergo est assertio.

Equidem vult Concil. Turon. 2. *can.* 23. excommunicandum ob peruasionem bonorum Ecclesiæ, admoneri à Sacerdote cuius interest, bona Ecclesiæ suæ non diripi, deinde ab Episcopis, per literas quibus eum officij sui commonefacerent, quod in quolibet etiam alio, obseruandum esse sanxere Galli Antistites, in Concil. Meldensi sub Carolo Caluo anno Christi 845. dictum est ergo verissime, qui censura plecti ob culpam aliquam suam est meritus: moneri personaliter oportere, vt posita contumacia, Ecclesiæ morem gerat.

A quo iudicem excusant, primum rei absentia; nempe cum hic latitat, ne conueniri possit, quomodo excommunicati sunt Nestorius & Ioan. Antiochenus in Concil. Ephesino *actione prima, quarta, & quinta parte* 2. horum enim domesticis, aut certe armatis militibus eorum domos circumuallantibus, satis fuit Concilij iussa indicare, vt patet ex actis Concilij.

Secūdò, Episcopum à monitione personali faciēda reo, liberat eiusdem citatio præuia, nempe quia iam, ad eū imperia penetrarsit, Episcopi, iubentis vt sibi se sisteret, dicturus causam, ac vero etiā sententiā in foro super crimine in quod excommunicatio ferri debet, auditurus publicè, tūc enim monitiones si non omnes, at aliquas certe satis eius domesticis fieri, Felinus docet in *cap. Romana de appellat.* aut per edictum aut in tribunali ipso iudicis.

Tertiò, reum moneri personaliter non est necesse, cum à sua excommunicatione absolutus est quidem, sed inualidè sed irritè ac sine legitima authoritate, Rota *decis.* 7. in nouis, tum enim, de tentando iterum iudicio doceri potest, per imperium, quod exaratum literis, valuis domus eius affigatur aut foribus.

Quartò, cùm impedit quo minus ad ipsum admonitio perueniat: tunc enim satis est, eam domi eius fieri, *cap. quoniam frequenter parag. porro titulo vt lite pendente.*

Quintò, cum monitio ad domum facta, peruenit ad excommunicandi notitiam, quia vt est in *regula* 31. *de regulis iuris in* 6. *cum qui certus est, certiorari vlterius non oportet.*

Sextò cum excommunicatio non fertur incertam personam, sed generaliter & indistinctè in eam, quæ admissi criminis est

A conscia, aut quæ in posterum illud consciscere erit ausa, quia cum eius author lateat, nec verò sciri queat commode, iustè non potest ac honeste à iudice exigi, eum vt cōueniat, sibique ac Ecclesiæ, nisi eius vapulare censuris velit, mature pareat, euiusmodi excommunicationes censendæ sunt illæ, quæ in eos promulgari sunt è superiori loco solitæ, qui bona huius aut illius clam subduxere ac latenter, nisi hæc primo quoque tempore, vt est necesse, restituant integre, omniaque ac singula ex fide.

B Ratio est, quod excommunicatio actus sit humanus, potestatis à Christo traditæ Episcopo ac Ecclesiæ, in eo ergo exigit, qui illam in praxim reuocat, voluntatem id agendi, ad quod est instituta à Christo, ac relicta Ecclesiæ, hæc autem est ligandi, hac ergo si caruerit, nulla erit.

Ad pœnas excommunicantis, sine monitione præuia, quod attinet, sunt eæ numero duæ.

Prima, eaque omnium grauissima, mortalis est culpa secundum Sotum in 4. *dist.* 22. *qu.* 1. *art.* 2. *conclus.* 3. Nauar. *cap.* 27. *num.* 10. & 8.

C Secunda, suspensio, ab ingressu Ecclesiæ ad mensem, quam tamen non incurri nisi à sciente declarat hæc Clement. III. oratio in *cap. sacro* 48. *de sentent. excommunicat. Si contra præsumpserit, etsi iusta fuerit sententia, ingressum Ecclesiæ, per mensem vnum, sibi nouerit interdictum*, nam præsumptio non est aliorum, quam qui audent, & tentant aliquid contra ius, celebrantis autem cum ea suspensione ac interdicto, pœna certa, est

D irregularitas secundum Nauar. *cap.* 27. *Enchirid. num.* 8. non afficit tamen Episcopos hæc pœna, vt est in *cap. quia periculosum de sententia in* 6. eo quod ab officio rerumque sacrarum vsu, nunquam sunt suspensi, nisi nominatim eos sententia sua Pontifex exprimat.

QVÆSTIO XVI.

E *Quid insuper postulet excommunicatio ex parte excommunicantis.*

PRæter monitionem canonicam, quæ talis est, cum est trina, id insuper Episcopus aut quilibet iudex alius dare debet operam, ne quem excommunicet nisi de scripto, & cum expressione causæ, & quamobrem ea pœna reum afficit Innoc. IV. huius solēnitatis ac cæremoniæ ad excommunicationem necessariæ meminit in *decretali medicinalis prima de sententia excommun. in* 6. his

verbis: *Cautè prouideat iudex vt in excommunicatione ferenda, ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit & medentis: quisquis igitur excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur*: ita extare suæ sententiæ in Cyrillum, & Memnonem testimonium literis exaratum, voluere Episcopi conciliabuli habiti Ephesi, sic enim acta sub finem δεῖ τοίνυν τοῦ κυρίλλου ϗ μέμνονος τὴν καθαίρεσιν τῶν δὲ λοιπῶν, τὴν ἀκοινωνησίαν ὑπαγορευθῆναι, ϗ ταῖς πάντων ὑπογραφαῖς ἡμῶν κυρωθῆναι.

Horum sequutus exemplum, Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, negat audiendos à Synodo Suessionensi, habita anno 853. sub Carolo Caluo, canonicos Rhemenses, & Religiosos sanctorum Remigij & Theodorici, super exequutione suorum ordinum, quod eos ab Ebbone irregulari, ac deposito recepissent, contra Ecclesiæ canones, negat (inquam) eos audiendos, nisi scripta sua nomina, Synodo offerant, *Quod* (verba sunt Concil.) *qui accusatur, vel qui excommunicatur, reconciliatus commendari iubeatur, & sic in cœteris, in tantum scriptura deposcitur, vt sicut beatus Gregorius, in commonitorio ad Ioannem defensorem scribit, sententia quæ sine scriptura profertur, nec nomen sententiæ habere mereatur, qui enim ab Ecclesiastica societate quolibet excessu discinditur, libellari scriptione, aut recipitur aut deijcitur*. Hæc Concilium.

Ab ea tamen excipi lege, superiores Mendicantium, narrat Portelius in *dubiis Regular. verbo excommunicare*, cum aliquem fratrem particularem propter apostasiam, aut aliam similem causam, in Capitulo excommunicant, nam vt est in eorum priuilegiis, excommunicare tum queunt verbo sine scriptis, non tamen sine monitione vna, loco trium, qualis futura est si dicat: *Impero tibi vt ab eo tibi opere temperes, sub pœna excommunicationis, sic vt hæc monitio vires trium expleat*, Compend. minorum *verbo excommunicatio* §.7. quod & Societatis rectoribus permittitur, vt est in compendio priuilegiorum dictę Societatis, *verbo excommunicatio*.

Dixi *in particularem* nam lata excommunicatio per modum statuti vel ordinationis, sine scriptis est nulla, auctore Portelio ac illatiua pœnæ iuris, quæ est suspensio officii, Rodriguez *to.2.q.50.art.3*. Fertur autem excommunicatio per modum statuti, quæ ponitur pro omnibus aut multis, & non pro vno duntaxat vt si dicat Superior, *voto ne quis egrediatur domo, sub pœna excommunicationis. Iubeo vt omnes missæ intersint diebus veneris*.

Secundò, ex parte excommunicantis ne

A peccet requiritur vt intra mensem det excommunicato, si postulet, exemplum sententiæ aduersum se latæ, ita Innoc. IV. in *cap. cum medicinalis de sentent. in 6. Exemplum*, inquit, *huiusmodi scripturæ teneatur tradere excommunicato intra mensem si fuerit requisitus*, non obediens suspenditur à diuinis officiis, & ingressu Ecclesiæ per mensem.

Tertiò, vt excommunicatio sit rata eam oportet cum ligandi intentione ferri, Panor. in *cap. ex parte de officio ordinarij*, quia lex tum est ad obligandum vi destituta, cum per eam

B subditos astringi non est legislatori propositum, addo & necessariam ad id intentionem partis esse, ad cuius instatiam fertur, alioqui non obligat, Tolet. *lib.5.c.9*.

Respondetur, *ad quædam dubia prædictis annexa*.

Primum, *an cum quis excommunicatur pro culpa præterita, admoneri à iudice debeat*.

Omnino, quia præceptum Ecclesiæ, in *cap. Romana* 5. *de sentent. in 6*. de monitione præmittenda censuræ infligendæ est vniuersale, ei ergo obsequi iudicem est necesse, cum de castigando crimine præterito agi-

C tur.

At illud præcedere non potest monitio comminatoria talis pœnæ, cum peccatum esse desierit, nec de eo impediendo sit quæstio, sed plectendo tantum.

Respondend. peccata præterita simpliciter non plecti ab Ecclesia, sed eorum authores, cum Ecclesiæ parere renuunt, imperanti sub excommunicatione, vt pro illis Deo, læsisq; satisfaciant, aut ab iis sibi temperent, modumque imponant, quare cum Episcopus rei alienæ detentorem excommunicat,

D nisi restituat præstituto tempore, excommunicatio pro culpa præterita non imponitur, sed pro futura, quam incurret ob contumaciam, quæ culpæ suæ erit adiuncta, non restituendo definito die, ac tempore, vti præscribit Ecclesia.

Secundum, *An in inferenda hac censura, in cuius explicatione, modo versatur oratio, forma realis aliqua sit necessaria*.

De eo ambigere iuste posse neminem existimo, nam in primis iure diuino est in excommunicante necessaria excommunicandi intentio, ob causam paulo ante à nobis

E allatam, Nauar. *cap. 27. num. 11.* estque hoc argumento, quod cum generalem ille dicit sententiam, hæc eos capere Doctorum opinione non soleat, quos ab ea vult exemptos esse, nec sua lege comprehensos, nec hos item, quos qui censuram precibus impetrarunt à iudice exclusos volunt: causa est quod hos iste duntaxat excommunicatione coerceat, qui sunt eius conscij criminis, aut ad-

missi

missi rei, cuius reprimendi gratia eam dixit, sed facti facinoris, patrati furti, quod est v. g. nisi emendetur ab authore, censura plectendum, quam è loco superiore, frequenti concione iudex protulit, rei censendi non sunt alij, quam quos pro talibus is habet, ad cuius instantiam est lata, ea ergo non ligantur, quos ligari ille cum animo suo non constituit.

Ad intentionem, adiici iure quoque diuino debet monitio, eaque trina, iure Ecclesiastico cum aliis cæremoniis ac ritibus, de quibus nos in hac disputatione satis fuse.

Dubium tertium, *An cum crimen notum est omnibus, sententiæ excommunicationis præmitti monitio debeat.*

Si erit reus manifeste contumax, si inobediens Ecclesiæ, eiusque imperiis, cum moneri nihil est necesse, quia iusta tum causa subest, excommunicationis in eum ferendæ Couar. ad *cap. alma mater* 1. *par. parag.* 9. *nu.* 6. est enim contumacia adiuncta culpæ, quæ tali censura plecti, reprimique solet in Dei Ecclesia.

Est tamen opposita sententia probabilis, enimuero cum subeundæ pœnæ metu, ad resipiscendum flecti queat, expedit hunc ei incuti, immittique à iudice, vt vel inuitus parere Ecclesiæ animum inducat, quod cum esse sine monitione nequeat, eam omitti, ne tum quidem oportet, quę videtur esse mens Soti 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 2.

Dubium quartum, *An scripto facienda sit monitio.*

Etsi hanc oporteat esse personalem, eo quod reo expediat certiorem se de lite sibi intentata reddi, & quidem in negotio tanti momenti, non est tamen necesse, scriptum ad id adhiberi vllum, quia id iura non exigunt eius enim voluntatis, nullum est reperire in corpore iuris vestigium, nullum ex Pontificiis epistolis petitum testimonium.

Dubium quintum, *An trina semper adhibenda sit monitio, aut vna pro tribus, cum debitis dierum interuallis.*

Nequaquam, patet enim ex dictis supra, certa esse tempora, in quibus vnica omnium instar esse valeat, addo modo, iustam quoque interdum causam esse, non concedendi vllius ad deliberandum spatii vt si vir nobilis faces templo subiicere, si infesto in hostem gladio irruere, si violentas ei inferre manus pararet, posset Episcopus in hunc modum frænos eius furori iniicere: *Moneo te semel, iterum, ac tertio, sub pœna excommunicationis incurrendæ, vt à cogitato hoc facinore desistas*, Henriq. *lib.* 13. *cap.* 17. Nauar. *ca.* 27. *nu.*

A 11. *quando enim periculum est in mora, diminuendum est tempus, quomodo*, inquit, *& quantum oportuerit, & non plus, nec minus.*

Similiter quando est aliquid à canone, aut homine per statutum sub excōmunicatione prohibitum, potest superior monitione vnica præmissa, vetare sub ea pœna, ne id fiat, v. c. ne quis fornicetur, alioqui ipsum, si non obsequatur iam tum excommunicare, tunc enim, vt notant Antonin. 3. *par. tit.* 24. *ca.* 74. Sylu. *c exom.* 1. *nu.* 13. Regin. *lib.* 9. *ca.* 10. *sect.* 3. *num.* 109. (cuius sunt hæc verba) *nō est opus;*

B *monitione vt excommunicatio à tali incurratur post patratum scelus, sed statim in illam incidit.*

Dubium sextum, *An quando, non est à Iudice excommunicando forma seruata iuris, excommunicatio sit valida.*

Etsi ille peccet, est tamen hæc rata, si quæ iure sunt diuino necessaria, habeat, primo, quia in *ca. cum medicinalis* 1. *de sent. in* 6. scribit Innoc. quartus eius nominis, *superiorem ad quem recurritur, sententiam*, (contra quam præscribunt iura, latam) *relaxare posse*, ergo erat valida, cum quæ sunt eiusmodi, remitti hæ, ac laxari solæ queant.

C Secundò, rata esse ac valida ea sententia non desinit, quæ tantum in accidente deficit, at forma iudicii præscripta in *ca. sacro de sent. excom.* & *ca. quā in medicinalis* 1. *eod. tit. in* 6. accidentalis est eidem sententiæ, probatur tam in illo *ca.* quæ *ca. reprehensibilis de appellation.* exigitur vt excommunicationi præmittatur canonica monitio hoc est trina, & tamen *cap. Romana de sent.* 5. *in* 6. dicitur quod lata sine tali monitione sit iniusta, non tamen inualida, vera est ergo assertio.

Dubium septimum, *Quando lata excom-*
D *municationis sententia sit inualida.*

Primò, cum substantialis ordo iudicij prætermittitur, vt si reus ad sui defensionem non admittitur, maximè quando factum non est notorium.

Secundò, si nulla præmittatur monitio, quia in his duobus casibus sciri nequit, an excommunicandus sit contumax.

Tertiò, si feratur ob causam iniustam, & ei non proportionatam, puta ob culpam ve-
E nialem, Sotus in 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 1. quia à legitima potestate non prouenit, hæc enim à Christo Episcopis duntaxat est concessa, cum excommunicandus periit, Matth. 18. qui enim à peccato propter quod ea pœna est plectendus eum reuocat lucratur eius animam, tale autem non est nisi mortale.

Quid? quod excommunicatio eum Ecclesia, eiusque spiritualibus commodis priuet, quem afficit vt est in *can. nihil q.* 3. hūc autem pœnis dignū quis putet, quem non nisi culpa leuis aliqua obstrictum tenet? quare qui mor-

taliter non peccat, excommunicationem A nec à iure, nec ab homine incurrit.

Quartò, excommunicatio est inualida, cum nec reipsa, nec secundum allegationes, & externi fori præsumptionem eius inferendæ causa, vlla subest, vt si Episcopus eos excommunicet, qui in Paschate priuilegiatos, ad conscientiæ suæ expiationem adhibent, quia talis excommunicatio errorem intolerabilem continet.

QVÆSTIO XVII. B

Quibus notis internosci poßit excommunicatio latæ sententiæ ab ea quæ est ferendæ.

IN huius quæstionis enarratione diffusus non ero quod eam in *tract. de legibus explanauerim*, quantum ad rem quæ tum agebatur, videbatur mihi vtile ac necessarium, sit hæc ergo

Prima regula, cum sanctio, decretum, aut iussum superioris Ecclesiastici, verbis indicatiui modi, in puniendo reo per censuram, est conceptum *vt excommunico, à sacris remoueo, priuo te Christi fidelium, & Sanctorum communione*, &c. est excommunicatio latæ sententiæ non ferendæ, Sylu. *verbo excommunicatio à Castro in lib. 2. de lege pœnali ca. 6. §. 4.* Comitolus *lib. 6. responsionum q. 24. n. 8.*

Causa est, quod verba præsentis temporis, ac modi indicantis, id ab eo, qui illa pronunciat, fieri indicent, quod denotant, at dum efferuntur, absque vllo ordine ad futurum tempus, rem geri significant, est hæc ergo regula vera.

Secundum documentum, verba quæ significant pœnam incursam, latam quoque sententiam esse indicant eiusmodi sunt ista, *Declaramus, Dicimus, Denuntiamus, Definimus.*

Huius documenti est hæc ratio, quod hæ voces, ac similes, sententiam non habeant, ergo dictam esse præsupponunt.

Confirmatur, enuntiatio pœnæ, quam quis est culpis suis commeritus, est voluntate superioris, eiusque inflictione posterior, at verbis allatis declarat iudex, reum lege Ecclesiæ, eiusque pœnis teneri, ergo cum hæ neminem obligent, nisi quem Ecclesia iis plectendum censuit, si vere illis comprehendi dicitur, præcessisse debuit, in eum lata per iudicem sententia.

Eadem est ratio, cum dicitur, *Noueris te excommunicatum*, his enim verbis non fertur excommunicatio, sed significatur lata, quare si ea lex habeat, qui in illam offendet, pro excommunicato habendus erit, quia antequam hic peccaret, eiusmodi pœna peccantibus erat irrogata, eam ergo subit, quisquis in illam incurrit.

Regula tertia, sanctio seu decretum censetur habere latam sententiam, cum nullum iudicis ministerium significat, aut hominis ad pœnam luendam functionem exigit, tale est, conceptum his verbis, aut similibus: *Excommunicationi subiaceat, eam subeat, habeatur pro excommunicato, incurrat excommunicationem, in eam incidat, sciat te excommunicatum, sit anathema, sit excommunicatus*, Tabiena *verbo excommunicatio 2. num. 4.* Comitolus *lib. 6.* Responsionum *q. 24. nu. 4. 5.* Vgol. *tab. 2. c. 28.*

Causa est, quod hæ loquendi formæ, rem independentem à futuro tempore enuncient, ergo cum excommunicationem irrogent, eam vt inflictam de præsenti, ac proinde ipsum condemnationis actum significant, ac innuunt, nisi quid addatur, quod interpretationem ad sententiam ferendam deflectat.

C Quarta verbum *sum* imperatiui modi, cui hæc adduntur, *ipso iure, ipso facto*, secum trahit latam sententiam, non ferendam.

Hanc regulam iurisperitorum fere schola omnis amplectitur, vt testatur Auila, nec meo iudicio sine causa. Quia sensus harum vocum, *ipso iure sit excommunicatus ipso facto extra Ecclesiam*, in eo est, prioris quidem, nullam aliam ab ea, expectandam esse à iudice sententiam, posterioris autem, operi quod fit contra legem, ac superioris voluntatem, reipsa adiunctam esse hanc pœnam, ergo latam esse in reum sententiã indicant, non ferendam.

D Verbum enim *sum* quod verbũ est (vt loquuntur) existentiæ, potestatem hanc habet vt quocunq; modo, vel tempore efferatur, nullam actionem passionemue significet, sed rei tantum existentiam, præterquam in casibus producendis postea, Comitolus supra.

Quinta, quum de censura excommunicationis agitur, hæc verba canoni inserta aut legi per quam infligitur, *nulla alia expectata sententia aut declaratione, sine ministerio iudicis,*

E *authoritate nostra, vi huius legis, sanctionis aut canonis*, hæc inquam verba sententiam latam continent, non ferendam à Castro *lib. 2. de lege pœn. ca. 6.* Caiet. *in 2 2. q. 62. art. 3.* Sotus *in 1. de iustitia & iure q. 6. ar. 6* nam hæc verba, *non expectata sententia, aut eius declaratione, sine ministerio iudicis*, excludunt sententiam ferendam, aut declarationem latæ, ergo includunt latam.

Sexta, cum lex dicit, *reum ad illam pœnam obligatum esse, in conscientia*, lata sententia est, etsi

etsi lex talis in iure non extet.

Documenti ratio hæc est, quod tum, legislator tollat, aut potius præueniat actionem secundi iudicis circa reum, & consequenter fert sententiam, vbi enim de legislatoris voluntate excommunicatio incurritur, hoc ipso sententia obligat.

Septimò, excommunicatio in reum dicta, est latæ sententiæ, cum iis verbis est præscripta, quæ omnem subeundę pœnæ cunctationem præcidunt, nec nouæ sententiæ locum relinquunt, cuiusmodi sunt hæc *nouerit se statim subiturum excommunicationem si hoc egerit, dixerit, &c.* quia cum hæc constitutio sententiam excludat, latam haud dubie continet, non ferendam.

Est item excommunicatio non ferendæ sententiæ, sed latæ cum sētētia, decretum, aut iussum, quod eā infligit, voces habet vnam, aut plures, quæ omne spatium temporis reiiciūt, quod aliter ad eius exequutionē, sibi iudex merito sumpsisset, vt sunt, *statim, confestim, in continenti, è vestigio, repente, sine mora, indilate, immediate.*

Causa est, quod cum ferenda est sententia, citari reus debeat, ac audiri, examinari testes oporteat, quæ omnia temporis moram postulant, quam tamen, illæ dictiones excludunt, signum est ergo, iudicem dixisse sententiam, latamque eiusmodi vocibus innui, non ferendam: Ita à Castro in *lib. de potest. legis pœn. cap. 7. parag. 6.*

Octaua si author sententiæ, in ea significet, transgressorem, à se absoluendum esse, nec ab alio id beneficium obtinere posse, donec pœnam illa legē contentam luerit, est sententia lata. Quia prohibitio per iudicem facta ne reus absoluatur, pœnam incursam esset docet, ergo & latam esse sententiam, est enim pœnæ irrogatio, propria iudicis actio, qua proinde si reus tenetur, hanc præcedere sententia debuit, est ergo dictio ei addita, quæ moram excludit temporis, *(statim, continuo)* vel quâ prohibetur, eius absolutionem sperare ab alio, quā eo, qui illam inflixit, iudex latæ sententiæ, non ferendæ.

Qualis est futura, primò cum terrorem habet ac comminationem supplicii, cuius argumentum præ se ferunt hæ sententiæ, *sub pœna excommunicationis, sub anathemate, sub interminatione diuini iudicij.* A castro *lib. de potest. leg. pœn. cap. 1. parag. 1.*

Ratio est, quod pœnæ comminatio, futurum respiciat, non præsens aut præteritum, ergo verba, quibus intentatur, sententiam non enuntiant, quæ sit lata.

Obiicies comminatio præsens fit de futura pœna, quoniā peccatum est futurū, sed quando peccatū erit pręsens, etiā pœna videtur fu-

A tura præsens sine alia noua iudicis sententia.

Respondendum non sequi tamen ideo, quod sententia sit lata, quia iudicis intentio non est nisi vt feratur. Patet ex *ca. relatum de iure patronatus*, vbi habetur, *sub interminatione anathematis prohibere curetis*, & tamen additur. *Si quis autem prohibitionis vestræ contemptor extiterit, eum excommunicationi subdatis*, requiritur ergo præter comminationem, noua sententia, vt excommunicatio sit latæ & non ferendæ sententiæ.

Secundò, cum lex in irroganda censura, B verbo, vel participio futuri temporis vtitur, sententiam ferendam continet, non latam. Regula recipitur à Sylu. *verbo excommunicatio.* Abbate *in cap. si diligenti de foro competenti*, Felino, *in cap. Rodulphus de rescriptis*, Auila de censuris *2. par. cap. 2. disp. vnica.* Quia quæ actionem aut ministerium futurum indicant, hæc talis actionis, aut ministerii præsentiam, pro tempore quo enuntiantur, non denotant: futurum enim, non præsens, aut præteritum, sed quod erit, innuit. Quare his loquendi formulis. *Qui hoc fecerit excommu-* C *nicetur. Qui percusserit cœtu fidelium, cōmercioq; est priuandus*, non alia sententia intelligitur quam ferenda, quemadmodum & sequentibus ex Panormitano in *cap. si diligenti de foro compet. n. 5. à communione habeatur extraneus. Nouerit se statim excommunicandum*, quia hoc genere loquēdi, præcipitur sentētiæ celeritas in reum ferendæ, & non quæ iam sit lata.

Eodem pertinet, si lex pœnam excommunicationis infligat per verbum, quo declaretur aliqua actio, quia cum aliquid iube- D tur fieri, vt reus cēseatur excommunicatus, nulla ratio necessaria credere suadet, eo verbo confici latam sententiam, non ferendam.

Tertiò, verba quæ sunt imperatiui modi, vsurpata à iudice, in imponenda, excommunicationis pœna, sententiam ferendam pronuntiant, non latam, si hæc ad iudicem dirigantur per modum imperij: recipiunt hanc regulam Castro *lib. 1. de potestate leg. pœn. §. 3.* Comit. *lib. 6. q. 24.* & alii quamplurimi, quia per verbum tale, quale modo describimus, imperatur alicui vt excommunicet, *Excommunicator enim & suspenditor*, re- E feruntur ad iudicem, cui hæc actio præcipitur: non habebit ergo superioris imperium vim suam, nisi post dictam sententiam à iudice, ad quem tale præceptum tendit.

Excipiendæ sunt ab hac regula, eæ loquendi formæ, quæ etsi sint imperatiui modi, ad reum tamen diriguntur, in secunda persona, aut tertia, vt, *excommunicationi subiaceat, eam subeat, in eam incidat, eam incurrat, esto excommunicatus.*

Quid si nescitur, in quam partem trahen-

da sit excommunicatio, & an latæ sit, an ferendæ sententiæ?

Respondendum, cum Glossa *in canonem pœnis de regulis in 6.* Stephano de Auila in *parte 2. disp.* 1. capiendam esse de ferenda potius: quam lata, quia odia restringi, fauoresque ampliari conuenit, *can. odia de regulis iuris in 6.* est ergo lex pœnalis, quo de genere est excommunicatio, dilatanda quando per eius dilatationem, euitatur animarum pericula, hominesque retrahuntur ab illicitis, vt ait à Graphiis *lib. 4. cap. 18. in expositione Bullæ*, idque ex Panormitano Abbate *in cap. ex tenore titulo qui filij sunt legitimi num.* 5. dilatatur hæc vero, cum in dubio indicatur esse ferendæ sententiæ, non latæ.

Quartò, etsi verbo substantiuo vis ea potestasque insit, rei existentiam vt notet, proindeque quocunque modo, aut tempore efferatur, sentētiam latam contineat, eo quod nullam actionem aut passionem significet, secundum Comitol. loco proxime citato, additum tamen participio futuri temporis, ad sententiam ferendam refertur, quare lex, seu constitutio, quæ à committendo scelere reum metu censuræ reuocat, his verbis: *Si peccauerit erit excommunicandus, est suspendendus*, sententiam ferendam minatur, latam non indicat, ratio est, quod participium futuri temporis, in naturam suam vim substantiui verbi conuertat, sicut cum est præteritum, & verbo præsentis temporis additur, illud traducit ad præteritum, quare si hæc participia, cum verbis futuri temporis significent rem perfectā esse, quæ lege statuitur, vt erit excommunicatus, suspensus, conficient sententiam latam; si vero significant rem, quę statuitur, esse faciendam, vt erit excommunicandus, vel est, continent senten-

A tiam ferendam. Hæc Comit. *supra n.* 7.

Quid si Episcopus in castigando scelere, loquendi modos qui sunt in communi vsu, adhibeat? quid si illis nocentem terreat? *Noueris te esse excommunicatum, ni parueris indignationem omnipotentis Dei incurras, fero inte pœnam censuræ Ecclesiasticæ, aut disciplinæ sententiam, quæ est vsitata in Dei Ecclesia contra te pronuncio.*

Priori enim significatur lata excommunicatio, quare si dicta ante non fuit, quid hic

B ad quem diriguntur, timere cum ratione possit ac debeat, nihil occurrit, nisi aliunde forte constaret, ea efferri à iudice, cum voluntate dicendæ in eum sententiæ.

Alter autem modus in quo de diuina indignatione, aut Apost. Petri & Pauli fit mētio, denotat hoc vnum tantum, & nihil amplius, velle Episcopum morem sibi geri sub pœna peccati, non autem excommunicationem si fiat contra quam iubet, incurri, causa est, quod hæc reum non afficit nisi contumacem, quo vitio eum tamen laborare non constat, nisi dum rem præceptam, aut sub comminatione censuræ vetitam, facere aut

C omittere cum peruicacia abnuit, quod hic non accidit, vbi minæ præcessere nullæ, nulla subeundæ censuræ facta mentio in prædicto dicendi modo.

Est tertius modus ab excommunicatione similiter liber, censuræ enim, ac disciplinæ nomina, multa alia ab excommunicatione diuersa significant, quare cum incertitudo sententiam vitiet ex Vgol. *tab.* 1. *cap.* 20. §. 3. verbis, quæ sunt in hac tertia loquendi forma, excommunicationem non imponi, vt ipse non dicam, canonici iuris vel mediocriter scientes ac periti intelligunt.



DISPVTATIO SECVNDA
DE CAVSA EFFECTIVA AC subiectiua Excommunicationis.

QVÆSTIO PRIMA.

Quinam excommunicare iure poßint.



AVSA efficiens excommunicationis est duplex, ordinaria vna, delegata altera, ordinaria est Ecclesiasticus iudex iurisdictionem fori contentiosi obtinens. Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *de reformat.* Nauar. *Enchirid.* 27. *num.* 1. Palud *in* 4. *q.* 2. *art.* 1. & colligitur ex verbis Cyrilli Alexandrini in Concilij Ephesini *partis secũdæ actione* 4. illic enim, Ioan. Antiocheni gesta in eum omnia, causatur irrita, quod essent κατὰ μείζονος θρόνου maioris sedis, quæ eius oratio ac querela inanis esset, si iurisdictione destitutus, sententiam excommunicationis dicere potuisset in alium.

Competit vero hæc facultas Papæ, respectu omnium fidelium: Concilio generali: Anglez *art.* 4. *de excommunicat concl.* 1. & quidem respectu omnium, præterquam Papæ, quia Concil. est infra illum, & puniri nemo potest nisi à superiore, ita à Patribus congregatis Ephesi, depositus est Nestorius Constantinopolitanus Episcopus Concilij *parte* 2. *actione* 1. sic enim ibi γίνωσκε σεαυτὸν παρὰ τῆς ἁγίας συνόδου καθηρῆσθαι καὶ παντὸς ἐκκλησιαστικοῦ βαθμοῦ ὑπάρχειν ἀλλότριον.

Tertiò, id tribuendum est Nunciis Apostolicis à latere in tota prouincia, quam vt legati curæ suæ commissam habent, quia in ea iurisdictionem exercent, ac imperium quasi Episcopale, & ordinarij proprium.

Quartò, Cardinalibus etiam non Presbyteris in Ecclesiis suorum titulorum. Vgolinus *tab* 1. *cap.* 2. *parag.* 20. Reginald. *lib.* 9. *cap.* 7. *sect.* 4. *num.* 120. quia ex priuilegio aut consuetudine id eis licet.

Quintò, potestatem hanc Prælati omnes regulares in suos sibi subditos vindicant: Syluester *Verbo Prælatus parag.* 1. & Anglez *supra*, his enim omnibus vniuerse dictum est à Christo Domino Matth. 18. *Quæcunque ligaueritis super terram erunt ligata, &c.* deinde est hæc potestas ad Pastorale munus quo funguntur necessaria, cum commode quantum est necesse, illud obire non posse videantur, nisi ius habeant per censuras Ecclesiæ puniendorum sontium, à quo quoniam in omnes partes Ecclesiasticæ reip. infinita commoda profluunt, iuste illud ac cum causa dictum à Trident. video *sess.* 25. *cap.* 3. firmamentum disciplinæ Ecclesiasticæ.

Quod ad Episcopos attinet existimat Sotus in 4. *dist.* 19. *qu.* 1. eos absolutam potestatem excommunicandi non habere, proindeque si ab illis quidam sunt excommunicati, & egrediantur Diœcesi, hoc ipso antiquæ suæ libertati restitui, cessatione plena vinculi excommunicationis, quo ante ligati tenebantur. Sed errat, quia à Christo Matt. 18. potestas excommunicandi absolute attributa est Apostolis his verbis: *Quæcunque ligaueritis, &c.* ergo & Episcopis eorum successoribus.

Primò, quia eandem ac Papa in Ecclesia, cui sunt commissi, potestatem habent, dependentem tamen, quia mediante Põtifice eam obtinent, in quantum facit eius liberalitas ac indulgentia, vt è populo ad magistratus Ecclesiasticos euecti, habenas teneãt Ecclesiæ, quæ illis regenda committitur, quod tamen non impedit, quo minus non sit etiam de iure diuino saltem radicaliter, in quantum Christus voluit, vt in Ecclesia sua essent Episcopi, qui proinde instructi forent potestate necessaria ad gubernandum, sub qua continetur coercitiua per censuras, quam restrictam tamen ac limitatam dare Pontifex potest, aut indefinitam ac latissime patentem.

Secundò, quia talis potestas in Episcopis

ad optimam Ecclesiæ administrationem est necessaria, alioquin esset inermis, & ad executionem suarum legum inualida, quomodo enim rebelles coerceri possunt nisi metu huius pœnæ? quæ causa est cur appelletur in Trident. *sess.* 25. *cap.* 3. Neruus disciplinæ Ecclesiasticæ & 16. *q.* 2. *can.* *visis* 1. *Sacer ensis Christi ac Præsulum.*

Quare ad hanc diem extitisse præter hæreticos neminem existimo, qui hanc potestatem Episcopo negatum iret, quam in eo venerantur Concilia, Ephesinum primum, Chalcedonense, Trid. *sess.* 6. *cap.* 3. *sess.* 14. *cap.* 4. *ius canonicum can. qualiter* 2. *de accusat.* & *can. transmissam de electione.*

Præter Episcopos, insuper excommunicare possunt iure communi & ordinario, eorum Vicarii generales, *can.* 2. *de constit. in* 6. quia idē tribunal habēt: Excōmunicat etiā Capitulū sede vacante, quia succedit in locū Episcopi defuncti *can. vnico de maiorit. in* 6. & *can. cum olim extra eodem tit.* Vicarius generalis ab eo constitutus ad regimen Ecclesiæ iuxta Trid. *sess.* 25. *c.* 16. Vniuerse vt dictū est antea excommunicare potest qui iurisdictionem in foro externo habet, id est in eo loco ad quem causæ agitandæ inter duos aut plures deferuntur. Est autem iurisdictio potestas legitima iudicandi, quæ quinque modis alicui competit.

Primò, ratione officii vel dignitatis habentis annexam iurisdictionem.

Secundò ratione delicti, nam qui quidpiam in Diœcesi supplicio luendum admisit, in qua non habet domicilium, à iudice loci illius innodari potest, *can. cum contingat* 13. de foro competenti, modo ibi sit, aut antequam inde abscederet legitime sit citatus, *can. postulasti de foro competenti.*

Tertiò, ratione vltroneæ subiectionis *can. nos si in competentes* 41. *causa* 2. *q.* 7. in quo tamen casu necessarius est consensus superioris eius, cui est subiectus, is qui Episcopo se submittit: Sayr. *cap.* 7. *lib.* 1. *num.* 35. quia aliter fieret ei iniuria.

Quartò, per consuetudinem *cap. cum contingat* 13. *de foro competenti*, quia consuetudo vim legis habet, ex *cap. finali de constitut.* & iurisdictionem largitur vt colligit Comitolus *resp. moral. lib.* 6. *qu.* 51. ex *cap. dilecto de arbit.* & *can. conquestus* 8. 9. *q.* 6.

Quintò, per priuilegium, *can. cum contingat* 13. *de foro compet.*

Patet hinc primò, prælatum Episcopo inferiorem qui de iure communi, aut consuetudine legitime præscripta, ius habet citandi subditos suos, & cognoscēdi de eorum controuersiis in externo foro, excommunicare posse, quia consuetudo iurisdictionem largitur, vt colligitur ex decreto Innocentii III. dilecti de arbitris ex *can. conquestus* 9. *q.* 3. qui canon est Nicolai Papæ & ex *cod. de emancipand. lib. lege vltima.*

Patet 2. præpositos Ecclesiarum collegiatarū, Archidiaconos habentes curiam, Officiales eodē iure vtentes, vt Pontifarensem, Decanos, quorū est in quibusdam Ecclesiis canonicos, eorumque mores cum authoritate corrigere, Ecclesiarum collegia quæ Cathedrali non sunt inferiora, mortuo Episcopo excommunicandi ius habere Nau. in *Enchirid. cap.* 27. *num.* 5. quia potestas obligandi per censuras, forum contentiosum sequitur, quod citati omnes proprium habent cui præsunt.

Patet tertiò, hanc quoque gratiam communione rerum atque potestatis, transire ad earundem Ecclesiarum Vicarios, Episcopo mortuo, illis administrandis præpositos, quia quod earum collegio est permissum, hoc ipsum, constituto per illud Vicario non est negandum ex dictis antea.

Patet quartò, ab Abbate Monachos per censuram moueri loco posse, Sylu. *Excommunicatio* 1. *num.* 5. Anton. 3. *parte tit.* 14. *cap.* 75. Vgolinus *tabul.* 1. *cap.* 20. *num.* 11. quia cum Abbas est regularis, iudex est, ac moderator commissæ sibi plebis, ita de electione *cap.* transmissam significat Pontifex electum & confirmatum, ea quæ iurisdictionis sunt exercere posse, & quoniam eadem authoritas est Prioris Conuentualis electi, vel prouisi de beneficio curam animarum habente ac Abbatis; recte ideo Paludanus infert illum similiter ac istum excommunicare posse. Electi dixi aut prouisi de beneficio à superiore, nam qui dignitatem Prioris quam sustinet, Abbati soli debet, nihil in hoc genere tentare iure communi potest, sed voluntate ac delegatione sola Abbatis, cui authoritatem omnem suam acceptam habet, eo tamen mortuo quidquid ille poterat dum viueret, potest & hic valide aggredi, ac proinde reos censuris innectere, nexos soluere Paludanus apud Regin. *lib.* 9. *cap.* 7. *sect.* 6. *num.* 123. & hæc de modo potestatis ordinariæ acquirēdæ dicta sunto.

Iam de delegata, hanc autē Papę benignitate Christianos omnes maxime masculos consequi posse, opinio est Doctorum Vgolini *cap.* 2. §. 10. Couuar. in *can. alma mater de sent. excom.* 1. *par.* §. 11. Reginald. *lib.* 9. *cap.* 7. *num.* 115. Suarez *disp* 2. *de censuris sect.* 5.

Probatur, censuræ iuris sunt humani positiui in vsu & exercitio, & quod à Laico intentari alteri nequeant, tribuendum est soli Pontifici, qui id ne sibi assumant inhibet, ergo cum quæ iuris sunt canonici amouere loco

loco Papa queat, vt & abire à lege quam sibi posuit, vt communiter sacerdote proprio Rei, ad excludendũ eum de gremio Ecclesiæ vtitur, sic cũ volet Laicũ adhibere poterit ad id ministeriũ. Modo ne fiat solẽniter: Enimuero cũ habeat publica Rei execratio preces plurimas ac ceremonias, non decet & illas ab alio quam Sacerdote concipi, & has à Laico frequentari. De Laicorum porro numero, Iudæos ac infideles segrego, quod non videatur pati æquitas, committi tam dignam prouinciam hominibus præter religionis Christianæ odiũ iisdẽ insitum impiis, vanis, subdolis, nominis nostri hostibus.

Quid? quod iis vti ad nocentium pœnam, spiritualem maxime, quæ imperando infligitur, ac proinde cum laude, molestia vero nulla, sic eos præponere Christianis, quod non expedit.

(Ex delegatione) dixi, nam quis credat (quod assentando dixere olim Grassalius *lib. 2 regaliæ iure 9.* Vincentius Sigaldus *in allegat.* suis de bello italico) Christianissimum Regem, authoritate propria, Pontifice non probãte, mouere cœtu piorum, Ecclesiaque, sontes posse? est enim potestas excommunicandi, potestas spiritalis & Ecclesiastica, spiritualis quidem, quia salutem animæ progressumque eius in virtute, ac culparum fugam respicit, nec enim censuræ finis alius, quam reuocatio hominis à vitio, plenaque affectionum eius moderatio, Ecclesiastica autẽ, quia Episcopis à Christo data fuit, Ecclesiæ causa, pacisque in ea seruandæ, cuius spes nulla, aut sane non nisi exigua, si magistratui Ecclesiastico vim coercendorum scelerum ademeris, cum vulgo pœnarum metu magis, quam honestate, virtutumque specie, in officio contineri soleant improbi, *Oderunt*, enim vt habet antiqua parœmia, *peccare mali formidine pœnæ.*

Iam hoc quæro vtrum ad gubernacula Ecclesiasticę reip. Rẽges sedeant, & non politicæ ac humanæ? si huic præsunt, non illi, sane potestate carent spirituali ac diuina, vtpote ad finem cuius causa regũt non necessaria, quod si in eos, hæc non cadit, causa est dicta, excommunicare reges nequeunt cum vindicare scelera, punire reos, superioris sit solius, eiusque qui iurisdictionem habeat, quali, respectu excõmunicationis, destituti sunt Reges. si tamen excommunicare possunt Laicos, vt vult Grassalius (quod tamen non credo) ex commissione eos id facere, non propria virtute est credendum.

(Masculos) secundò dixi, vt excluderem fœminas, quæ iure communi innodare quẽquam nequeunt, Henriquez *li. 6. cap. 2. n. 3.* Nauar *cap. 27. n. 1.* Sylu. *excom, n. 6.*

A Primò, quia eas subesse oportet non præesse, propter sexus ac animi infirmitatem.

Secundò, quia tam legibus ciuilibus, quam canonicis, incapaces sunt authoritatis publicæ 33. *q. 5. can. mulierem 17.* & *l. fœminæ ff. de reg. iu. & can. de monialibus tit. de sentent. excommunicat.*

Tertiò, cum eiusdem sit absoluere cuius & nectere, si est fœminæ inhibitum expedire excommunicationis vinculo, est eidem quoque prohibitum illud cuiquam iniicere, verum est prius ex *can. proxime citato de Monialibus tit. de sentent,* vbi dicitur expresse Abbatissam, à censura non posse absoluere, B dici ergo similiter debet, nec eam inferre vulgo posse.

An autem id officium Papæ beneficio præstare queat iam est videndum. Affirmantem tenent Paludanus in 4. *dist. 19. q. 2. ar. 1.* Soto *dist. 20 q. 1. art. 4.* Reginald. *lib. 9. cap. 7. sect. 2. n. 117.* Nau. *consil 73. de sent. excom.* Suar. *disp. 2. sect. 3. nu. 7.* Ego quod aliorum qui secus sentiunt pace sit dictum, id Pontifici permissum credo, quod priusquam probem hypothesim assertioni præmunio, C nempe de excommunicatione loqui nos posse dupliciter 1. vt est ferenda pro contumacia 2. vt est promulganda, & indicanda populo. Si primo modo sumitur equidem Pontificis authoritate eius inferendæ potestatem fœminæ committi posse sic ostendo dare operis agẽdi capacitatẽ ei Papa potest, cui natura ratioq; non repugnant, quod tùm iura eũ naturæ mutare ac inuertere dicere nemo queat, at mulier à natura iurisdictionis non est incapax cum etsi eam viro subesse communiter oporteat non præesse: ordo D hic tamen mutari Papæ voluntate queat: ergo, &c.

Multo magis cum secundò modo excommunicatio sumitur, nihil oberit quo minus ea Pontifex vti valeat ad denunciationem latæ à se sententiæ, quia hoc non est aliud quam eam habere suæ voluntatis interpretem sine iurisdictione quod non repugnat.

Equidẽ dispẽsare Abbatissæ possunt in votis, & præscriptis ieiuniis per regulam, regere E item tam moniales suas, quam religiosos qui sibi obedientiam promittunt, vt in religione fontis Ebraldi, quod etsi nonnulli improbent, negentque, eo quod dispensatio sine potestate iurisdictionis in foro externo esse nequeat secundum, Les. c. 40. *dub. 10.* cuius sunt eorum opinione incapaces fœminæ cum regi natæ sint, non regere ex Couarr. in *can. alma mater paragr. 11. num. 2.* Vt autem sibi subditos regere (inquiunt) & punire valeant, satis est eas habere aliqualem iurisdictionem ac qualemcunque, vsumque spi-

ritualis potestatis sibi à superiore demandatum, sicut habent, ex Diu. Thom. *in supplemento 3. partis q. 19. art. 3. ad 4.* & ab eo vsu, seu iurisdictione aliquali ac imperfecta, ex Pontificis Romani, Ecclesiæque adeo vniuersæ concessione tacita, habent propter bonum commune religionum & priuatum personarum, vt in earum votis particularibus dispensare possint, consulto prius confessario prudenti aut viro docto.

Deinde vt eas regere queant, castigare, arguere quantum est necessarium & decēs, ad paternum ac domesticum regimen, non tamē inde sequi aiūt, in iis cēsurę ferēdæ ius vllū esse, cum potestate clauium careant, ac ordinibus, sine quibus tamen aut dispositione ad illos per tonsuram, nemo inferendæ censuræ est capax. Sed hæc de iure communi dicta, non extraordinario sunt vera, vt probatum est de censuris in genere *q. 9.*

QVÆSTIO II.

An in Parocho simplicique Presbytero ius excommunicandi resideat.

VNica assertio, *iure communi ac ordinario excommunicare Parochi nequeunt.* Huius propositionis defēsores sunt ac magistri, D. Th. in 4. *dist. q. 2. ar. 2. ad quæstiunculam* 1. Di. Bonau. *in eandem dist. 2. part. dist. q. 3.* Sylu. *excommunicatio 1. num. 5.* Anton. 3. *parte tit. 24,* Sotus in 4. *dist. 22. q. 2. art. 1. concl. 2.* Panorm. *in can. cum contingat de foro competenti num. 30,* Portelius *parte 3. casuum casu 29.* Nauar. *cap. 27. Enchir. num. 5.* & in *cap. cum contingat de rescriptis.*

Primò, id non habet vi Sacerdotii, alioqui quod ille, hoc sibi Sacerdotes singuli assumerent, & censuris in sontes animaduerterent, quod nemo dicet, etsi parum consulte Gratianus scripserit 24. *q. 1. can. miramur 37. vtramque potestatem baptizandi scilicet, & excommunicandi, sacerdotalem vnctionem sequi,* nec est hæc potestas, Parochi propria, pręcise qua talis, quia vt sic, ius non habet Ecclesiastici gladii, sed sacrificandi, sed docendi, sed pascendi Sacramentis, ac concionibus, nec ei datur, hoc ipso quod fit Parochus, & curam animarum recipit, eius enim officium hæc tantum consequūtur, ius administrandi Sacramenta, hominibus suæ Parochiæ, potestas eos conuocandi ad conciones, &c.

Secundò, etsi Parochus in foro pœnitentię iurisdictionē habeat, in exteriori tamen illa caret, sed potestas excommunicandi, eorum tantum est propria, qui sedem habent, ac tribunal, ad quę iuris obtinendi causa, adire cunctis liceat, Nau. *c. 27. n. 5.*

A Maior probatur, dum Parœciis præficiuntur Parochi, aliam potestatem nullam recipiunt, quam quæ exequendis sacerdotum officiis est necessaria ex Rosel. *verbo excom. n. 22.* at hæc expleri omnia, per potestatem solius fori interni possunt. Et quidem Parochis, ius nōn esse contentiosi fori, hinc fit perspicuum, quod etsi hi habeant quorum procurandæ saluti incumbere, quos Sacramentis pascere, salutaribus institutis ad virtutem acuere debeant, eorumque causas sæpe, vt arbitri ab ipsis electi componere,

B non possunt tamen eos cogere, vt se sibi sistant dicturi causam, ac visuri eius finem, sententiā à se dicenda, aut dicta, in eos, aut actores, canonice coram se conuentos, hinc est quod nec proprie & strictè Prælati dici debeant sed largè tantum, quemadmodum vocantur Abbatissæ, teste Syluestro *verbo Prælatus*, ergo cum excommunicatio in inuitum feratur, *can. sententia 11. q. 3.* nec inuitos cogere Parochus possit, vt ad suum tribunal veniant, excommunicationis sententiam dicere in eos non poterit.

C Obiicies in *can. ab Ecclesiarum 3. de officio ord.* oppositum haberi, nam ibi dicitur eos qui gradu subsunt, ac potestate Episcopis, vt plebanum, qui non est alius à Parocho, reos loco per excommunicationem mouere posse, quam ordinarius eorum Præsul relaxare nequeat, illis non consultis, verba Alexan. III. sunt ista: *Mandamus, quatenus si quando Plebanus S. P. in Clericos vel Laicos Parœcianos suos interdicti, vel excommunicationis sententiam tulerit, ipsam facias inuiolabiliter obseruari, & eam sine satisfactione congrua, & absque eiusdem plebani conscientia non relaxes.*

D Secundò, quia ita habet prouinciarum fere omnium praxis, fas vt sit Parochis, diebus Dominicis, ac festis, è superiori loco excommunicare fures, sortilegos, Magos, Veneficos, Fœneratores, quod eos sine scelere facere, vt quidpiam iure communi sibi concessum ex commissione, author est, Diu. Thom. in 4. *dist.* 18. *q. 2. art. 2. ad 1.* vbi ait Presbyteris Parochialibus facultatem non esse excommunicandi, nisi ex commissione, & in certis casibus, vt in furto, idem habet Sylu. *verbo excommunicatio 1. num. 5.* quod eis

E ex consuetudine approbata quæ iurisdictionem tribuit, ex *can. conquestus 9. q. 3. & cap. dilecti de arbitris,* conuenire scribit Richard.

Respondendum ad primum, in eo canone tantum esse sermonem de Plebano quem Glossa in eum locum Prælatum fuisse asserit, etsi Episcopo inferiorem, vel Ecclesiæ cuiusdam Collegiatæ præfectum, vt Portelius supra. Fauent explicationi Innocentius in eam *decretal.* & Panormitanus ibi

ibi *not*. 1. cum in eo Plebano agnoscant iudicis ordinarij authoritatem, quæ tamen ex eiusdem sententia fuit tantum de iure speciali, puta ex præscriptione, consuetudine, priuilegio, vel commissione speciali, de iure autem cōmuni nullo modo *Consuetudine* dixi, nam hæc iurisdictionem largitur, vt colligitur ex decretali Innoc. III. dilecti de arbitris & ex *can. conquestus* 9. q. 3. qui canon est Nicolai Papæ, quam tamen consuetudinem in Ecclesia Latina nuspiam vigere tradit Comitol. responsion. lib. 6. q. 51.

Ad secundum Respondeo 1. tales Excommunicationes esse tantum comminatorias.

Secundò esse tantum generales, *Consuetum est*, inquit, Richardus *in 4. dist. 18. q. 1. art. 4 quod Parochi excommunicent suos Parochianos, committentes furtum vel rapinam in generali.*

Tertiò dico, in eo tantum, vice Episcoporum fungi Parochos, esseque eorum veluti voluntatis interpretes, aut Synodi, cui placuit in eiusmodi criminum conscios, excommunicationis sententiam dicere.

Addo 4. tales excommunicationes, earum tantum esse, quæ ab Episcopo, aut statutis, sunt latæ, denuntiationes.

Quintò huic consuetudini qua se niti ad inferendam censuram aiunt Parochi, derogatum esse à Concil. *sess. 25. cap. 3. de reformat.* cum prohibet pro rebus deperditis, censuras ferri nisi ab Episcopo causaque diligenter ab eo cognita.

Assertio secunda, *Sicubi tamen consuetudo largitur Parochis, vt excommunicare possint, ea vti queunt*, Diu. Thom, *in 4 dist.* 18. Monald. *in summa parag. quis potest excommunicare & quis non*, Nauar *cap. 27. Enchir. num. 6.*

Colligitur ex decretali Innoc. III. *dilecti de arbitris*, & *ex canone conquestus* 9. q. 3. qui canon est Nicol. Papæ, *vbi vnicuique Ecclesiæ sua seruari oportere priuilegia asserit, præterquam si Apostolica sedes aliquam Ecclesiam, vel ipsius Rectorem quolibet speciali priuilegio decreuerit honorare*, faciunt ad eam rem, quæ scripsit Hieron. ad Heliodor. de laude vitæ solitariæ epist. 1. *Mihi*, inquit, *ante Presbyterum sedere non licet, illi si peccauero licet tradere me satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.*

Assertio tertia, *Parocho potestas hæc non competit iure ordinario sed speciali tantum, ex priuilegio, consuetudine præscripta, aut delegatione Episcopi tacita.* Priuilegij fit mentio in *can. conquestus* 9. q 3. consuetudinis apud Nauar. *cap. 27. Enchir. num.* 5. commissionis apud Monaldum ante citatum his verbis: *Si scientibus Episcopis, & non contradicentibus, sententiæ huiusmodi proferantur, & Episcopi tales reputant excommunicatos, & tanquam excommunicatos absoluunt, vnde ligant tales sententiæ, per approbationem huiusmodi Episcoporum*, consentit Reginald. *to. 1. lib. 9. cap. 7. sect. 5. num. 121.* cum asserit *Parochum excommunicare posse tanquam Episcopi Vicarium, qui vbique esse non potest.*

QVÆSTIO III.

An Prælatus excommunicare possit per sententiam suum subditum extra Diœcesim, aut in loco exempto positum.

SVbditus duobus modis excommunicari potest, Primò, per statutum.

Secundò, per sententiam, statutum territorium afficit, eique inhæret, præceptum seu sententia personas, easque sequitur.

Dico ergo primo, *Subditum extra Diœcesim commorantem, nec statuto, nec sententia vlla Episcopi sui excommunicari posse:* ita sentiendi auctores ac patronos habeo, Nauarr. *cap. 27. num. 26.* Couarr. 3. *variarum cap. 20. num.* 8. & me & illos in hanc sententiam trahit cum authoritate Concilii, ac Pontificum, è re ipsa deprompta ratio. Antiochenum quidem *can. 22. qui est 7. causæ 9. q. 2.* seuere Episcopo prohibet, ne alienam Diœcesim ineat, nec quæ sunt Episcopi à quo hęc regitur, faciat *can. autem animarum 2. de constitut. in 6.* dicitur, iurisdictionem Episcopi, terminis Episcopatus sui ita circumscribi, vt extra eos non se efferat, circa actus ibi committendos, aut omittendos, quare vt ibimet Pontifex asserit, statuto Episcoporum excommunicantium, fur comprehendi non potest extra Diœcesim commorans, quia *extra territorium*, inquit Papa, *ius dicenti impune non paretur.*

Secundo, iacet vi omni destituta excommunicatio, nisi eam corroboret inferentis iurisdictio, est enim pœna, quæ non infertur sine causæ cognitione iudiciaria, *can. nemo 2. q. 1. cap. sacro de sent. excommunicat.* nec nisi inuito *can. sententia* 11. q. 3. idque in pœnam admissi criminis cum contumacia, quare iustitiæ vindicantis est actio, cuius finis, morum est, vitæque correctio, aut vindicatio, at nō alterius est plectere, quā cuius manus armatæ sunt potestate, scelerum vindice, ergo si sunt Episcoporum exarmatæ extra prouinciam, ibi latentem, aut negotiorum causa commorantem, plectere non poterit, verum est prius, ex *cap. vt animarum de constitut. in 6*, nam illic dicitur extra territorium ius dicenti parendum non esse, quo nihil magis contrà veritatem dici potest, &

potestas Episcopi propriæ prouinciæ terminis non finitur, cum superiori iusta imperanti, obsequium vbique sit debitum, nequit ergo legislator subditum extra prouinciam agentem, ferire censura, aut si est in propria, à legislatore seu iudice commorante extra prouinciam.

Ratio est, quod sententia causæ notitiam exigat 11. *q.* 3. *can. nemo*, proindeque iudicem, qui pro tribunali sedens, de ea quæstionem exerceat, testes audiat, quæ sunt ad eius cognitionem necessaria pro authoritate sanciat, at extra Diœcesim, Episcopus quid potest? eius cancellis ac terminis omnis eius potestas clauditur, in aliena sedere arbiter non potest, ergo nec sibi in ea subsellium erigere, non tribunal, de quo sententiā se dignam pronuntiet, Antiocheno Concil. id prohibente *can.* 12. *Episcopum non debere in alienam irruere ciuitatē. quæ probatur ei non esse subiecta, neque in regionem, quæ ad eius curam minime noscitur pertinere ad aliquid ordinandum*, id est (vt est in Synodo Constantin. prima can. 2.) *ne confundantur, & permisceantur Ecclesiæ secundum regulas statutas*, quia tamen nonnunquam accidit, Episcopos è sede sua, contra fas, iusque eiici cum ignominia, ne impunitate freta improbitas, peiora audeat, sanxit Papa Clemens V. fas expulsis vt esset, diem reis dicere, eos cum Ordinariorum facultate, aut iis abnuentibus, illā petita tantum, nec impetrata, in locis suæ Diœcesi vicinioribus, mouere loco, extra Ecclesiam pellere, subditos etiam, modò ne trahantur vltra duas diætas à Diœcesi, & sint culpæ omnis expertes, ad se iuris audiendi causa ac dicendi vocare. Ita Clemens. V. in Clement. vnica *de foro compet.* his verbis: *Eisdem etiam Episcopis indulgemus, vt inter suos subditos, ne ob defectum iustitiæ, dispendium aliquod patiantur, possint in Diœcesibus alienis in quibus moram traxerint, dummodo per se, vel per alium, hoc in propriis suis Diœcesibus facere non audeant, vel non possint, iurisdictionem suam omnimodam exercere, ita tamen, quod subditi, qui expulsores vel eorum fautores, aut consiliarij non fuerint, vltra duas diætas, à fine suæ Diœcesis non trahantur.*

Dico tamen 2. *Reum qui cum in Diœcesi esset ea fecit, dixitque, quæ censuram merentur, ea coerceri posse etsi ea relicta aliò abscesserit*, Sylu. in *verbo excommunicatio* 2. *nu.* 8. Armilla eodem *num.* 30 Ægid. *de censur. disp.* 13. *dub.* 7.

Primo, quia ratione culpæ, a se in Diœcesi excommunicantis Episcopi admissæ, sic illi, eiusque iuri submittitur in ordine ad correctionem. vt quoties res exigit, ab eo puniri possit. Tradunt Doctores in *ca. vlt. de foro compet.* & habet expresse *cap. cum contingat* 13. eius tituli, ibi enim sciscitanti Beluacensi Episcopo, num Clericos super excessibus coram se, nō autem Capitulo cui seruiebant, conuenire oporteret, respondit Inno. III. in citata decret. his verbis: *Respondemus quod ad te, vtpote Ordinarium, de talibus cōquerentes, debent habere recursum, maxime si super his impetuntur, quæ in tua noscuntur Diœc. si commisisse.*

Secundo, si qui migrauit in alienam prouinciam, post admissum facinus, plecti non posset à proprio Episcopo, eius culpa remaneret impunita, nec enim in eam potest vindex insurgere, qui loco præsidet, quo vitandæ pœnæ meritæ causa reus deflexit, cum non sit eius authoritati obnoxius, nisi post delectum in eo domicilium, aut quasi domicilium, nec ex hypothesi (quam tamen non probamus) proprii Episcopi fulmina, ei sunt timenda, cum hæc non feriant, nisi in propria prouincia, extrà quam tamen reus est positus, vt supponitur.

Confirmatur, subditus ratione domicilii, qui deliquit in aliena prouincia, si à iudice delicti non est præuentus, potest à iudice sui domicilii citari, & si est contumax, excommunicari, vt scripsere Couar. *in pract. qq. c.* 11. Vgolin. *tab.* 1. *ca.* 2. *parag.* 12. Laym. *tract.* 4 *cap.* 4. *num.* 7. vera est ergo assertio, quod absens, ratione delicti sui, potest à proprio Episcopo extra Diœcesim censura plecti.

Dico tertio, *Tempora esse, in quibus sine culpa, qui se turpi transfugio in prouinciam proximam, pœnæ commeritæ subtraxit, censura frangi possit.*

Primum est, cum id Episcopus loci, patitur, in eoque processum iudiciarium fieri patitur Nau. *c.* 27. *n.* 6.

Secundum, cum locus, qui ad dicendam in reum sententiam, à proprio eius Episcopo deligitur, Episcopatui suo cohæret, à quo non est nisi breuibus admodum spatiis disiunctus, quæ enim parum à se sunt inuicem discreta, hæc moraliter censentur identitate spatiorum, vna esse ac eadem.

Tertium est, cum res patet, singulisque ita est peruia, vt de ea inquiri non sit necesse Nau. *cap. Enchir* 27. *n.* 6. cum enim in hoc casu delictū sit notoriū, causæ cognitionem nullā exigit, non est proinde metuendum, ne Episcopus loci, læsum se queratur tali sententia, cum ea sine turbis & strepitu fiat.

Quartum est, quando lex excommunicantis Episcopi, principaliter respicit rem aliquam, in eius Diœcesi positam, & ex consequenti personas, vel vt alii loquuntur cum subditus existens extra Diœcesim, intra eam peccat. Ægidius *supra num.* 6. *conclus.* 7. Nau. *Enchir. cap.* 27. *num.* 6. Sylu. *verbo excommu-*

nicationum. 8. De Auila 2. *parte de censuris in communi cap.* 3. *disp.* 2. *dub.* 2. *concl.* 3.

Ratio est, quod fictione quadam iuris, is qui abest, censeatur ratione rei quæ iubetur, aut vetatur, peccare in territorio eam præcipientis, aut vetantis, ita qui in Parochiis non resident, procul à prouincia sua positi, sub pœna excommunicationis ad id possunt adigi, cui subiacebunt haud dubiè, ni pareant.

Causa est, quod fictione iuris, peccatum censeatur ab iis admissum esse in Diœcesi propria, eo quod res ibi fieri sit censenda, vbi fieri debebat & non est facta, *lege qui non facit* 121. *de regulis iuris in* 6. his verbis: *Qui non facit quod facere debet, videtur facere aduersus ea, quæ non facit; & qui fecit quod facere non debet, non videtur facere id quod facere iussus est.*

Confirm. est diuino munere ac concessu, ea potestate instructus Episcopus, quæ ad salutare prouinciæ suæ regimen est necessaria; hæc de qua loquimur est huiusmodi, nam si existens extra Diœcesim, ob peccatum in ea commissum, puniri non potest à suo Episcopo, ob culpam factam in suo Episcopatu, de ea iusta repetere supplicia nunquam fas erit, & sic impunitate corroborata improbitas, ad audendum quælibet fiet liberior.

Dices, at enim vt est *in cap. vt animarum* 2. *de constitut.* ius dicenti extra territorium impunè non paretur, at subditus domi non est, ergo ab isto, ille censura tangi nequit: Neganda est minor *nam etsi corporaliter* (verba sunt Ægid. loco proxime citato) *sit extra Diœcesim, ratione tamen delicti, quod in ea committitur, in ordine ad coercitionem, censetur in ea esse, quare excommunicans censetur ius dicere in suo territorio.*

Dico quarto, *Delinquentem in loco exempto, à suo Episcopo excommunicari non posse;* Suar. *disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 6.

Causa est, quod Episcopus ius ibi maius non habeat, quam extra Diœcesim.

Dico quinto, *Religiosum, qui peccauit in alieno territorio, à superiori suo corrigi posse, & censura plecti, ob peccatum alibi patratum quam in Monasterio proprio.*

Ratio est, quod vbiuis terrarum, superiori suo ac Regulari obsequium sit debitum, eo quod mutatione loci, eius subditus esse non desinat, nec ei sit liberum eligere territorium, ac relicto proprio vbi est professus ria vota, domicilium sibi nouum constituere: ergo cum in perpetuæ superioris sui potestate fuerit, quamuis degeret alibi, cum ius subditus, cœnobiiq; sui sit incola, quàm ic iuste potest ac honeste, ob admissa in cœnobio proprio facinora, à Superiore cẽsura

A notari Ecclesiæ, tam in eum animaduertere iste licitè ob facta alibi, eumque punire potest sine scelere.

Sane ita fert regnorum fere omnium praxis vsu confirmata tribunalium, vt in aliena peccantes prouincia, remittantur ad propriam, ab eius, id est proprio suo iudicandi Præside, qua de consuetudine, Zerola in *praxi* 1. *par. verbo Remissio reorum, parag. ad* 6. vbi dicit Episcopum iuste posse ac cum laude, Clericum suum repetere, quem alius in vinculis habet ob culpam suam aliquam,

B pœna dignum.

Quid? quod Trid. *sess.* 25. *cap.* 14. ab Episcopo, remitti religiosum velit ad Superiorem, qui extra claustra, ita notorie deliquit, vt populo sit scandalo? & tamen de territorio nulla ibi fit mentio; sed tantum de Episcopo: ergo cum lex non distinguat nec nos quoque distinguere conuenit, *lege non distinguimus dig. de recept. qui arbitri.*

Dico sextò, *Ab Episcopo qui in propria Diœcesi residet, alienigenas ibidem versantes, extra Ecclesiam per excommunicationem poni posse.*

C Ratio est, quod culpa delinquentem ei submittat, qui loco cum authoritate præsidet, vbi est admissa, quod veteres canonici iuris interpretes significatum voluere, cum reum forum sortiri dixere ratione delicti, etsi alibi domicilii sui sedem stabilẽ fixamque habeat, ita Gregor. IX. *in cap. licet* 20. *de foro competenti*, Scholiastes, *in cap.* 1. *de raptoribus Iureconsulti ad leg.* 1. *Cod. de sancta Trinit. & ad leg. vltim. digest. de Iurisdict. omnium iudicum.* Itaque si qui est è Diœcesi Pa-

D risiensi oriundus, Meldis furetur, censuram ibi contra fures statutam subibit, nisi ante sententiam latam vrbe excedat, ac prouincia, quare si ad eum rumor deferat, fures Meldis, è superiori loco authoritate Pontif. fulminatos esse, ad eum lata contra hoc hominum genus sententia non pertinebit, quia vt quis forum acquirat ratione delicti, necesse est vt in fieri & conseruari in territorio alieni Episcopi maneat, nec tantum ei demandetur iurisdictio Ecclesiastica; itaque potest Episcopus Meldens. absentem reuocare, & non venientem, aut non resti-

E tuentem excommunicare.

Notandum tamen, hæc in conscientiæ foro locum habere nullum, nec enim qui deliquit in aliena Parœcia, eius Parocho conscientiam explicare suam vlla lege debet, sed proprio, cum Dei ac naturæ iure teneatur in foro externo, proximo scandalizato satisfacere, quæ causa est, cur qui in Diœcesi non sua iniuriam intulit, eo reuocari possit, vt pœnam luat, eaque, læsæ æquitati quantum ratio postulat, satisfaciat.

QVÆSTIO IV.

De causa subiectiua excommunicationis, seu quis excommunicari possit.

EXcommunicari potest Reus subditus, mentis compos, & in Ecclesia degens. Rei nomine eum intellige, qui fecit crimen contra quod intentata est excommunicatio, aut per testes fecisse est conuictus, quod cum accidit, etsi coram Deo sit innocens, tamen in modum excommunicati, in victu, colloquioque, ac omni demum vitæ genere se debet gerere.

Requiritur insuper vt excommunicandus sit excommunicantis subditus *cap. cum inferior 16. de maioritate & obed. cap. à nobis de sent. excommunicat.* Quia excommunicatio iurisdictionis est actio, quæ nulla est nisi in subditum, ob quam causam, nec quis à se ipso, nec ab inferiore, aut æquali, pœna hac plecti potest, Vgolin. *de censuris tabula 1. cap. 2. §. 6.*

Ratio est, quod excommunicatio non modo sit actio imperantis, sed & cogentis inuitum ad aliquid, at æqualis, æquali iubere nec repugnantem ad aliquid impellere potest. Ob eādem causam, nec Clerici à Laicis puniri, vt pote non eorum subditi, quoad coercitionem, sed vt maxime quoad directionem, in quantum est id necesse, vt agi & impelli ad ciuitatis finem valeant, qui est publica tranquillitas.

Nec similiter Turcæ, ac sacris nostris non initiati populi, D. Anton. 3. *par. tit.* 24. 74. *parag. 1. Sylu. excommunicatio 1. n. 7.* patet ex *can. multi 2. q. 7* ipsaque ratione, nec enim Ecclesiastica correctio vt ibi dicitur, quæ fit per censuram, proprie est aliorum, quam qui ad Ecclesiam pertinent, iuxta Paulum negantem *primæ ad Cor. 5.* eorum sibi commissum iudicium esse qui sunt foris.

Deinde est excommunicatio Sacramentorum in Ecclesia priuatio, quibus, cum ad ea nunquam sint admissi Turcæ, proprie his priuari, qui possunt? nequit ergo censura in eos lata ab Episcopo esse valida, etsi hanc ille postea pro rata habeat, quia quæ ab initio non fuere valida, quæ nullarum virium, ac roboris, hæc tractu temporis non corroborari est planum, cum firmari, cum valere, iis tantum rebus accidat, quæ quoad effectum ab euentu pendent, secundum Vgol. *tabul. 1. cap. 2. §. 11. 12.* quo de genere non est excommunicatio, vt pote quæ illico ac irrogatur rata sit, aut irrita, infirma, aut valida.

A Neque tamen potest à superiore subditus excommunicari omni tempore, causa est, quod producendo huic effectui necessaria sit iurisdictio, eiusque vsus non impeditus, at hūc, & illam, impediri nonnunquam posse res ipsa, quæ multum per se potest, indicat.

Primò, cum est ille authoritate Ecclesiæ pulsus ab Ecclesia, ex proxime præcedenti quæstione.

Secundò, cum ipse, aut subditus, extra Diœcesim versantur, hic quidem, quia egresso prouincia ius non dicitur, *cap. vt ani-* B *marum de constitut. in 6.* Episcopus autem, quia excommunicatio, iurisdictionis est actio: hæc ergo ibi tantum censenda est valida, vbi Episcopus dicere ius potest, hoc ei vero extra Diœcesim posito, fas esse authores negant ac canones.

Sunt tamen Syluestro verbo *excommunicatio 1. num. 6.* & Auilæ *disp. 2. c. 3.* quinque casus in quibus id Episcopo in aliena Diœcesi tentare est concessum.

Primus est, cum id aggreditur vt paulo C ante adnotauimus in loco vicino suo Episcopatui.

Secundus, cum in re manifesta, & quæ causæ cognitionem non exigit.

Tertius, cum de consensu Episcopi illius Diœcesis, in qua versatur.

Quartus, cum subditus extra propriā Diœcesim habitans, in propria, suáque, culpam admisit, Armilla *verbo excommunication. 30.*

Primo, quia alioqui multa impunita relinqui, multa sine nota, censuraque præteriri esset necesse, nam nec in alieno territorio ple- D cti sua, id est pœna iusta possent, vt supponitur, nec in proprio, cum qui est eorum author ac cōscius, absit, sedemque alibi fixerit, si non perpetuam ac stabilem, certe mutabilem & ad tempus, ergo nunquam.

Secundò, cum Pontifex in *cap. vt animarum 2. de constit. in 6.* excommunicari subditum, sed absentem vetat, de eo duntaxat loquitur, qui in alieno (vt aiunt) territorio ea meditatur, ac facit, quibus legi fit iniuria, ergo si in proprio Episcopi peccauerit, po- E terit priuatione sacrorum ac precum Ecclesiæ communium, puniri.

Quintus est, cum post patratum alibi facinus, domum redit, nam si tunc litem ei læsus intenderit, sibique hic per eum satisfieri velit, & ita Episcopus si iubeat, cui tamen imperanti lædens morem non gerat, excommunicari ob contumaciam poterit.

Ratio est, quod delinquens, subditus est Episcopi, ad cuius Diœcesin redit, in qua etiā eius causa ventilatur, Præsule cognitorē, ac iudice, causæ ergo nihil est, quamobrem cum

tum ab eo de crimine alibi commisso puniri nequeat.

Additũ est (*mentis compos*) vt ea voce indicarem in animalia censuram hanc non cadere, nec proinde vacare culpa Parochos, qui flecti se sæpe fidelium prece sinunt, vt fulmen hoc sacrum in locustas, mures & ventos intorqueant Enimuero cum sint hæc rationis expertia, ac proinde bonorum spiritualium naturâ suâ incapacia, quis non videt ea temerè ac frustra his in speciem exui? Sane cum in hominum opera sæuiunt, ac more suo, sata non sine damno mortalium arrodunt, precibus fugari, tam aqua benedicta, quam adiurationibus, quas eam ob rem Ecclesiæ adhibere est solemne, dispelli possunt, in quo tamen est hæc Parochis adhibenda cautio, ne animantes ipsas, perinde ac si humana verba, eorumque sensus caperent alloquantur, sed ad Deum vim mentis suæ, precumque conuertant, vt pro cætera sua in homines pietate, has fructuum agrorumque pestes, ex eorum abactas finibus male perdat, Vgolin. *tab. 1. cap. 17.*

Secundò, eadem voce (*mentis compos*) amentes ac furiosos de eorum excludimus numero, qui de Ecclesia remoueri ob culpam queunt. Quia sicut est probatum, cum de censuris in communi sermo erat, tales nec peccare, nec vbi peccauerint obstinate hærere queunt in scelere, quod tamen est ad excommunicationem necesse, cuius infligendæ causa, vna duntaxat est contumacia, quæ quomodo, aut quando, esse queat, sine propositi, hoc est voluntatis in vno, eodemque constantia ac affectu illaudabili ac vitioso, non intelligo.

Excipiendus est casus, ex dictis antea, in quo priusquā id genus hominum, hac inualetudine animi tentari cœptum esset, Ecclesiæ imperia renuisset facere, nam pœna ad id tempus retrotrahitur si fides est, Vgol. *tab. 1. §. 3. n. 4.*

De mortuo dicere nihil in præsenti habeo, quod de censuris in cōmuni sermo cū esset, abunde quę mei erant animi explanauerim. Eū sane improprie, & mediate excōmunicari posse fatentur omnes, potest idq; dupliciter: primò Ecclesia quam religiose potest, ac sancte, inhibente ministris, ne eum vlla prece impertiant, ne in congressu, negotiisque, commune quidquam cum illo habeant, hoc enim est illum mediate, ac indirecte, priuatione suffragiorum communium, ac bonorum quæ ad vitam faciunt, censura innectere, Auila 2. *parte cap. 4. disput. 11. dubium 11.*

Secundò excommunicat Ecclesia mortuum, cum illum exsectum, ac vt membrum

Pars secunda.

A fœtens ac putidum, de cœtu suo eiectum denuntiat, quomodo in 6. Synodo actione vltima, Theodosius, Sergius, & Pyrrhus, quidamque alij vita pridem functi, è fidelium sunt erasi albo, quod recenti Patrum memoria, in Concil, Constantiensi. factum in Ioannis Wiclefi persona docent historiæ, suntque denunciationis istius effectus varij, primus, quod excommunicati ob hæresim, bona fisco acquiruntur, *cap. accusatus de heretic. in 6.*

Secundus, quod liberi eius qui post mortem ob hæresim denuntiatus est vt hæreti-
B cus, infamiam iuris contrahant, neque admittantur ad beneficium Ecclesiasticum, aut officium publicum vsque ad secundam generationem.

Tertius, quod quidquid secus fit, fit irritè ac inaniter iuxta *c. 2. de hæretic. in 6.*

QVÆSTIO V.

An sint aliqui qui excommunicari nequeant.

C PRimò, pro contracto ære, excommunicari in Gallia, Clericos non posse, sacrarum ædium ministeriis occupatos scribit Choppin. *de sacra politia libro 2. tit. 3. n. 3.* quare facta prouocatione abusus ergo, à debitore Clerico, qui quia soluendo non esset, Pontificia imprecatione deuotus erat, Senatus abusiuè ab Episcopo actum pronuntiauit mense Ianuario anni 1569. Ancelino orante: Choppinus supra, id autem etsi fieri forte non deceat, factum tamen à Papa & Episcopo tenet.

D Secundo Aurelianensi edicto anni 1560. *art. 18.* prohibentur Præsules, excommunicationis gladium distringere in reum, præterquam in maioribus negotiis, ac publicæ notæ, id est scandali crimen spectantibus, quæ tamen potestatis restrictio, est postmodum postulastis Præsulum Franciæ abrogata à Carolo IX. reuocato sacrarum animaduersionum pristino more authore Fontanonio 4. *tomo edictorum regiorum*, & Renato *tit. 5. num. 4.* & ita vsus excommuni-
E candi, pro debitis pecuniariis, qui è Gallia sublatus fuerat, restitui est cœptus.

Tertiò, Senatus placito, quod in legem, iusque toto regno transiit, obnunciatio nulla Pontificia, pro debito promulganda est, nisi quam præcesserit in creditore, prehensio rerum solo cohærentium, ac prædiorum, si quæ forte debitor possidet quod quia non est vsquequaque sacris Trident. Synodi edictis consonum, cum intentari in eum religiosa Ecclesiæ verbera patiatur, quem æqui-

tas ac ratio ad officium inducere, redhibitione alienæ rei nequeunt, non probo.

Et vero priscis canonibus, totiusque orbis Christiani moribus, metu censurarum, veritas exprimi potest à consciis rei non satis cognitæ, vt de nocente, qui testium inopia, affici merita pœna non potest, iudex supplicia iusta repetat. Quid enim notius, quam de superiori loco identidem contorqueri solitas istius pœnæ subeundæ minas, in non reuelantē id, cuius causa ab Ecclesiastico iuridico literæ impetratæ sunt, quas appellamus communiter Monitorias? cur non similiter in non soluentē contracta à se nomina?

Quartò eximendos nōnulli aiūt à diris Pōtificiis, vectigales Religiosorū exemptorū, quos *Firmarios* barbaro nomine appellamus, in quos cum in Monasteriis regularium habitant concipi non posse, hoc maxime nomine quod diuina in suis, ac propriis Parœciis non obeant, Missam non audiant, &c. patet ex Bulla Alexandri III. data Cisterciensibus Gallis ea de re: & alia eiusdem sententiæ Alexandri V. concessa Præmonstratensibus, per quam tam ij, quam qui ipsis operam dant in agris excolendis ruri, aut domi suę, eximuntur à iurisdictione ordinarij, consequenter & à potestate, quam ferendæ in reos excommunicationis, arrogare sibi iure poterat, & quanquam intelligam, tam ex hoc diplomate, quam Iulij III dato ad Antonium Odoinum Parochialis Ecclesiæ sancti Ioannis Baptistæ de Chaussenoto Senonensis Diœcesis, eiusmodi priuilegiis, seduci quosdam posse de subiectione Ordinario debita, sicque extra potestatem sui Diœcesani constitui, vt ab eo moueri de Ecclesia, id est excommunicari, ob admissa à se scelera nequeant, sic enim Iulius his verbis: *Si Venerabili Fratri nostro Archiepiscopo Senonensi, & pro tempore existēti dictæ domus præceptori, vel quibusuis aliis ab eadem sede sit indultum, quod ad receptionem aliquorum non teneantur, ob id compelli, suspendi, interdici aut excommunicari non poterunt.* Est tamen huius beneficij concedendi Regularibus exemptis, eorumque domesticis, iusta causa: Enimuero loci exempti, ac constituti extra Diœcesim eadem est ratio, cum ei quoad iurisdictionem, per eundem Episcopum exercendam, æquiparari soleant, ex *cap. cum Episcopus de officio ordinarij in 6. cap. Volente de priuilegiis eodem lib* & ex *Clementina de priuilegiis sub finem*, vbi Episcopus perinde prohibetur exercere suam iurisdictionem, in locis intra suam Diœcesim exemptis, ac in illis qui sunt extra, sed morantes in alieno territorio, Episcopi legibus, ac pœnis teneri nequeunt, cum eius

A potestas prouinciæ suæ finibus claudatur, ergo nec regularium serui ac domestici, nisi quid, peccent cum sunt foris, & extra Monasterium, ratione cuius incipiant esse subditi Episcopi, quod & habent religiosi quilibet in iis casibus, quos Trid. & Henriquez referunt *lib. 7. cap. 24. §. 3. litera O. ad marginem.*

Neque tamē cū de istiusmodi hominū priuilegiis, in hac materia agitur, vllo modo probare possum quod scripsere Papon. *li. 1. tit. 5. arresto* 11. Lucas *lib. 2. tit. 5.* Bleianus *li. de beneficiis cum dignitatibus & personatu litera*

B *E. ad marginem*, Gallicis moribus receptum esse, vt apud nos Pontificiæ abnunciationes, in prima instantia nullius sint valoris, ideoque cum Rhemensis Archiepiscopus fulmina sacra contorsisset in Guillelmum Mardoium ob rescriptum Papale, curiæ sententia, iussum esse anno 1409. eiusdem solutionē suis impensis ex vrbe petere. Cur enim quod inchoata lite, aut finita, Papæ licet, sit eidem eius initio prohibitum? cur alieno ministerio, id est Gallicorum Antistitum, obedientiam à contumacibus ex-

C primere debet? Cur quæ Episcopo cuipiam est permissa causæ cognitio, hæc Papæ sit neganda? cur quam Galli Antistites, pro se quisque, inferre possunt pœnam contumacibus, eam Papa per se nequit, sed tantum opera Antistitum? ad quos causa in prima, vt aiunt, instantia defertur? quare huic istorum hominū opinioni fides habenda nulla.

Quintò, hoc Christianissimorum Regum priuilegium esse scripsere Feraldus regni liliorum, *priuil.* 4. & Chopinus *de domanio tit.* 30. *num.* 4. vt à communi omnium

D patre ac principe excommunicatione vi virgula censoria, in pœnam admissorum notari nequeant, eorumque hoc esse, regnique priuilegium, Pontificio vt interdicto, teneri pœnis ac vinciri non possint, incredibili Pontificum aduersum se beneuolentia, Nicol. III. Mart. III. Gregorii VIII. IX. & X. Clement. IV. & Vrbani V. quam diplomatis quisq; suis extare voluere, vt authores sunt Maynard. *lib. 4. qu. cap.* 100. *num.* 13.

E Bleyan. *in Theoria tract. de maiorib. beneficiis litera D. in marg.*

Sed nec curiæ decreta, nec citata Pontificum diplomata (quæ an extent mihi est incompertum,) euincent vnquam viri vt boni animum ad credendum inducant, eius qui modo in naui Petri clauum tenet, frenos potestati iniectos esse, nec vbi res, ac causa exigunt, cum in Ecclesiæ causa audere posse, quod ab eo postulabunt æquitas, ac ratio.

Primò, quia par in parem potestatem non habet

habet ex *cap. innotuit 20. de electione*, ergo priuilegia regibus mortuis, per memoratos Pontifices concessa, eorum successori in administranda Christiana Republ. non obesunt: ergo quæ fuit illorum olim aduersus Galliam, in eis annuendis liberalitas, iusta quoque eorum successoris si Ecclesiam dicto aut facto vulnerent, in eorum castigatione ac censura, poterit esse æquitati coniuncta seueritas, quod enim olim Innocentio III. dicere licuit cum de dispensando illegitimo sermo esset, cuius electionem nullam esse declararat Alexand. III. in Concil. Later. hoc in præsenti causa dicere cuilibet alteri est permissum. *Nobis per prædecessorẽ adempta non fuit potestas, cum non fuerit prohibentis intentio, qui successoribus suis nullum potuit in hac parte præiudicium generare pari cum eo potestate futuris, cum non habeat imperium par in parẽ.*

Secundò, ex *cap. dudum 14. de prebend. in 6.* Pontifex maiorem sibi potestatem retinet, quam concedit, at id verum esse qui potest, si quem antiqui Pontifices Ecclesiasticæ excommunicationi subduxere, hunc eidem subiicere eorum successor non potest? *Eo præsertim quod secundum canonicas, & legitimas sanctiones, per speciem generi derogatur, quanquam de genere in derogante specie, mentio nulla fiat*, Gregor. X. in *decretali dudum 14. de præbend. in 6.*

Tertiò, *Sensus indulti Pontificij, quo alicui conceditur, ne excommunicari, vel interdici possit non est, vt absolute & simpliciter, reijci ab Ecclesia nequeat, sed vt pro tali causa nequeat, nisi facta à Papa mentione priuilegii, vel vt non possit ab alio excommunicari, aut interdicto percelli*, Rebuffus *1. parte praxis benefic. tract. de forma & declarat. nouæ prouis.* verbo sed si venerabili fratri, quomodo ex eius mente intelligenda sunt concessa Regi priuilegia, ergo si eorum fiat à Pontifice mentio, iisdem per eundem derogari poterit, speciali aliqua clausula, cuius rei iustam esse posse, causam quis neget? *Quando ergo alicui indultum esset simpliciter, quod excõmunicari nõ posset, si insurgat cõtra matrẽ sedẽ Apost. excõmunicari poterit, quia non potest esse sine capite, ca. cum non liceat de præscript. nec valeret tale priuilegium*, hæc Rebuff. loco citato §. & quando.

Eiusdem cum eo opinionis est Grassal. Regalium Franciæ *lib. 2. iure 10.* verba eius adtexenda huic loco credidi, planum vt sit omnibus, ecquis nostrorum, ab omni æuo scriptorum, de Romani Pontificis auctoritate in omnes, sensus extiterit: *Istud priuilegium Christianißimi Regis est intelligendum, vt excommunicari non valeat à Prælatis Ecclesiæ inferioribus Papa, secus vero in excommunicatione ipsius Papæ, quia nec per priuilegium*

A *potest quis à potestate eius eximi, sicut nec à potestate Dei, cuius est Vicarius & locum tenens, quia sic esset eximere à potestate Dei, quod est absurdum, lege nã & absurdũ digest. de bon. lib. Ideo tale priuilegiũ non valeret, secundum Panor. in c. cũ instantia de censib. imo esset illi derogãdum vt factum ab Vrbano II. tradit, qui Philippum de Ecclesia expulit, quod propria dimissa coniuge aliam duxisset. Ex quo sequitur*, inquit, *priuilegium de quo agitur, cessare respectu summi Pontificis, à cuius potestate nemo est exemptus can. cuncta per mundum 9. q. 4.*

B Ex dictis colligere cuique est facile, quam parum prudenter, & vere, Galli quidam scriptores, in suos commentarios intulere, data ex vrbe, Regi & Reginæ priuilegia, æterna esse, cum ea successorem in sede non obligent.

Secundò, quam ab iis indecore notati sint olim Pontifices, vsurpatæ alienæ potestatis, maxime Benedictus XIII. quod Carolum VI. excõmunicasset, quam bene Bonifacius VIII. quod in Philippum Pulchrum, quã religiose in Iuliũ II. quod Ludouicũ, ense Ecclesiastico excommunicationis perculerint,

C dicta sit à profano homine Paschasio sentẽtia *disquisit. Frãcicarum lib. 3. c. 12.* quod enim Ecclesiæ neruũ incidat, quod eius stabiliendæ robur ac firmitatem elidat, quod Conciliorũ veritatem in populo traducat, quod summi Pontif. authoritatem impetat, quod in maiorum religionem ac fidem, sine religione irruat, probare nemo probus potest.

Nam quis ferat nouum è curia hominem ne quid dicam acerbius, de summa re, de sacrorum principe, de eius vi atque potestate sententiam dicere?

D Quanto Deus bone, Candidianus domesticorum Comes, illo fuit in hoc genere modestior. Venerat Imperatorum nomine ad Concilium, comitiis quæ quotidie habebantur ab Episcopis, de Deo, de Christo, de Virgine, de iustitia, de moribus intererat. Quid tum dixit, quid attulit quod oleret arrogantiam? Aderat, audiebat hoc tantum, si quid amplius, vt iussus erat, tacebat. Nempe meminerat nefas esse, vt ad Episcopos Cæsares scripserant, Valentinianus & Theodosius, τὸν τῶ καταλόγου τῶν ἁγιωτάτων ἐπισκό-

E πων μὴ τυγχάνοντα τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς σκέμμασι μίγνυσθαι.

Ad sæculares enim sæcularia pertinent, ad Sacerdotes Ecclesiæ, illis ius mœnium est commissum, non sacrorum, in quæ efferatus qui irrumpit, perit. Nec enim salutare modo est singulis, sed necesse quoque regibus, vt Papæ Fœlicis oratione vtar ad Zenonem. *Cum de causa Dei agitur, vt iuxta ipsius constitutiones, regiam suam voluntatem subdere stu-*

deant, non præferre, & sacrosancta per eorum Præsules, potius discere quam docere, neque in eius sanctionibus dominari velle; cuius clementiæ, Deus voluit eorum piæ deuotionis colla submittere, ne dum mensura cœlestis dispositionis exceditur, abeatur in disponentis contumeliam.

Quæ dum Paschasius, tacitus secum ipse reputat, lubet de eo scitari, quidnam sequutus nouam hanc doctrinam intriuerit quâ Reges, qua eorũ asseclæ ac ministri, qua Senatus, qua Proceres à censuris liberi, liberi ab Ecclesiæ vinculis, Pontificia execratione quasi virgula, è tribunali Romano notari non possint?

Concilia? at apertè sunt contraria, Patres? Pontifices Antistites? at tam ei aduersantur, quam certum est Vrbanum VIII. Romanæ præsidere Ecclesiæ. Repetamus si lubet antiqua sæcula, canones historias. Mentior si quid vspiam firmioribus literis commendatum voluere posteris, si quid melioribus incisum tabulis, si quid maioribus expressum notis. Ecquid enim exponunt vniuerso orbi potentissimos Principes diris Pontificiis confixos, fœde, ad exemplum humanæ contumaciæ prostratos, bonisque vacuos? Quod ipsum solum si foret enimuero dicta caussa esset, sic enim disputo, cui diem dicere, litem intendere, pœnã irrogare Imperatoribus fas fuit, cur id illi quoque hoc tempore, cum res temporaque exigunt, tentare sit nefas: Nisi forte horum quos micantes auro, simul ac aula pedem efferre contigerit, contuentis se populi oculos animumq; furari cernimus, conditio sit melior, quam Arcadii, quam Anastasii Cæsarũ? quibus Romana Respublica tantum debere se prædicat quantum hominem, homini est permissum? Ecquid tamen ab Agapeto Arcadius, quod Chrysostomo sine causa infestus esset, prope fulminatus interiit?

Quid Anastasius? quid Childebertus ambo reges? Et vterque malo suo est expertus quam non parere Pontifici exitiabile sit homini. Ambo decretis sunt Pontificiis Symmachi & Innocentii, ab Ecclesia, quasi vncis abstracti, ambo ab amantissimis Christi amplexibus, censuris diuulsi. Ille quod abalienato à veritate animo, è Monothelitarum pharetra deprompta arma in Ecclesiam moueret. Hic autem quod Iuetoti, viri optimi, innocẽti sanguine iratas manus indecore, turpiterque fœdasset.

Nec narrare Paschasium pudet, cum de plectẽdis aulæ curiæq; proceribus, de vindicandis Reip. membris ac partibus agitur, ex armatam esse Pontificis dexteram, quæ tam formidanda in reorum caput incumbit, vt iratæ succumbere, aut ab ea atteri, frangi- A que sit necesse.

Eum nempe non timeant humiles dumi, virgultaque iacentia, cuius commoti furorẽ æstumque ferre, cedri non possunt?

Neque hæc tantorum duntaxat Pontificum laus propria, manauit porrò ad posteros, quare qui eorum fuit tum ardor in propugnanda Ecclesia, hunc Dei benignitate propagatum fœliciter, continuata retro serie, succedentes sibi inuicem Pontifices tenuere in moribus, vita, & sermone, vt memorare eos nolo, qui obscure nobis sunt aduersi, ita nec qui aperte isti sunt causæ propitii, silere quæro.

B

Gregorius VII. Henric. IV. Bonifacius eius nominis VIII. Philippum Pulchrum, Iul. II. Ludouicum XII. Clem. VII. & Paul. III. Henricũ VIII. Pius V. Elizabetam Angliæ Reginã, decretis ipsi suis cõfixos de piorum Ecclesiæque gremio voluere submotos esse, quemadmodum Ambrosius, Theodosium at quem virum? & quamobrẽ? quod cædem fieri iussisset insontium, templo expulit, in profanorum numero habuit.

Aluit olim Patrum memoria Celtica Britannia Principem, quàm templis, aris, cæremoniis, Episcopis, tàm Deo, sibi, ac Leoni Pontifici contrarium. Nihil erat impuris eius manibus religiosum, nihil sacrum animo, nihil illibatum libidini. Nam vt taceam eius armis infessa itinera, exhausta templa, dissipata monumenta Cœlitum, agros prædiaque Ecclesiæ, turpi sacrilegio aggregata eius ærario, præter insitam ferociam, Leonem non ferebat, hinc tantum illud ac tam immane odium sacrorum, Ecclesiæ, Antistitum, quod nisi authoritate sua, vt obiectis repagulis, Galli Episcopi in curiu stetissent, enimuero exundasset in bonorum omnium florentisque prouinciç exitium.

C

D

Quibus ergo obicibus exæstuantis Neomenii procellosos impetus, quibus tumentes fluctus irati Principis compescuere molibus? Landrano Turonensi Archiep. Præside, Carolo Caluo assensum dante, coit in Concil. vniuersa Gallia, Deus bone, quæ ingeniorum fœcunditas, qui ciuitatum splendor, quæ Prouinciarum dignitas, quæ decora Ecclesiarum ac lumina, quæ linguæ, quanta subtilitas, quantæ virtutum, & eruditionis diuitiæ, augustum illud sacrarium impleuerunt?

E

Refert Lupus Ferrariensis Abbas, omnium eò Episcoporum inclinasse sententias, vt si amentiam, monitus Neomenius non poneret, tum enimuerò, ad perpetuam sæculorum memoriam formidandis Ecclesiæ armis, palam & aperte orbe spectante vindicandam. O dignam vocem! ô sementem! ô herbam!

ô herbam! ô florem. Si quidem posses in horum pectoribus maturescere, qui Senatui omnia cum tribuunt, Papæ pauca, Ecclesiam debilitant, maiestatem pessundant, quam lætam hoc tempore obseruantiæ erga Deum, Præsulesque segetem ferres, quam pacis ac obedientiæ vberem. Sed enimuero nostra nos scelera tanto gaudere bono non sinunt. Quam in hoc genere nobis dispares Henricus Angliæ, & Godefredus Lotharingiæ, ambo Principes qui fœdis suis factis Pontifices cum exulcerassent, ille indignissima S. Thomæ clade; hic cum Frederico oppugnanda vrbe, ideoque piorum numero moti vterque essent, quas non de se pœnas exegere? quæ non supplicia, vt detersa admissorum labe, redderentur Deo, cœlo, Ecclesiæ?

Logos ergo narrat aduersarius, cum Pontifici integrum esse negat Reges, Principes, Senatores, contumacia lapsos, excludendi templis, Sacramentis, congressuque hominum.

Agedum ergo quoniam decretis, oraculis, exemplis, factisque summorum Pontific. superiores sumus, pro nobis an ratio similiter faciat, vestigemus. Equidē cum de vindicandis sceleribus agitur, eius est maxime, in eam rem incumbere, quem è plebe ad Reip. gubernacula sublimem fortuna extulit. Nec enim inferri pœna potest sine sententia, nec hanc alius dicere, quam qui authoritate prǽditus, in salutem Reip. commodumq; priuatum ciuium, Dei principisque voluntate excubat. Iam hoc quæro ecquid non imperia, sceptra, regna, Curia, Pontificis potestati sint obnoxia? nam quem lateat ei nostri, ei Principum, ei orbis vniuersi curam commissam, cum in persona Petri iussus est à Seruatore Christo, quantum est vbique hominum in salutaria diuini verbi, Sacramentorumque pascua, tam facto præire, quam voce, *Pasce oues meas.*

Ergo quem è cœno, fœceque facti homines, Pontifici cultum non abnuunt, hoc eum Principes, hoc proceres exhibere ardentius conuenit, quo ex celsiori quam illi loco, ad conspectum positi, in quamcunque partem incubant, maiorem secum animorum inclinationem trahunt,

Bene habet, iam causæ nostræ fundamenta sunt iacta. Nam si Pontifici obsequi Reges debent, si tiaræ sceptra subiici, si diadema sacræ purpuræ, si Romanę curiæ priuata Regum, vt ad obsequium pronos præmiis, sic immorigeros, sic duros, sic peruicaces, iustis in vrbe suppliciis puniri posse quis non videt?

Equidem quod Paulo, hoc ex causa, omnibus Episcopis licere scripsit Hieron. in Oseam, quare vt ille Corinth. ab Ecclesiæ gremio abstractum, sathanæ ob libidinem dedit in interitū, sic & hi quos portentosis suis sceleribus Ecclesię vident esse dedecori, vt corrupta labe membra, ne reliquo corpori contage sua obsint, spirituali censurarum esse resecāt. Sic Firmilianum à Stephano II. sacris emotum Cyprianus narrat, quod collatum ab hæreticis Baptisma, inane esse diceret. Sic eodem auhore ac præside, Africanæ Synodi suffragiis confectus interiit, è Christianorum turba homo non ignobilis quod moriens Presbyterum contra decreta Præsulum, liberis suis in tutorem adoptasset, mitto cæteros, ne, quod nolim, commemoratione rei minimè dubiæ, tempus trahere, arguar.

Ergo à Pōtifice Principes, si quid forte eos peccare contingat, vapulare nobiscum eligant, aut si parere nolunt, submoueri sacris, orbari Sacramentis, sine nobis non abnuant.

Sexto est, hoc quoque in regni priuilegiis, quod Rex ab vllo regni sui, aut alterius Antistite, excommunicari nequeat, nec vt talis palam, ante in publica concione hominum renunciari suis popularibus, ita Feraldus *priuilegio 6.* Regni liliorum, Grassalius *lib. 1.* regalium iure nono in cuius rei fidem, duas Feraldus à duobus Pontificibus Clemente V. & Martino, eius nominis item V. Bullas ea de re Regi datas narrat Clementi addit Grassalius loco proxime citato, Ioañ. XXII. in Extrauag. frequentes circa finem de iudiciis, sed de Rege ibi ne verbum quidem, sed tantum de mendicantibus.

Quod autem tam Feraldus, quam Maynardus *lib. 8. tit. 23.* Chenutius *in additionibus ad Paponium arr. 9.* Fabr. *de maioribus & minoribus beneficiis num. 51. & litera Q. ad marginem.* Grassal. *lib. 2. de iure regali um iure nono parag. hinc est secundo*, asserunt concessum quoque esse Regis officiariis, vt excōmunicari similiter nequeant, pro actu exercitii iurisdictionis temporalis, vt loquuntur, exemptosque ab Episcoporum iure, eorum auctoritate ac sententia, moueri de Ecclesia non posse, quamuis in eius leges statutaque, fungendo suo munere, suaque obeunda prouincia peccent, credere vix possum.

Fac enim nobiles, corporis regii stipatores, ministeriis regiis occupatos in aula homines, vacationem fori Ecclesiastici habere, fac fulmina Ecclesiæ ab Episcopis in eos, cum sunt nocentes, stringi non posse, breui virtus, breui artes omnes expulsæ de ciuitatibus exulatum ibunt, infinita dicendi agendique licentia pro iis in eas reuecta. Quia

tamen regni praxis sic habet centumuiralis curiæ firmata decretis, quorum Feráldus *priuilegio 6. iuris liliorum*, & Graffal. loco proxime citato, meminere, eam improbare nec volo nec audeo.

Septimò tertius est, quod de excommunicatis in Concord. dicitur *tit. de excommunicatis vitandis §. statuitur*, eorum nempe qui notorij sunt Clericorum percussores in Francia, non necessario Christiano homini vitanda esse commercia, nisi cum sunt è superiore loco denunciati, ac pro talibus haberi iussi expresse, id est de nomine, ac specialiter, aut certe sic eos notorie, ac perspicue, in excommunicationis sententiam constat incidisse, nulla vt id queant, tergiuersatione celare, aut aliquo iuris suffragio excusare, quo quia tueri se possunt, notorij percussores Clerici, aut factum tergiuersando obtegere, vt si exempli causa, causentur se læsos, nec nisi honoris causa repercussisse, ex Nauar. *in Enchirid. cap. vltimo num. 26.* dicere non metuo, eos, etsi vulgo vt Clericorum percussores cunctis cognitos, non necessario tamen fugiendos, quod solis permissum est Gallis, cum in Constantiensi *in Extrauag. ad euitanda, & 17. q. 4. can. si quis suadente diabolo 28.* iubeantur singuli modo rationis capaces, ab eorum congressu, vt à scopulo animæ, ac gratiæ abscedere, Nauar. *in Enchirid. cap. 27. num. 77.* Sylu. *verbo excommunicatio 6. num. 5.* Caiet. *eodem cap. 10.* Auila *2. parte disp. 3. dub. 11.*

Postremo etsi excommunicationis pœna, pulsari soliti sint contumaces, nulla spe eius tollendæ, nisi suæ amentiæ modum ante posuerint, & quæ expensa sunt in litem refundant, & iudicatum se facturos satisdato spondeant, ex Innoc. III. in *cap. cum olim, & cap. ex parte de verb. significat.* Hoc tamen tempore maiori lenitati apud Gallos est locus, nam post solutum edictum Melodunense, in cuius articulo 23. vetabat Rex dicarũ relaxationes appellatione pẽdente solui aut remitti, curiæ placuit, ad tẽpus earũ vim suspendere, dũ de appellatione iudiciũ fieret, excepto duntaxat, si ij qui ad cautelam, temporariam solutionem petunt Ecclesiastici sui vinculi, ex manifesta offensa anathemate ferirentur, aut expromissorem, vademque suæ aduersus Ecclesiam futuræ reuerentiæ, dare renuerent, ita decretum est authoritate prinicipis in comitiis Andegauensibus, quos nos magnos, dies dicimus anno 1539.

QVÆSTIO VI.

In qua explicantur dubia, de his qui excommunicare, & excommunicari possunt.

PRimum, *An Prælati, qui iurisdictionem quasi Episcopalem sibi vendicant, ac proinde possunt in subditas sibi gentes animaduertere censuris Ecclesiæ, potestatem hanc suam delegare alteri valeant?*

Valent, id vt sentiam, suadet hæc ratio, quod qui Regularibus præsunt, Generalis, Prouincialis præpositus, Guardiani, Priores, Rectores, iurisdictione non tantum in interno, sed externo quoque foro polleant, eaque ordinaria, non tantum ex priuilegio, sed etiam communi iure, sunt enim eorum pastores, Henriq. *lib. 13. cap. 24. num. 3.* quibus ex propria ratione sui muneris incumbit, illos regere, vt ad bonarum studia artium, stimulos illis addere, ita & à vitiis reuocatos, continere in officio, at qui ordinarium agit, proque tali habetur in Ecclesia Dei, cum est ad eius gloriam, ac cõmodum subditorum necesse, aut vtile, partes suas in administrando cœnobio, potest alteri committere, ergo & excommunicandi.

Fit autem per priuilegium Pontificis, vi cuius eximuntur priuilegiati ab ordinariis, eorumque cura, primo, vt territorium Generalis tam latè pateat, quam orbis, secundo, vt regulares ab eo, aut Abbate, ad Episcopum prouocare nequeant, sed ad solum Pontificem.

Secundum, *An & quare, bestiarum adiuratio sit vetita?*

Dico primò, *Adiurare creaturas irrationales directione sermonis ad eas, quasi ipsæ se moueant, aut nobis aduersa efficiant, malum est, malitia quæ sit vanitatis propria.*

Primò, quia ridiculum est credere, in animantes rationis expertes intentionem nocendi cadere, ergo eas alloqui, peræque ac si id illæ vellent, aut possent non velle, vanum est.

Dico secundò, *Adiurari tamen eas posse, vt ab alio mouentur ad nocẽdum, & quidem si his in eum finem Deus vtitur, orandus est, vt placetur, easque, ac illarum vim aliò deflectat ne noceant,* Diu. Thom. *2. 2. q. 90. art. 3.* quod si adhibebuntur à Dæmone in hominum perniciem, iubendus erit authoritate Dei, vt noxa, damnisque inferendis abstineat.

Dico tertiò, *Culpam quæ in adiurandis ac excommunicandis huiuscemodi rebus admittitur, superstitiosæ cuiusdam vanitatis esse*, Sanch. *to. 1. in Decal. lib. 2. cap. 42. num. 39.* Suar.

tom.

tom. 5. in 3. parte disp. 5. sect. 1.

Ratio est, quod cum ratione animantes hæ careant, non possit non esse ridiculum, ac vanum, eas à nocendo censuris deterrere velle, aut credere id istis artibus assequi quem posse, est hæc tamen culpa eiusdem Sanchesii opinione leuis, *quia*, inquit, *est sola vanitas quædam, nec animus sic adiurantis est ridiculos facere exorcismos, ibid. num 27.*

Tertium, *An consuetudine induci excommunicatio possit ac debeat.*

Solæ nequaquam, ei superioris addi sententia debet, aut certe constitutio, Nauarr. *cap. 27. num. 7.* Ostiensis apud Angel. *verbo excommunicatio 1. num. 6.* Sylu. *verbo excommunicatio 1. num 4.*

Causa est, quod excommunicatio vtpote odiosa, coactiuam potestatem exigat, quare necesse est vt constet, inductam esse ab habente potestatem, & qui excommunicare possit, ac valeat, qua potestate subditi cum careant, consuetudinis authores esse nequeunt, quæ excommunicationem inferat. Si tamen alicubi consuetudo inualuit, vt tale quid faciens aut omittens v. c. carnes in Parasceue comedens, non communicans in Paschate, censeatur excommunicatus, eaque à Superiore, cui ius est excommunicandi, approbetur, qui in eam commiserit, ea pœna tenebitur, non secus ac si sententia in eum dicta foret.

Ratio est, quod consuetudo rationabilis, ac præscripta legis vim habeat, vt docet D. Thom. *1. 2. q. 97. art. 3.* Sylu. *verbo consuetudo num. 3.*

Quartum, *An Angeli, vel homines mortui, excommunicandi ius habeant.*

Nequaquam, si de iure communi agitur, si de dispensatione Dei, secus.

Pars prior probatur, solis viatoribus est hæc potestas à Christo tradita, Ioann. 20. Matth. 16. & 18. his, quorum fit in quæstione mentio, viatoris appellatio non conuenit.

Quid? quod hominem ab homine regi doceat, quod mutua inter ipsos colloquia, commerciaque intercedere oporteat, vt iuuare se inuicem, suamque promouere salutem maiori facilitate possint, quo non nisi viatoribus, hoc est superstitibus facere est concessum.

Pars posterior, non minus est certa, quam prior. Enimuero habet Christus potestatem clauium absolutam, plenam, nec limite vllo definitã, quare vt claudit, & nemo aperit, aperit & nemo claudit, ita & eam quando, & quibus placet, cõmittere potest delibatam, aut integram, sicut in templorum consecratione, ac Præsulum, contigisse est cer-

A tum. Amphilochius enim in Episcopum consecratus est ab Angelo, Nicephor. *lib. 11. cap. 20.* Bellarm. *lib. 1. de Sacrament. cap. 24.* Ecclesiam S. Michael in monte Gargano dedicauit in honorem Angelorum, Diu. Thom *3. parte q. 64. art. 7.* Iuuit alius Remigium, cum Clodouei baptizandi beata illuxit dies, eius enim inungendo sacro vertici oleum cum deesset, ampullam diuini cuiusdam plenam, è cœlo delatam baptizanti Remigio Angelus obtulit.

B Quintum, *An excommunicatus excommunicare valeat.*

Si est denunciatus, & non toleratus, hæc ei potestas non conuenit, in hunc sensum capi debent quæ ab Alexan. II. scripta sunt Valeriano Martyri, ac à Gratiano relata *in causa 24. qu. 1. can. 4.* his verbis: *Audiuimus quod Henricus Rauennas visus sit te excommunicare, verum quia excommunicatus te excommunicare non potuit, Apostolica authoritate, te tuosque absoluendo, mandamus exinde nunquam curare,* præcepti est hæc causa, quod excommunicatus, vsu potestatis iudicandi careat, Gre-

C gor. IX. testimonio in decretali *exceptionem 12. de exceptiõn.* vbi dicitur *à iudicis officio repellendus*, etsi non opponatur exceptio, quæ causa est, cur lata ab eo sententia infirmanda dicatur in *cap. ad probandum 24. de sentent. & re iudicata*, ergo cum esse hæc sine potestate, eiusque vsu libero nequeat, dictaque à vero iudice ex causa iusta, in irritum reuocari non debeat, vt iubetur rescindi, quæ est ab eo prolata, *qui est excommunicationis vinculo publice innodatus*, dicendus est excom-

D municare non posse, cum est denunciatus. Posse autem cum toleratur ab Ecclesia, idque ob causam contrariam, nempe quod tunc vsu publici officii non sit priuatus.

Sed enim (inquies) excommunicatus publice, sed toleratus, est extra Ecclesiam. Omnino, sed nego tamen inde sequi eum potestate ad excommunicandum necessaria priuatum esse.

Ratio est, quod hæc dignitatem sequatur non personam: toleratus autem, in officii dignitate, & vsu permanere finitur.

Sextum, *An sede vacante Capitulum, aut*

E *creatus ab eo Vicarius in spiritualibus, excommucare possit.*

Potest ita Rebuff. *par. 1. praxis rubrica de deuolutionib. num. 62.*

Ratio est, quod Episcopo fatis functo, Capitulum succedat in necessariis, cuius etiam vices tam in temporalibus, quàm spiritualibus obire dicitur, *in cap. penult. & vlt. de supplenda neglігent. prælator. in 6.* at est crebro necesse, reprimi vitia, coerceri magnæ facinora censura Ecclesiastica, cum si impunita

fuerint, si iusta eis nulla pœna imposita, pessumi ire omnia, bonas euerti artes, virtutum studia interire in Republ. sit necesse, excommunicare ergo ac suspendere, Capituli Vicarius vacante sede poterit Bonifacio teste *de maioritate & obedient. in 6. cap. vnico,* his verbis: *Episcopali sede vacante, Capitulum, seu is, ad quem Episcopalis iurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, iis, quibus posset Episcopus si viueret, ab excommunicationis sententia siue iuris, siue hominis fuerit, absolutionis beneficium impertiri potest, nisi ei fuerit à sede Apostolica specialiter interdicta potestas.*

Septimum, *An Episcopo si non est è superiori loco prohibitus, rem negotiaque habere vlla cum fidelibus, ius sit excommunicandi nocentes, cum res ipsa, ratioque culpæ exigunt.*

Sensus est, an Episcopus in arma ruere Ecclesiæ, iisque contumaciam frangere semper valeat, cum non est à Superiore, culpa sua eiectus ab Ecclesia.

Dico, *Non posse, quia eum non sola excommunicatio potestatis suæ vsu priuat, qui tamen ad excommunicandum expeditus esse debet ac liber, sed & alia, quorum tripertita est ratio.*

Primum est, cum qui est Episcopo superior, ei prohibet, ne potestate sua vtatur, ne quem suspendat, aut excommunicet, sique contra faciat, id pro irrito habendũ esse, vt fecit Bonifac. VIII. *in cap. quia plerique 4. de officio ordinar. in 6.* vbi ab Episcopis censurarum metu retineri fideles, iisque interdici vetat, ne quæ sunt ad Monasteriorum vtilitatem opportuna, Abbati aut eorum superiori renuncient.

Secundum, quod ab infligenda censura Episcopum cohibet, est, cum ab eo ad superiorem est appellatum, antequam eam irrogauerit, quia tali appellatione potestas eiusque vsus suspenditur in Iudice, *cap. pastoralis 28. de officio delegati cap. is cui 20. de sent. excommunic. in 6.* si contra faciat, acta eius omnia sunt irrita, *de restitut. spoliator. cap. significantibus 38. de officio delegati cap. ex conquestione & ibi Glossa penult. de restitut. spoliator. cap. ad præsentiam de appellat.*

Tertium tempus, in quo Episcopo non excommunicato, excommunicare non licet, est cum à reo ex causa rationabili ac honesta est recusatus in iudicem, siue ante litis contestationem, siue post, *cap. si quis contra Clericum, de foro compet.*

Octauum, *An excommunicari possint hæretici.*

Coniunctis sententiis hoc ipsum docuere, & sacrorum canonum & Theologiæ magistri, videndus, Sylu. in *verbo hæresis 1. q. 13. seu numero 19.* Angel. *verbo num. 26.* quorum vterq; est in munere sacræ inquisitionis egre-

A giè sapienterque versatus, nam etsi foris sint, fuere tamen aliquando intus, in Ecclesiam enim cooptati sunt per Baptismum; quod est satis vt puniri queant, Apostolus autem cum ius cognoscendi de his qui sunt foris adimit Episcopo, de iis duntaxat loquitur, qui nostris non sunt vnquam imbuti Sacramẽtis, quare sicut, qui militiæ nomen dedit, esse sub sui Ducis potestate non desinit, quamlibet ad hostes deficiat, aut sub altero duce stipendia faciat, à quo reuocari si poterit, iustas haud dubiè transfugii sui ac defe-

B ctionis pœnas dabit, ita & hæreticus, eoque quã ille iustius, quod baptismi characterem, quem culpa delere nulla potest, conseruet, cuius tamen occasione ac causa, Ecclesiæ subiicitur, videndus, D. Th. *q. 22. additionum art. 6. ad primum.*

Nonum, *Quid de iis sentire oporteat, quibus priuilegio id conuenit, excommunicationi subiisse ne possint.*

Respondend. primò, tribui id Papa posse nemini, ne à se plecti possit, aut corrigi, quia Ecclesiæ sibi cœlitus commissæ curam abii-

C cere nequit, aut deponere, cum eius, ac quotquot est vbique hominum sit Pastor, (quod enim Petro à Christo est olim dictum Ioan. 20. *Pasce oues meas*, illud ipsum Papa quoque sibi dictũ existimare debet) ita nec est vllus, qui se eius potestati subtrahere, ac furari plenè possit ac integrè, ouis est, ad pascua duci, indeque domũ reduci debet, ac si quãdo de via abierit, pedo, lapide, aut baculo, in ouile cogi. Quod si ab Episcoporum foro, Papæ beneficio subductum se quis dicat, primo ipsa mihi priuilegii verba videntur discutienda, exinde forma, tertio aliorum si quæ

D eius generis vnquam sunt concessa, praxis, vsusque in Dei Ecclesia, quarto Papæ diplomata bullasq; legi placet, vt ex iis sciri queat ac erui, ecquid postmodum tale priuilegiũ fuerit Papæ auctoritate reuocatum, aut Cõciliorũ decretis, oppositoq; vsu, ac more eoque legitime præscripto abrogatũ. Enimuero Regulares constat, ab Episcoporum exẽptos iure, in multis eisdem esse, vt Apostolicæ sedis delegatis subiectos per Concilium, vt videre est *sessione 5. cap. 2. sessio 6. cap. 3. sess. 7. cap. 7. & 14. sess. 23. cap. 16. parag. nullas sess. 24. cap. 1. 2. 4. sess. 25. cap 4. 11. 13. 14.* nec

E infrequenter concessa à se priuilegia Papa reuocat vt colligitur, ex *cap de constitut. in 5.* & *quando in indulto est expressum, quod quis non possit compelli, excommunicari, & interdici, sic capiendum non est, vt non possit excommunicari simpliciter, sed vt non possit excommunicari pro tali causa, vel nisi facta priuilegij mentione, vt hic, vel vt non possit ab alio excommunicari, quam à Papa, prout est concessum (vt fertur)*

Regi

Regi Franciæ, vt est in libro liliorum Regis Franciæ 6. per Ioan. Feraldum. Rebuff. *in praxi beneficia. par. 1. tractatu de forma prouisionis nouæ verbo sed si venerabili fratri nostro*, quod autem de Rege scripsit hic author, ad Imperatorem quoque pertinere vult, Sylu. *in verbo excommunicatio 1. num. 10. parag. nec similiter*, ei assentiuntur Antoninus, *3. par. tit. 21. cap. 75.* Armilla *verbo excommunicatio* 28. etsi enim suis olim subessent Episcopis Imperatores ac Reges, vt Ambrosii factum loquitur à quo Theodosio imperatum narrant historiæ, vt publicè sub excommunicationis pœna pœnitentis animi signa daret: Baron. to. 4. pag. 531. è re tamen est communi, eos hoc tempore quoad hanc pœnam non subesse ordinariis, ob turbarum metum prope certum, si publicè, deque loco superiore excommunicati renunciarentur ab Episcopis.

Decimum, *An exempti ratione loci tantum, excommunicari possint occasione contractuum, aut delicti extra locum exemptum admissi.*

Posse dixit Innoc. quartus in *decretali volentes de priuilegiis in 6. Declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcunque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus ratione delicti siue contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, ritè possunt coram locorum ordinariis conueniri, & illi, quoad hoc, suam in ipsos iurisdictionem exercere*, quam legem suo quoq; approbauit calculo Concil. *c. 14. sess. 14. sess. autem 5. c. 2.* monentur Episcopi id laborare, vt Parochi, *Dominicis & Festis diebus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate, pascant salutaribus verbis, id vero, si quis eorum præstare negligat, etsi ab Episcopi iurisdictione, exemptum se quauis ratione prætenderet, prouida solicitudine non desint ne illud impleatur*, Eodem *cap. parag.* si vero, habetur Regularibus prædicandi verbi Dei potestatē ab iisdē Episcopis adimendā, si errores in populū disseminauerint, diem autem iis dici oportere ac pœnam imponi, *si hæreses prædicauerunt, etiamsi prædicator ipse, generali vel speciali priuilegio exemptum se esse pretenderet, quo casu Episcopus auctoritate Apostolica, & tanquam Apostolicæ sedis delegatus procedat.*

Dixi *ratione loci* nam qui occasione ordinis, quem profitetur, aut personæ quam agit & sustinet in Dei Ecclesia, est à censura Episcopali, Papæ indulgentia exemptus, vbicumque eum peccare contigerit, à suo excommunicari Præsule non poterit, Innoc. IV. decreto qui de huiusmodi hominum tenere sanxisse legitur *in cap. 1. de priuilegiis paragr. in eos, ne ordinarij iurisdictionem suam, quantum ad ista, vbicunque illi fuerint, penitus exercere possint.*

Pars secunda.

A Vndecimum, *An qui dubitat vtrum sit excommunicatus, pro tali gerere se debeat.*

Duplex est dubium, iuris vnum, facti alterum. Dubium iuris est, quando facta diligentia dubitatur, an excommunicatio à iure sit imposita, aut homine, an secus. Dubium facti, est cum scitur quidem, à lege aut superiore dictam esse excommunicationis sententiam, sed ignoratur an hoc, aut illud opus, ea comprehendatur, & an per illud sit incursa.

B Dico primò, *Dubitantem an censura sit lata, & post moralem diligentiam adhibitam vt de re constaret, hærentem in eo dubio, non teneri se pro excōmunicato gerere, & à sacris abstinere, nec priuatim nec publicè:* ita Suar. *to. 5. de censur. in 3. part. disp. 40. sect. 5. num. 15.* Sanch. *tom. 1. Decal. lib. 1. cap. 10. num. 32.* Henriq. *lib. 8. de Enchirid. cap. 45.* Sa *verbo dubium numero 2.*

Ratio est, quod nemo tenetur lege, quæ sibi non est sufficienter proposita, nam nulla obligat nisi promulgata, promulgatur au-
C tem, cum auctoritate Superioris proponitur obseruanda populis.

At quando facta morali diligentia, vt de re constaret, sciri tamen non potuit, an lex aliqua censuræ esset, necne, talis lex, non est quantum sufficit, dubitanti proposita, ea ergo hic non tenetur.

Confirm. melior est conditio possidentis quam non, at in hoc dubio, tota est pro libertate possessio: ergo, &c.

Secus quam nos opinantur Bresserus *lib. 4. de conscientia dubia cap. 9.* Vasq. *22. q. 19. art.*
D *6. disp. 65. cap. 3. & disp. 66. cap. 1.* Azor. *to. 1. instit. moral. lib. 2. cap. 19. q. 10.* Comitol. *lib. 6. q. 57. nu. 3.* firmamenta huius sententiæ præcipua sunt.

Primum, quod in dubio morali, animus ad eam partem, quæ periculi est expers, sit flectendus.

Secundum, quod ita Innoc. III. *in cap. illud de Clerico excommunicatio minist.* existimet ibi enim Hildesemensem Episcopum arguit, quod dubius de excommunicatione in se lata, diuina officia solemniter celebrauerat, qui tamen, *quia in dubiis via est eligen-*
E *da tutior, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare.*

Respondendum primò, reprehendi Episcopum illum, quod cum fama publica nararet, eum excommunicatum, ei tamen non detulerit, sicque se certo peccandi discrimini obiecerit.

Secundò dici potest, Innoc. in ea opinione fuisse vt crederet, in dubiis, hoc est cum animus ob paria rationum pondera in neu-

tram partem propendet, tutiora omnia amplectenda cuique esse, quod vsquequaque verum esse non putamus.

Dico secundò, *Cum dubium est facti, & à dubitante adhibita est diligentia, vt sciret ecquid à se gestum comprehendatur sub censura, quæ data à superiore dicitur, non teneri se pro excommunicato gerere, aut à sacris abstinere.*

Ratio est, quod durum sit nimis, aliquem sine certa excommunicationis à se incursæ notitia, sacrorum sibi vsum interdicere, abesse autem à consortio, congressuque propinquorum, cum id non sine magno suo facere queat incommodo.

Secundò, dubitare an factum aliquod de eorum sit genere, quod censura comprehenditur, est dubitare an lex sit & præceptum de ea re impositum, at cum hoc dubio, quod iuris est, remouere se nemo à sacris, eorum vsu, aut fidelium congressu Ecclesiæ lege, aut naturæ tenetur: ergo &c.

Huius opinionis assertores sunt & patroni, Sanch. *to.1. decal.lib.1. cap.10.nu.33.* Suar. *to.5.de censuris disp.40.sect.5.*

Duodecimum, *Quid consilij sit ei capiendum, qui ignorat, an is cum quo congreditur, de eo sit excommunicatorum genere, quod ex Concilij Constantiensis Martinique V. decreto est vitandum.*

Est hæc quæstio disceptata & finita à Diu. Thom. *quodl. 4. q. 8. art.14.* eique respondet in hunc modum. *Dubitatio de excommunicatione aliquorum, aut præcedit sententiam iudicum, aut sequitur, si præcedit, puta, cum nondum est declaratum, per iudicum consensum, aliquos esse excommunicatos, non sunt vitandi, quousque certo iudicio terminetur, sed si ambiguum oriatur, post concordem iudicum determinationem, magis standum est sententiæ iudicum.* Hæc S. Doctor, cum quo consentiunt Angel. *in Ver. excommunicatio 8. num.15.* Nauar. *in summa cap. 27.* Sylu. *excommunicatio 5.n.2.*

Rem ergo vniuersam distinctione explanandam censeo, ex S. Doctoris, aliorumque deprompta doctrina. Ergo si rumor famaque, ex periti cuiuspiam hominis cautique orta scientia, narret excommunicatum absolutum esse, vt prudentia suadet ei credere, ita & ratio iustitiaque exigunt, dubitationem omnem abiici, ecquid cum eo rem negotiaque habere, iura sinant, quia nec viro probo, testibusque idoneis abroganda fides, quod sit hæc negatio, illis perquam iniuriosa, nec retinēda sit homini dubitatio, quæ amorem erga alium perimit, societatem dissoluit, discordiarum cum eo sementem facit.

Quod si communis multorum sensus abit in contrariam, credi debet, censura nequa-

A quam exsolutum esse, ac proinde commercium eius, colloquiaque vitanda, nisi forte ipse de se oppositum diceret, isque esset, propter probitatem vitæ, ac reuerentiam Ecclesiæ legibus à se semper exhibitam, cuius fides, in suspicionem vocari mendacii sine eius iniuria, damnoque non posset, tunc dicenti se absolutionem & veniam ab Ecclesia impetrasse, credi potest, ac hæsitatione omni reiecta ei communicari.

Decimumtertium, *An materiæ paruitas, in lege, excuset ab excommunicatione.*

B Exempli causa visum est Ecclesiæ ob iustas causas, prohibere furtum sub excommunicatione, in eam legem quis peccat, de re aliena auertendo quid modicum, vt asses tres aut quatuor, quæritur, an hic sit in excommunicatorum habendus numero.

Respondendum negatiue, mihi in hac opinione præeunt graues Magistri, ac Summarum scriptores, quibus ita sentiendi causa vnica.

Nempe quod quæ à culpa mortali excusant, excusent quoque à censura, quid ita vero? nimirum esse hæc nequit, nisi sit con- C tractæ mortalis culpæ certa eaque iusta pœna, qualem non committit, qui modicæ rei contra fas auersæ, est reus, ergo quæ à peccato excusant lethifero, à censura quoque liberant. Ita Graffius decisionum parte 1. *lib.4. cap.8. num.5.* ait, eum excommunicatione contra loquentes Monialibus, non teneri, qui vni cuipiam de illis, salutem diceret, aut tantillum, id est paucis, ac breuiter cum ea sermonem sereret, in quo ei astipulantur Finellus de casib. reseruatis *cap. 5. nu. 10.* Antonin. Diana *parte 3. tract. 5.* Miscel- D lanco *resolut. 69.* non probo tamen, quod tempori, ad peccandum necessario, limites tam exiguos præstituat, vt illud, spatium Psalmi *Miserere*, excedere non posse asserat: quam est enim à Dei alienum caritate, eum æternis mactare velle suppliciis, qui tantillo tempore contra præceptum Ecclesiæ sermoni indulgeat ac linguæ?

Decimumquartum, *An cum est certum, à Superiore in peccati certum genus per censuras animaduersum esse, incertum autem, an ijs com-* E *prehendar vt cæteri, tenear, si quid in legem peccauero, pro excommunicato me gerere, fidelium congressum, commerciaque fugere, à re diuina abstinere.*

Non teneri, credidere. Azor. *to. 1. institut. moral. lib.2. cap.19. q. 12.* Salas *ead. disput. vnica sect. 18. num. 169.* si de rei veritate facta morali indagine, certi nihil appareat, sed eadem quæ ante, dubitatio animum percellat, ecquid quæ delinquentibus excommunicationem, irregularitatem aut quam-

libet

libet aliam censuram, lex irrogat, vsu sit recepta, aut in me meique similes lata?

Causam sic sentiendi vnam habet, quod in pœnis pars sit amplectenda benignior, quod eũ facere asserunt, qui post adhibitam diligẽtiam, vt de re sibi certo, hæsitatione omni reiecta constaret, in eam partem flectit animum, vt existimet, legi vim deesse necessariam obligandi, quia v. c. est abrogata, quia vsu non recepta.

Scripsere oppositum cæteri, princeps omnium, Sanch. *to.1. Decal. lib.5. cap.10. num.34.* Fagund. *in 2. præcept. Decal. lib.2. cap.10. nu.9.* quorum calculo adiungo meum, hoc nomine maximè, quod cum de lege constat, stet pro ea præsumptio, & possessio, hinc enim argumentari sic placet.

Libertatẽ suã ac antiquæ possessionem, obtẽdere iuste meritoq; nemo potest, cũ lex est certa, stat enim tunc pro ea possessio: at ex hypothesi constat legem esse, quæ factum facinus sub censura prohibet, quæ tamen an sit vsu cõtrario abrogata, nescitur ergo &c.

Ad rationem aduersæ partis respondendum, non dubitari de pœna, vt benignior suscipiatur interpretatio, sed de lege dubitari an sit abrogata, & in hoc dubio non apparet quomodo pars sit interpretationis amplectenda benignior.

Decimumquintum, *An excommunicatio incurratur ob culpam præteritam, id est quæ cessauit, nullamque contumaciam habet adiunctam.*

Nequaquam, omnis enim censura, vt est *in cap. ex parte de verbor. significat.* in eo super quem cadit, contumaciam exigit, eius enim vt subeundæ, ita & infligendæ, causæ duæ.

Prima cum reus iussus, & citatus ad iudicem, comparere non vult.

Secunda, cum iussus pro peccato commisso satisfacere, recusat: at habent ambæ hæ culpæ contumaciam, cum in vtraque reus superioris iussa facere nolit ac renuat.

Decimumsextum, *An excommunicatio ferenda, præsupponat peccatum mortale in eo, cui metus eius incurrendæ incutitur, nisi obsequatur legi aut iudici.*

De suspẽsione, irregularitate, ac interdicto nullus nobis hic sermo, has enim cẽsura cum sint cõminatoriæ, culpã nullam præsupponere, diximus antea, itaque de excommunicatione omnis est quæstio, hæc verò non similiter diiudicatur ab omnibus. Tradit Sanchez *to.2. summa lib.6. cap. 4. num.50.* cogi posse neminem ad opus, aut eius omissionem, sub metu, ac comminatione censuræ, nisi ante culpam aliquam lethalem conscierit.

Ratio eius est, quod lex quæ sub excommunicatione quidpiam omitti aut fieri, præcipit, communiter monitionem non exigat aliam, vt excommunicari transgressor valeat.

Præsupponit ergo talis excommunicatio culpam in eo contra quem est perscripta, lethiferam.

Secus visum est Greg. de Valent. *in prima secundæ disp. 7. q.5. punct. 7.* Caietan. *in summa verbo præcepti transgreßio* Driedoni *lib.2. de libert. Christiana*, Castro Palao in opere morali *tom. 1. tract. 3. disp. 1. puncto 15. num. 13.* quo loco hæc habet: *Si excommunicatio est ferenda, tunc plures Doctores affirmant esse signum sufficiens transgreßsionis sub mortali: Et quidem, si excommunicatio sine vlla monitione & contumacia poßit inferri, censeo certißsimum.* At quia *existimo, cum censura annexa non est peccato, indigere semper alia monitione, vt imponatur, ea de causa, non est sufficiens signum mortalis obligationis.* hæc ille, quæ hac ratione firmari possunt. Quod imperentur multa sæpe, de se adiaphora, quæ fieri, aut omitti, hujus aut illius, speciatim non interest, sed solius Reipubl. hæc autem negligere, aut præterire, peccatum esse in particulari quopiã, quis existimet? si hic ab Episcopo, aut alio eius nomine, non moneatur, voluntatis esse suæ, illa ipsa omitti, aut fieri, quæ facienda singulis sua præscripsit lege? Non est ergo ferenda excommunicatio, signum mortalis obligationis, nisi cũ promulgatur cũ animo statim illam sine vlla monitione inferendi, Sanch. loco proxime citato *nu. 51. & seqq.*

Decimumseptimum, *An nominatim excommunicatus euitari debeat, non tantum cum certo scitur excommunicatus, sed etiam cum de eo dubitatur.*

Respondend. vitandum esse cum fieri id potest sine magno incommodo eorum qui vitare debent, non fugiendum autẽ cum metuitur damnum notabile: prima pars habetur in *cap. cum desideres de sent. excommun.* vbi consultus Pontifex respondet, ab eius congressu colloquioque, abstinendum videri, quem fama Clericum percussisse narrabat, donec vel se purget, vel ad cautelam absoluatur, quæro enim cur eum ad cautelã absolui oportuit, & alios eius carere alloquio, nisi quia in dubio incurrendæ censuræ, pars est sequenda tutior? sic enim in eam sententiam Innoc. III. in *cap. illud de Clerico excomm. ministrante. Quia tamen in dubiis via est eligenda tutior, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare,* scilicet Episcopus Hildesemiensis, qui dubius de excommunicatione in se lata, diuina officia etiam solemniter celebrarat, à quibus

sine magno suo incommodo temperare si- A bi poterat, dum rem incertam & ambiguam sua sibi diligentia certam faceret.

Equidem, (quod est opinionis huius, ac quam dubio quarto defendimus, præsidium longe certissimum) non sinit æquitas beneque informata ratio credere, cum prudenter animi pendeo ecquid sim excommunicatus, debere me magno meo damno excommunicatum gerere, nulla autem istius dubii ratione habita, & absque iusta causa, aut incommodo exponere me violandæ legis, sententiæque excommunicationis periculo, hoc enim absque interpretatiuo eius contemptu esse quia nequit, omni est vitandum cura, quod autem sit in hac materia damnum graue, prudentis est viri æstimare; crederem ego de hoc illud esse numero, quod excusat ab obseruatione legis, & æquiualet morali necessitati.

Quæres, *An qui dubitat excommunicationem contra se latam esse, aut si est lata, an sit iusta, lucem ac conspectum fugere hominum debeat.*

quæstionis partes sunt duæ in priori petitur an dubius de excommunicatione eam seruare debeat. In secunda an id similiter sit necesse cum est dubia eius æquitas.

Parti priori respondendum est negatiue, ob causas in assertione dubii primi positas, alteri autem contra, assertiuè, quia facit pro superiore eiusque lege præsumpta æquitas, nam quid iniquius, quam eum in suspicionem criminis vocari à subditis? aut ab eo cum prudentia, necessariam in sciscenda lege violatam esse iustitiam?

Quid? quod eius causam nosse subditi non debeant? quod superioris discutere consilia, in eorum intimos se sensus penetrare velle, sit imprudentiæ in politicis non minimæ: eius enim sequi debent sententiam non modo præ sua, sed etiam contra, Corduba *lib. 3. q. 9.* Malderus 1 2. *disp. 86. concl. 4.* suum ergo eo inflectere animum subditi debent vt credant quam sanxere legem, aut dixere contra reos excommunicationis sententiam, iustam hanc esse, alioqui sæpe illis lædendæ obedientiæ superioribus debitæ daretur occasio, si quia perspecta non habent eorum consilia, aut illis est dubia eorundē æquitas, hæc ipsa non curare, aut contēnere fas foret quasi ad se nō spectātia, quo quid absurdius? Hæcque est causa cur Regi ab bellum euocanti, de cuius iniustitia subditi certi nihil habēt, obsequi hi debeāt, Sanch. *l. 6. de matr. dis 3 n. 15.* quia eius auctoritas instar est legis, solaque rem de se dubiam, probabilem efficit: *Ergo vir iustus si forte sub Rege homine sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare, si vice pacis, ordinem seruans, quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est,* August. *lib. 22. contra Faustum c. 74* & refertur 23. *q. 3. can. quid culpatur.*

Quid si constet excommunicationem latam esse, sed ignoratur an cum animo obligandi promulgata fuerit, aut an sit ferendæ sententiæ.

Primo, credendum est profectam eam à Iudice, serio & cum obligandi animo, quia non est existimandus nugas agere cum sententiam dicit, quod spectat ad partem alte- B ram, soluta est dubio primo in eius assert. 1.

Decimum septimum, *An tempus ætatis aliquod, assignari queat ante quod non incurratur excommunicatio.*

Spectat hæc quæstio pueros, de quibus ambigitur, an, & quando, censura notari possint. Et quidē hoc eos posse facere, quæ mereantur pœnam, notius est quam vt de eo ista aliqua possit esse inter summarum scriptores dubitatio.

Primo, quia cum ad eam ætatem peruenerunt, in qua interrogati, quid ex diuina aut C naturali lege iustum, iniustumue sit, rectè ac ordine respondent, peccare possunt, vt bene, ita & improbè facere: ergo & puniri auctoritate Ecclesiæ, ergo si ad ætatis incōmodum, quod est in animi imbecillitate positum, puer contumaciam addiderit, Ecclesiæque obsequi noluerit, excommunicatione eum plecti quid impedit?

Secundo, Puer doli capax, cuiusmodi est censendus, cū quid rationi sit cōsentaneum, quidue dissentaneum noscit, puer (inquam) D in quem dolus cadit, ex homicidio irregularitatem contrahit, vt de puero decenni Glossa in *ca. 2.* de delictis puerorum tradit. *Irregularis tamen,* verba sunt Glossæ, *fuit effectus, & pœna spirituali debet puniri, seu canonica,* si pœna spirituali & canonica, cur non censura quoque excommunicationis? Idem de interdicto sentiendum, latum enim contra vniuersum populum, includit pueros doli capaces, vt testis est Benzonius de interdicto Veneto *cap. 6.* post Syluest. in *verbo Interdictum 3. num. 18.* sic enim ibi: *Interdicto* E *populo interdicti sunt impuberes eius, si sunt doli capaces, quia ætas illa plena est malitiis & mendaciis.* quod si interdicti pœnā luere hi possunt, cur non excommunicationis? Eos sanè Deus flammis æternis punit, cum conscientia mortalis culpæ mortuos. Et non poterit Ecclesia, si facinus pœna dignum consciscant, censuris reprimere? quā id est vero improbabile? Sunt sæpe nocētes, sunt subditi, sunt eius legibus iure quā optimo obnoxii, cur earum laqueos impunè perrumperent? cur


cur quæ corpore suo, ac animo supplicia, matura iam ætate viri tolerant, euaderent illis sæpe nequiores pueri? Quare eorum est petulantia excommunicationis fræno premenda, ne æquitatis limites exeat, aut si est egressa, sapere vt discat, volensque aut inuita ad officium redeat.

At quando? quoue ætatis anno, huius censuræ frænos, illis iniicere licitum? Sotus in 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 11 pueros negat ante duodecimum annum, legibus Ecclesiæ pœnisque subiici, quam sententiam in 4. *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 3. iterat his verbis: *A septem annis vbi desinit infantia, & incipit pueritia, peccare possunt, suis tamen præceptis & censuris, non vult Ecclesia, ante duodecimum annum, vel quartum decimum cogere, sed relinquit eos sub diuino iure.* Diu. Anton. in 2. *par. tit.* 9. *cap.* 8. *parag.* 2. pueros ante vndecimum annum à legibus Ecclesiæ maximè de confessione liberat, consequenter à censuris.

Quid in re incerta consilij capiam, certius nihil habeo, quā quod à nonnullis traditur, tum pueros legibus Ecclesiæ teneri, cum eas nosse possunt, cum quid, & quatenus, per eas cuique aliquid est licitum sciunt: ea enim mente prudentiaque cum sunt instructi, vt iis obsequendo laudem, ita & pœnam ac A vituperium merentur, cum ab iis vltro ac volentes abeunt, quo autem anno maximè, eius sint capaces notitiæ, non vnus, idemque est omnium sensus.

Visum est nonnullis anno 10. aliis septimo, hoc eos bono à natura frui, cum enim eo tempore ob male facta verecundentur, ad bona autem spe laudis ac præmij allici à magistris soleant, signum est in iis haud dubium deliberantis animi ac ratione vtentis, consequenter obligationis ad parendum impositis sibi legibus ab Ecclesia, & ad pœnam, si qua illis iniungitur ob earum violationem, forti subeundam animo. B Ad hanc me opinionem inducit Couar. authoritas *in relectione capitis alma mater, de sentent. ex. comm. parte* 2. *parag.* 4 *num.* 5. vbi censet interdictum locum habere in pueris *qui post septennium*, verba sunt eius, *etsi non sint doli forte capaces, percipiunt tamen, & intelligunt aliqua ex parte, cognitionem habent diuinorum officiorum, cognoscentes missarum solemnia pertinere ad cultum diuinum, & ad Christianæ religionis professionem.* sic enim disputo peccantes pueros punire potest Ecclesia, dolique capaces interdicto afficere, ergo & excommunicatione, par enim ad vtrumque iurisdictio exigitur, par culpa.





DISPVTATIO TERTIA DE ABSOLVENTE A CENSVRIS.

QVÆSTIO PRIMA.

Absolutio ab Excommuneaitione quotuplex.



EST hæc Quadruplex, absoluta, conditionata, ad cautelam, & reincidentiam. Absoluta datur pure, & simpliciter sine hypothesi, aut restrictione ad tempus, vel modum aliquem, conditionata habet hypothesim pendentem à præsenti, præterito, vel futuro, quæ si defuerit, quo tempore exigitur ab absoluente, & poni deberet, absolutio erit nulla.

Ad cautelam, datur ei, qui non scitur certo excommunicatus, vt si forte fuerit, à censura liberetur Innoc. IV. *in cap. venerabilibus 7. de sentent. in 6.* vel vt ei cum cæteris, hisque cum illo agere liceat, aut ne eius facta sint irrita, seque sine metu offensæ tueatur *cap. veniens 2. de testibus.*

Datur ergo *absolutio ad cautelam, cum aliquis per superiorem absolui postulat, dum in se latam excommunicationis sententiam asserit esse nullam*, Innoc. IV. *in cap. solet 2. de sentent. excom. in 6. & tunc petenti, absolutio non est neganda, quamuis excommunicator vel aduersarius se opponat, n si eum excommunicatum, pro manifesta dicat offensa ibid.* excommunicatus autem qui ad probandum admittitur, pendente probationis articulo, si quid in iudicio attentauerit, auctoritate dicti Pontificis est vitandus: *Extra iudicium verò in officiis, postulationibus, & electionibus, ac aliis legitimis actibus admittitur, cap. solet 2. de sentent. in 6.* nec fit irregularis si ante absolutionem celebret, Rebuff. *in additionibus ad regulas Cancellariæ.*

Datur insuper Absolutio ad cautelam, quando sententia redditur nulla ex conie-

A ctura probabili, aut præsumptione, vel fama est aliquem esse excommunicatum, de quo tamen certo non constat, & tamen vult animæ suæ consulere, vel actum aliquem exercere, à quo excommunicatum iura repelli statuunt, Rebuff. *in praxi benef. tractatu de additionibus ad regulas Cancel. reg. 64.* qui addit talem absolutionem impediri, primo si per procuratorem petitur, secundo si ineptè, tertio si à non suo veroque iudice, quarto si forma non seruetur, vt accidit, cum absoluitur satisfactione non præstita, quinto

B impeditur hæc absolutio, ratione temporis vt si festo die petatur, *c. finali de feriis: Solemnibus enim feriis (nisi necessitas vrgeat, vel pietas suadeat) vsque adeo conuenit ab huiusmodi abstinere, vt consentientibus partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus huiusmodi promulgari*, Greg. IX. *cap. consequens 5. de feriis.*

Absolutio *ad reincidentiam* datur pro certo tempore tantum, aut cum aliqua conditione, quam si absolutus non impleuerit, rursum in excommunicationem non eandem quidem, sed priori similem incidit.

C Dixi *similem* nam censura illa in quam quis reincidit, non est eadem numero cum illa, quæ per veram absolutionem sublata fuit, est tamen similis, quia ei æquiualet, eademque moraliter reputatur, Sanch. *lib. 2. moral. cap. 13, num. 28.* quare *qui propter mortis imminentis periculum, aut aliud legitimum impedimentum, ab alio absoluuntur, si cessante postea periculo, vel impedimento huiusmodi, se illi à quo his cessantibus absolui debebant, quam cito commode poterunt, contempserint præsentare, man-*

D *datum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant humiliter recepturi, & satisfacturi, prout iustitia suadebit, decernimus, ne ... illudant Ecclesiasticæ, in eandem sententiam recidere ipso iure*, Bonifac. VIII. in decretali eos qui 22. *de sentent. excomm. in 6.*

Circa dicta quæritur, *An petenti absolutionem ad cautelam, nocere ea petitio possit, & proinde reputare eum oporteat pro excommunicato.*

Non

Non nocere, nec per hoc fateri se excommunicatum, dixere Panormit. *ad ca. ad præsentiam de appel.* & Portel. *parte 3. casuum casu 29.*

Ratio est, quod multa, vitandæ molestiæ causa, dici agique soleant, quæ nec sunt necessaria, nec admissæ alicuius culpæ confessio tacita.

Ex dictis inferendum primò, absolutionem iudicialem esse sententiam, qua quis Sanctorum communioni restituitur, patet ex formula absoluendi ordinaria in qua est, *Restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium.*

Ratio est, quod absolutio id dissoluat, quod excommunicatio ligauerat, iusque quod erat ablatum restituit, reponendo reum in eum locum, in quo erat ante excommunicationem.

Inferend. secundo, excommunicatum, in integrum absolutione censuræ restitui, nam hæc priuationem bonorum spiritualium adimit, quod esse nequit nisi restituto priori iure ad sacrificia, suffragiaque Ecclesiæ quibus eum excommunicatio priuauerat, quod. ius est instar habitus, priuationem formaliter expellens, sicut lumen tenebras.

Inferendum 3. non alia bona excommunicato per eius absolutionem restitui, quã quæ per se primo, & præcise ei excommunicatio ademerat, alia quæ ei occasionaliter tantùm sunt ablata, non reparat, vt Episcopatum, dominium, principatum, iurisdictionem, quibus occasione censuræ excommunicatus excidit, hæc enim vt recipiat decreto nouo iudicis est opus.

QVÆSTIO II.

Potestas absoluendi à censuris cui ordinariè sit commissa.

Censuræ vt peccata quælibet remitti sine iurisdictione nequeunt, quod absolutio sit iurisdictionis actio sane puniri aut absolui nocens non potest ab alio quam iudice, ob quam causam appellatur absolutio à Trident. iuridicialis actus, at postulat iudicii ratio, vt in eo, sententia dicatur ab habente potestatem, ergo & iurisdictionem, quę propriè nihil est aliud quam potestas legitima dicendi iuris vel iudicandi.

Vt autem est hæc iurisdictio duplex, delegata & ordinaria, ita & hominum duo sunt genera, quibus licet id facere cum fructu, Ordinarii scilicet iudices, ac Delegati, qui hoc sunt à se se inuicem distincti, quod illi potestatem absoluendi ordinariam habeãt,

A hi delegatam, est autem potestas ordinaria ea quam Prælatus Ecclesiasticus suo iure non alieno mandato habet, proprioque nomine exercet, vt habetur *lege & quia nec ff. de iurisdictione*, hæc autem id est delegata, potestas, est qua quis ordinarij aut delegantis nomine fungitur.

Ordinarij autem iudices hi fere sunt, summus Pontifex, eius Legati, Patriarchæ, qui & Primates à quibusdam appellantur, nam vt dicitur *dist. 99. Primates & Patriarchæ diuersorum sunt nominum, sed eiusdem officij.*

B Quartò, Episcopi & Archiepiscopi habentes subditos.

Quintò, Generalis, & perpetuus administrator Cathedralis Ecclesiæ à Papa datus.

Sextò, Vicarius à capitulo electus, quando vacat Pastore Cathedralis Ecclesia, Trid. *sess. 14. cap. 6.*

Septimò Cardinales in Ecclesiis, quæ eis assignatæ sunt pro titulo *cap. his quæ pro Ecclesia 11. de maiorit. & obedientia*, vbi ab Honorio Papa III. Clericis & Capellanis Ecclesiæ S. Laurentij in Damaso præcipitur,

C *Vt Cardinali qui tunc est in ea Ecclesia, manualem obedientiam, & reuerentiam, & honorificentiam omnem exhibeant, correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter, & excommunicationis, interdicti, & suspensionis sententias, quas tulerit in eos, & Ecclesias eorundem, inuiolabiliter conseruantes*, cui enim stringere, vincire ac innodare, eidem quoque soluere est concessum, ergo cum primum Cardinalis possit, poterit & alterum.

Octauò, ab excommunicatione absoluunt Abbates, & Prælati Monachos suos, ac re-

D gulares. Portelius *in addit. ad verbum Abbas num. 1. & in verbo excommunicatio num 18. & sequentib. de dubiis regular.*

Nonò, collegia, quo nomine accipienda est congregatio quælibet Clericorum, siue sæcularium, siue regularium, ab Ecclesia approbata, vt Concilium Generale, Prouinciale, Diœcesanum, & Capitulum Canonicorum habentium subditos, Capitulum item regularium, quibus competit cum

E ordinarii nomine potestas eius propria, ac proinde absoluendi, quæ an aliis quoque competat in mortis articulo, aut cum ob solam communicationem cum excommunicato, incursa est excommunicatio dicetur in quæstione proxime sequenti.

QVÆSTIO III.

An in mortis articulo excommunicatus quilibet, absolui poßit à quolibet, aut ad cautelam.

PRima assertio, *Ab excommunicatione ad cautelam, & in omnem euentum, Sacerdos quilibet absoluit.*

Patet ex communi absoluendi forma, vsitata in Ecclesia, in qua approbatus absoluere se velle dicit, in quantum potest, pœnitensque indiget.

Secunda Assertio, *Ab excommunicatione minori, absoluere potest Sacerdos quilibet approbatus.*

Probatur, *ex cap. nuper 29 de sent.* vbi Papa ait, cum qui communicauit cum nominatim excommunicato, absolui posse à suo Episcopo, Parocho, vel proprio Sacerdote, at per Parochum ac proprium Sacerdotem etsi intelligantur alii quam simplices Presbyteri non tamen diuersi ab approbatis: ergo qui à mortalibus absoluere poterit, quia est approbatus, poterit quoque ab excommunicatione minore.

Quid si præter Sacerdotem simplicem alius nullus sit super?

Multorum est Doctorum opinio, censuram hanc, ab eo non posse tolli, in eam mentem veniunt, inducti hac vna causa, quod absolutio actus sit iudicialis, valide ergo, riteque vt exerceatur, iurisdictio est in exercente necessaria, at omni est destitutus simplex sacerdos, ab eo ergo (inquiunt) excommunicatus minore excommunicatione absolui non potest.

Opinionis huius auctores ac patroni Diu. Antonin. in *3. par. titulo 25. cap. 2. parag. 2.* Richard. *in 4. dist. 18. art. 9. q. 3.* Rosella in *verbo absolutio num. primo,* Angel. *ead. titulo num. 1.* Caiet. *in verbo excommunicatio tractatione postrema de excomm.* Auila *parte 2. cap. dub 1. disput 1.*

Ego nodum hunc solui posse existimo, distinctione facili. Aut enim habet excommunicatio minor ortum à veniali culpa, aut incurritur ob mortalem si primum, à Sacerdote quolibet etiam simplici, remouere eam posse dicunt, hi authores Tabiena *in verbo Absolutio 2. num. 5.* Nauar. *in summa ca. 27. num. 25* Altisiodorens. *in summa lib. 4. q. 4.* Diu. Thom. *in 4. sentent. distinct. 18. q. 2. art. 5. ad primam quæst.* vbi scribit his verbis: *Respondeo dicendum ad primam quæstionem quod à minore excommunicatione quilibet potest absoluere qui potest absoluere à peccato participationis,* sed à peccato participationis venialis

A quilibet potest absoluere, cum peccatorum venialium remissio sequatur potestatem Ordinis vt affirmat Diu. Thom. *in ead. dist. & quæstione ar. 3* Si autem originem suam trahit à mortali, hæc à Sacerdote simplici absolui non poterit.

Obiicit Auila loco citato excommunicatio minor est censura, quæ imponitur à iure, sed censura, cum sit vinculum, exigit in eo à quo dissoluitur iurisdictionem in foro exteriori, qualem nullam habet simplex Sacerdos.

B Minor est neganda, nam hoc ipso quod illi à peccatis absoluere permittitur, conceditur etiam eidem siue à Deo, siue ab Ecclesia vt possit censura laxare, quæ ex tali peccato in actu aliquo humano, atque politico sine vlla censuræ clauiumque contemptione duxit originem, Comitol. lib. 6. responsion. *q. 36.*

Obiicit 2. quod est in *cap. nuper de sententia,* ibi enim interrogatus Pontifex, à quo posset absolui, qui scienter cum excommunicato nominatim, rem negotiaque habuit,

C respondit ab Episcopo, Parocho, vel proprio Sacerdote, quorum nominum tribui simplici Sacerdoti nullum potest, ergo &c.

Respondendum in eo canone, agi de eo, qui excommunicationem minorem, ob culpam mortiferam subiit, nullo modo ob venialem.

Secunda assertio, *Absolutio censuræ cuiuslibet, à quolibet Sacerdote impertita, in mortis articulo est valida,* quia vt habet Trid. *sess. 14. cap. 7.* licet eo tempore cuilibet, perpetua lege

D Ecclesiastica quemlibet à peccatis suis Sacramentaliter expositis absoluere, ergo & à censuris. Antecedens est certum, nam quis credat Ecclesiam tùm velle Sacerdoti clausum aliquid aut reseruatum esse? quod si foret, quod pro charitate est institutum, haud dubiè in noxam vergeret innocentium.

Consequentia probatur, Sacramentalis absolutio dari nulli potest, nisi à censura ac excommunicatione libero, cum per eam excommunicatus priuetur, tam actiua Sacramentorum administratione quam passiua, ergo si in mortis articulo potest è Sacer-

E dotum cœtu quilibet, quemlibet reconciliare Deo per gratiam, & peccatorum eius remissionem, poterit & à censuris, quarum nulla tum est reseruata secundum Trid. loco citato,

Excipit cum B. Thom. *3. parte q. 82. art. 7. ad 2.* Nauar. *in summa cap. 26. num. 26. & in Commentario can. 1. dist. 6. de pœnitent.* hæreticos atque schismaticos duo hominum genera, quæ quia cœlo ac terræ sunt exosa valide quidquam facere non est probabile, Ecclesia

clesia ius (inquiũt) negante illos absoluẽdi, à quibus, fide ac religione abhorrent quod ita esse decuit, ne in confessione materiam seducendi fideles caperent, eosque impellendi in fraudem, ac exitium erroresque veritati Christianæ oppositos.

Est tamen contraria sententia priore probabilior ac tenenda quam defendunt Paludanus in 4. *dist.* 25. *q.* 5. Sylu. *verbo Confessor* 1. §. 16. Toletus *lib.* 1. *cap.* 14 quia in tanta ac tam præsenti necessitate abhorret à pietate optimæ matris Ecclesiæ solitaque eius erga liberos suos charitate, eosdem necessario salutis remedio priuare, faceret id vero, si de animæ salute periclitanti, quia de peccatis suis vero ac necessario contritionis dolore non tangitur, Sacramentum pœnitentiæ diuinitus comparatum ad salutem adipiscendam ei negaret: ergo de voluntate licentiaque saltem tacita Ecclesiæ vrgente fato aut eius probabili periculo, absoluere à censura qualibet & proinde ab excommunicatione Sacerdos quilibet poterit.

Extra ea tempora, non valet absolutio data ab iis, cæterisque, authoritatem ad eum effectum non habentibus, quos & ab ægro, cum eum in mortis absoluunt periculo, exigere est necesse sancte ac religiose, sibi vt iuret, se vbi conualuerit, commodaque erunt tempora, superiorem absolutionis causa aditurum, nec ab eius amodo imperatis discessurum, habetur in *cap. ea noscitur* 13. *de sententia excomm. cap. quamuis* 58. *cap. de cætero* 11. *eiusdem tit. item cap. nuper* 29. ob quæ promissa Sacerdoti facta, si moribundus vbi ei per valetudinem fas erit non impleuerit, suis antiquis ac Ecclesiæ hoc est excommunicationis nodis reuincietur vt est in decretali Bonifac. VIII. *eos qui* 22. *de sent. in* 6.

Tertia Assertio, *Hoc erant olim lapsis Diaconi, quod sunt Christianis hoc tempore periclitantibus de salute Presbyteri*, quare, vt ab his isti, ita & à Diaconis illi cũ mors premeret, à censura absolui poterant, Cyprianus testis *epist* 13. *secundum editionem* Pammel. iuxta communem *decima septima lib.* 3. ibi enim cum quidam de lapsis pacem à Martyribus, & confessoribus promissam, per Cypriani absentiam habere se non posse gemerẽt, ad illorum interim mitigandos gemitus, Presbyteris mandat atque Diaconis, vt si qui libello à martyribus accepto de sæculo excederent, exomologesi facta, & manu eis in pœnitentiam imposita, cum pace mitterentur ad Dominum, sanctissimi Martyris sunt hæc verba *epist.* 13. *Occurrendum puto fratribus nostris, vt qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogatiua eorum apud Deum adiuuari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis* A *periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cœperit, apud Diaconũ quoque exomologesin facere delicti sui possint, vt manu eis in pœnitentiã imposita, veniãt ad Dominũ cũ pace.*

Ita porro esse vt in assert. ponitur argumenta mihi suadent bina.

Primum, erat pax quam Confessores ac Martyres, destinatis eam ad rem libellis suis ad Episcopum & Clerum, dari lapsis postulabant, relaxatio satisfactionis per Episcopum pœnitentibus impositæ, atque ad Ecclesiæ B communionem admissio, Pammelius *in commentario epistola* 10. Cypr. *num.* 3. quod quia esse non poterat, nisi sublata censura, quæ Christum in tormentis negantibus, tanquam culpæ suæ iusta pœna, erat imposita, dicebantur *peccata* dimittere Presbyteri ac Diaconi, cum lapsis reditum permittebant in Ecclesiam, Cypr. teste *in epist.* 22. sed lapsorum reparatio, sed eorum ad sacra Ecclesiæ reuocatio, Sacramentorumque ac liberę cum fidelibus cuiusquemodi communicationis concessio, excom. peccando contra- C ctę certa est ac indubitata remissio, fuit tum hæc ergo, Episcoporum voluntate, ac concessu, in Diaconorum iure, Nam de peccatis absoluendis eorum opera ac studio, intelligi posse quæ in epist. citata Cyprian. scripsit, quis putet? cum ad Presbyteros solos ista Seruatoris verba pertineant. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt eis. Ius*, inquit Ambrosius, *lib.* 1. *de pœnit. ligandi atque soluendi solis Sacerdotibus est permissum, ad quos*, vt alibi dicit, *ab* D *Apostolis est transmissum*, eadem scripsere *Hieron. & Hilarius in Matthæum.*

Secundum, certum est dogma iuris, eiusdem esse soluere, cuius ligare, sed Clemente teste *lib. constit.* 8. habuere Diaconi absente Presbytero potestatem excommunicandi, ergo & absoluendi: Quam sibi quoque Cypriani æuo cum incredibili vendicarent ausu Martyres, in carceribus Christi causa hærentes, vt indicat hæc Luciani Martyris ad Celerinum oratio *epist.* 21. *Scire debes quid circa nos actum sit, cum benedictus Martyr Pau-* E *lus, adhuc in corpore esset vocauit me, & dixit mihi, Luciane, coram Christo tibi dico, vt si quis post arcessitionem meam (hoc est mortem) abs te pacem petierit, des in nomine meo, sed & omnes quos Dominus in tanta tribulatione arcessere dignatus est, vniuersi ex compacto vniuersis pacem dimisimus.* Cum hanc (inquam) sibi Martyres condonandæ culpæ ac censuræ per eam contractæ licentiam arrogarent, enimuero restitere Episcopi, Cyprian. præ cæteris, Deique esse, non alterius, delictis quæ in

eum sunt admissa, largiri veniam in *tract. de lapsis*, argumentis è sacra petitis pagina ostendit, ex quo sequi ait, *quod si quis praepropera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini praecepta rescindere, non tantũ nihil prodest, sed & obest lapsis, prouocasse est iram, non seruasse sententiam, nec misericordiam Dei prius deprecandam putare, sed contempto Domino, de sua facultate praesumere.*

QVÆSTIO IV.

De quibus censuris absoluere possunt ordinarij.

ORdinarios hic eos nomino qui regendi populi potestate sunt praediti, quam ipsi sibi vendicant ratione beneficii quo fruuntur, aut curae pastoralis qua funguntur authoritate summi Pontificis, cui soli, tanquam supremo principi Ecclesiae conuenit, ordinarium constituere iuxta ea quae dicuntur 2. *q*. 6. *can. à iudicibus* 34. vbi haec leguntur: *Ordinarij sunt qui ab Apostolico, vt Ecclesiastici, vel ab imperatore, vt saeculares, legitimam accipiunt potestatem.*

Ordinarios inquam hîc appello, quibus ex officio competit Ecclesiastica iurisdictio in foro externo, quali potiuntur qui potestatem habent condendi iuris, vel statuti, cum adiectione censurae. In quibus locum habet haud dubiè Concilium, argumento est quod à sacra Synodo Ephesina *act*. 5. *parte* 2. Cyrillus Alexandrinus, & Memnon Ephesinus, ab excommunicationis in eos latae à Ioanne Antiocheno, & 49. Episcopis, nexu sint soluti, similiter in Ephesino 2. Eutichiani Monachi, vt refertur in *actione* 1. *Chalcedonensis Concilij*, Synodo supplices accidunt, ac vt eius authoritate, ab excõmunicatione sint liberi demisse petunt, quid enim dici ab iis in eam rem poterat ardentius, *propter quod supplicamus vestrae sanctae Synodo, condonetur nobis quod pro tanto, tamque iniquo cruciatu, quem iniquè sufferimus à Sacerdote, reddere verò nobis communionem iniustè ablatam, illi verò talia perpetranti vicissitudinem eorum, quae communicauit iniustè*: in Concil. autem Nicaeno *can*. 5. haec leguntur, *qui suo peccauerint Episcopo euidenter, excommunicati rationabiliter ab omnibus aestimantur, vsque quo vel Episcoporum congregationi placeat, vel Episcopo humaniorem pro talibus ferre sententiam*, & in Rhemensi sub Dagoberto anno Christi 630. significatur, enitendum esse, *vt nullus temere excommunicetur, & si excommunicatus existimat se iniustè damnatum, in proxima Synodo habeat licentiam reclamãdi, & si iniustè damnatus fuerit absoluatur.*

A Pari cum Synodo potestate gaudet Capitulum sede vacante *cap*. 2. *ne sede vacante*, nam in omnibus quae iurisdictionis sunt succedit Episcopo, nisi in casibus iure expresso vetitis, Barbosa *de officio Episcopi alle*. 51. Pari cum isto fruuntur iure, Praelati religionum, vt Abbates, Portelius de *dubiis Regular. verbo Abbas*, Ordinum Generales, quasi Praelati, vt Prouinciales, Priores Conuentuales, Rectores, Correctores apud Minimos, ita Abbas in *cap. possessionum num*. 1. *de*

B *probat*. Geminianus in *cap*. 2. *de constit. in* 6. Vicarii Generales Episcoporum, si modo delegationẽ ab iis ad causas omnes sint nacti, Paris. *de resignat. lib*. 3. *q*. 11. *num*. 20. Piasecius 2. *parte praxis cap*. 4. *de persona iudicis*.

Dico ergo, *Episcopis, ac paulo ante memoratis hominibus fas esse reos non solum suarum legum, sed omnium insuper, quae à Conciliis generalibus, vel Romanis sancitae sunt Pontificibus, cum excõmunicatione eaque non reseruata absoluere*, Nau. *ca*. 27. *n*. 39. Sylu. *verbo absolutio* 1. *n*. 4. Henriq. *li*. 13. *ca*. 28. *nu* 5. Auila *parte* 2. *ca*. 7.

C *disp*. 1. *dub*. 4. tuetur se haec opinio Innoc. III. testimonio in *ca. nuper* 29. *de sent*. vbi ex commissione Papae tacita, qui excommunicatione non reseruata innodatus haeret, dicitur ab alio absolui posse, quam qui eam intulit, modo specialiter eius absolutionem sibi non retinuerit, *hoc ipso enim quod conditor Canonis, eius absolutionem specialiter sibi non retinet, concessisse videtur facultatem aliis relaxandi*, vera est ergo assertio.

Secundo est tum absolutio excõmunicationis valida cum fit consentiente Ecclesia, talis est, quae ab Episcopis datur, de crimini-

D bus à Papa, aut Concilio non reseruatis, cũ hoc ipso quo ille, & istud, à quibus est alicui crimini adiuncta excõmunicatio, eam non retinent, aliis videantur facultatem concedere eam relaxandi, vt ex Innoc. colligitur loco supra citato.

Dico secundò, *Quod Episcopo competit, idem quoque tribuendum esse Legato à latere*, quia eadem est eius iurisdictio, ac Episcopi in sua Dioecesi, quae causa est cur ab excom propter non violentam manuum iniectionem in Clericos, id est eorundem leuem percussionem incursa, absoluere eidem liceat vt col-

E ligitur ex decretali Innoc. III. nona *de officio legati*, vbi violenta manuum iniectione in Clericos, Legatis absoluendi ius esse negat, *nisi de speciali gratia id illis à sede Apostolica concedatur*, ergo cum exceptio in non exceptis regulam firmet, solaque violenta iniectio manuum à iure Legati remoueatur, relaxare leuem poterit.

Episcopi autem per Concil. *sess*. 24. *ca*. 26. peccata

peccata reseruata Pontifici, modo occulta absoluunt, vt Simoniam in beneficiis.

Secundo, censuras reseruatas, quæ sunt tres excommunicatio, suspensio, interdictum.

Tertio, irregularitates.

Quarto, est etiam Episcopis permissum dispensare cum iis, qui ob culpam priuati sunt beneficiis aut officiis iam obtentis, eosdem quoq; rehabilitare posse ad officiũ, vel beneficium est probabile, nam etsi Concilium *sess. 24. cap. 6.* casuum duntaxat reseruatorum & suspensionum meminerit, nec exprimat priuationes officiorum, & inhabilitates hæ, tamen intelliguntur suspensionis nomine, & in ea includuntur Portel. *ad dubia Regul. verbo Abbas in addition. lib. 1.*

QVÆSTIO V.

An excommunicatio à iure non reseruata ita ad ius Episcoporum pertineat, vt hæc à Parochis absolui nequeat.

Absolui non posse, contendunt in re Theologica præstantes viri, Durand. *in 4. dist 19 qu. 4* Diu. Antoninus *3. parte tit. 17. cap 11.* Caiet. *in summa verbo absolutio 2. nu. 2.* Rosella *in verbo Confessor. 1. n. 3.* Comitol. *1. respons. q. 26.*

Quibus pro aduersa parte opponimus, D. Thom. *in 4. dist. 18. qu. 2. art. 2.* Bonauen. *eadem dist. q. vltima,* Nauar. *Enchir. 27 num. 39.* Sotum *in 4 dist. 22. q. 2. art. 3. concl. 3.* Couarr. *in commentario Alma mater parag. 12.* quorum ego opinionem, quia priore mitior est, sequendam in praxi existimo.

Dico ergo, *Ab excommunicationibus quæ maiores sunt, nec sunt tamen in iure Papæ aut Episcopis reseruatæ, Parochos, & religiosos posse absoluere.* Est contra authores primo loco citatos, Piasecium item *in casibus reseruatis,* & Barbosam *de officio Episcopi parte 3.* pro Angel. *verbo absolutio 2.* Sylu. *ver. absolutio 1. n. 2.* Armilla *eodem n. 35.* Henriq. *li. 13. de excommunicat. cap. 37. num. 3.* Suar. *to. 5. disp. 7. sect. 3. n. 23.* & Toleto *l. 1. cap. 16.* Præposito de censuris in communi *q. 1. dub. 14.*

Probari potest hæc propositio ratione duplici. Prima authoritate nititur Innoc. in *cap. nuper 26. de sent. excomm.* quo in capite expressè habetur excommunicatum excommunicatione non reseruata, à proprio posse Sacerdote aut Episcopo absolui, verba canonis sunt, *in secundo casu, à suo Episcopo vel proprio Sacerdote poterit beneficium absolutionis obtinere, quia cum conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non reseruauit, eo ipso videtur concessisse aliis facultatem relaxandi.* At proprio Sacerdotis nomine intelligitur Parochus, secundum Præpositum *dub 14. concl. 1. n. 91.* ac quicunque simplex Sacerdos, qui à mortali potestate sibi à iure concessa, aut delegata à Papa, vel Ordinario, relaxare culpas potest in sacro tribunali conscientiæ vt diximus in *tract. de pœnit.* Enimuero per factã sibi audiendarũ confessionũ facultatẽ à Parocho, siue alio quouis ordinario, simplex Sacerdos subditos acquirit, de iis ergo in foro pœnitentiali bene mereri potest non secus ac Parochus, vincula quibus astricti hærent authoritate qua pollet dissoluendo, ergo vt Pontifex committere Episcopo potestatem absoluendi à censuris creditur, *hoc ipso*, quod eas fori sui, notitiæque esse non præcipit, ita & Sacerdoti cuilibet eam tribuere existimabitur, cum par pro eo, similisque ac pro Episcopo, ratio faciat.

Hanc porrò potestatem ex commissione conuenire Parochis, ac Presbyteris, peræque ac Episcopis, & non tantum tacite, affirmant Reginaldus *l. 9. c. 1 sect. 5. num. 15.* Layman *tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 1.* ob eam causam quod in *cap. nuper citato*, dicat Pontifex non reseruata ab authore canonis, à proprio absolui Sacerdote posse, ad id ergo est hic ab eo speciali delectus prouidentia, & proinde est hoc ei munus actu & proprie commissum à Pontifice, & non virtute tantum ác tacite, quia tacet, aut ab eo exerceri patitur.

Obiicies, si Parochus ab excommunicatione maiori, quam author canonis sibi non reseruat, absoluere potest in interno foro ac conscientiæ, poterit & in externo valide, ac cum fructu, at nemo id asseret, cum religiosus ac Parochus nullam in eo foro censuræ ferendæ potestatem habeant, non possunt ergo excommunicatione istiusmodi irretitum absoluere.

Maior est neganda, nam quis nescit, concessione summi Pontificis, ius esse religiosis Mendicantibus, hæretici Deo per absolutionem reconciliandi in foro interno, quam tamen pro externo dare nequeunt, cum ad eos non spectet, notam ex hæresi tollere, qua qui sunt inusti, honoribus sunt Ecclesiæ indigni, incapaces beneficii, certum ergo argumentum à foro externo trahi ad internum nequit.

Obiicit Comitolus 2. eadem est Parochi in absoluendo authoritas, quæ religiosi, & vice versa, tanta huius, quanta illius *Clementina dudum de sepulturis*, sed illi hoc est Regulari, fas esse negat Clemens V. tentare cum fructu quidpiam in impertiẽda absolutione ab excõmunicatione lata à canone *Clemen-*

tina religiosi de priuileg. ergo & Parocho eam postulanti reo concedere, non est Ecclesiæ, canonumque lege concessum.

Neganda est minor, nam in ea Clementina expresse hæc habentur: *Religiosis qui excommunicatos à canone præterquam in casibus à iure expressis, vel priuilegiis sedis Apostolicæ concessis, &c.* at decretalis Innoc. III. cui initium *nuper 29. tituli de sententia excommunicationis*, à censuris in quas potestas Religioso nulla conuenit, signate eam Pontifex excipit, quam author canonis sibi seruatam non voluit, quam in iure Episcoporum, ac Sacerdotis proprij vult esse: ergo cum ex Clementina dudum de sepulturis, Religiosis è Mendicantium familia tantum in pœnitentium causa audere liceat, quantum Parochis, vt hi, non reseruata remittunt: ita & illi factitare idem in pœnitentium commodum ac gratiam poterunt.

B

Obiicitur 3. postulat hoc æquitas decoriq; ratio, vt ab eo tantum Pontifex, excommunicationem quam sibi non reseruat, absolui velit, cuius authoritas in Ecclesia irrogandarum censurarum, secundum illum est maxima, cuiusmodi Episcopum esse nemo non intelligit.

C

Respondendum primo, non omnia, quæ in procuratione adhibentur mentium, venustate decentiaque metienda esse, pendere multa à Papæ voluntate, arbitrioque oportuit, vt eius est, potestatem ab Ecclesiasticis vinculis laxandi dare, ita & cohibendi stringendique cum lubet, vel contra, quod in præsenti negotio accidit, cum ad dissoluendum excommunicationis, sibi non sepositæ nexum, velit Episcopum ac Parochum, idoneos ac capaces esse.

D

Respondendum secundo, publicum multorum commodum ac salutem, vnius cuiuspiam honori, aut decoro potiora esse, exigere autem pacem ac incolumitatem communem, vt præter Episcopum, à quo sæpe fideles, incertum qua ex causa, alieno sunt animo, nec proinde sunt, nisi ægre ac cum labore eum adituri, habeat alios respublica Ecclesiastica, qui egentibus necessaria salutis præsidia, censurarum absolutione suppeditent.

E

Obiicitur 4 secus olim opinatos esse eruditione ac doctrina præstantes viros, Bonifacium VIII. Benedict. XI. in Extrauag. inter cunctas de priuilegiis, Richardum de Senis, Vice-Cancellarium Romanæ Ecclesiæ, & Berengarium, eum à quo sextus decretalium est coagmentatus, ac quod modo nos docemus, diserte eos negasse, nempe inferiorem Episcopo Presbyterum, ea præditum esse potestate, qua ornatum eum esse conuenit,

A

qui à sententia maioris excommunicationis latæ à iure, non reseruata tamen: absoluere quempiam satagit.

Respondendum primo, nullum eius rei extare canonem, nullam præterquam in opere, quod de sententia, ac interdicto, Berengarius scripsit, apparere literis testatam fidem.

Dicendum 2. alium à nobis stare Pontificem, contra Bonifacium, virtutum æque, ingeniique laude præstantem, cum eoque lectissimam Theologorum sobolem, quos errare in re tanta quis credat?

Circa prædicta quæritur primò, *An qui alicui ex causa facultatem absoluendi à casibus reseruatis tribuit, det etiam laxandi censuras.*

Respondendum, cum distinctione, nam vel ea potestas datur à Papa, vel ab Episcopo.

Si primum, certum est in casibus reseruatis comprehendi censuras, cum sibi Papa nihil nisi ratione excommunicationis adiunctæ, reseruatum esse velit, Nauar. *cap. 17. num. 261.*

Si secundum in concessione reseruatorum, includi censuras non est probabile, cum hæ à peccatis differant, possintque illa tolli, istis non sublatis, quare cum à diuersis non fiat illatio, vt ex lege Papinianus *exuli ff. de minoribus probat* Barbosa *de officio Episcopi parte 3. allegatione 52. num. 5.* in concessione potestatis ad abstergendam peccati maculam, censura Episcopo reseruata non comprehenditur.

Quæritur 2. *An cum Episcopus potestatem suam omnem transfert in aliquem, vt audiendis confessionibus vacet cum fructu & pœnitentium commodo, hoc genus excommunicationum quod ad suum tribunal deducere est solitus, censeri debeat, illi permittere.*

Negat Barbosa *allegat. 52. num. 6.* Sed contra, nam quid hac formula verborum, quid concessione potestatis suæ tam ampla significat Episcopus, quàm se velle vt ei in excipiendis confessionibus tantum liceat, quantum sibi? qui enim potestatem omnem dicit, partem eius nullam excipit, at potest Episcopus reseruata absoluere: ergo & per eum delegatus ad hoc munus.

Quod autem est hic de Episcopo dictum, par est quoque intelligi, primo de Legato Papæ, vt summi Principis.

Secundo, de eo cui per priuilegium Pontificis perpetuum, vacare reconciliandis per absolutionem mentibus licet, siue quod ea commissio dignitati ac muneri quo fungitur sit annexa, siue quod extra ordinem, ab eo ad hanc tam excellentem repurgandarum mentium prouinciam sit electus, vt Mendicantes.

dicantes.

Tertio, intelligi quoque de eo debet cui delegata est causarum vniuersitas, cum vi coactiua, & iurisdictione in vtroque foro, quali potestate Vicarios Episcopi Generales frui non est dubium, nam vt dicitur in *cap. fin. de officio ordinarij*, qui ex propria officii sui ratione, de certo peccatorum ac casuum genere potest absoluere, idipsum, suo vt faciat nomine, potest cum expedire iudicat alteri committere.

QVÆSTIO VI.

Recensentur censuræ latæ sententiæ Papæ non reseruatæ in iure, & de quibus è Sacerdotum numero approbatus quilibet potest absoluere.

PRimò excommunicantur qui vi vel metu, absoluendi libertatem extorquent ac exprimunt. *Ne autem*, inquit Gregor. X. *in decret. Vnica de his quæ vi in 6. vindicta, violentiæ crescat audacia, eos qui absolutionem, seu reuocationem huiusmodi, vi vel metu extorserint, excommunicationis sententiæ decernimus subiacere*, esse enim censuram hanc latæ sententiæ hæ voces indicant: *Excommunicationis sententiæ decernimus subiacere*, Papæ autem reseruatam non esse, probat eius ea de re silētium, enimuero si hanc sui duntaxat iuris esse voluisset, vtique declarasset.

Notasse tamen iuuerit satis non esse ad incurrendam hanc pœnam, metum incussum esse, nisi sit sequuta absolutio: *Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcunque reuocationem ipsius, per vim vel metum extortam, præsentis constitutionis auctoritate omnino viribus euacuamus*, Greg. X. supra.

Secundò, quia de conditione, naturaque metus non fit in eo canone mentio, quemadmodum nec de censura, iustáne sit an iniqua, reuocatio sententiæ quamlibet iniustæ, quolibet metu tam per se illato, quam alios, etiam leui expressa, excommunicationis pœnam, metum inferenti irrogat.

Dixi *expressa* nam qui dictam à se sententiam suspensionis aut interdicti, metu quidem reuocaret, sed à se suscepto, non aliunde illato, vt hic culpæ in isto casu nullum dat locum, ita nec pœnæ,

Secundò, excommunicantur ipso facto Monachi, qui arma intra septa Monasterii sine Abbatum facultate penes se habent: dixit in eos hanc sententiam Clemens V. *in Clement. ne in agro de statu monachorum, §. quia vero nonnulli.*

A Tertiò, pari pœna tenentur, *qui administrationē aliquam non habentes, ad curias principum, absque speciali prælatorum suorum. licentia se conferre præsumunt*, neutra tamen est reseruata Pontifici, vt notauit Nauar. *cap. 27. manual. num. 139.* vbi armorum nomine tam offensiua, quā defensiua, vt thoraces, cassides &c. intelligit, ab hac tamen pœna excusantur, qui per obliuionem, iuris ignorantiam, negligentiam, arma sibi sine intentione nocendi retinent, id ibid. aut extra Monasterium deferunt, aut ea aliunde venientes adferunt Sebast. Medicis *in summa peccatorum capitalium.*

B Quartò, vetat idem Pontifex in Clement. prima *de religiosis domibus sub pœna excommunicationis* (quam contrarium facientes incurrere vult ipso facto) ne qua mulier Beguinis in eodem vitæ ac professionis genere, sociam se addat, ac comitem, *Religiosis vero, per quos eædem mulieres, in huiusmodi beguinali statu foueri, & ad ipsum suscipiendum duci dicuntur, sub simili excommunicationis pœna, (quam eo ipso, si secus egerint incurrant) inhibet, ne mulieres prædictum statum assumptum sectantes, vel de nouo assumentes, quoquo modo admittant.*

C Ab hac tamen eos censura absoluere, è Sacerdotibus approbatis quilibet potest, quod eam sibi Pontifex specialiter reseruasse non legatur.

Quintò, *Fratricelli Beguini, & Bisochi*, iubentur esse extra Ecclesiam, lata in eos excommunicationis sententia, quam ipso facto ab iis incurri vult Pontifex, *Si statum, siue sectam ab ipsis assumptam sectentur vlterius,*

D *Episcopos quoque & eorum superiores, & alios Prælatos quoscunque, qui prædictis personis, vel aliis, ritum viuendi, & habitum supradictos, præter Apostolicæ sedis specialem auctoritatem deinceps concesserint, prædictæ excommunicationis pœnæ, ipso iure decernimus subiacere*, Ioan. 22. in Extrauag. *sancta Romana titulo de religiosis domibus*, eam tamen remittere potest Episcopus, vel quilibet Sacerdos alius approbatus, eo quod eam sibi non reseruet Pontifex.

E Sextò, *communicans scienter nominatim excommunicato in crimine criminoso, ei consilium impendendo, auxilium vel fauorem*, est excommunicatus, *ca. nuper de sentent. excommun. 29.* & quia est particeps criminis ab excommunicato admissi, *ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere qui damnauit, ab eo, vel eius superiore, delicti tunc erit absolutio requirenda, cum facientem & consentientem par pœna constringat, quia tamen author canonis, eius absolutionem sibi specialiter non reseruauit, eo ipso videtur concessisse facultatem a.*

liis relaxandi

Septimò, excommunicatione vincti hærent, non tamen reseruata, qui ad Cardinales cum sunt in conclaui scripturam mittunt, aut nuntium, vel qui cum ipsorum aliquo, clam & secreto loquitur Gregor. X. in Concil. Lugdun. relatus in *cap. vbi periculum 3. de elect. in 6.*

Octauò, excommunicationem incurrunt ipso facto Religiosi, qui de superiore loco populum à soluendis decimis auocant, *Clement. cupientes 3. de pœnis*, sed hanc in iure Episcoporum esse ac Sacerdotum qui in approbatorum sunt classe, communis est Doctorum opinio.

Nonò, Laicæ personæ, quæ de fide Catholica publice & priuatim disputant, *cap. 2. §. inhibemus, de hæretic. in 6.*

Decimò, Doctores qui scienter Religiosos leges aut physicam docent, eosq; in scholis suis habitu dimisso retinere præsumunt, *cap. vt pericul. sa 2. ne Clerici vel Monachi in 6.* similiter & religiosi qui ad studia literarum pergunt licentia sibi ante à Prælato non concessa *cum consilio sui Conuentus, aut maioris eius partis* Bonif. ibid.

Vndecimò, qui bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt ipso facto decreto Greg. X. *in cap. generali 13. de elect. in 6.* excommunicationi subiacent non reseruatæ tamen quemadmodum nec duæ priores *Sebastianus Medicis supra.*

Sunt præter has censuras & aliæ in decreto & decretalib. numero X. quarum absolutio Episcopo aut approbatis Sacerdotibus in Parœciis est permissa.

Prima habetur *in can. administratores causa 23. q. 6.* iudicesque afficit qui admoniti ab Episcopis, aut aliis Ecclesiasticis, omittũt ius illis reddere ob negligentiam, vel iniquum animum.

Secunda eorum est propria, qui non electi à duabus partibus Gardinalium in Papam, suæ tamen electioni consentiunt *cap. licet quinto extra de elect.*

Tertia, ad Doctores & Scholares Bononienses pertinet qui domos Doctoris alterius aut Scholasticorum conducunt Clem. III. *in Decretali prima ex rescripto, de locato & conducto.*

Quarta notat Episcopos *in cap. quoniam de officio ordinarii qui in ciuitate diuersarum linguarum suscipiunt gubernationem eorum qui sunt sue, priusquam suscipiantur à proprio Episcopo in coadiutorem suum.*

Quinta est aduersus eos qui à Clericis vectigalia exigunt aut tributa, cuius auctor Innoc. III. in Concil. Lateranensi & refertur

A *lib. 3. decretal. cap. non minus 4. & cap. aduersus 7. de immunitate Eccles.* à qua absolui nequeunt, *donec satisfactionem fecerint competentem, cap. 4.* nam etsi egenti ciuitati, vel Principi, à Clericis subueniri oporteat, id tamen non assentiente Romano Pontifice, aut Episcopis fieri non debere, planum est ex certis sanctionibus Pontificum, & earum interpretum testimonio, est *can. aduersus 7. de* immunit. Ecclesiar. qui est Innocent. III. cum præesset Lateran. Concilio generali quo nihil ad eius rei fidem potest esse ex-
B pressius, est decretalis Bonifac. VIII. cui initium.

Clericis sub eod. tit. in 6. Benedicti XI. constitutio *in Extrauag. quod olim de immunitate,* Clementis V. in Concil. Viennensi generali, *cap. 1. eodem tit.* Leon. X. in Concil. Lateranensi generali *sess. 9. in constitutione cuius est initium supernæ dispositionis.*

Sexta, in religiosos est dicta, qui è cœnobiis egressi, medicinæ aut iurisprudentiæ dant operam, nisi ea intra bimestre repetant Alexand. tertius in decretali *non ma-*
C *gnopere 3. ne Clerici vel Monachi,* & Honorius III. in *cap. super Specula 10. eiusd. tit.*

Septima, excommunicat Sacerdotem qui est *Vicarius Vicecomitis, aut præpositi sæcularis,* nisi admonitus, eo magistratu aut cura abstineat, Alexand. III. *cap. Clericis in sacris 5. Ne Clerici vel Monachi.*

Tres sunt aliæ, quæ & ipsæ Bullæ cœnæ Domini sunt insertæ.

Prima est de schismaticis *dist. 19. can. nullitas.*

D Secunda eos ligat qui bona Christianorum naufragio perdita occupant, & occupata non reddunt, *cap. excommunicationi 3. de raptoribus.*

Vltima est contra eos qui statuta contra libertatem Ecclesiasticam obseruari iubent, coguntque.

Præter quas, reperio & alias in sexto decretalium, Clementinis & Extrauagantibus, contra facinorosos publicatas, nemini tamen reseruatas.

Primo enim excommunicantur eius vrbis magistratus, vbi creatur Pontifex qui in
E id pro virili non incumbunt, vt quæ sancita sunt in decretali *vt periculum de electione in 6. parag. præterea,* iussaque sunt seruari in creatione Papæ, hæc in praxim redigantur ab electoribus.

Secundo excommunicantur qui vocati à monialibus, vt electioni ab iis de Abbatissa faciendæ præsint, eamque dirigant, sibi ab his rebus non temperant, ex quibus nasci vel ali potest discordia *cap. indemnitatibus 43. §. extremo de elect. in 6.*

Tertio

Tertio, sunt excommunicationis sententia innodati *qui Clericos (ad quos in aliquibus Ecclesiis, Monasteriis aut iis locis spectat electio) pro eo quod rogati, seu inducti eum pro quo rogabantur eligere noluerint, vel consanguineos eorum aut ipsas Ecclesias per se vel alios spoliando, seu iniuste alias persequendo, grauare præsumpserint cap. sicut cuncti 12. de elect. in 6.*

Quarto, *in cap. generali* 13. eiusd. tituli vsurpantes de nouo vacantium Ecclesiarum custodiam, Clerici quoque earundem, ac Monachi Monasteriorum, qui hoc fieri procurant, excommunicationi Papæ authoritate subduntur.

B Quinto, eandem pœnam subire iubentur, à Greg. X. in Concilio generali Lugdunensi Laici, *qui Prælatos vel capitula Ecclesiarum, seu alias personas Ecclesiasticas, ad submissiones sibi faciendas* bonorum immobilium, seu iurium Ecclesiæ, *compellunt, nisi post competentem monitionem, (remissa submissione quam per vim aut metum exegerũt) ecclesias, & bona Ecclesiastica eis submissa, taliter in sua libertate dimittant, cap. hoc consultissimo finali de rebus Ecclesiæ non alienand. in 6.*

C Sexto qui per se vel alios, tam suo quam alieno nomine exigunt ab Ecclesiis aut Ecclesiasticis personis portorium seu pædagium, *cap. quanquam de censib. in 6.*

Septimo in excommunicationis laqueum incidunt, qui nouum ordinem Mendicantium, vel religionem creant, eius habitum sine speciali Papæ facultate alteri communicant. Gregor. X. *in decretali Religionem prima de religiosis domib. in 6.*

D Octauo, qui iurisdictionem Ecclesiasticam ac iudices Ecclesiæ impediunt, ne faciant officium, *cap. quoniam 4. d. immunitate Ecclesiar. in 6.* aut ne coram iis litigetur.

Nono, qui vetant subditis, ne quid Clericis vendant aut ab iis emant, ne frumenta molant, panes coquant, aut alia præstent officia *de immunit. Eccles. cap. extremo in 6.*

Decimo, *Qui hæreticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorum, præsumit Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ,* Alexand. III. decreto subiacet, *in cap. quæcunque 2. de hæreticis in 6. nec beneficium absolutionis meretur, nisi propriis manibus publice eiusmodi corpora extumulet.*

E Vndecimo, excommunicatio est in decretali, *vt inquisitionis negotium 18. de hæreticis in 6.* quam Bonifac. Papa VIII. in eos latam voluit, qui cum iurisdictionem temporariam habeant, Episcopis & inquisitoribus operam suam in prehendendis, puniendisque hæreticis rogati non deferunt, aut iussi eam nauare, non obediunt,

A Duodecimo, sunt excommunicati qui per assasinos Christianum interficiunt. *cap. 1. de homicid. in 6.*

Decimotertio, Clerici modo nõ Episcopi qui in suis terris versari sinunt fœneratores publicos alienigenas, aut eos inde non expellunt, vel eis ad fœnus exercendum domos locant, Greg. X. *in cap. 1. de vsuris in 6.*

QVÆSTIO VII.

Recensentur excommunicationes Clementinarum nulli reseruatæ.

SVnt in Clementinis excommunicationes præter iam memoratas plurimæ.

Prima est in capientes fructus beneficij & infringentes sequestrum inductum super eo ab ordinario, Clement. *de sequestratione possessionum & fructuum lib. 2. titulo 6.*

Secunda est in eos qui *in cœmeteriis interdicti tempore, in casibus non concessis à iure, vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, vel manifestos vsurarios scienter sepelire præsumunt,* à qua absolui prohibentur, *nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi, eis quibus per præmissa fuerit iniuria irrogata, satisfactio competens fuerit exhibita.* Clement. prima *de sepultur. tit. 7. lib. 3.*

Tertia est in Religiosos, qui decimas ex terris aut noualibus ad se non pertinentes occupant, aut solui ab aliis, vi vel fraude obstant. Clement. I. *de decimis 1.*

Quarta similiter cadit in Religiosos, qui animo nocendi prælatis suis aut Monasteriis, aulas adeunt principum, Clement. *ne in agro parag. quia vero de statu Monachor.*

Quinto, *qui visitatores monialium impedire præsumunt nisi moniti resipiscant, ipso facto,* excommunicationem incurrunt, Clement. I. *de statu Monach. lib. 3. tit. 10.*

Sexto, percelluntur excommunicatione qui *scienter in gradibus consanguinitatis vel affinitatis constitutione canonica interdictis, aut cum monialibus contrahere matrimonialiter non verentur. Necnon religiosi ac moniales, ac Clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes,* Clementina prima *de consanguin. & affinitate lib. 4 tit. vnico.*

Septimo, excommunicantur qui literas Papæ recens electi impugnant, antequam coronetur, *Extrauag. finali de sententia excommunicationis,* inter communes.

Octauo Religiosi non seruantes interdictum aut cessationem à diuinis quam seruat Ecclesia Cathedralis, vel Parochialis oppidi, Clementina *ex frequentibus primo de sent. excom. tit. 10. lib. 5.*

Nono tenentur hac pœna Mendicantes, qui aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducunt, vt sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel iam electam vlterius immutent, Clemens quintus, *in Clementin.* 3. *de pœnis parag. sane temerarios.*

Decimo, similem sententiā incurrunt ipso facto Religiosi, *qui vt audientes à decimarum Ecclesiis debitarum solutione retrahant, aliqua in sermonibus suis, vel alibi proferre præsumunt, Clementina cupientes* 3. *de pœnis lib.* 5. *tit.* 10.

Vndecimò, Clemens Mendicantes in officio metu excōmunicationis retinet, *ne domos ad habitandum, vel loca quæcumque de nouo recipere, recepta hucusque mutare vel ea transferre in alios cuiusuis alienationis titulo audeant.*

Duodecima excōmunicatio est iis imposita qui Papæ nuntios aut Legatos impediunt, ne ea quorum causa sunt in prouincias missi, exequi valeant, Ioan. 22. in Extrauag. *super gentes prima de consuetudine inter communes.*

RECENSENTVR excommunicationes quæ sunt in extrauagantibus, nemini tamen reseruatæ.

Primo in Extrauag. Ioan. XXII. *suscepti de electione* excommunicantur personæ singulares omnes, quæ fructus vacantis beneficii aliter diuidunt, quam ibidem decernitur, nisi intra mensem resipuerint cum effectu, nisi Episcopus fuerit aut Superior Prælatus, nam hi à Pontificalibus & ingressu Ecclesiæ suspenduntur, Capitulum autem, Vniuersitas vel Collegium interdicto supponuntur.

Secundo, sub excommunicationis pœna, omnes, & singuli cuiuscumque status, præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis existant, iubentur à Ioanne XXII. à denominatione iurisdictionis, nominis, aut officij sumpta sine Papæ licentia, post vacationem imperii, simulque ab eius vsu, & exercitio abstinere *cap. vnico ne sede vacante titulo* 5.

Tertio, excommunicantur ab eodem Pontifice in *Extrauag. contra de religiosis domibus*, qui statum, sectam, siue ritum Fratricellorum assumptum sectantur, aut ipsum postmodum assumere præsument, de qua nos antea.

Quarta excommunicatio ab eodē in eum fertur, *Extrauag. dierum de pœnit. tit.* 12. *qui Rectorem* Anconitanæ prouinciæ, *iudicem aut iudices, vel ipsius prouinciæ Thesaurarium tenuerit, ad offendendum illum insequutus fuerit, aut occiderit, &c.*

In communibus idem Ioan. eos excommunicat, qui Legatos, vel Nuntios Apostolicos in officio legationis impediunt, *Extrauag. super gentes de consuetudine,*

A Episcopos item eorumque superiores, hoc est Patriarchas & Archiepiscopos *qui habitu transformato venientes ad curiam, de ipsa Romani Pontificis non præsentati conspectibus, vel saltem ab eo recedendi licentia non obtenta, recedunt Extrauag. vt Prælatorum inepta de maiorit. & obedient. cap.* 2.

Sixtus autem quartus, Episcopos, Archiepiscopos, Plebanos, Curatos, Priores, Guardianos, &c. excommunicat qui pacta inter eos conuenta non seruauerint, à qua excommunicatione absolui eos vetat, *nisi de* B *consensu expresso partis læsæ, & debita satisfactione præuia Extrauag. vt vices de treuga & pace cap.* 2.

His censuris addendæ sequentes Pauli 2. *in Extrau. Ambitiosæ de rebus Ecclesiæ non alienandis*, contra eos latæ, qui eius bona abalienant non seruata forma alienationum propria, Bonifacii VIII. *in Extrau. detestandæ de sepulturis*, contra eos qui defunctorum corpora exenterant, & concidunt, vt in loco certo ossa sepeliant, est eiusmodi tamen excommunicatio Papalis, sicut & quæ est à Mart. V. inflicta in Regulares Mendican- C tes, qui ad alios Ordines transeunt, Carthusiensium excepto, sine Superioris licentia, in scriptis habita, *Extrau. viam ambitiosæ de regularib.*

QVÆSTIO VIII.

Casus enumerantur, quibus est per Concilium Tridentinum adiuncta excommunicatio eaque non reseruata.

D PRimò, qui decimas subtrahunt aut impediunt iubentur excommunicari, nec ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta absolui, Trident. *sess.* 25. *cap.* 13. *de reformat.*

Secundò, *Qui alicuius Ecclesiæ, seu cuiusuis sæcularis, vel regularis beneficij iurisdictiones bona, census, ac iura feudalia, fructus, seu quæcunque emolumenta, quæ in pauperum vsus ac ministrorum conuerti debent, per se, vel alios, vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum aut Laicorum, in proprios vsus* E *conuertere præsumit, seu impedire ne ab ijs percipiantur ad quos iure pertinent, is anathemati tandiu*, decreto Concilij *subiacere debet, quandiu iurisdictiones, res, iura, fructus &c. Ecclesiæ eiusque administratori siue beneficiato integre restituerit sessione* 22. *cap.* 12. *de reformat.*

Tertiò, *Concubinas si qui non eiecerint, seque ab earum consuetudine non seiunxerint, excommunicatione feriendos esse, à qua non absoluuntur,*

uuntur, donec reipsa admonitioni paruerint, sanxit idem *Concil. sess.* 24. *ca.* 8. fieri ergo id non debet nisi postquam dicti concubinarii fuerint admoniti, à quo verò? & quoties? ab ordinario, tribusque repetitis vicibus, Trid. ibid.

Quartò, qui docere, prædicare, aut asserere pertinaciter, aut etiam publice disputando defendere præsumit, ei quem peccati mortalis conscientia grauat, confessionem Sacramentalem perceptioni Eucharisticæ præmittendam non esse, *eo ipso excommunicatus existit*, Trident. *sess.* 13. *can.* 11.

B Quintò, inter raptorem & raptam, constans esse nulla potest, fidaque coniugij societas, nisi hæc tuto loco posita, in illud spõte ac libere consentiat, *nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium & fauorem præbentes, sunt ipso iure excommunicati, & perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidunt*, Trid. sess. 24. *c.* 6. *de reform.*

Sextò, qui inuitos, ac nolentes, ad matrimonia contrahenda adigunt, viri Principes, domini, ac magistratus temporales, *anathematis pœna, quam ipso facto incurrant*, notantur à Concilio, ac ne directè, vel indirectè subditos suos, impediant aut quosuis alios, quo minus liberè matrimonia contrahant, ea pœna proposita, deterrentur, à Concil. Trident. sess. 24. *ca.* 19.

C Septimò, excommunicantur qui virginem, viduam, aut fœminam quamcunque, præterquam in casibus iure expressis vi, aut metu ad vouendũ in religiosa familia vota tria regularia adigunt, aut capiendum in ea regularem habitum, nec hos modo ea censura stringit, sed & quoscunque qui ad id illos cõsilio, opera, auxilioque conferendo iuuere, *quique scientes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel authoritatem interposuerint*, Trident, *sess.* 25. *c.* 18. *de reform.*

D Octauò, *Simili anathemati subiicit eos, qui sanctarum virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo sine iusta causa impediunt*, Trid. ibid.

E Nonò, qui congreditur cum altero singulari certamine, pœnis tenetur homicidarum, infamiæ sempiternæ notatur labe, excommunicationis irretitur fune, & si in conflictu decesserit, ius ei Ecclesiasticæ sepulturæ est nullum, Tridentin. *sessione* 25. *cap.* 19.

Decimò, monomachiam præcipere, suadere, spectare, adiuuare, excommunicatio-

A nis pœna proposita prohibentur omnes, sic concilio, ibid. sic Gregor. XIII. sic Clemente VIII. decernentibus.

Vndecimò, ex decreto Concilij ea quoque pœna ad eos pertinet, qui locum istiusmodi conflictui in terris suis concedunt, eoque ipso, *iurisdictione ac dominio ciuitatis, castri, aut loci, in quo, vel apud quem fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent priuati intelliguntur*, Concil. *sess* 25. *c.* 19.

Duodecimo, Episcopis sub obtestatione diuini iudicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipitur, *vt in omnibus Monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero, sedis Apostolicæ auctoritate clausuram monialium, vbi violata fuerit restitui, & vbi inuiolata est, conseruari procurent*, Sess. 25 *c.* 5. quod si aliquæ restiterint per censuras Ecclesiasticas compesci debent, Bonifac. VIII. *ca. periculoso* 1. *de statu regularium in* 6. §. *& quoniam*, Trid. supra.

Decimo tertio, excommunicationis ipso facto incurrendæ pœna proposita, prohibetur omnibus cuiuscunque conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, intra septa Monasterii ingredi, *sine Episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta*, Trid. *sess.* 25. *ca.* 5.

Decimo quarto. Principes orantur, magistratus autem sæculares iubentur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, operam suam & auxilium deferre Episcopis, vt moniales claudi queant implorantibus, Trid. ibid.

Decimo quinto, quandiu monialis probatur, (& idem est de Nouitio in virorum Monasteriis) præter victum & vestitum dare cœnobio nihil potest, *ne hac occasione discedere nequeat*, itaque id illi ne faciat, religiosis autem similiter ne quid ab ea recipiant, *sub anathematis pœna*, Tridentina Synodus præcipit, *sess.* 25. *c.* 16.

Decimo sexto, Clerici qui mulieres parum pudicas, post intermissum earum consortium, hasque dimissas, repetere, *aut alias huiusmodi scandalosas adiungere sibi* non verentur, excommunicationis gladio iubentur capite diminui Tridentinum *sessione* 25. *cap.* 14.

QVÆSTIO IX.

Recensentur excommunicationis latæ sententiæ in Lateran. & Constantiensi Conciliis promulgatæ, nulli tamen reseruatæ.

IN Lateranensi Concilio cui præfuit Alexand. III. à perceptione corporis & sanguinis Domini alieni esse perhibentur, qui hæreticorum commercia ac congressus non vitant, *can.27.*

Credentes præterea, receptores, fautores, & defensores hæreticorum excommunicationi decernimus subiacere, (inquit Innoc. III. in Concil. Lateran. can.3.) *firmiter statuentes, vt si postquam quilibet talium, fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, ex tunc, ipso iure sit factus infamis.*

Tertiò, iubentur excommunicationis gladio percuti, ab omni officio & beneficio Ecclesiastico deponi, qui baptizatos à Latinis rebaptizant, Innoc. III. in Concil. Lateranensi *can.* 4. & vero Gallis nefas erat, *absque Paschæ solemnitate vllo tempore baptizare, nisi illos, quibus mors vicina erat, quos grabatarios dicunt. Quod si quis in alio pago, contumacia faciente, post interdictum hoc, infantes suos ad baptismum detulisset in Ecclesias, non recipiebantur. Presbyter autem ipsos recipere præsumens, tribus mensibus à communione Ecclesiæ sequestratus erat,* Antisiodor. *can.*18.

QVÆSTIO X.

Quæ excommunicationes sint reseruatæ Papæ, in Gallia & vbique.

OMnium prima censenda est, quæ ab Innocentio II. contra percussores Clericorum est lata in decreto *causa* 17. q. 4. *can. si quis suadente* 29. inciditque in tempora D. Bernardi circa annum Domini 1130. ante quæ tempora fuit Ecclesia à reseruatis libera, quæ tamen reseruatio (vt est hominum, ac æui corruptela) vbique crescente audacia, ad eius, scelerumque aliorum remedium, crescere Pontificum prouidentia debuit, cuius vt exemplum extaret apud posteros, sanxit pro potestate hic Pontifex, *vt si quis in Clericū vel Monachū violentas manus iniiceret, vinculo anathematis subiaceret, & nullus Episcoporū illū præsumeret absoluere, (nisi mortis vrgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentaretur, & eius mandatum susciperet,* præter hanc excōmunicationē, alia nulla similiter reseruata, Decreto reperitur inserta.

Decretales Pontificum literæ, quinque tantum continent, quæ Pontificii sint iuris.

A Prima, habetur in *ca. quærenti* 26. *de offic. delegati*, estque eorum propria, qui excommunicati à delegato Papæ, ab eo, aut Pontifice liberari negligunt intra annum, Nauar. *ca.27.n.40. & 93.* quia vt potestas delegati, exeunte anno desinit, eiusque sententia mandata effectui tunc cessat, sic eam extra id tempus prorogare delegatus, aut eius exequutionem arbitratu non potest suo prosequi.

Et licet aliquibus extendenda videatur hæc pœna ad quemlibet, à quolibet Episcopi delegato censura irretitum, audiri tamē

B non debent, quia de ea re *can. non loquitur*, sed de solis Papæ delegatis, quare cum pœnæ non sint communicandæ cum aliis, quàm quorum fit mentio in canone *de reg. iuris in* 6. *reg.*49. ab huiusmodi Papæ delegatis ad alium, non videtur trahi posse argumentum, nec proinde honeste excōmunicationis ab isto latæ absolutio deriuari posse ad Papam, si intra annum excommunicatus cum Ecclesia nō redierit in gratiam, & ita qui ab Episcopi Vicario excommunicatus, annum

C & amplius, manebit eius irretitus nexibus, & ab Ecclesia exclusus, Papa ei non necessario absolutionis obtinendæ causa, adeundus erit, sed Episcopus.

Secunda, ad Clericos pertinet non omnes quidem, sed eos duntaxat, qui in diuinis, cum nominatim excommunicato à Papa, & denuntiato participant de *sent. excommunic. cap. significauit* 18 vbi sic Clemens III. *clericos qui scienter & sponte participauerunt excommunicatis à nobis, & ipsos in officiis receperunt, eadem excommunicationis sententia* (id est

D *maiori*) *cum ipsis non dubitamus inuolui, quos etiam pro beneficio absolutionis habendo, ad nos volumus cum literarum tuarum insinuatione remitti.*

Ad hanc tamen incurrendam censuram quinque exiguntur.

Primo, quod qui communicat, sit Clericus.

Secundo, quod communicet cum excommunicato à Papa, & per sententiam denunciato.

Tertio, quod eius cum eo communicatio,

E sit in diuinis.

Quarto, quod sit spontanea factaque scienter.

Quinto, quod eam timor constante dignus homine non expresserit, Barbosa *de officio & potestate Episcopi allegat.*50.*n.*88. sunt & aliæ excommunicationes, tres numero, in Decretalibus quas tamen non subiri est certum, nisi promulgatæ palam & denunciatæ ab Episcopo fuerint.

Prima ab Innoc. III. in eum est dicta, *qui se falsas habere Papæ literas cognoscit nisi illas intra*

tra 20. dies resignet aut destruat, cap. dura 4. de crimine falsi. Non comprehendit tamen hæc censura impetrantes literas subreptitias, de Graphiis *ca.* 18. *num.* 99. Barbosa de *officio Episcopi parte* 3. *allegatione* 50. *num.* 86. nec alios quam qui non parent intra tempus à *can. præscriptum*, post promulgatam ab Episcopo Papæ voluntatem, sic enim Innoc. III. in decret. citata, *parag. adiicientes Statuimus vt generalem excommunicationis sententiam promulgetis quam per singulas Parœcias faciatis innouari, quod si quis falsas literas se habere cognoscit intra 20. dies illas destruat, aut resignet, si pœnam excommunicationis voluerit euadere quam nisi in mortis articulo sine speciali mandato nostro nolumus à quoquam relaxari.*

Quarta est contra incendiarios, nam *ca.* 19. *tua nos de sent.* edicitur Episcopis, cæterisque, ne eos ab Ecclesia opera suâ per excommunicationem exclusos, publice, eidem reconcilient, cum id Papæ solius, in eos beneficium esse oporteat, incendiarij, ergo ab Episcopo excommunicati & publice pro talibus cogniti, *ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam sedem sunt mittendi*, Clem. III. ibi, quia tum excommunicati sunt, excommunicatione Papæ reseruata de qua re consulendi, Sylu. *verbo incendiarius q.* 1. & *verbo excommunicatio casu* 3. Suarez *in disp.* 22. *sect.* 2. *n.* 15.

Dixi *Ab Episcopo*, quia vt ex Caiet. refert Nauarr. *in summa ca.* 27. *num.* 94. nullus est canon in iure, qui eiusmodi homines excommunicet, quare excommunicari eos oportet ab Episcopo, Incẽdiarij porro nomine, quem vitari conuenit à temporibus Concilij Constantiensis, hic intelligitur tantum, qui nominatim est denuntiatus excommunicatus, secundum Nau. *ca. vlt. Enchir. n.* 94. non autem generaliter tantum. Nec verò quilibet incendiarius motus, aut mouendus est piorum numero, sed is duntaxat, qui facessubdidit loco sacro, & religioso, quo nomine etiam intelligitur cœmeterium, & spatium priuilegiatum circa Ecclesiam, modo ad eam pertineat, Gloss. *in can. si canonicum* 10. *q.* 3. & *in can. deuotissima* 12. *q.* 2. quare incendiarii, qui authoritate propria, malo studio, odioque, aut culpa lata, ignem subdidit profanæ ædi, agris ac segetibus possunt ab Episcopo absolui si fides est Toleto *lib.* 2. *ca.* 35. *n.* 5.

Excommunicatio quinta Papæ reseruata cum est denunciata, habetur in *ca. conquesti de sent. excommunic.* vbi effractor & spoliator Ecclesiæ, postquam ab Episcopo denunciatus est populo, tanquam excommunicatus, ab alio absolui nequit: quam ab ipso Pa-

A pa: ab Episcopo vero antequam eius culpa in notitiam communem plebis venerit, per propriam eiusdem sententiam, dummodo tamen satisfacere velit ei qui passus est iniuriam Sairus *l.* 3. *c.* 29. *n.* 16.

Vbi notandum primo Clement. III. in *c. citato* duo complecti, effractionem violentã non arcæ, non seræ, sed forium, & spoliationem, ac proinde eius lege non teneri qui alterutrum tantum fecisse conuincitur vt aperuisse fores claue, Panorm. in *ca. fin. de furtis num.* 2. Nauar. *ca.* 27. *num.* 94. effractio

B (quo nomine intelligitur etiam suffossio parietum) violenta esse debet, eique addi furtum rei sacræ. Lubet Pontificem audire: sic ergo Clemens eo loco. *Conquesti sunt nobis Regin. canonici quod I. de Mala Frena, & eius sequaces quasdam Ecclesias Regin. Episcopatus violenter confregerunt, easque spoliare minimè dubitarunt. Mandamus quatenus si ita est, memoratos sacrilegos, excommunicatos nuncietis, & faciatis sicut excommunicatos arctius euitari, donec passis iniuriam congruè satisfaciant, & cum lite-*

C *ris vestris rei veritatem continentibus, Apostolico se conspectui repræsentent.*

Ex dictis patet, quod qui sine effractione, ingressus Ecclesiam quam apertam reperit, furatus est calicem, excommunicatum non esse, quemadmodum nec qui templi fores animo quidem furandi effregit, sed tamen non est furatus, quia Clemens vtrumque postulat. Per Ecclesiam autem, intellige etiam Monasterium, Hospitalia & alia loca pia, authoritate Episcopi consecrata, non alia Nau. supra.

D Præter excommunicationes has sunt & aliæ tam in decreto, quam decretalibus ac Pontificiis aliis bullis *numer.* 65. sed quia non sunt hæ reseruatæ Pontifici, eas missas facimus.

quæ in sexto decretalium propriè sunt in eius iure, quatuor sunt numero, in Clementinis quinque, in Extrauagantibus septem, ordiamur à sexto decretalium.

Quæ in eo ergo, iuris sui esse Pontifex voluit, censuræ sunt quatuor.

Prima est contra ciues Romanos, qui in Senatorem, Imperatorem, Regem, aut e-

E ius Fratrem & comitem, sine Romani Pontificis consensu aliquem eligunt, *cap. fundamenta de electione in* 6.

Secunda, contra inuadentes Cardinales, id est vt explicat Bonifac. VIII. in *ca. fœlicis* 5. *de pœnis*, qui eos insequuntur hostiliter, vel percutiunt, aut capiunt, aut socii sunt facientium, vel fieri mandantium, vel factum ratum habentium, aut consilium dantium vel fauorem, id est qui comitati prædictos fuerint ad scelus.

Tertia est contra eos qui iniuria afficiunt excommunicantem, suspendentem, interdicentem, aut eius consanguineos in propria eorum persona aut bonis, de *sent. in 6. ca. quicunque* 11. *qui quidem si in eadem sententia permanent, duorum mensium spatio, ex tunc, ab ea non possunt, nisi per sedem Apostolicam, absolutionis beneficium obtinere*, Bonifac. ibi quare si se absolui ab Episcopo ante exactum hoc tempus curauerint, Papalem excommunicationem non incurrent, vt patet ex textu. Notandum tamen pœnam hanc incurri, non modo quando consanguinei læduntur, sed & famuli excommunicantis, eiusque amici, & omnes illi, quorum grauamen, grauanti videtur esse excommunicantis grauamen, Nauar. *c.* 27. *n.* 99.

quarta est contra Clericos, qui quod iure vectigalis Laici soluunt, idipsum sponte pendunt sæcularibus, Bonifac. VIII. *ca. clericis* 3. *de immunitate Ecclesiarum*, hæc tamen à Clemente V. reuocata fuit in Vien. Concilio, nec in hac parte in Bulla cœnæ, Lateranensi & aliis Pontificum sanctionibus apparet innouatam esse, vt notarunt Toletus & Comitol. *respons. li.* 1. *q.* 95.

quæ continentur in Extrauagantibus sunt sequentes. Prima nobiles afficit aut Dominos temporales, qui cogunt aliquem ad celebranda diuina officia in locis interdictis, aut impediunt ne excommunicati ab Ecclesia eiiciantur Clement. graue nimis de *sent. excom.*

Secunda, his irrogatur qui ex Papæ Sixti IV. priuilegio absoluunt ab aliquo istorum quinque votorum, scilicet peregrinationis in Hierusalem, Romam, Compostellam, religionis & castitatis, nisi in dictis confessionalibus fiat mentio illorum de certa scientia cum derogatione illius Extrauag. Paulus II. in Extrauag. etsi Dominici gregis 5. de *pœnit. & remissionib. lib.* 5 *Extrauagantium.*

Tertia eos respicit, qui absoluunt à casibus reseruatis Pontifici, de quibus fit in prędicta Extrau. mentio sine speciali licentia Pontificis Paulus Venetus Papa II. in Extrauaganti etsi Dominici 3. *de pœnit. & remissionib. li.* 5. *Extrauag.*

Quarta intentatur in eos qui Anconitanos, aut e Marchia oriundos, ad ciendas seditiones, turbas, aut rebellionem contra Pontificem commouerint, commotis auxilium aut consilium dederint, &c. aut qui eorum al quem percusserint, vulnerarint, occiderint qui in illa prouincia iudicem, aut Vicarium pro Papa egerint, Ioan. XXII. *in extrauag. prima de pœnis tit.* 12.

Quinta est in eos la a, qui alterutram opinionem de B. V. conceptione vt hæreticam damnant, aut patronos earum opinionum mortifere peccare putant, quique in concionibus ea de re habitis, aut habendis contentiose disputant, aut de ea aliquid scribere præsumunt, ita Pontifex in *Extrauag.* 2. *de reliquiis & veneratione Sanctorum*, quæ renouata est à Trid. *sess.* 5. *in fine*, à Pio V. in const. super speculam, de anno 1570. tamen quia nunquam Parisiis est recepta nobis non est magnopere curanda, quanquam vt quod res est eloquar, permittit Pius V. Doctoribus, in vtramque partem ea de controuersia inter Academicos, vbi scandali metus est nullus, differere: tenentque authores ab excommunicatione fore liberum, qui pro alterutra parte concionem ad populum habet sine contentiosa disputatione, aut refutatione partis alterius: Qui contra quam Papa præcipit de cõceptione loquitur, aut sentit, *Suspensionis pœnam à diuinis, absque alia declaratione ipso facto incurrit, si modo fuerit in sacris constitutus, & quocũq; præterea gradu, siue dignitate vel administratione fungatur, illis omnibus est ipso iure priuatus, & ad eadem vel similia munera obtinenda, perpetuæ inhabilitatis censura, ipso facto est obnoxius*, Pius in constitut. citata.

Excommunicatio sexta, dicta est in Regulares, qui cuipiam sunt auctores vouendi, iurandi, aut promittendi, se in eorum Ecclesiis electuros sepulturam Clem. *de pœnis ca. finali*, hic tamen excusat ignorantia, quia adesse debet color fraudulentus Sylu. *verbo temere*, qui esse nequit cum ignorantia.

Septima, in religiosos cuiusquemodi est lata, qui Clericis non religiosis, aut Laicis, Sacramentum vnctionis extremæ, aut Eucharistiam ministrare, matrimonia celebrare, hoc est vt loquuntur solemnisare sine Parochi licentia, aut priuilegio summi Pontificis præsumunt, aut absoluere ab excommunicatione iuris: *Præterquam* (inquit Clemens) *in Clementina prima de priuilegiis in casibus à iure expreßis vel priuilegiis sedis Apostolicæ conceßis eisdem vel à sententiis per statuta prouincialia aut Synodalia promulgatis, seu à pœna & culpa absoluere præsumpserint excommunicationis incurrant sententiam ipso facto duntaxat per sedem Apostolicam absoluendi.*

Excusat primo omnis ignorantia tam iuris quam facti etiam crassa, Caiet. *verbo excommunicatio ca.* 64. quia *can.* requirit præsumptionem, quæ nulla est sine notitia rei agendæ aut omittendæ.

Secundo excusat venia obtenta à Parocho aut eius Vicario, Caiet. Supra, Sylu. verbo *excomm.* 7. *n.* 31.

Octaua est contra percussores Episcoporum Clem. *de pœnis*. Paul. II. *in Extrau. etsi*

Dominici

Dominici de pœnitent.

Nona, est contra eos qui diuina perturbare officia præsumunt, cum sunt nominatim denuntiati excommunicati, vel interdicti Clement. II. *de sent. excom.*

Præter has si quæ sunt reliquæ, nunquam fuere receptæ saltē in Gallia, aut si aliquando vim in ea habuere Antistitum pietate ac diligentia, hę contrario desiere vsu, aut earundem abrogatione in antiquum sunt iuris ordinem redactæ, secundum Nauarr. *cap. 27. num.* 54. *&* 75. quemadmodum & quæ à Trid. latæ sunt, de quibus nos antea.

Decima, est contra eos qui fructus beneficij litigiosi sequestratos per iudicis sententiam quoquo modo præsumunt occupare Clement. 1. *de sequestratione & poss. fructuū*, qua pœna dantes quoq; ac accipientes affici, eos nempe qui pro collatione, siue traditione possessionis beneficii partem fructuum seu distributionum eiusdem exigunt, statuit Pius V. in constitut. quæ incipit *durum nimis*, excommunicati sunt pariter qui absoluunt à Simonia super ordinibus, vel beneficiis assequendis Paulus 2. in Extrauag. etsi Dominici de *pœnit & remission.*

Ad has censuras adiiciendæ aliæ quinque quarum dum viueret auctor fuit ac reseruator earundem Clemens.

Prima est contra Inquisitores, Clement. prima *de hæreticis parag. Verum*, qui quoniam Gallis sunt incogniti incognita quoque iisdem est hæc censura vi cuius, *qui odij, gratiæ vel amoris, lucri aut commodi obtentu, contra iustitiam & conscientiam suam omiserint contra quenquam procedere, vbi fuerit procedendum &c. præter alias pœnas pro qualitate culpæ imponēdas eisdem: Episcopus aut superior suspensionis ab officio per triennium, alij vero excommunicationis sententias eo ipso incurrant.* Hæc Clemens.

Secunda est contra Fratres Mendicantes, qui ad alium ordinem sine licentia transeunt *ordine Carthusiensium excepto, quam pœnam tam recipientes quam recepti ipso facto incurrūt, & à nemine nisi duntaxat à Romano Pontif. (præterquam in mortis articulo) excōmunicationis huiusmodi possunt absolutionis beneficiū quomodolibet obtinere, & nihilominus secus facta non tenent, & nullius existunt efficaciæ vel momenti* Martin. IV. in *Extrauag. de regular. cap. 1.*

Tertia, quarta, & quinta, non sunt in vsu, prima eos afficit qui absoluunt sub prætextu facultatum Sixti Papę IV. Secunda exenterantes mortuorum corpora, Extrau. 2. *de sepulturis.* Tertia mittentes arma Saracenis, qui quoniam modo sunt nulli, nulla quoque est hæc excommunicatio.

Circa dicta de Mendicantibus, ad alios A ordines Monasticos conuolantibus, præterquam Carthusianorum; notandum inter Mendicantes, Societatis Iesu Regulares Clericos numerari, ad eosque pertinere pœnas omnes, quibus Mendicantes, qui mutato primæ vitæ statu alium capessunt, plecti Martinus voluit, pariterque ad Religiosos omnes præter Carthusianos, qui Societatis IESV Clericos sine facultate in suum ordinem admittunt, vt habetur in constitutione Pij V. quæ incipit *æquum reputamus.*

Additum ab eodem Martino anno 1419. B in extrauag quæ incipit, *Viam ambitiosæ cupiditatis*, vt in hoc genere quicquid geritur à superioribus aliorum ordinum, respectu fratrum Mendicantium iure sit irritum, iubenturque sub eadem pœna dicti Mendicantes ad propria Monasteria redire, se totos in prima vocatione sua dedere, quæ omnia confirmata sunt à Paulo III. anno 1541. Extrauag. quæ incipit, *Romani Pontificis*, cum imperio Patribus Capucinis ne Franciscanos de obseruantia quos nominant, sine scripta licentia Prælati in suum ordinem coop- C tent, nisi Principi Deo ac sibi inuisi esse velint.

Reliquæ sunt excommunicationes quatuor, quarum duæ spectant Simoniacos & eorum asseclas: mediatores barbaro nomine dicimus, tam in recipiendo pretio, quam dando, idque ex pacto pro ordine, beneficio & ingressu in Religionem Paulus II. *Extrauag. 2. de Simonia*, Vrbanus V. in *Extrau. ne in Vinea.*

Tertia vsuras cohibet punitque, nam per eam excommunicantur qui eas per statuta fouent Clement. I. de *vsur. Eandem etiam* D *sententiam incursuri, nisi statuta talia hactenus edita, de libris communitatum ipsarum intra tres menses deleuerint.*

Quæ autem censura ciues Romanos eligentes in Senatorem Romanum, Imperatorem aut Regem insequitur, *can. fundamenta 17. de electione in 6.* nos non respicit, proindeque nec timenda Gallis.

Harum vis maior, quæ *can. felicis 5. de pœnis & can. quicunque 11. de sent. excommu. in 6.* dictæ sunt in insequentes Cardinales, aut male tractantes verbis aut opere, qui se excōmunicarunt aut suspenderunt ab vsu mi- E nisterij sui, quia vt hæc peccata nobis esse possunt cum aliis communia, ita & possunt in nobis excommunicationis pœna plecti.

In priuilegiis autem Ordinum septem scribuntur.

Prima est in ingredientes Monialium monasteria scienter ac deliberatè, & cū notitia censurę, eiusmodi actui adnexæ sine Generaliū facultate, vel in casibus nō permissis.

Secunda est in auctores libellorum, quibus Ordini Minorum aut Prædicatorum creatur infamia, quos propterea famosos nominant.

Tertia in eos est inflicta, qui vtriusque ordinis religiosos temerè asserunt, in statu perfectionis non esse, nec iis permissum esse mendicato viuere, aut pœnitentibus de Papæ, aut Episcoporum facultate ac consensu aurem dare confitentibus.

Quarta est aduersus eos, qui eorundem Ordinum locis, vim inferunt,

Quinta in detinentes eorum Apostatas, maximè si moniti eos reddere animum obstinent.

Sexta in minores, cooptare ac in suum ordinem sine Papæ facultate recipere præsumentes, qui in D. Dominici familia tria sunt vota professi solemniter.

Septima in eos qui libris editis, aut verbo, palam vel in compitis ambos Ordines ex Parisiensium Academicorum albo eradendos docent, quas etsi sibi Pontifices reseruatas esse voluere, quia tamen nunquam innotuere populo, nunquam quantum est satis, fuere promulgatæ ad notitiā, cum eo obligare rigore, quem notat Pontifex non puto, quanquam de aditu ingressuque in Monialium religiosa septa, sine Generalis venia, dicetur postea, monuisse in præsenti sufficit, peccata omnia quibus est ex eorundem voluntate Pontificum adnexa censura, in Episcopi cuiuslibet ac approbatorum iure esse, præterquam primum de aditu in cœnobia monialium.

QVÆSTIO XI.

An Pauli II. constitutio de alienatione bonorum Ecclesiæ vitanda, excommunicationem Papæ reseruatam inferat.

Casus est talis. Domum ducentis aureis nummis æstimatam, quod sibi parum cœnobioque vtilis foret, distrahendam cum Abbas & Monachi crederent, de pretio cum emptore conueniunt, qui stipulatur, tantundem in pecunia numerata, qua conditione illectus Abbas, cum homine decidit, eique domum ducentis aureis nummis tunc numeratis attribuit.

Quæritur, *An Abbas & Monachi in legem Paulinam commiserint, pœnasq; in ea transgressoribus propositas incurrerint.*

Conferam huius quæstionis explicationem in nonnullas hypotheses.

Prima Alienatio proprie sumpta est actio per quam rei Ecclesiasticæ dominium A in alium transfertur, *lege* 1. *Cod. de fundo, Glossa in ca. cum nulli liceat, de rebus Ecclesiæ non alienandis* Sylu. *in verbo alienatio numero* 1.

Improprie est id, quo res integra, aut eius pars aliqua, vel proprietas communicatur cum alio, & vtraque legibus est Ecclesiæ prohibita, pactum enim omne, non tantum per quod ipsorum bonorum dominium trāsit in alium, Paulus illa sua constitutione, cui est initium: *Ambitiosæ de rebus Ecclesiæ non alienandis* inhibet, *sed etiam concessionē, hypothecam, locationem conductionem* B *vltra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus iure expressis, &c.* ab his enim contractibus & similibus, datur vsus rei, vel fructus, non integrum eius dominium ac perfectum, sed aliquale ac mancum, & hæc est secunda hypothesis.

Tertia, est bonorum Ecclesiasticorum alienatio sacratis Pontificum legibus interdicta, vt Leonis I. Symmachi, Leonis IV. in Concilio Romano, Gregorii Magni quorum decretales relatæ sunt *in causa* 12. *qu.* 2. sicut Symmachi Alexand. III. Cœlestini C tertii, Innoc. III. sunt subiectæ sub titulum *de rebus Ecclesiæ non alienandis*. Hanc quoque vetuere, Greg. IX. Innoc. IV. Greg. X. *de reb. Ecclesiæ non alienand. in* 6. Paulus Venet. *in Extrauag. Ambitiosæ*, Clemens V. *in Clementina eod. titulo.* Paulus IV. *in constitutione sua Iniunctam.* Concilia similiter Aurelian. 3. *can.* 18. septima Synodus *can.* 12. Toletan. 3. *can.* 3. his verbis: *hæc sancta Synodus nulli Episcoporum licentiam tribuit, res alienare Ecclesiæ, quia & antiquioribus canonibus hoc prohibetur,* Concilium Roman. tertium sub Sym- D macho *can.* 4. *Non liceat* inquit, *Papæ, prædium Ecclesiæ alienare aliquo modo, nec in vsum fructum iura dare*

Quarta, Bonorum nomine quæ alienari prohibentur intelligenda sunt.

Primò, immobilia *Synodus Romana can.* 6.

Secundò, directum dominium ac vtile, argumento est, quod illud in nouum feudum, ad vitam alicui concedere oppignerare, & hypothecare sit illicitum Clemente V. teste, *Clementina* 1. *de reb. Eccles. non a-* E *lienand.* 1.

Dixi *in nouum feudum*, quia si ab antiquo Ecclesiæ bono concessa hoc modo fuissent, aut in Emphiteusin possent deinceps sine alia solemnitate à Prælato concedi, vt est in Bulla Pauli II. *Ambitiosæ de alienationib.*

Ratio est, *quod hæc concessio non sit noua alienatio sed potius executio ordinationis antiquæ Abbas in cap. super de reb. Eccl. non alienand.* quod in constituendo feudo recenti ac nouo locum perinde non habet, etsi enim cum

alienatio propriè sumitur, contractus non comprehendat alios, quam venditionem donationem, permutationem quibus directum rei traditæ dominium transfertur, iuxta *leg. 1. Cod. de fundo dotali & lege alienatam digest. de verbor. significat.* in præsenti tamen materia, & qualibet alia fauorabili late debet accipi, vt comprehendat etiam feudum, emphyteusim, & locationem in longum tempus, quibus vsus-fructus siue dominium vtile transfertur, Layman. *lib. 3. tract. 4 sect. 5. cap. 10. num. 2.*

Equidē nō sunt Clerici bonorum Ecclesiæ Domini, sed procuratores & Oeconomi, vt est in decretali Alex. III. cui initiū, *fraternitatem tuam de donationib.* facit autem contra ius, fidemque boni Oeconomi, qui bona Domini eo non modo inconsulto, sed etiam repugnante ac inuito distribuit, quare qui bona Ecclesiæ, quæ in Christi patrimonio censeri dixit Inn III. in *c. cū secundū Apostolū extra de præbend.* Bonif. VIII. in decretali *ex eo de elect. in 6.* abalienat, aut destruit: *Vt homicida in conspectu iudicis reputatur 12. q. 2. can. 1.* Etsi enim *omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam habeat Episcopus, & eadem, vt Deo contemplante dispenset, non tamen illi licet ex his aliquid omnino contingere, aut parentibus propriis, quæ Dei sunt condonare can. 39.*

Quartò in bonis quæ vendi, distrahi, ac abalienari sine consensu Pontificis nequeunt, numeranda iura veniunt, actiones, debita, Redoanus *de reb. Eccl. non alienand. q. 2. cap. 6.* Piasec. *2. parte prax. c. 5. art. 4. n. 8.* indicatq; Concilij Epaun. *can. 7.* vbi est his verbis: *Quicquid Parochiarum, Presbyter de Ecclesiastici iuris possessione distraxerit, inane habeatur ac vacuum, in venditorem actione competenti vertenda*, hæcque mihi esse causa videri solet, cur censum in re Ecclesiæ cōstituere beneficiario nō liceat tàm qui sit perpetuus, quàm vitalatius Redoanus *de reb. Eccles. non alienand. cap. 17.* quia esse census sine iure pensionis annuæ colligendæ ex Ecclesiæ redditibus non potest, iura autem, actiones debita eodem esse censentur discrimine, quo res ipsæ, ad quas tendunt: ergo cum illæ absque solemnitate quando sunt immobiles; abalienari nequeant, nec iura quoque ipsa poterunt.

Dixi *cum sunt immobiles*, nam vt est pecunia de bonorum mouentium genere, ita & debitum quod ad eam tendit vti terminum, Laym. *supra num. 2. sub finem.*

Quintò vox *alienationis* in hac materia comprehendit mobilia, quæ seruando seruari possunt & sunt pretiosa, Emm. Sa *verbo alienatio*, ita vasa argentea aureaque, vestes, calices alienari prohibentur in Concil. Agath. *can. 6.* his verbis: *Casellas, vel mancipiola Ecclesiæ, vel vasa ministerij, quasi commendata fideli proposito, integro Episcopi iure possideant, id est vt hi neque vendere, neque per quoscunque contractus, res vnde pauperes viuunt alienare præsumant.*

A

In hanc classem, armenta boum ouiumque cogunt Quarāta apud Piasecium supra, & Laymanus: contraria mihi tamen opinio in praxi videtur & lenior & tutior quam defendit, Emm. Sa in *verbo alienatio*, eadem est arborum, syluarumque ratio, nec enim cum cæduntur, ad pecuniam ex iis colligendam, monetur Episcopus, multo minus Romanus Pontifex, facultatis ad eam rem obtinendæ gratia, quare iusto mihi rigidiores esse videntur, Nauarr. *in consil. 6. de rebus Eccles. non alienandis* Baldus & Iason in *Authent. qui rem Codice de sacros. Eccles.* Piasec. *num. 9.* cum aiunt in alienationibus incisionem arborum numerandam esse, quæ fit cum detrimento rerum Ecclesiæ, sed nostram sententiam propugnat Emman. Sa *verbo alienatio.*

B

Mobilia dixi quæ seruando seruari possunt, & sunt pretiosa, nam minuta, nam leuia, Episcopo distrahere est licitum, *12. q. 2. can. terrulas*, etiam inconsulto capitulo Concil. Agathense primum *can. 6. minusculas vel vores, aut Ecclesiæ minus vtiles, peregrinis, vel Clericis saluo iure Ecclesiæ, in vsum præstari permittimus.*

C

Hypothesis prima. Locatio quæ fit ad longum tempus alienationis nomine comprehenditur, quale est, quod nouem est annis maius. Bleyan. *de Patrimonio Ecclesiæ & Ecclesiasticorum num 37. & in comment. litera Z.* quare facta eo modo, & extra metas nouennij non valet in Gallia, nisi ad eam iuris solemnitates fuerint adhibitæ, talem fori Gallici vsum esse indicant Senatus Lutetiani præiudicia multa, & grauia, de quibus Papon. *lib. 1. tit. 13. arresto 4.* Chenutius *in additionib.* omnibusque Capitulis ac Collegiis anno 1548. prohibitum esse, ne de cætero bona sua Ecclesiastica locarent ad vitam conductoris, aut tempus diuturnum scripsit Rebuff. in compendio *alienat. rerum Eccles. num. 9.*

D

E

Hypothesis 2. Etsi abalienari bona Ecclesiæ non debeant, possunt tamen nonnunquam sine culpa; nempe cum iusta eius rei causa aliqua suppetit: hæc autem est quadruplex,

Prima est vrgens necessitas, Concil. Agathense 1 sub Symmacho *can. 6. Authentica ius porrectum Codic. de sacros. Ecclesiis cap. nulli liceat de rebus Eccles. non alienandis*, quare si Ecclesia premeretur debitis, nec ad ea sol-

uenda eius redditus sufficerent, prædium illius aliquod eam ad rem vendi posset, de Graff. *lib. 2. decision. cap. 49. n. 14.*

Secunda est pietas, vt si magna sit annonæ caritas, magna copia egentium, quibus alendis redditus Ecclesiæ non sint satis *can. sacrorum, can. aurum 12. q. 2. lege sancimus codice de sacros. Ecclesiis.*

Tertia si res alienanda est sterilis, si Ecclesiæ inutilis. Symmach. *in can. non liceat Papæ prædium Ecclesiæ alienare aliquo modo, pro aliqua necessitate, nec in vsum-fructum dare rura, nisi tantummodo domos, quæ in quibuslibet vrbibus immodica impensa sustentantur, acceptis sub iusta æstimatione redditibus, & diuini iudicij inuocatione commutentur.*

Quarta est Ecclesiæ maior vtilitas, vt si res emenda sit melior, si fructuosior, si necessitas (inquit Agathense *can. 6.) compulerit, vt pro Ecclesiæ augmento, aut necessitate aut vtilitate vel vsufructu, &c.*

Hypothesis 3. Vt rata sit validaque alienatio, fieri debet cum tractatu, *12. q. 2. can. 52.* secundo cum consensu Capituli, & Superioris *12. q. 2. can. placuit 51.* tertio ex causa, & in bonum Ecclesiæ *12. q. 2. can. sine exceptione*, his verbis: *Episcopus de Ecclesiæ rebus cõmutare, aut vendere quidquam non audeat, nisi forte aliquid horum faciat, vt meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu, & consensu id agat.*

Postremo, instrumento alienationis addi debet canonicorum subscriptio.

Hypothesis 4. Facta alienatio rei nõ vulgaris Prælato inconsulto aut Romano Pont. quando potest consuli, nullo iure potest cõsistere, Paulo & Conciliis vim illi adimentibus: sic enim prior in Extrauag. Ambitiosæ quarta inter communes libro 3. *Nihilominus alienatæ res, & bona huiusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem huiusmodi pertinebant, libere reuertantur.*

In Agathensi autem Concil. *can. 6. præcipitur*, cum necessitas compulerit pro Ecclesiæ necessitate aut vtilitate, in vsufructu vel in directa venditione aliquid distrahi, rem apud duos aut tres comprouinciales Episcopos discuti, *vt habita discussione Sacerdotali, eorum subscriptione, quæ facta fuerit venditio corroboretur aliter*, inquit canon, *facta venditio aut transactio non valebit.*

Hypothesis 5. Si quid damni ex venditione rei Ecclesiasticæ, permutatione, hypotheca, Ecclesia patiatur, totum id eidem à venditore, ab emptore vero res cum lucro ex ea percepto reddi debebit. Sic canonum interpretes *in canone quicunq; 12. q. 4.* cuius capitis Glossa, loquitur his verbis: *Si Prælatus aliquid negligit acquirere, hoc imputatur ei, & ad hoc tenetur ad instar tutoris, nec enim debet præponere vtilitatem suam vtilitati Ecclesiæ, sicut nec tutor vtilitatem suam, vtilitati pupilli*, quod quomodo intelligi debeat, & in quo euentu scripsit Turrecremata explanans canonem quicunque citatæ quæstionis & causæ, *Quocunque*, inquit, *modo & in quacunque re damnum patitur Ecclesia, si culpa vel dolo Prælati fit, resarciri debet à Prælato de propriis si habet.* Quod autem de lucro restituendo ab emptore dicitur, non de quolibet, sed eo duntaxat debet intelligi, quod res ipsa natura sua, seclusa vtentis industria parit, vt est herba in prato, ligna & arbores in sylua, huiusque corollarij hæc est causa, quod res quælibet, vt est in cõmuni prouerbio, domino suo sit fœcunda, at pratum v. c. aut sylua, à Prælato contra quàm Paulus vult, aut Concilia, oppignerata, aut vendita, non sunt emptoris, sed Ecclesiæ, ex his ergo qui sine labore fructus sunt collecti, eidem sunt restituendi.

Hypothesis vltima. Perquam est mihi probabile, propeque certum, constitutionis à Paulo II. editæ pœnas nõ valere in eos qui illi non paruerint, nec proinde ipsos excommunicatione irretitos esse. Quia non sunt hæ eius pœnæ vspiam receptæ, & quanquam Paulina constitutio vim ac robur vbique rescindendo contractui obtineat, pœnas tamen efficaciter non irrogat, quas eius transgressori propositas esse Paulus voluit, nempe priuationem beneficij ac excommunicationem, quod has populus, quique Ecclesiæ præsunt, illustres viri, eas vsu ipso nunquam receperint, dixerunt hanc sententiam, Nauar. *cap. 27. num. 9.* Caiet. *in summa in verbo excomm. cap. 75.* Syluester *in verbo alienatio q. 14.* à qua praxis ipsa regionum, experientiaque non dissentit, nam qui à Pontifice violatæ Paulinæ legis veniam deprecatus sit vnquam, aut censuram, pœnasque ea præstitutas subiisse se crederet, repertus est nemo ad hæc tempora, quod ipsum argumentum est non tenue, hanc omnium animis insedisse sententiam, vt credant, etsi sint contractus contra eam initi, inanes, ac sine dubitatione nulli, non valere tamen pœnas in illos, qui isti Extrauaganti non paruerint.

Sunt autem hæ, excommunicatio quidem pro minoribus Clericis, qui bona Ecclesiæ alienant, & Laicis qui ea recipiunt. Pro Episcopis ac Abbatibus, interdictum ab Ecclesia, eiusque ingressu: *Etsi per sex menses immediate sequentes, sub interdicto huiusmodi, animo obdurato perseuerauerint, lapsis mensibus eisdẽ, à regimine & administratione suæ Ecclesiæ, vel Monasterij cui præsident in spiritualibus, sunt ipso iure suspensi*, Paulus in Extrauag. ambitiosæ

tiosæ de reb. *Ecclesiæ non alienandis*, lib. 3. tit. 4. *inferiores, vero Prælati, commendatary, & aliarum Ecclesiarum rectores, beneficia vel administrationē, quomodolibet obtinentes, prioratibus, personatibus, officiis, canonicatibus, præbendis, aliisque Ecclesiasticis, cum cura, & sine cura, sæcularibus & regularibus beneficiis quorum res & bona alienarunt duntaxat, ipso facto priuati existunt, illaque absque vlla declaratione vacare censentur, possuntq; per locorum Ordinarios, vel alios ad quos eorum collatio pertinet, liberè de iure conferri*, Paul. ibid. ad quas pœnas addi placuit & alias, nam *Episcopus vel Abbas*, (verba sunt *can.* 19. *causæ* 12. *q.* 2.) *debent abiici, Episcopus quidē ab Episcopatu, Abbas autem à Monasterio, tanquam qui dispergit quæ non collegit.*

Nec ea modo pœna fuere contenti Antistites plectere, Ecclesiæ bona qui venderent, nam eos à suorum vsu ordinum deiicit Concil. Aurelian. 3. *can.* 23. anathemate vero fulminari eos *Romana Synodus* imperat *can.* 7. ab iis autē tantum rependi Ecclesiæ de suo, quāta fuit rei ab iis distractę, æstimatio Agathense. *Quod si fecerint*, inquit ibi Concil. *can.* 49. *conuicti in Conc lius, & ab honore depositi, de suo tantum restituant, quantum visi sunt præsumpsisse, & can* 22.

Vendere autem & donare non præsumant, quod si fecerint, aut fecerunt, & facta venditio non valebit & de facultatibus si quas habent proprias, ad eandem Ecclesiam reddant, & communione priuentur. non sunt tamen hæ pœnæ moribus vtentium receptæ, & si essent, non nisi post sententiam declaratoriam admissi criminis, & exequutoriam, implendæ forent.

QVÆSTIO XII.

An Iudices à Papa deputati, si munus à litigantibus capiant pœnam excommunicationis reseruatæ Pontifici subeant, & an Pauli II. Bulla id vetantis, hoc præcipiat.

QVoniam in constitutione Pauli Papæ secundi, quæ incipit *Munera de anno* 1466. est ius hoc sancitum, vt nemo Rectorum, Gubernatorum, vel Officialium quorumcunque Romanæ Ecclesiæ, munus accipiat, præter esculenta & pocülenta, quæ biduo consumi possint Romaque non raro ad citramontanos iudices mittantur, qui de iure ambiguo respondeant, illudque æquissima iudicij sui lance finiant, quæritur an eiusmodi viri teneantur pœna excommunicationis latæ sententiæ, Romano Pontifici reseruata, ac restitutionis faciendæ rei acceptæ, ac tantidem, quę duæ sunt pœnæ quibus prędictus Pontifex animaduertit tam in suos Iudices, quam dantes.

Pars secunda.

A Dico primò, *Ad Iudices delegatos citramontanos, indifferenter ac promiscuè, pœnam hanc non spectare.*

Primo, quia Paulus de Officialibus Romani status loquitur, Gregor. autem XIII. in constitutione quę incipit, *Ab ipso Pontificatus*, & Clem. VIII. in alia quę est de bono regimine, & administratione ciuitatum, edita anno 1592. Pontificatus sui anno primo, quibus est eadem subiecta materia quę Paulinę, has suas sanctiones duntaxat valere

B volunt in omnibus locis Romano Pontifici mediate vel immediate subiectis, nec non in omni genere tribunalium, iudiciorum, & causarum tam spiritualium, quam sæcularium, at qui extra vrbem sunt Papæ loco, ac nomine, arbitri de rebus magnis, proprie dici nequeunt status Romani officiales, cum sępe sint Galli, aut Hispani, nec quę regna, vrbes, prouinciasque hi iudices incolunt, hę Romano Pontif. mediate aut immediate subiacent, de his ergo iudicibus non est Paulina sanctio.

C Secundo quę accipiuntur, ac dantur, dari debent & accipi, *ex pacto, & promissione occulta, vel manifesta, facta sub generalibus, & plenariè non expressis aperte verbis, pro aliqua iustitia, vel gratia, in causis, vel iudiciis, seu alias per literas Apostolicas, & quibuscunque modis apud sedem Apostolicam obtinenda*, Cherubinus commentariis in Bullam Bonifac. VIII. cui initium *excommunicamus & anathematizamus* de anno 1295. At quos Pontifex in diiudicandis controuersiis sibi in prouinciis extra Italiam sitis, subrogatos habet delega-

D tos iudices, hi communiter operam suam ad obtinendam à Papa gratiam, aut iustitiam non locant, cum eam ipsi, iusque litigantibus eius auctoritate reddant plenissimum, & quale leges, decretaque canonica postulant.

Dico secundò, *Mulctari hac pœna Iudices eos duntaxat qui Papæ vices agunt, in terris ei immediate, aut mediate subiectis, cum munera accipiunt, vt quæ sunt officij faciant, iusque læso red-*

E *dant, dummodo ea momenti sint alicuius, ac pretii, nec dentur, post tributam gratiam aut iustitiam.*

Pars assertionis prima fidem habet à verbis Clement VIII. in bulla speciali de hac materia, edita anno 1592.

Secunda à reipsa, fineque legis, ecquid enim Pontifici in ea sciscenda propositum fuit? corruptelę viam ad prętoria claudere, cuique ius suum illibatum seruare, ęquitatem in iudicando tenere, at in modicis, corruptelę faciendæ vis deficit, quemadmo-

dum & in esculentis, nisi forte quis putet, flexurum se ad turpia fœdaque iudicis animum, leui aliquo munusculo, aut puerorum crepundiis? Equidem quæ locum habent, in minimis, ea rationem non habent muneris, Tiraqu. teste *in suo tractat de iudic. in reb. exigend. versu* 82. nec mentem peruertere, sensumque mutare solent iudicis, vt scribit Nauar. in *commentar. constitutionis Gregorianæ de datis & acceptis.*

Pars fuit vltima de oblatis, post finitam litem, tributam gratiam, nam lex de obtinenda gratia loquitur, nullo modo de obtenta, ergo ad hanc, ab illa, trahi ac deduci non potest, quæ prima est ratio.

Secundo qui liberalitatem secutus, dat aut accipit aliquid, non tenetur pœnis constitutionis secundum Nauar. *in commentario quem edidit in constitutionem Gregorianam*, sed quæ post litem offeruntur iudici, offeruntur non vt illecebra consequendi iuris sui, aut maturandi iudicij, sed vt caritatis, officiique præstiti compensatio, ergo &c.

Tertio, cessante fine, cessat legis vis & obligatio, sed vbi finem lis habuit, euertendi iudicis metus omnis abest, nec pecunia iustitiam reus quęrit, aut eam iniquis pretiis interimit, ergo post eam habitam dare quid liberaliter ac gratis, constitutionem Paulinam non lædit.

Dico tertiò, *Delegatis à Papa iudicibus non nocet Paulina constitutio*, quia non fuit recepta, aut si fuit, vsu est abrogata contrario, Comitolus *lib. 6. respons. q. 6.* aut per non vsum inanis reddita, nullarumque virium, quod probat, ex eo quod ab Angelo in *verbo excommunicatio tit.* 5. Sylu. in *verbo excomm. 7.* Nauar. *in summa cap.27.* non sit sita inter reseruatas Pontifici, quæ autem à Bonif. VIII. ante Pauli tempora, ea de re scripta fuerat sanctio, excommunicationis pœna secus facienti proposita, à Clem. V. reuocatam esse docent hi omnes Paludan. *in 4. dist. 18. q. 3. art. 5.* Angel. in *verbo excommunicatio 5. casu* 35. Sylu. eodem *titulo 7. excommunicatione 36.* Gregorij autem XIII. constitutio vt testantur Nauar. & Comitol. locis ante citatis alios quam qui in Curia Romana munera capiunt aut dant pro fœlici exitu causæ spiritualis, itaque in eam non committerent, qui in curia ob iudicandam causam profanam, munus acciperent, aut extra Curiam, etiam ob spiritualem, vt Nauar. ac Comitolo est visum.

QVÆSTIO XIII.

An Gregor. XIII. & Pij V. constitutiones, de clausura seruanda, pœnam excommunicationis ipso facto incurrendam habeant, ac Papæ reseruatam.

INtra septa Monasterij puellaris recepta mulier diu cum latitasset ob periculum, in quo eius pudicitia versabatur in sæculo, inde egressa è professis eiusdem cœnobii virginem, qua toto illo tempore, quo seducta à suis in tenebris ac solitudine religiosæ domus vixerat, perquàm amicè & familiariter vsa erat, secum abducit, de his quæritur, an ambæ sint excommunicatæ, ambæ violatæ vtriusque Pontificiæ sanctionis reæ.

Respondeo ad constitutiones Pontificum, earum præcepta, ac iura, id quod est in controuersia attendendum esse. In constitutione ergo Pij quinti quæ incipit: *Circa pastoralis officij*, Bonifacii Papæ VIII. quæ incipit *Periculoso* hoc ius sancitum est, *Moniales sub perpetua in suis Monasterijs, seu domibus, de cætero debere permanere clausura*, in qua omnes discrimine nullo ac indifferenter (vt loquuntur) Episcopo subiici, etiam eas quæ reguntur à Regularibus, ab eoque ad illam cogi posse, ac debere, decreuere Patres in Concil. Trident. *sess. 25. cap. 5. de regul.* & Bonif. VIII. in *cap. periculoso de statu regular. vnico parag. & quoniam*, & quidem *in virtute obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicii, & interminatione maledictionis æternæ*, quæ præcipiendi ratio, voluntatē in Pontif. obligandi Episcopos sub mortali indicat, ad clausuram inducendam in Monasteriis, in quibus deest, & quoniam est omnis potestas vi coactiua destituta, inanis ac manca, iubentur prædicti Episcopi, moniales omnes quæ obstinato animo huic clausuræ resistent, *omnibus iuris & facti remediis compellere easdem tanquam rebelles, & incorrigibiles ad præcise subeundam dictam clausuram, & perpetuo obseruandam.* Pius V. in Bulla cum initium, *circa pastoralis de anno* 1566. 4. *Calend. Iunij.*

Gregoriana vero constitutio quæ incipit *vbi gratia*, de anno 1575. facultates omnes perimit ac delet, tam à se, quam decessoribus suis concessas, Ducissis, Marchionissis, Comitissis, & aliis cuiusquemodi tam viris quam fœminis, ingrediendi Monasteria, domos, & loca monialium ac etiam virorum, quorumuis ordinum, iisque inhibet, *sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, super qua à nemine nisi à Romano Pontifice (præterquam*

(præterquam in mortis articulo) absolutionis beneficium possit impertiri, ne ipsarum licentiarum prætextu, Monasteria huiusmodi quouis modo ingredi audeant: quare ex vtriusque huius constitutionis iure.

Dicendum primo, nemini intra septa monialium fas esse ingredi sine facultate superioris, eaque in scriptis habita. Trident. *sess. 25. cap. 5.* Bonifac. VIII. *cap. Vnico de regular. in 6.* pœna transgressoribus imposita est excommunicatio, nulli tamen prædicti vi concilii reseruata.

Nemini dixi, vt ostenderem ab hac lege excipi neminem, sed omnes *cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint,* eã comprehendi Trident. supra.

Quid si admissi intra septa Monasterij, puellæ fuerint aut pueri? quid si nondum rationis compotes in sacra virginum domicilia aditum aliena sibi opera manuque reperiant?

Quorundam est opinio, hos nec pœnæ, nec peccati capaces esse ante septennium, quod eo tempore lux se rationis in iis euoluat, non antea, Llamas *in methodo curationis,* Sanch. *to. 2. summæ lib. 6. cap. 16. num. 7.* ex quo concludunt, à censura eos esse liberos per quos id ætatis pueri, admittuntur ad claustra monialium, puellæ vero intra septa virorum.

Qua de sententia deducit me cum Concilii ac Pontificis Greg. auctoritas, tum ratio ipsa, vt enim pro certo habeo, non peccare pueros, nec proinde mulctandos pœna, qui rationis perfectæ tempora nec dum sunt ingressi, debet enim omnis culpa deliberata esse, ac voluntaria, cuiusmodi esse non potest sine rationis aduertentia, ita eo mentem inflectere meam nequeo, vt existimem sine peccato esse, qui pueros, aut puellas minores septennibus, mares quidem in monialium, fœminas autem in virorum claustra intromittunt.

Primò, quia moniales sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, prohibentur sine iusta causa, cuius Episcopus iudex sit ac arbiter, quenquam admittere intra septa Monasterij, quæ particula cum sit indefinita, ac generali æquiualens, pueros ac puellas infra septennium comprehendi, clarius est, quam vt à medicis debeat.

Quid? quod Concilium *sess. 25. cap. 5.* omnibus cuiuscumque sexus, ætatis ac conditionis, aditum ad sanctimonialium sacra domicilia, interdictum esse velit? ex quo sequitur quod cum antiquo veterique Iurisperitorum axiomate, distinctioni nullus ibi ab homine locus esse debeat, vbi nullam lex

A adhibet ætatem, à nobis, qua puero in puellarum claustra ingressum concedi sit nefas, præscribi non debere.

Equidem (quæ prima est ratio) certa esse legis implendæ tempora debent, vt enim quæ præcipit, vetatque, stata sunt, firma, ac perspicua, alioqui si incerta forent, ac obscura, si mutationi obnoxia, verborum quibus constaret obscuritas, ad eius intelligentiam præcluderet aditum, ita rei per eam præscriptæ diuersitas, aut incertitudo temporis, quo eam impleri est necesse, dissimili-
B tudinem inter eiusdem prouinciæ, vrbisque ciues, in operando pareret, quod est vitandum.

Futurum hoc vero, quam nulli est dubium? cum inter Theologos reperiantur hoc nostro æuo, qui tempus seruandæ huius legis ad quartum annum, alij ad sextum, ad septimum & octauum reuocent alij, sint vero non pauci qui ab hoc in Monasteria ingressu, trium & quatuor annorum ætatem excludant, voluisse autem Pontificem vt in
C cuiusque potestate esset, hanc arbitrio suo fingere quis credat?

Secundo, cum à fine quem sibi in sciscenda lege Princeps statuit, petenda sit maximè, vis eius ac potestas, hac teneri ij sunt censendi præ cæteris, in quos cadit ratio prædicti finis, sed in hanc includendi sunt classem viri ac puellæ, quæ in sua septa, minimæ stirpis, ac ætatis pueros iuxtà ac puellas intromittunt, aut receptos tolerant.

Sic enim intelligo, Gregorium, cum clausa esse viris monialium cœnobia voluit, &
D contra virorum, fœminis, id spectasse, vt pericula prolapsionis omnia iis subtracta essent, vel (quæ est Bonifacii oratio *cap. periculoso de regularib. in 6.*) *vt sic à publicis & mundanis conspectibus separatæ omnino seruire valeant Deo liberius, (& lasciuiendi opportunitate sublata) eidem corda sua, & corpora, in omni sanctimonia diligentius custodire.* At scire aueo, ecquid ea vitia quæ concipi solent à viris conspecta fœmina, non recalescant ad aspectum puellæ, cum qua hoc peccatur impunius, liberiusque, quo est eius ætas infirmior, quo ad præcauendum impotentior, vt
E est vitii ignara, vt fraudis nescia, vt resistendi impotens, sic vim quam patitur, aut feret impauida, quia vitiosam non credit, aut si de iniuria queritur, blanditiis facile placabitur, & ita (quod Bonifacio tamen & Gregorio facere fuit in animo) virorum atque fœminarum castimoniæ, suo diplomate non satis tanti viri prouidissent, quare cum quæ in viris hactenus reprehendimus, ac timemus, hæc in fœminas quoque, quarum est sexus libidine peræque ac virorum infestus,

cadere vitia valeant, mihi idcirco perquam est probabile, moniales cum se adiri sinunt, suaque à pueris septennibus, ac vero etiam ætate minoribus penetrari domicilia, nexu excommunicationis in Pij V. constitutione Romano Pontifici reseruatæ, vinciri.

Dicendum secundo, non alios in excommunicationis Gregorianæ laqueum ruere, quam qui prætextu licentiarum sibi olim à Papa concessarum aut Legato, monialium Monasteria penetrant. Ita *Miranda in manuali tract. de monialibus quæst. 2. art. 10. conclus. 1.* Barbosa *de potestate Episc. par. 3 allegat. 102. num. 37.* Sanch. *to. 2. summæ lib. 6. cap. 16. num. 78.* Zerola *in praxi Episc. par. 1. verbo moniales ad 8. quæsitum.*

Causa est, quod verba legis intelligenda sint strictè ac propriè, nec alio detorquenda quam fert germana eorum propriaque significatio, ergo cum Gregorius eos lege sua duntaxat coerceat, qui facultates obtendunt Pontificias, sibique earum prætextu portas monasterii puellaris recludi volunt, non est ad alios vis eius porrigenda, nec extendenda ad casum in ea non comprehensum, cum pœnas restringi, priuilegia autem, bonaque Principum diduci, & cum multis communicari deceat, quare illas ex rationis identitate protrahendas ad alios, quam quos pœnalis constitutio denotat, scripsit Sanch. *lib. 10. de matr. disp. 4. n. 3.*

Ex quo inferendum primo, Abbatissam, censura non ligari, vi huius Gregorianæ sanctionis, cum monasterii fores viris aperit aut fœminis non prætextu facultatum, quas sibi traditas à Pontifice memorant, sed ob causam ab hac diuersam, nam earum solum Papa meminit, cum Abbatibus & Abbatissis præcipit, ne *in monasteria, domos, & loca sua, quocunque prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum, ingredi faciant & permittant*, Gregor. *Extrau. Vbi gratiæ.*

Inferendum secundo, peccare quidem moniales contra hanc Gregor. sanctionem mortaliter, sed sine censura, cum sæcularibus introitum in domum largiuntur prætextu dictarum facultatum.

Ratio est, quod hæc Abbatibus & Abbatissis infligatur, nullo modo monialibus.

Inferendum tertio, per hanc Bullam nulla mulctari pœna, qui *sine facultate admittunt & qui ingrediuntur, etiamsi ingrediantur, & admittantur ad malum finem*, Diana 1. *part. tract. 16. miscellaneo resolut. 32.*

Qui pro opposita opinione pugnãt vt Zechius de *repub. Ecclesiast. titulo de regularib. ca. 3 num. 11.* de Beia *parte responsionum prima, casu 30.* Gregorium aiunt loquutum de omnibus, qui contra quàm exigit Concilium sine

A Episcopi facultate aut Prælati, cuius interest eam largiri, monialium internas ædes, septaque intrant, quam eorum opinionem persuadent argumenta sequentia.

Primum, quod cum de obligatione legis agitur, volũtatis legislatoris potior sit habẽda ratio, quã verborũ quibus est perscripta, quare si quæ est inter vtraque pugna saltem in speciem, verba ad voluntatem non hæc ad illa trahi debet, Baldus *in leg. cum verum Cod, de fidei commissis*, sed voluisse Pontifices Pium & Gregor. quoscunque, quomodoli-

B bet cœnobia monialium subeuntes sine venia, reseruata sibi excõmunicatione irretire, docent Nauar. *cap. 27. n. 150. excommunicat. 61.* Azor. *tom. 1. institution. moral. lib. 13. ca. 8. q. vltima*, Hocque Sixtum V. declarasse Villaguta tradit *tract. de Vsuris quæst. 35. num. vltim.* & proinde *eandem sibi mentem fuisse quæ Pij quinti fuerat*, cum fœminas à cœnobiis virorum excommunicatione proposita deterruit, quo tamen virtute facultatum quas sibi traditas narrabant, frequentes ibant, nam vt hic tam verbo quam scripto

C respondit, mentis suæ non fuisse fœminas constitutione sua complecti tantum, quæ prætextu facultatum in virorum septa admitti volebant sed quascunq; alias eo penetrantes sine venia, quique illas intro ducere, aut recipere non timebant. Ita & fecisse Gregorium cum ab Eminentiss. Borromæo Cardinali, ea de re consultus esset, Villagutæ est opinio loco citato.

De Pio V. eiusque mente dubitare non sinunt hæ eius voces in Extrauag. *Romanum*

D *Pontificem* de anno 1570. cuius Confector meminit in priuilegiis ordinum Mendicantium. *Auctoritate Apostolica tenore præsentium dicimus, & declaramus, fuisse, & esse mentem & intentionem nostram, quod dictæ literæ non solum comprehenderent & comprehendant mulieres habentes & prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi monasteria, sed etiam omnes, & quascunq; mulieres alias, tam in genere quam in specie.* Itaque

Dicendum tertiò, etsi quæ priori assertione sunt dicta, similitudinem veri habeant, tamen non tantum Romæ, sed hic

E quoque Lutetiæ Parisiorum, ac vicinis circa prouinciis Galliæ, Pij V. ac Gregorii de non intrandis monialium monasteriis valere legem, eiusque pœnas omnes.

Adiri non debent, quia *decretalis Bonifacij VIII. quæ incipit periculoso vnica de regularib. in 6.* moribus vtentium pridem est recepta in Gallia, sicut & cæterorum Pontificum cæteræ, quæ in corpus canonicum sunt relatæ, at hæc ingressum in monasteria monialium vult singulis interdictum esse, vitari ergo

Et

debet. Et quidē metu non modo culpæ, quā fugere rebelles in hoc genere, ac inobſequētes nequeunt, ſed & pœnæ, (quæ pars eſt altera aſſertionis) per Gregorii ſanctionem, huic hominum generi irrogatæ.

Eninuero recipiēdæ legis duplex eſt ratio, expreſſa vna, tacita altera, expreſſa publicationē habet & conſenſum ſuperiorū ac populi. Tacita vſum dūtaxat, cū effectu pœnæ, quem lex ipſa inferre ſolet, ſecumque vehere, at hanc parit Pii quinti conſtitutio vbique per Galliam, cum nemo ſit paulo religioſior quin exiſtimet, ſibi à Papa, aut aliis ad id poteſtatem eius liberalitate nactis, excommunicationis per ingreſſum intra monialium ſepta incurſæ, abſolutionem petendam eſſe, valet ergo Pii conſtitutio etiam quoad pœnas in hoc regno.

Confirm. eſt conſuetudo interpres legis *cap. cum dilectus de conſuetud.* notatque Beia *parte 1. reſpon ſ. caſu. 30. ex Ioan. Andr. in cap. cum dilecti de conſanguin. & affinitate*, at eſt Galliæ vniuerſæ ſenſus, excommunicationis cenſura innodari, qui ſine Epiſcopi facultate aut ſuperioris monialium, earum regulares domos ingreditur: ergo &c.

Minorem vſus ipſe experientiaque certam faciunt.

Maior probatur, Sunt ſacrarum ædium incendiarii omnium opinione excommunicari, & quidem, ſi ſunt Epiſcopi ore, è loco ſuperiore ac publico denunciati, iſtius cenſuræ nexum, ſolus Romanus Pontifex tollet, eo quod huius ſibi ſolutionem ſeruatam voluerit *in cap. tua nos de ſentent. excommunicat.* at Nauarro authore ac teſte, non eſt in corpore iuris reperire vllum canonem, quo poſſit argui, è piorum cœtu motos eſſe vnquam, qui improbitate inducti animi, aut odio aduerſus Eccleſiam, religioſis eius ædibus, templiſq; funeſtas faces ſubieciſſent, multo minus auctoritate vlla Pontificum aut Conciliorum poteſt confici, legem eſſe aliquam, qua id genus hominum Deo, eiuſque templis infeſtum, iubeatur ab Epiſcopo notari publice, populoque declarari, quod vt infame, ac propter cenſuram quam culpa ſua ac ſcelere ſubiit, vti fœda corruptum lue vitari debeat, eſt id ergo totum conſuetudini tribuendum, non rationi *quæ defendi non poteſt*, (inquit Nauar. *cap. 27. manual. num. 94*) *niſi id haberet conſuetudo, & teneatur quod illa tolerata & approbata à prælatis, vim habet legis, aut ſtatuti excommunicantis.* Quæ me cauſa impellit vt ſentiam, quibus in locis, religioni non ducitur, pro abſolutione ingreſſus in monialium ſepta, Epiſcopi implorare beneficentiam, ibi Gregorianæ ſanctioni locum nullum eſſe, & quicquid peccatur, in

A Concilium ac decretalem Bonifacii aditum in ea loca prohibentis, peccari quidem cum culpa, ſed eiuſmodi tamen quæ cenſuram Papæ reſeruatam non habeat.

Dicendum quarto, etſi communiter Epiſcopi, pro ſe quiſque, pœna excommunicationis ipſo facto ſubeundę, ſecus facienti propoſita, vetent ingreſſum in monialium ſacra domicilia, vbi tamen id ab eis negligitur, nec hi penſi quidquam habent, an eorum fores apertæ ſint promiſcuè cuilibet, an clauſę, non eſt virorum in ſanctimonialium

B religioſas domos, aut mulierum, in iſtorum conclaue domeſticum, aut clauſtrum aditus, culpæ coniunctus, quæ excommunicationem eo penetranti irroget.

Partem Aſſertionis primam, ſi minus certam, at certe probabilem efficit Epiſcoporum in moderanda Diœceſi ſua, caritas ac prouidentia, nec enim ſuſpicari, nedum affirmare prudentia patitur: ſuo illos deeſſe officio, aut iuſto Pontificum non parere imperio, quo vtroque tamen eos laborare ſcelere eſt neceſſe, ſi ad iniuriam expoſita eſſe

C monaſteria, ad libidinem autem, vitiaque moniales patere ſinant quæ earum, cum viris conuictu ac conſuetudine, muris oſtiiſque concluſa excitari, ac verò (quod eſt dolendum) ſæpe ſolent magno ſuo dedecore, animique pernicie concipi, nam vt omnium ſaluti conſulere, puellarum maximè, ita & earundem peccatis, cum ſunt facta, medicinam promere, ne fiant autem, qua poſſunt arte obſtare debent, ſi negligunt, partes ſuas non obeunt, officium boni præſulis non faciunt, nec etiam inferioris ac ſubditi ſummo Pontifici, quid enim hic iubet? illud ipſum

D *in cap. periculoſo* quod Concilium Trident. *in ſeſſ. 25. cap. 5. Vt in omnibus monaſteriis ſibi ſubiectis ordinaria, in aliis vero, ſedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui, & vbi non violata eſt, conſeruari maxime pro curent, inobedientes, atque contradictores, per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas, omni appellatione propoſita compeſcant*, quod cum eos facere ſit probabile, & illud quoque eſt veriſimile, puellarum cœnobium nullum eſſe, à cuius aditu viros non arceant. Quod ſi facere negligunt palamque cuncti, infantes pueros in mo-

E nialium ædes introferunt, aut ipſi eas impunè iiſdem, conſciis nec reclamantibus adeunt, excommunicationem hi non incurrunt, non Epiſcopalem, quia nullam inflixiſſe ſupponimus, non Papæ, quia eius rumore, ac ſama, nunquam ſunt eorum vel leuiter perſtrictæ aures.

Dicendum quinto, Vt in ędes monialium quę ſanctę ſedi ſubſunt aut Epiſcopo, ingre-

di cuique sine culpa liceat, facultate eius ad id opus esse, Bonifac. in *cap. periculoso*, eaque examinata, probata, discussa, literis exarata, ac chartæ commissa, quam cum erit necesse, producere is possit, cui ad eas adeundi facta est potestas, ita Trident. *sess. 25. cap. 5. Sanctæ sedi dixi ac Episcopo*, quia eius est ingressum in monialium claustra concedere, cuius est iisdem clausuram indicere secundum Ioan. Monach. *in cap. periculoso de statu regularium*, sed id Episcopus dare iubetur operam *in cap. 1. de statu regularium in 6. paragr. & quoniam*, & in Trident. *sess. 25. ca. 16.* vt segregatæ à profanæ plebis multitudine, clausæq; exclusis cuiusquemodi viris viuant, *nec intra eadem Monasteria illos admittant, in illius cui suam integritatem voluntate spontanea deuouerunt, grauem offensam, & religionis opprobrium*, Bonifac. *in cap. periculoso de statu regularium parag. 1.* ab iis ergo petenda est potestas. A superioribus autem regularibus, si prædictæ sanctimoniales eiusmodi aliquem habeant, cui obsequantur ac pareant, Graffius *1. par. decision. lib. 4. cap. 23. num. 6.* Sanchez *to. 2. summæ cap. 16. num. 13.* Causa est, quod hi soli illis præsideant, eas gubernent ac regant, ad hos ergo (inquit Piasec. *in praxi Episc. par. 2. c. 5. art. 7. de visitatione sanctimonialium n. 5*) non alios pertinet ingrediendi Monasterii facultatem facere.

Ecquos autem (dicat aliquis) Prælatos nominas? Generales, Prouinciales, ac immediatos dictorum Conuentuum prælatos, nisi hanc illis potestatem, prædicti Generalis ac prouinciæ præpositus ademerint, quia textus absolutè hanc illis tribuit, Sanch. *supra num. 16.*

Non est tamen concedenda nisi ex causis necessariis, Concil. *cap. 5. sessionis ante citatæ*, ingrediens cum licentia quidem, sed quam causa non necessaria ac honesta excusat, est excommunicatus, excommunicatione Papæ reseruata, secundum Piasecium *num. 6. articuli ante citati.*

Necessariam dixi, non necessitate quidem Metaphysica, ac Logica, sed Morali, qualem vir prudens iudicat, minorem tamen exigi in fœminis quam viris, cum de ingressu illis permittendo agitur, dixere, Rodrig. *tomo 1. q. 44. art. 4.* & Portelius *in dubiis regular. verbo clausura num. 4.* esseque sufficientem ille credidit, cum matronæ honor periclitatur in sæculo, metusque est, ne si Religio illi non pateat, tanquam iactatæ portus, pudicitiæ naufragium faciat, quod tamen Portelius & Miranda *to. 1. q. 1. de monial. art. 7.* improbant.

Enimuero, inquiunt, cum sit fœminarum castitas vbique virorum infesta libidine, nec sit ciuitas quæ venerem non oleat, parum dixi, locus in orbe penè nullus, quem luxuria non subeat, nullus aut pauci quos pestilens hæc flamma non vrat, nec enim æui senio moritur, aut effœtis naturæ viribus extinguitur: *O si posses*, inquit Cypr. ad Donat. epist. 2. *in sublimi specula constitutus, oculos inserere secretis, recludere cubiculorũ occultas fores, penetralia reserare, aspicias ab omnibus fere geri, quod nec possit aspicere frons pudica*, & quãta vbiq; libidinũ probra domesticis sunt parietibus obsepta, quorũ quo secretior culpa eo maior audacia? cum inquam sit hoc malũ cõmune, ac naturæ prope humanæ insitum, si eius vitandi causa, fas esset fœminis, in augusta sacrarum virginum penetralia se abdere annuentibus Episcopis, breui vacuatis vrbibus, plena forent profanis mulieribus cœnobia, quod incommodum: quia fugiendum, ac à prælatis pro cætera sua prouidentia impediendum, ideo censent prædicti auctores, in eorum iure nõ esse, huiusmodi fœminis ingressum, moramq; in sanctimonialium sacratis domibus annuere, cum quibus ne sentiam, à praxi communi Antistitum persuadeor, qui se iustis istiusmodi mulierum querelis, ac lachrymis, flecti nonnunquam sinunt, vt in monialium pudico sinu, malis suis finem, animo quietem, castitati securitatem quærant, pro quibus, cum causæ æquitas faciat, sentio in hac causa, cæterisque id genus, posse Episcopos cum laude cœnobiorum fores, quæ aliis sunt clausæ, illis apertas esse velle.

Sanè ancillas habere moniales possunt, easque sæculares cum est necesse, hoc è S. Claræ familia Virginibus concessit Paul. III. hoc Pius V. & quem hic numerum ad tres aut quatuor pro quolibet cœnobio reuocat, Sixtus quintus ad vsque denarium, progredi voluit, Portelius *supra num. 5.*

Aduertendum hic verò nomine me Prælati, ad quem aditum ad puellarum immaculatos cœtus concedere pertinet, Abbatissas non intelligere, nec eorum cœtuum præsides, aliquanto his inferiore gradu, ac potestate virgines, quas Priorissas dicimus. Nam eorum esse duntaxat hunc permittere, cui incumbit ex officio, monialibus de clausura seruanda legem dicere, docent Canonum interpretes, Ioan. Andreas, Francus, & Domincus in caput periculo *de statu regular. in 6. num. 5. & 10.* Sanch *loco ante citato num. 2.* At Episcoporum, Abbatum, & Prouincialium propriæ sunt hæ partes, Episcoporum quidem *in omnibus Monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero sedis Apostolicæ auctoritate* Bonifac. VIII *in cap. 1. de statu regular. in 6.* Abbatum autem, ac superiorum,

qui

in eas exercent imperium, quæ Papæ benignitate, ab Episcoporum sunt potestate liberæ, in his quæ sui sunt iuris: ita Pius V. in motu proprio. *Circa pastoralis*, Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 9. Bonifacius *in cap. periculoso. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis mandamus, quatenus eorum quilibet in ciuitate, ac Diœcesi propria, in Monasteria monialium sibi ordinario iure subiecta, sua, in his vero, quæ ad Romanam immediate spectant Ecclesiam, sedis Apostolicæ auctoritate. Abbates verò & alij tam exempti, quam non exempti Prælati Ecclesiarum, Monasteriorum, & ordinum quorumcunque in Monasteriis sibi subiectis, de monialibus includendis quam primum commode poterunt, prouidere procurent*, quare si quid in hac parte Abbatissæ facere tentauerint, id non modo irritum ac inane, sed & vitiosum est futurũ.

Contraria sententia patronum vix habet vllum, præter Nauar. præsidium eius est vnicum, nempe quod Papa Bonifac. *in decretali prima de statu Regular. in* 6 & Trident. Synodus *sess.* 25. *cap.* 5. Superiori id permissum esse velint, at est Abbatissa monasterij sui superior, vt est in *cap. dilecta* 14. *de excessibus Prælatorũ*, vti Iotrenensis Abbatissa in Meldensi Diœcesi appellatur *caput & patrona* Clericorum, qui illi in eo cœnobio suberant, ac sacrosancto Missæ officio celebrando illi ac monialibus operam dabant.

Sed respondendum, non superiorem quemlibet sibi id arrogare posse, de quo est quæstio, sed eruditionis prudentiæque laude commendabilem, nam discutere, nam probare causas debet, quamobrem, postulanti copiam sibi Monasterii subeundi fieri, hãc tribui oporteat, aut negari, facere id vero posse fœminam rerum ignaram omnium, D quis credat? Maneat ergo, cum de Prælatis ingrediendæ cœnobiticæ virginum domus, facultatem annuentibus est sermo, Abbatissas in eorum esse non posse numero, nisi cum Papa, Episcopus, aut regularis Superior, id eis licere volunt in casu raro, eoque necessario.

De consensu tamen tacito Papę, & Ecclesiæ, ingredi ad moniales solent sine licentia alia, Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, Fa- E bri, & id genus viri, quorum est opera monialibus necessaria, ad opus quod ipsæ per se præstare nequeunt, id enim facere si possent, illis in earum intrare cœnobiũ fas non foret.

Ratio est, quod cum ingressum iusta ac rationabilis causa excusare debeat *ca. periculoso* 1. *de statu regular. in* 6. *parag.* 1. at hæc deficit, cum quæ viri, hæc obire quoque fœminæ possunt, æque ac illi rectè ac commodè, tria enim causæ iustitiam & æquitatem, in materia præsenti faciunt, primum, quod

A res cuius causa cœnobium ingredi Laicum oporteat, fieri per monialem nequeat, aut domus vtilitas non sinat.

Adiungendi medicis confessarii, quorum eo ingressus honestior, iustiorque videri debet, quo est eorum opera, quam medicorum, ægræ fructuosior, quare vt hanc illi inuisere possunt quoties, & quam sæpe est necesse, ita & Confessarii eidem dare confitenti aures poterunt, non modo sub finem vitæ, cum anima in discessum imminet, sed cum ea de re rogabuntur ex præscripto re- B gulæ, vel pia quapiam causa, cæteris ministrantur Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ, Rodrig. *to.*1. *q.*44. *art.*4. Sanch. *cap.*16. *lib.*6. *tomi secundi num.* 44. Portelius *supra num.*7.

Neque ad id eis, quemadmodum nec medicis, fabris, latomis, cæmentariis, & aliis operariis quibus carere monialibus non est facile, specialis eaque in scriptis licentia est necessaria, quia etsi in *cap. periculoso causa rationabilis & manifesta, ac de illius ad quem pertinuerit speciali licentia exigatur, vt ingressus vel accessus ad moniales pateat*, abiit tamen hæc C sanctio vt aliæ plurimæ in ventum, vsu contrario, nec est è Medicorum familia quisquam, qui vocatus ad opem decumbenti puellæ afferendam, Superiorem aut Prælatum ante sibi cõsulendum existimet, ecquid eam iuuari illi placeat, quam afflictæ manum medicam, ac opportuna curandæ valetudini remedia proferat. Nec ab Episcopo Fabri Latomi, Hortulani; & si qui sunt Monasterio necessarii id genus operarij, facultatem literis exaratam sibi ad propria artis suæ ministeria, in monialium cœnobio obeunda, cum erit necesse, postulant, quos tamen lethalis arcessere culpæ hactenus nemo est ausus. Quare quod de licentia ad ingressum obtinenda in scriptis, dixit Tridentin. id est intelligendum de aliis, quam quorum est opera ad monialium temporale bonum, aut salutem moraliter necessaria, quales habendi hi omnes de quibus antea, quos cum Gregorio XIII. in Extrauaganti quæ incipit: *Dubiis quæ emergunt*, monitos volo peræque ac ille, *Prælatos tam sæculares, quam regulares quibus cura, & regimen Monasteriorum monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa, ingrediendi Monasteria prædicta, ita demum vti posse, si id faciant in casibus necessariis*, & si sunt Prælati, *à paucis, iisque senioribus ac Religiosis personis comitati, ita* ipsis illico egrediendum domo esse, nec per cubicula aut officinas vagandum, *quod tamen non tollit*, inquit Portel. *in dubiis regular. verbo Clausuram n.* 14. *paruam moram vrbanam & moralem, dummodo non sedeant ad colloquendũ.*

A Dicendum sextò, à pœnis Gregorianæ sanctionis excusari, qui Monasteria puellarum sine licentia subeunt, in earum necessitate graui.

Ratio est, quod nonnisi reos, culparumq; plusquam vulgarium conscios, mulctari pœna, eaque non facile cuique tolerabili oporteat, cum inter hanc, & illas similitudo quædam communionis, ac proportio intercedere debeat sed ingressus in sacras virginum ædes, quem necessitas imperat culpa vacat; quod enim in lege non est licitum necessitas licitum facit *de regul. iuris regula* 4 quare si incendij extinguendi causa, si tutandæ virginum pudicitiæ quæ periclitatur à prędonibus, qui ad eas suffossis mœnibus clam se ac latenter insinuare non sunt veriti, tota se repente eo vicinia coniiciat, non habebit in hoc caritatis opere æquitas, quod merito arguat.

Dicendum 7. non impedire facultates ab Episcopo habitas, aut aliis, qui præbere possunt, quo minus qui eas sunt nacti, excommunicationi subiaceant, si his extra necessitatem vtuntur, Gregorii ea de re est ad manum constitutio his perscripta verbis in Extrauag. vbi gratiæ: *Sub iisdem pœnis, ipso facto incurrendis prohibemus, atque interdicimus omnibus, & quibuscunque personis Ecclesiasticis & secularibus, ac etiam ordinum quorumcunque etiam Mendicantium regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, vel superioribus quibus illas concedendi in casibus necessariis tantum, ex decreto Conc. Trid. facultas tribuitur, ne monasteria ipsa Monialiũ pro libitu, sed necessitatibus vrgentibus duntaxat ingredi, neue moniales sub eisdem pœnis illas aliter admittere præsumant.* Abbates autem Priores, Ministri, & quicunque Superiores Regulares, quinetiam & Episcopi prohibentur vti facultate huiusmodi, si quam habent, præterquam in casibus, vt præfertur necessariis: *Quod si contra fecerint auctoritate Apostolica*, Gregorius in motu proprio cui initiũ *Dubiis quæ emergunt* decernit *eos qui Pontificalis dignitatis fuerint, pro prima vice, qua contra fecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos, pro secunda à munere Pontificali, & à diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excommunicatos existere. Regulares verò officio, ac ministerio priuatos, excommunicationi similiter subiacere,* quæ dignitatum, officiique ac ministerii priuatio, iudicis sententiam declaratoriam exigit, vt executionem habeat.

Causa est, quod sit pœna, ad sui executionem, aliqua hominis actione indigens, omitti ergo hæc non debet, si à iudice negligitur, abire hunc officio magistratuq; quem gerit, necesse non erit, qua de re nos alibi pluribus.

Ratio est, quod præter sententiam, quæ propriè respicit pœnam, requiritur insuper criminis seu facti declaratio, cum sententia iudicis, quæ vocatur condemnatoria, definitiua, seu executoria quæ in beneficiis, dignitatibus, & officiis in eo est, vt qui aliqua huiusmodi possidebat, his priuetur per iudicẽ, facta eorum collatione alteri, Henriq. *l.* 13. *c.* 56. *parag.* 2. & 3. Vasq. *in primam secundæ disp.* 168. *cap.* 4. *num.* 25. & 30. Less. *lib.* 2. *de iustit. cap.* 29. *num.* 63. Equidem in *cap. primo de homicid. in* 6. imponitur homicidæ pœna depositionis ipso facto, & additur, *nulla alia*
B *requisita sententia*, & tamen in eod. canone excipitur declaratio facti seu criminis (postquam inquit canon) *istud probabilibus constiterit argumentis*, proferri ergo debent, nec ab alio quam iudice, qui his inductus, reum officio, aut beneficio quibus à canone priuatur, exuit. Non est hæc tamen criminis declaratio, aut sententiæ, id est executio pœnæ Episcopis, Abbatibus, & Regularibus impositæ à Gregorio, necessaria in Gallia, quod hæc eius sanctionem, qua parte
C pœnas istas irrogat, nunquam sibi recipiendam putauerit.

Dicendum octauò, Episcopum & priuilegiatum quemlibet, ab excommunicatione Papali incurrenda, aut incursa ob ingressum in Monasteria monialiũ cum factum est occultum, absoluere posse, non autem ab inhabilitate ad dignitates & officia.

Assertionis pars prima, nititur concessione facta Episcopis in Trident. *sessio.* 24. *cap.* 6. vbi dicuntur, *delinquentes quoscunque sibi subditos* (modo crimen sit occultum & ad
D forum nondum sit deductum) *in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ, gratis absoluere posse.*

Causa est, quod facultati datæ Episcopis à Concilio per sequentem legem non derogetur, nisi hæc, talis derogationis mentionem fecerit, sed Episcopis per Concil. est integrum, absoluere ab omni casu occulto, qua de potestate non fit in excommunicationis istius reseruatione mentio, ergo &c.

Minor est certa, maior autem probabili-
E tate non caret, nam quis credat noluisse Ecclesiam decretis vim hanc suis inesse, maximè cum sunt in cœtu facta cõmuni Antistitum, id est orbis totius præstantissimorum hominum, vt clausulæ derogatoriæ vim posteriora statuta, si hæc illis forte essent cõtraria, non haberent, nisi de illis ista mentionẽ specificam facerent, *quare dicendũ est*, inquit Diana *par.* 1. *tract.* 16. *resol* 35. *Episcopũ vigore Concilii Trid. sess.* 24. *c.* 6. *posse absoluere ab excommunicatione dum modo sit occulta, contracta ex ingressu ad Monasteria Monialium*, quæ est

opinio

opinio Henriq. *lib 7. cap. 26.* Viualdi *in Candel. par. 3 c. 12. n. 22.* Couar. *l. 4. variar. ca. 15.*

In quo Episcopis Papæ benignitate sunt Religiosi priuilegiati authoritate propè pares, nã vt ait Sorbus *in priuilegia Medicantium ver. ingressus in Monasteria monialium n. 11.* estque in cõpendio priuilegiorũ eorũdem Ordinum, Religiosis societatis nostræ à Paulo III. singulari erga eam amoris testimonio indultum esse, vt possint hi toties quoties ab omnibus casibus sedi Apostolicæ reseruatis, & ab omnibus pœnis, & censuris consurgẽtibus ex eis, præterquã in contentis in Bulla cœnæ absoluere, quare cum quæ vni Ordini sunt impertita priuilegia, ad alios, maximè si sunt de Mendicantium numero, communicatione transeant, quod nobis licet in hac causa, licebit & cæteris.

Pars assertionis altera fuit de inhabilitate ad beneficia, & officiorum priuatione, in qua dispensare Episcopo non est integrum, nam in eius iure ea tantum sunt, quæ occulta, nec ad forũ sunt cõtentiosum deducta at tam ea inhabilitas, quam priuatio de hoc non sunt genere, nam cum non incurrantur ex probabili opinione nisi per sententiam iudicis declaratoriam, casus dari nullus potest, quo sint latentes & occultæ.

QVÆSTIO XIV.

An peccantes contra Bullam Vrbani quarti de Simonia in religionis ingressu excommunicationem incurrant Papæ reseruatam.

CAsus est eiusmodi, cum animaduerteret quidam è nobili stirpe satus Adolescens, stratam sibi viam in sæculo, tam suasione comitum suorũ, quam exemplis ad omnium ærumnarum barathrum, ad immẽsissimum inferorum oceanum: enimuero quod perpetuum fere est diuitum vitium, voluptatum auidus, beatitatis immemor, æternitatis oblitus, sese in libidinẽ totum immerserat, è qua quandiu in domo paterna omnibus delibutus deliciis viueret, vix vllum sibi ad bonam frugem transitum cum videret, (est enim libido vitium insanabile, catenam stygiam rectè appellaueris, annulus ex annulo pendet, lasciuia lasciuiæ est substructa, altera ex fine alterius nascitur, vbi ei semel paretur, tam diuturno quã miserabili morbo animus occupatur) secum statuit hostem fugiendo, vincere, post mensam lautiorem, post saliares cœnas, post epulas copiosiores abstinentiæ studere, mundo valedicere, iustas à seipso de peccatis præteritis pœnas in religione exigere, ad quam vt aditum sibi

A recluderet, quem clausisse videbatur rerum omnium ignorantia, in ætate iam matura annis, magnæ spe dotis, Regularium animos implet, omnibus munera spondet, quibus hi ac Superior illecti, eius postulatis annuunt, hominem recipiunt, expleto Nouitiatus anno cœtui illum suo adiungunt, Quæritur an tam hic, quam illi, in Vrbani quarti extrauagantem commiserint; sintque ob Simoniam excommunicati.

B Dubitandi causam suppeditat Vrbani quarti constitutio, quæ est prima de Simonia in *lib. 5.* extrauagantium ibi enim diserte Prælatis inhibet, *ne tam a maribus, quam à mulieribus volentibus ingredi eorum religionem, Ecclesias, monasteria, prioratus, domos seu loca, in earundem personarum receptione, aut ante vel post illam, quæscunque pastus, prandia, seu cœnas, pecunias, iocalia, aut res alias etiam ad vsum Ecclesiasticum, seu quempiam alium deputata; aut deputanda, directè, vel indirectè, petere vel exigere quoquo modo præsumant, quod si secus egerint, nos (inquit) si singulares sunt personæ, tam dan-*
C *tes, quam accipientes huiusmodi; excommunicationis, si capitulum, seu conuentus fuerit, suspensionis sententiis, eo ipso decernimus subiacere,* quæ quomodo, & quo sensu capi intelligique debeant, ex Doctorum mente, inuestigare paulò accuratius est necesse.

Et quidem pro certo habeo, primo Simoniæ affines, reosque non esse, qui donis ac muneribus iter sibi in superiorum animos muniunt, quibus delinita eorum seueritas, flecti tandem se sinat ad ingressum in religionem, quam infimis ambiunt precibus, eis
D vltro sponteque annuendum. Ita Diana *de dubiis regularib. resolut 64.*

Primò, quia hic nulla est emptio, cum in vnum idemque, duæ voluntates non coeant, vna dandi, altera accipiendi pretii quod sit bono religionis oblato æquiualens,

Secundò, Simonia pactum exigit, cum sit studiosa voluntas emendi spirituale, pro temporali, quale hic nullum interuenit, non sunt ergo munera à candidatis Ordinum data eorum superioribus, vt sic illos propitios, fauentesque sibi ad vota sua habeant, Simoniaca infecta labe.

E Tertiò, *Quæ personæ ipsæ ingredientes purè & sponte; & plena liberalitate, omni pactione cessante, dare vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, domibus, locis huiusmodi dare volunt, cum gratiarum actione licite capi possunt* vt est in Extrauag. Vrbani *Sane ne in Vinea Domini*, at habẽt munera de quibus hic sermo, suam à liberalitate originem, nec enim vt extorquentur aut metu, nec mutua intercedunt vlla inter dantem & recipientem fœdera, pactio hic reperitur nulla, nulla reli-

gionis concedendæ pro receptis muneribus: præstita à Prælato fides, sunt hæc ergo si non ab omni, saltem à Simoniæ pura scelere.

Dico secundò, *Committi Simoniam, cum pro statu Religioso quid sumitur vti pretium*, quia est hic spiritalis, tã ex parte causæ, à qua habet initium, quam finis, cuius causa eum institui placuit, vt enim ipse non dicam, res tamen ipsa loquitur, Religiosi status Deum auctorem esse, ab eo leges, statutaque, à quo omne bonum in homines dimanat, fluere. Omnis quidem virtus, munus à Deo est, singulari tamen ratione Religio.

Primo enim menti allucet, vt vicina pericula præuideat, mundum horreat, captiosas eius illecebras metuat, promissa rideat, opes vti quisquilias despiciat, voluntatem afficit vt quæ vitanda, quæ fugienda, animus videt, hæc non appetat, & quoniam infrænem appetentiam sub legis imperium compellere, legem sibi dicere, deliciis nuntium remittere, naturam vincere, res est periculosæ plena molestiæ, luctantem hominem confirmat, ne ob pugnæ difficultatem, animum, spemque vincendi despondeat, sed opem cœlo affuturam erecto animo confidat, quam & ipse indidem larga manu suppeditat. Est ergo religiosus status, in causa sua, principioque, spiritalis ac diuinus. Est etiã talis in fine cuius est gratia. Ecquid enim spectamus, ecquid quærimus in abiudicandis mundi curis, pompisque, quam vt Deo sacri, totos nos in eius obsequium, cultumque abdamus? eo preces spectãt nostræ tam diurnæ quam nocturnæ, eo ieiunia, eo vota, quæ nõ à summis labris, sed à pectore, intimoque sensu veniunt, quę cum naturæ terminos finesque omnia exeant, quis non videt Religiosæ vitæ statum, non vt humana cætera humi repere, sed naturæ similitudine diuinis prope parem esse, itáque pro eo sine Simonia, dari nihil debere, nec posse.

Dico tertiò, *Simoniam esse iuris Ecclesiastici, aliquid capere pro ingressu in Monasterium, quando ei tantum est redditcuum, quantum est nutriendis alumnis suis necessarium*: ita Laym. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *parag.* 4. *num.* 39. deque eo patens est, apertaque Diu. Thom. *sententia in* 4. *dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *q.* 2. *ad* 7 *si sine grauamine possit recipi Nouitius, simoniacum est aliquid exigere*, Cœlestini III. *in cap. dilectus filius* 30. *de Simonia* Innocentii III. *in cap. quoniam* 40. Alexandri III. *in cap. non satis* 8. *eiusd. tituli*, qui omnes asserunt pecuniam pro ingressu religionis, quicunque dat aut accipit, partem eum cum Simone habiturum, sic autem, id est *per simoniacam prauitatem* admissum, ac receptum, à loco religioso

A amotum ad agendam pœnitentiã in Monasterium arctius compingendum esse Cœlestinus III. *c.* 30. *de Simonia. Quod si forte propter nimiam multitudinem, moniales receptæ in sorores, pro pretio alibi nequiuerint commodè collocari, ne damnabiliter in sæculo euagentur, recipientur in iisdem Monasteriis dispensatiuè denouo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis, hóc etiam circa Monachos, vel alios regulares decernimus obseruandum*, Innoc. III. *in decret.* 40. *de Simon.*

Assertionis autem hæc est causa, quod cum B Monasterio opum abundè est ad impensas communes, quidquid datur, vt in eo locum sibi quis habeat, dari præsumitur pro statu ipso religioso, aut iure recipiendæ præbendę Monachalis cum cæteris, quæ duæ res cum sint spiritales, (nam ius obuentionis annuæ, diurnæque, effectiuè seu consequutiuè est spirituale, ratione scilicet officii, quod obitur à regulari) iusta causa Ecclesiæ extitit, prohibendi singulis, ne pretio iter sibi ad religionem facerent, idque sub motiuo religionis, cuius violatio in præsenti materia, C Simoniæ labem haberet.

Dico tamen quartò, *Decretum hoc Vrbani reuocatum esse, aut certè nunquam fuisse receptum*, Less. *de iustit. & iure cap.* 35. *num.* 131. traduntque Suar. *cap.* 59. *num.* 7. Laym. *lib* 4. *tract.* 10. *cap. vlt. parag.* 5. *num.* 70. *in religionibus virorum raro hanc Simoniam committi, eo quod vel tenuitas redditcuum Monasterii, vel diuturna consuetudo, talem exactionem cohonestare possit. Interdum vero sine obligatione, ac sponte aliquid offertur ab ingredientibus, quod nullomodo prohibitum est accipere.* D Hæc Laym. loco proxime citato, quemadmodum nec pro sustentatione, quod quando accidit, acceptio & datio, Simonię speciem non habent.

Dico quartò, *Vrbani legem de Simonia pro religionis monialium ingressu, à tribus Pontificibus*, Mart. V. Innocent. VIII. Clement. VII. reuocatam esse, docent Nauarr. *cap. vltimo*, Enchirid. *num.* 106. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 7. Laym. supra.

Equidem cum est monialium completus numerus, aut earum est cœnobium bonorũ indigens, exigere ab ea quidpiam, quæ in E earum cooptari numerum desiderat, vt inde necessaria sibi vitæ subsidia habeat, non est Simoniacum. At quicquid secum moniales è paterna domo, in cœnobiticam, ad quam admittuntur asportant, sustentationis dant causa, ergo sine culpa.

Maior probatur, cum quid sustentationis nomine petitur, spirituale non venditur, sed quod ingressuræ ad vitam sit satis, quod haud dubiè profanum est ac temporale.

Minor ostenditur hoc modo, quod postulatur

latur vti conditio necessaria ne aliæ grauentur eius ingressu, vt fieret, si cum ea cæterarum præbendæ diuidendæ forent, quod incommodum ferre ipsæ gratis non tenentur, cum vitio dari nulli soleat, quod se extra damnum constituat, acceptione rei, quæ illi pretio respondeat. Equidem est in more dotem à virgine, religionis auida exigere, quem quia tacite approbat Ecclesia, cum non damnando, arguere culpę honestè nemo potest, quemadmodum nec quæ gratis ac liberaliter ab ingressuræ propinquis, aut professæ, lautiora paulò conuiuia regulari familię cui ascribitur, apparantur.

Dico vltimo, *Vrbani bullam quoad pœnas sublatam esse*, cōmunis enim est Doctorū opinio propter Simoniam, excōmunicationē hoc tēpore nō incurri nisi in duobus casibus Ordine scilicet & Beneficio, Angelus *ver. Simonia 6. n. 4. in fine*, Sylu. *ver. Simonia q. 19. tertia pœna in fine*, Nauar. *cap. 21. Enchirid. nu. 111. consil. 85. & 87. de Simon. editione 2.* Sa *verbo Simonia num. 6.* Tolet. *lib. 5. cap. 93.* Azorius *to. 3. l. 12. n. 21. q. 6* qui etiam citat Rosellam & Tabiena, Gregor. de Valentia *to. 3. disp. 6. q. 16. puncto 6. in fine*, Lessius *lib. 2. de iustit cap 35. dub. 23 num. 130.* Sanè Paulus II. & Pius quintus in his diplomatis quæ scripsere de Simonia, eam excommunicatione non puniunt, nisi cum est in Ordine aut beneficio admissa, quod est argumento, Vrbani constitutionem, aut nunquam receptam esse, aut si fuit, iam tum, id est suo æuo abrogatam fuisse, optandum tamen esset ne quam Moniales vitæ sibi ac professionis sociam allegerent, nisi gratis, ac sine pretio, Nauar. *in tract. de redditib. Ecclesiasticis qu. 1. monitione vltima*, de quo cum volent, legem Superiores sibi, posterisque seruandam sancient.

QVÆSTIO XV.

An Bulla Sixti quinti de ordinatis per Simoniam excommunicationem Papæ reseruatam inuehat.

Scripsit anno 1588. Sixtus Papa V. bullam, cui initium *sanctum & salutare* in qua tam Episcopis, male aliquem ad Ordines promouētibus, quam ordinatis pœnas non paucas, nec leues imponit, Episcopos enim primo à collatione omnium ordinum vult esse suspensos, quo nomine an etiam intelligi tonsura debeat, disputant auctores, tenentque partem affirmantem Suar. Laym. *lib. 4. tract. 10. cap. vlt num. 71.* Lessius *lib. 2. cap. 35. dub. 24. num. 134.*

Ego negantem ob hoc argumentū. Quæ voces legem componunt, per quā pœna infligitur, strictè hæ capi debēt ac propriè, lex Sixtina Episcopos ab ordinum conferendorum iure remouens, pœnam habet, cum Episcopo præsertim pio, accidere grauius nihil queat, quam potestate priuatum esse, aggregandi per ordines ad statum Ecclesiæ, quos ille dignos existimat: ergo cum Tonsura non sit ordo, sed dispositio quædam, viaque ad illum, qui auctoritate Apostolica ordinis conferendi iure excidit, illico, non est credendus tonsuram largiri non posse.

Secundo, sunt Episcopi constitutione Sixti, ab executione suspensi munerum Pontificalium, & proinde à templorum, & calicum consecratione, benedictione vestium, &c.

Tertio est ingressus Ecclesiæ illis interdictus.

Quarto si contra interdictum quid egerint, suspensi sunt à suarum administratione Ecclesiarum, & perceptione fructuum, quos sibi sua beneficia pariunt.

Quinto sunt excommunicati excommunicatione, à qua eos absoluere nisi Pontifex nemo potest, quas pœnas subiri similiter ab ordinatis per Simoniam idem qui supra Sixtus voluit, vt notauit Cherubinus, *lib. 2. compendij in Bullarium, bulla Sixti nonagesima prima.*

Duo ergo hic quæruntur. Primum, an hæc Xisti sanctio excommunicationem vbique inferat. Alterum male ordinati ac per Simoniam, canonicæ quæ sint pœnæ.

Respondeo ergo Xisti bullam in his prouinciis, vim habere nullam.

Primo, quia ne leui quidem fama multis est cognita.

Secundo, quia ab his, quorum interest eius notitiam hominum imprimere animis, promulgata nunquam fuit, ne dum recepta.

Tertio, quia ad terminos iuris est communis à Clem. VIII. redacta auctore Less. *lib. de iustitia 2. cap. 35. dub. 24. num. 134.*

Alterum in quæstione erat, sintne iure canonum pœnæ aliquæ male ordinatis, maximè vero Simoniacè, inflictæ.

Respondeo, quod sæpe censui, & respondi esse, & quidem qui per saltum ordine se sacro initiari patitur, aut qui eum quasi suffuratur ab Episcopo, mentito beneficij seu patrimonii titulo, suspensus est propter Concilii Chalcedonensis canonem, qui sextus est actionis 15. quem Gratianus retulit in *distinct. 70.* his verbis. *Neminem absolute ordinari Presbyterum, vel Diaconum, vel quemli-*

betin Ecclesiastica ordinatione constitutum, nisi manifestè in Ecclesia ciuitatis, siue possessionis, aut martyrio, aut in monasterio qui ordinatur, mereatur ordinationis publicatæ vocabulum. Eos autem qui absolutè ordinantur, decreuit sancta Synodus vacuam habere manus impositionem, & nullum tale factum valere, ad iniuriam ipsius qui eum ordinauit, quorum verborum est hic sensus, eum qui contra ius huius canonis, ordinem sacrum erit adeptus, eundem exercere non posse, quod quomodo intelligi oporteat, dicetur *tract. sequenti de suspensione.*

Certius est quod de ordinatis per Simoniam traditur, primo enim sunt hi *ab ordinum suorum executione suspensi*, Extrauag. *cum detestabile de Simonia*, Sylu. *verbo suspensio n.* 7. non omnium tamen, sed eorum duntaxat, quos Simoniæ fœda labes infecit, vt in quo quis peccauit, in eo pœnam debitam sustineat, quam opinionem vti probabilem defendi posse, scribit Less. loco proximè citato.

Ordinum autem nomen hic positum, ad sacros non tantum pertinet, seu maiores, quare minorum susceptio, in probabili multorum sententia, meaque, suspensionem inuehit: vere enim sunt Sacramenta, vt ostendimus in *tract. de Ordine*, non Sacramentalia tantum, ergo comparare sibi pretio è minoribus ordinibus vnum aliquem, est tacitè pœnis subesse velle, quibus Paulus in Extrauag. cum detestabile ordinatos per Simoniam, afficit.

Quare si hi cum ea suspẽsione, sacris se altaribus sacrificij causa admouerint, erunt irregulares, vt qui cum censura celebrent, quæ est secunda pœna, qua qui pretio irrepsere ad ordines, mulctantur à prædicto Pontifice, quanquam (vt quod res est eloquar) non alios pœna hæc afficit; quam qui per se, aut alios, pecunia sibi iter ad ordines muniunt, nec enim in alios statui exemplum conuenit, quam qui sunt rei, at qui causa sua nescit admissam esse Simoniam quid peccat? qui quæ sunt ignorante se ac nescio facta cum Episcopo improbat, in quo conscientiam maculat?

Non potest tamen hæc suspensio cum est notoria, (quæ est ordinatorum per Simoniã pœna tertia) ab alio quam Pontifice adimi Laym. *lib. 4. tract. 10. cap. vltim. parag. 7. nu.* 71. Ab Episcopo autem si casus sit occultus, & ad forum contentiosum necdum deductus Lessius *lib 2. cap. 55. dub. 24. num. 136.* etsi esset Simonia cum eo commissa, quia per eam, potestate sibi à Concilio concessa *sess. 24. cap. 6.* non excidit, aut ab ea suspenditur, quicquid dicat Comitol. *l. 6. respons. q. 41.*

A Quarta pœna eiusmodi hominum, est excommunicatio incurrenda ipso facto, quæ ad eos etiam pertinet, qui quoquo modo eius auctores extitere, mediatores aut procuratores, *à qua nisi à Romano Pontif. pro tempore existente, non possunt absolui, præterquam in mortis articulo constituti*, Paulus *in extrauag. cum detestabile 2. de Simonia parag. statuentes*, vbi notandum, ad eam pœnam exigi, vt pecunia quæ datur ordinis gratia, detur ante eius collationem, nam hi duntaxat sunt plectendi, *qui Simoniacè sunt ordinati*, Paul. *in extrauag. cum detestabile*, at id non accidit, cum

B pecunia, aut quidpiam ei æquiualens, collatum ordinem sequitur, ergo eius post susceptum ordinem oblatio, non est causa futura suspensionis, aut censuræ cuiuspiam alterius in dante.

Confirm. gratis ordinem qui suscipit, dici Simoniace ordinatus non potest, at ordinationem eius, qui illa iam facta, pecuniam ordinãti offert, nec pactio præcessit vlla, nec pecunia, Simoniaca ergo appellari non potest, ergo nec eiusmodi, quæ suspensionis, pœna male ordinatis proposita, puniri de-

C beat.

De Irregularitate nonnulli dubitant, eamque male ordinati pœnam esse quintam aiunt vt Vgolinus *tab. 4. cap. 4.* quibus ne assentiar obstat hæc ratio.

Iuris axioma est vulgare, *non nisi violatione censuræ, irregularem quem esse*, at in priori naturæ, cum confertur ordo Simoniaco, necdum est excommunicatio, necdum est suspensio, sed erit in posteriori aliquo signo naturę subsequente, quo tempore non exercetur actus vllus ordinis, vt patet, non

D est ergo susceptioni Simoniacæ ordinum, adiũcta irregularitas ipso facto, sed eorũ vsu in suspensione, aut excommunicatione, quibus qui per Simoniæ labem ordinẽ suscepit, constitutione Paulina est vinctus, quemadmodum & qui in obtinendo Ecclesiastico beneficio Simoniacam fraudem admisit.

Primo', enim est suspensus, secundum Comitolum. *l. 6. q. 41.* quamuis contradicat Nau.

Secundo est excommunicatus excommunicatione de qua Papa solus absoluit,

E Paul. II. *extrau. cum detestabile de Simon.* pertinetque hæc pœna ad omnes tam qui occultè, quam qui palam, & notoriè sunt tales, aut qui ad id detulere operam, mediando (vt loquuntur) aut procurando.

Tertio, beneficium comparatum pretio, ac per Simoniam retineri nequit, Glossa in *cap. constitutus de transactionib.* sed dimitti debet etiam ante Iudicis sententiã: Rebuff. *secunda parte praxis titulo de Simon. in resignat. num. 4.* quia omnis prouisio beneficii in qua inter-

intercedit Simonia voluntaria, cum peccato mortali, ipso facto, etiam in conscientia, est ante omnem sententiam irrita, & nullius valoris, Paulo decernente in citata extrauag. *per electiones, postulationes, confirmationes, prouisiones, seu quasuis alias dispositiones, quas Simoniaca labe contigerit fieri, & quæ viribus omnino careant, in Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, personatibus, & quibusuis beneficiis, aut aliquo eorum, cuiquam ius nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit restitutionem, sub animæ suæ periculo sit adstrictus.* Si tamen occulta est Simonia, ordinarii collatio titulum coloratum efficiet Gomesius *q.22. in regulam de triennali possess. limitatione prima in fine.*

Causa est, quod absolutio à Simoniaco occulto data, cæterique actus spiritalis iurisdictionis quos obit, sunt validi, quod esse non posset, nisi titulum coloratum haberet secundum communem sententiam.

Quarto, qui beneficii per Simoniam acquisiti est reus, eius fructus non acquirit, itaque perceptos restituere sub peccati pœna debet, quia vt est in *c. Matthæus* 23. *de Simon.* Simoniaco sponte dimittenda est administratio Ecclesiæ acquisitæ pretio, proindeque Simoniace, ergo & fructus, rei enim non suæ, retineri ac seruari fructus non conuenit, at beneficii quod sibi quis mala arte, hoc est Simoniaca comparat, verus non est, ac legitimus possessor, vt patet ex verbis citatæ extrauag. eius ergo restituendæ sunt obuentiones, fructusque, & quidem ante sententiam, quod Nauar. *Enchirid.* 25. *num.* 111. *ad* 15. Suar. *in cap.* 57. *num.* 33. Reginald. *lib.* 23 *cap.* 12. *num.* 176. ex eo colligunt, probantque, quod iure naturæ, aliena relinqui debeant, nulla expectata sententia, vt est *in can. primo causæ* 14. *q.* 6. vbi est his verbis: *Fidentissime dixerim, eum, qui pro homine ad hoc interuenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem (quantum honeste potest) non compellit ad restituendum, socium esse fraudis & criminis.*

Quinto est Simoniacus inhabilis ad idem beneficium obtinendum, *cap. nobis fuit* 33. *de Simonia & cap. penult. de electione*, vbi Honorius III. asserit Episcopum non posse dispensare cum eo, cui ignoranti sua causa commissam esse Simoniam, collata est prælatura, posse vero, si ei tantum simplex beneficium collatum fuerit. *Si alicuius electionem propter Simoniam, eo ignorante, ac ratum non habente commissam contigerit reprobari, cum eo super prælatione, ad quam talis fuerat electus, illa vice non potest Episcopus dispensare quamuis circa eum, qui ignoranter recipit beneficium simplex*

A *per Simoniacam prauitatem, post liberam resignationem Episcopi dispensatio tolleretur.* Hinc enim sic argumentamur. Qui dispensatione eget ad aliquid, ad id est iure inhabilis, cum dispensatio non sit aliud quam iuris relaxatio, sed is cui collata est Prælatura per Simoniam, eodem ignorante commissam, dispensari nequit vt eam possideat, sed is tantum, qui eo modo simplex recepit beneficium, ergo ad id est inhabilis, ergo & is qui sciens & volens in eo consequendo admisit hanc culpam.

B Sexto, quia Paulus in *Extrauag. cum detestabile*, citata, pœnas omnes renouat iuris antiqui contra Simoniacos, quas vult eos ipso facto incurrere, quæ sũt pœnę depositionis, & priuationis, his etiã affici poterũt per sententiam Iudicis, quia sententia iuris subeunda ipso facto, non excludit declaratoriam incursi criminis, vt antea ostendimus. Equidem Alexand. III. *in decretali de hoc autem* 11. *de Simon.* non ait conuictos de Simonia, aut confessos in iure, esse actu depositos ab C altaris ministerio, sed deponendos, & Deodatus *cap.* 7. *eiusdem tituli*, Simoniacum ait meritum esse, *vt ab ordine male accepto remoueatur.*

Septimo, excommunicantur cum Simoniaco, quicunque ei auctores extitere committendæ, Simoniæ, aut etiam adiutores, vt amici, parentes & propinqui, qui eam procurant, aũt qui voluntatis vtriusque contrahentis interpretes sunt ac nuncii, vt mediatores, dummodo eius efficaces sint causæ, cuiusmodi censendi hi soli, sine quibus D ea non fieret, vt ex communi sententia docet Nauar. *Enchirid. cap. vlt. num.* 51. nam ob consilium duntaxat, aut auxilium, quod inane fuit, ac nullarum virium, eo quod effectum res sortita est nullum, excommunicationem non sequi, communis est sententia.

Sunt autem mediatores hi soli in hac materia, qui cum ambobus transigunt, qui vnius ad alterum voluntatem referunt, qui quod cuique certum est dare, aut recipere pro beneficio, contracturis renunciant, ac dicunt.

E In quo hi à procuratoribus differunt, quibus est satis ad hoc nomen, quod cum contrahentium altero agant, quod eum ad beneficium sibi pretio comparandum, aut distrahendum, inducant. Et hæc hominum genera duo, pari cum Simoniacis teneri pœna, nec liberos esse posse ac immunes ab excommunicationis censura per Paulum inflicta, docent summarum auctores.

Est & alia contra Simoniacos Pii quinti constitutio expedita anno 1566. qua non ad

possessum modo beneficium per Simoniacam labem redduntur hi inhabiles, sed ad alia omnia sed præterquam quod non est hæc constitutio recepta vsu, insuper locum non habet nisi post iudicis sententiam.

Argumento sunt hæc verba: *Quicunque crimen Simoniacæ prauitatis commisisse conuictus fuerit,* pœnis ergo non suberit, nisi qui admissi huius criminis peragi poterit, Nauarr. *consil.* 42. *de Simonia,* Sa *correctus verbo simon. num.* 9 Reginald. *to.* 2. *lib.* 23. *num.* 183. Flamminius *de Resignationib. lib.* 4. *q.* 2. Suar. *lib.* 4. *cap.* 58.

Ratio est, quod canonistarum communis sit hæc, receptaque opinio, ex constitutionum principio, earundem interpretationem petendam esse: ergo cum de iudicio, futuraque in eo conuictione de commisso simoniæ crimine, in sanctionis suæ limine loquatur Pontifex, ea conuictione omissa, aut non peracta, est hæc sine vi futura ac robore.

QVÆSTIO XVI.

An Pij quarti, & quinti Bullæ Pontificiæ de confidentiali Simonia, excommunicationem Pontifici reseruatam habeant.

CAsus est eiusmodi Beneficium cum possideret homo grandi iam natu, cuperetque de nepote bene mereri à quo in ipsum multa erant profecta beneficia, illud ei resignat, sed cum spe, fiduciaque vt in partem fructuum quos possessori suo tale beneficium parturit, minimæ stirpis fratrem aduocet, quæritur num hæc renunciatio, simoniæ confidentialis labem habeat, pœnasque, & à quibus solui eas oporteat.

Est confidentia, Flaminio in *tract. de confidentiis beneficialibus q.* 1. *num.* 49. *spes quod is cui collator confert, quem patronus præsentat & offert, quem eligens eligit, cui resignans relinquit beneficium, illud ipsum sibi, aut alteri postea cum pacto, & conuentione expressa vel tacita resignabit, aut ex eo pensionem dabit.* Est spes instar generis, cum latius hæc longe pateat quam Simonia. nec sit vitiosum sibi aut amicis bene velle, spem consequendi beneficij concipere, modo ne mala arte. Cætera differentiæ vicem explent, quæ enim natura sua spes est ad vtrumque indifferens, mala fit ac redditur adiectione pacti, de retinenda redditum parte, de repetendo breui eodem beneficio, per se, aut alium cui resignabitur.

Alii confidentiam nominant, *pactum expressum aut tacitum, quod intercedit inter eligentem & electum, collatorem & eum cui beneficium* A *confertur, resignantem & resignatarium, quod elapso aliquo tempore, eligens ab electo, conferens à collatario, beneficium recipiet, aut fructuum eius partem aliquam, aut si nolint ipsi, eorum loco alij.* Quare (quod est monitum Nauar. *cap.* 23. *num.* 109. Viualdi *de simon. num.* 28. Less. *lib.* 2. *de iustit, cap.* 35. *dub.* 6. *num.* 95.) qui resignat, aut procurat alicui beneficium, confidens illud ipsum aliquando amico, aut nepoti resignandum, sed libere, sicut & ipse sine obligatione ei vlla largitur, non peccat hoc peccati genere, cui nos confidentialis Simoniæ nomen damus.

B Ratio est, quod esse Simonia nulla potest sine pacto (est enim contractus vltro citroque obligatorius, hoc est vt loquuntur alii voluntas studiosa emendi spiritale pro temporali) sed hic ex hypothesi nulla est pactio, transactio nulla. *Vnde quantumuis speret quis, vel confidat, si nulla est occulta, vel aperta conuentio, nulla intentio obligandi, nulla quoque est Simonia,* Less. *num.* 95.

Fit autem confidentialis Simonia modis quatuor, primo per accessum, secundo per regressum, tertio per ingressum, quarto per C pactionem pensionis recipiendæ, ac partis fructuum beneficii quę detur conferenti, aut alteri personę quam ille designauerit, quos modos his verbis est complexus Pius V. in bulla, cui initium Intolerabilis editæ anno 1569. *Quare nos volentes periculosam talium audaciam, noui iuris subsidio cohibere, præsentium auctoritate statuimus, vt si quis quacunque auctoritate Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum quale ex resignatione vel cessione cuiuscumque personæ simpliciter,* D *aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, vt illa, vel illud etiam in euentum regressus, vel accessus, eidem dimittenti, vel alteri postea conferatur, aut illius fructus, vel eorum pars alij, vel aliis concedantur, vel pensiones soluantur ex eisdem, hæc confidentia censeatur.*

Est autem accessus, quando qui confert, aut procurat alteri beneficium, id agit cum confidentia, id est pactione, quod collatarius illud ipsimet postea, aut alteri, quem designauerit, resignabit.

E Ingressus accidit, cum quis ante captam possessionem alteri resignat beneficium seruato sibi iure ex confidentia id est pacto, eius possessionis ineundæ, si is cui illud resignat pręmoriatur, aut fiat Episcopus.

Regressus in eo est, vt quis beneficio renunciet cum confidentia, id est pacto, quod idem beneficium certo tempore ad renunciantem regressurum sit, aut alium v. c. consanguineum, fratrem, aut nepotem, cum per ætatem eius capaces esse poterunt, vel

cum ipsemet renuncians, beneficium sibi seruat, parte tantum fructuum eius, relicta ei, qui eius est tantum possessor in speciem.

Iam ergo ad quæstionem excommunicatio per Bullas Pii quarti & quinti, quæ sunt de confidentia, lata contra simoniacos confidentiarios (vt aiunt) estne de earum numero, quæ sunt reseruatæ Pontifici?

Causa dubitandi vnica, quod vbi, quando, & à quo, promulgatæ fuerint, ac receptæ, non constet, quæ autem Romę cusa diplomata, ab Episcopis non vulgătur, aut eorum exemplo ac imperio in praxim non reuocantur à populo, his eum non teneri communis est opinio.

Dico primò, *Nusquam receptam videri, Pij quinti Bullam quoad eam partem, in qua eos censura notatos esse præcipit, qui beneficium resignant alicui, aut conferunt, ea lege, vt prouisus, illius fructus si non omnes, at eorum partem aliquam, ad vtilitatem conferentis, aut cedentis relinquat, vel pensionem ei pendat ac numeret, cui collator aut resignans voluerint.* Ita Lessius *lib. 2. cap. 35 dub. 16. num. 97.*

Causa est, quod talis pactio dependenter à voluntate Papæ facta, non sit illicita.

Secundo, etsi sit ab Episcopi, aut collatoris dignitate perquam alienum, partem sibi reseruare fructuum, causæ tamen esse iustæ possunt, quamobrem hos communicari nonnunquam cum aliis oporteat, ita à Rege Christianissimo sæpe in obuentionum sacrarum communionem ac partem vocantur nobilium liberi, cum Doctores ea lege ad Sacerdotia Pontifici offerat, vt his ad studia, vitæque necessaria subsidia pensionis nomine Papa permittente quidpiam tribuant, quam Christianissimi Principis vere cœlo dignam munificentiam, quis merito culpæ arcessat aut Simonię? At quod esse, & fieri potest sine crimine, de eo fas est pacisci, mutuaque partium consensione transigere: ergo &c.

Dico secundò, *Confidentiarios, violatæ Pianæ sanctionis reos esse,* quia vbique quoad substantiam longa est recepta consuetudine vt docet Laym. *lib. 4. tract. 10. cap. vltimo §. 8. num. 75.* in Italia, autem, Germaniaque, quoad eius pœnas omnes.

Prima est Papalis excommunicatio Nauar. *cap. Enchrid. 23. num. 103.*

Secunda priuatio beneficiorum omnium, pensionum, administrationum, officiorum, dignitatum, non est hæc tamen ante iudicis sententiam, mandanda effectui ab ipso reo in conscientia, opinione Lessii *cap. 35.* Laym. *parag. 8. de simonia, num. 77.* Suar. *cap.*

A 44. *num. 13.* quia etsi Princeps magnorum reos criminum lege lata rebus suis, earumque dominio, ac iure in eas acquisito priuare valeat, itaut ante Iudicis sententiam tam isto, quam illis cedere debeat, iuxta communem DD. sententiam apud Suar. *lib. 5. ca. 5. de legib.* non est ea tamen vis legum, quarum sunt Papa & Princeps authores hoc tempore, vt ista se seueritate seruari velint, quia nec id Papæ, Principibusque placitum, nec sunt à nobis eorum decreta cum eo nexu, vinculoque recepta, ferri sententiam

B volumus, rerum quæ iuris sunt nostri, vsu ac potestate exui nisi iussi, coactique à Iudice nolumus: beneficium officia, ac magistratus, dummodo illa per nos regamus aut alios, voluntate Papæ tacita retinere quandiu iudex sinit, possumus, atque ita docent Couarr. 4. *decret. par. 2 cap. 6. parag. 8. num. 8.* Nauar. in commentar. *de datis ac promiss. not. 31.* Auila *par. 1. de censur. dub. 7.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 26.* Suar. *to. 1. de Relig. tract. 3. lib. 4 de simon. cap. 43 num. 13.* Vbi hanc regulam tradit. quando aliquis per pœnam priuatur re sua, non obligatur ad executionem ante

C sententiam, quæ est etiam Laym. opinio *lib. 1. tract. 4. cap. 15. num. 6.*

Tertia, est interdictum ab ingressu Ecclesiæ pro Episcopis, & maioribus Prælatis, sicut excommunicatio pro minoribus.

Quarta, est inhabilitas non tantum ad beneficium Simoniace acquisitum per confidentiam, sed ad alia omnia.

Quinta, Resignatio vel collatio beneficii, in quą Simonia admittitur, est irrita, notant tamen Laymanus supra & Emman. Sa *verbo simonia num. 7.* renunciantem Simonia-

D ce, puniri quidem posse, priuatione sui beneficii, eo tamen iure factoque priuatum non esse, quia renunciatio est nulla, quod autem inane est ac nullum, producere quid potest? idem docent Nauar. *cap. 23. num. 105.* Garcias *parte 2. cap. 3. §. 2. n. 2. 4.*

Sexta, Beneficia in confidentiam accepta, & collata, sedi Apostolicæ sic sunt reseruata, vt ab Episcopis aut Prælatis aliis conferri nequeant.

Dico tertiò, *Pij quinti constitutionem de con-*

E *fidentia nunquam fuisse receptam in Gallia,* quod Concordatis videretur esse contraria in his enim tam fructuum, quam beneficii reseruatio omnis est prohibita, *Volumus quoque & ordinamus quod in Regno, Delphinatu & Comitatu, de cætero non dentur aliquæ gratiæ expectatiuæ ac speciales, vel generales reseruationes, per nos, & sedem prædictam non fiant &c. Concord. in rubrica de reseruationib. tam generalibus quam specialibus sublatis,* ergo cum habeat Pii V. constitutio quidpiam huic legi

contrarium, nempe tam fructuum reseruationem quam beneficij obtenti per fraudem Simoniacam, causa Gallis videtur esse non omnino iniusta eius reprobandæ, vt parum iuri suo, legibusque consentaneę.

Dico tamen quartò, *Confidentiarios, iisdem ferme pœnis ac censuris constringi in Gallia, per Sixti V. Bullam in ea receptam, quibus hi affecti sunt, vinctione alibi*, cum enim animaduerteret Sixtus eius nominis quintus, non probari Gallis ob causam superiori assertione allatam Bullam Pij quinti, aliam anno 1587. pro sola Gallia contra confidentiarios edidit, in qua quædam sunt regni propria.

Primo, enim vult omnibus esse liberum, absolutionis obtinendæ causa à censura, quæ extra Franciam soli Papæ est reseruata, super ea adire Legatum à latere, commorantem Auenione, aut Nuncium Apostolicum Lutetiæ.

Secundo, non vult Sixtus, Papæ reseruari beneficia, circa quæ facta est confidentia, sed ordinariis Collatoribus, vel si eius participes sunt ac conscij, aut si hi intra semestre conferre negligant cum vacauerint, vult ea deuolui ad proximos Superiores, nõ ad Papam, sine vllo tamen nominationis regiæ præiudicio, aut illorum, qui ius habent Patronatus ad illa beneficia.

Tertio statuit vt fructus beneficiorum ita vacantium, posthac non censeantur esse Papæ debiti, sed pauperibus, aut Ecclesiis circa quas Simonia dicitur admissa, quibus reparandis, ornandis, aut extruendis poterunt ab ordinariis attribui: hæc Sixtus, in suo ad Gallos diplomate, cuius meminit Nauar. in tomo 3. operum, iuxta editionem Lugdunens. anni 1597.

Ad quorum intelligentiam notandum nos censuræ nomine quamlibet pœnam Ecclesiasticam comprehendere, vt est irregularitas, & ad omnia beneficia inhabilitas, qui enim pœnas dicit quomodolibet incursas, vt fert textus Bullæ Sixtianæ, nullã excipit.

Notandum secundo, absolutionem quæ ab his pœnis à Nuncio, aut Legato dabitur, pro vtroque foro, ratam fore ac validam, causa est, quod nulla ad forum conscientiæ, restrictione addita, absolutam eis Pontifex potestatem præbeat dispensandi in pœnis, à se contra Simoniacos positis.

Notandũ 3. non habere has pœnas locum in permutatione confidentiaria, enimuero non nisi cessionum ac resignationum meminit in Bulla sua Pius, vt verba quibus est concepta indicant, docentque Nauar. *consil.* 77. *de Simon* Suar. *lib.* 4. *cap.* 43. *num.* 11. quo nomine præsertim in materia tam odiosa ac

A pœnali, intelligi non debet renuntiatio, quæ permutationis fit causa.

Dico tamen quinto, *Vnum esse, in quo non est hæc Sixti Bulla recepta in Gallia, in regressu nempe ad beneficium resignatum causa mortis, si resignantem pristinæ suæ valetudini restitui discusso morbo accidat.* Enimuero est huiusmodi resignatio, Sixti lege non ferenda, quam tamen Gallia recipit, vt in praxi iuris canonici ostendere memini, quare si quis mori ex morbo metuens, beneficio suo cesserit in alterius gratiam, reparatis viribus, ei B restitui à Iudice iubebitur, etsi resignatarius in eius possessionem iam venisset, vt ex variis Parlamenti decretis probat Brodæus ad Loüeti *arresta verbo resignatio*, Petr. Millardus *in tract. de pœniten. cap.* 67. *instructione quinta*, cuius moris vim ac rationem ex Concilio Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. repetit, vbi cum de resignatione fit sermo, ratam eam esse posse negat, quæ Clericum beneficio exuit, vnde ei vitæ commoda ad cultum, decoremque status, cõmeatus necessarii suppetebant, at habet id locũ in subiecta materia vt patet, cum paucos admodum Ecclesia habeat, qui C gratis ei ac liberaliter, spe nulla mercedis illecti, aut Ecclesiastici stipendii, suam illi nauant operam ergo &c.

Similiter est in Gallorum moribus, vt quis beneficium suum resignet alteri, cum pacto vt hic tertio suum relinquat, in quo si hic fidem fallat, nec pacta conuenta faciat, auctoritate iudicis adigetur ad præstationem resignationis, eo modo quo est inter eos concepta, quia non est hæc beneficii cessio, nuda resignatio, sed permutatio beneficii resignantis cum beneficio tertii, quæ contra- D hendi ratio, non est Pii quinti diplomati Pontificio aperte contraria: In cæteris receptam esse in Gallia Sixti bullam contra confidentiarios mihi persuadet tam decretum Gallorum Antistitum, ab iis anno 1586. aduersus illos editum, de quo Imbertus in praxi ciuili, *commentar. ad cap.* 22 *lib.* 3 *quam Henrici III* vniuerse in omnes quos Simonię labes inficit, cuius est in statuum Blesiẽsium *art.* 21. *& conferentiar. lib.* 9. *titulo* 8. series E formaque his perscripta vocibus. *Les Archeuesques & Euesques procederont soigneusement, & seuerement sans dissimulation, n'exception de personne, contre les personnes Ecclesiastiques, qui auront commis le crime de Simonie par les peines indictes & portées, par les saincts Decrets, & Constitutions canoniques. Enioignons aux Baillifs, & Seneschaux proceder au semblable contre les personnes laiz coupables & participans du mesme crime.*

Sunt autem hæ in Confidentiarios dictæ

pœnæ à Sixto Papa quinto.

Prima est excommunicatio incurrenda ipso facto.

Secunda nullitas collationis beneficij, in quo confidentia est admissa, quia beneficium Simoniace possessum vacat, & vt tale est impetrabile, decreto tam Pii quarti in extrau. 108. *parag. quare* & *parag. fructuum* quam Pii V. in extrauag. *intolerabilis* & Sixti V. at nec vacaret, nec vt possessore vacuum impetrari posset, si valida esset, rataque eius collatio, quia sic in manus capacis, ab eo penes quem est ius conferendi, venisset, quæ duę res collationem beneficij stabilem reddunt ac firmam, quare cum decreto horum Põtificum impetrari possit, habẽda est eius collatio pro inani, nulliusque roboris ac momenti, & ita si à Pontifice sibi illud quispiam obtinuerit saisinæ (vt loquũtur) ac nouitatis super possessorio literas à magistratu regio in Gallia obtinere eum oportebit, Rebuff. *in constitut. regias, tit. de causa possessionis beneficior.* & in praxi *titulo de Simonia in resignatione*, quibus si Simoniacus beneficii possessor restiterit, iisque ac Iudici, obsequi animum non induxerit, lis ei à Deuolutario (si beneficium de eorum sit numero ad quæ nominare Regi competat) coram regiis magistratibus in magna consilij camera intentabitur, non tamen cum fructu, post decennalem eius possessionem (vt aiũt) eo quod Simoniam obiici Simoniaco, post annos decem à prouisione, Gallica non ferunt tribunalia, ne in perpetuum iura beneficiorum incerta sint, ac dubia, vt testatur Bleyanus *in Theoria tract. vlt. de complurib. aliis benefic. nu. 37. litera S. ad marg.* Charondas *in lib. Pandectar. titulo 9.* sicque iudicatum ait in Senatu Parisiensi, *percelebri arresto 4. Maij an. 1574.* quod & ipse repetit in *lib. 1. responsion. cap. 47. in fine.* Bergeronus *in resolut. art. 11.* Chenut. *in addition. ad Paponium lib. 3 titulo 12. arresto 1.*

Pœna tertia, est inhabilitas ad idem beneficium, quæ tamen locum in conscientia non habet aut sententiam.

Quarta est inhabilitas ad omnia, cui non necessario obsequendum, nisi cum cogit iudex Less. teste *lib. 2. cap. 35. num. 147.* Reginald. *lib. 23. n. 183.*

Tres tamen sunt conditiones necessariæ vt hæ pœnæ incurrantur.

Prima, vt in hac confidentia non solum promissio, sed & pactum, donatio seu procuratio, & beneficij acceptatio intercedat Nauar. *Enchirid. cap. 23. num 110.* Less. *ca. 35. num. 148.*

Secunda vt non interueniat permutatio beneficii, vbi enim inuenitur in confidentia, propriæ cessant eius pœnæ.

Causa est quod prædicta Pontificum diplomata, de resignatione & cessione loquuntur, de permutatione nullo modo. Ita Nauar. *Concil. 77. de Simon.* Suar. *cap. 43. num. 11.* quæ etsi de permutantibus dicantur verissimè, ad collatores traduci nequeunt, eo quod omnis sit illis interdicta Simoniaca prouisio.

Tertia conditio est, vt ista confidentia non tantum illicita, sed etiam natura sua Simoniaca fuerit ante has bullas, nec enim Pio aut Sixto, fuit vnquam in animo, Simoniam nouam inducere, sed visitatam ad eam diem pœnis insectari grauioribus, quam quibus à priscis Pontificibus olim multata fuerat, vt probat Nauar. *consil. 80. de Simon. num. 4.* & *cap. 23. Enchirid. num. 109. in fine & 110. in fine.*

Est & alia pœna, nempe fructuum restitutio, quos beneficium Simoniace obtentum protulit, quandiu in Simoniaci potestate, manuque fuit, quos in Ecclesias, piasque causas impendere, mos est Galliæ, vt exemplis, curiæque Lutetianæ decretis probant Charondas *lib. 7. responsion. cap. 190.* Peleus *lib. primo actionum forens. act. 50.* Tournelus *in arrestis litera S. num. 40.*

Est hoc tamen animaduersione dignum, quod in Simonia reali tam in Ordine, quam beneficiis vsuvenit, vt excommunicationem non pariat, nisi vtrinque sit completa, hoc in confidentiali non seruari, vt enim ex ea resultet excõmunicatio, sufficit eam esse ex parte rei spiritualis impletam, nam hoc ipso quod res spiritualis datur, & accipitur, Simonia incurritur, vt habent Bullæ Pii V. & Sixti item quinti.

QVÆSTIO XVII.

An è cœnobio egredi, deposito religioso habitu, excommunicationem habeat Papæ reseruatam.

CAsus est talis, adolescens vt nobilis stirpe, ita disciplina ac instituto Monachus, tam vitæ tædio, quam illaudabili fœdissimorum hominum instinctu, ac desiderio vitæ liberioris, de hæresi amplectenda consilia accipit, quam vt profiteretur impunius, quo viueret à patria, amicisque longius, in Hollandiam, abiecta veste cœnobitica traiicit, vnde tempestate reiectus in Galliam, diuino vt creditur consilio, ac vt fit, in portu agnitus, de reditu in Monasterium, vnde mali Dæmonis suasu turpiter excesserat, cum notis ac amicis agit quod cupiebat istorum precibus, ab Abbate im-

petrat.

Quæritur, num hic vllam sine superioris commeatu, & ob causam flagitiosam domo religiosa egrediens in censuram inciderit.

Secundo ad quem attineat ab hac eum soluere.

Tertio, num diuina interim obire officia, num sacrosancto Missæ sacrificio fas ei sit adesse.

Eundem in respondendo ordinem sequi placet, qui est quæstionum inter se, Facto ergo à censura principio, videtur religiosus qui habitum sacrum, sæcularium profano commutat, in censuram excommunicationis incidere, an autem sacrorum quoque vsu prohiberi eum oporteat, disquisitionis est alterius, quæ operæ hic nostræ partem aliquam sibi vendicabit.

Sic ergo est constituendum initio, è religione transfugam, habitu deposito, excommunicationis irretitum esse nexu, sciscente *Bonifacio VIII. in decretali Vt periculosa ne Clerici vel Monachi lib. 6.* his verbis: *Vt periculosa Religiosis euagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis quamcunque religionem, tacite vel expresse professus in scholis, vel alibi, temerè habitum suæ religionis dimittat neque accedat ad quauis studia literarum, nisi à Prælato, cum consensu sui conuentus, vel maioris partis eiusdem, sibi eundi ad studium licentia primitus sit concessa, si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto.*

Ergo fugientis è Monasterio, habitu ante dimisso, pœna est excommunicatio Caiet. *in ver. excom. n. 61.* Caiet. assentiũtur Armilla *verbo habitus*, Palud. *in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. casu 12.* Less. *l. 2. c. 41. dub. 15. num. 109.* qui omnes sufficere aiũt quod eum temere, cõsilioque nullo, instituti sui testem ac indicem abiiciat, hoc enim quid homini non omnino hebeti, accidere potest turpius? præ se fert enim hæc actio, indignam viro magnarum rerum auido, mollitiem animi ad mutationem proni, ac facilis, quo quid fœdius? cum tenacem in proposito constantiam, ad extremum vitæ spiritum tenuisse, magnarum sit laus propria mentium. Iusta ergo fuit Ecclesiæ causa, castigandi censurâ tanti dedecoris, quod à transfuga in vniuersi ordinis infamiam, discessu è claustro, cum animæ suæ ac virtutis interitu, est admissum.

Dixere eandem sententiam consecutis temporibus Pontifices duo Innocent. VIII. contra Minoritas, vt est in eorum priuileg. *verbo Apostata parag. 22.* contra Augustinianos Iulius XI. hoc tamen discrimine, quod prior, excommunicationem suam nulli reseruatam esse voluit, vt fecit posterior, qui

A censuram Augustinianis ob egressum è religione sua habitu relicto inflictam, iuris sui esse sanxit, si infra 8. dies mandante ipsorum generali, ad Conuentum non redirent, Portelius *in dubiis regular. verbo Apostata.*

Facilis hinc ergo sese iam aperit, explicandæ quæstionis secundo loco positæ ratio, nam si est innodatus vinculo Ecclesiastico Monachus, domo se subducens, si quia sine missione, ac superioris commeatu necessario, egressus est è cœnobio, sacro religiosæ militiæ paludamento deposito, eum Ecclesiastica stringit excommunicatio, cu- B ius alterius quam patris, id est Abbatis aut Superioris auxiliarem manum peteret, cuius beneficentia, tam necessario tempore, quam illius, frui speraret aut vellet?

Sane sunt censuræ omnes in ordinariorum potestate, quoad nexus solutionem positæ, quas sibi pro authoritate seponendas Pontifex non credidit Nauarri testimonio *c. 27. Enchir. nu. 39.* Stephani de Auila Tolet. *lib. 1. cap. 16* quibus ita sentiendi auctor Innoc. III. *in cap. nuper 29. de sent. in 6.* vbi est expresse vt sæpe monuimus antea, excommu- C nicatum excommunicatione non reseruata Pontifici, à proprio suo Sacerdote absolui posse, at Abbas ordinarius est Monachi, cui & loco est Parochi, nec est Pontifici religionis desertio, & fuga reseruata in canonibus, Portel. *supra n. 4.* à Prælato ergo suo Apostata Monachus, Deo per absolutionem censuræ suæ, reconciliari poterit, & non ab alio, nisi permiserit. Quia absolutio iurisdictionis est actio, at ea solis est Prælatis, in subditos exemptos concessa à Pontifice, ab his ergo absoluendi sunt Apostatæ, non ab a- D liis, qua potestate cum sint prædi ti in non reseruata, Confessarii ordinis, approbati à Prælato, sentiunt prudentissimè qui Apostatam ab habitu, aiunt absolui posse in foro conscientiæ, à quouis Confessario ordinis, approbato per suum Prælatum, Portelius *supra num. 3. & 4.* in externo autem ab Abbate, aut Prælato tantum.

Ratio est, quod in tali foro, absolui Apostata non potest nisi in publico fratrum conuentu, cui præesse, in quo ius dicere, solius E est Superioris, ac Prælati, non alterius, nisi cui hanc ipse prouinciam committendam putauerit.

Lubet hic tamen aduertere antequam aliò deflectat oratio, non omnes qui religiosum dimittunt habitum, excommunicatione stringi, nonnulla enim à Doctoribus excipiuntur tempora, quibus id religioso caritas aut metus annuunt.

Primum est cum non temerè relinquitur, quod accidit (inquit) Portelius de dubiis

verbo

verbo habitus num. 4. cum animo vagandi deponitur, cum ob turpem causam, cum publice nec sine scandalo intuentium de quo iudicare, ad virum prudentem ac bonum pertinet.

Secundum est quum exuitur habitus ad commodiorem quietem, aut somnum, ad corpus leuandum, aut exercendum, vitanda cædis aut carceris pericula, quæ transeunti per terras hæreticorum sunt timenda, Longus in *Compend. verbo habitus*, Rodrig. *to. 2. q. 76. art. 6.*

Tertium est, cum ioco & ad breue tempus deseritur, vt ad ludendum, currendum saltandum, dummodo citra scandalum: in his casibus, veste indutus religiosa qui non progreditur in publicum, nec facinore nec censura obligatur: tria enim requirit Pontifex *in canone periculosa*, vt in eum quis committat, primum vt vere deponatur habitus, secundum vt temerè, tertium vt vagandi causa, quæ me ratio impellit vt credam cum Angelo, ad eum excommunicationis sententiam non pertinere, qui intra Monasterium esset sine habitu, aut qui sine causa eum occuleret, aut ei laicum superimponeret Panorm. *in cap. Deus qui de vita & honestate Clericorum cũ quo consentiunt*, Tabiena *in verbo excommun. 5. & 23.* Geminianus *in cap. vt periculosa ne Clerici vel Monachi in 6.* In quo eis contradicunt cæteri fere Doctores omnes, quod ea vestis occultatio, Pontificiæ menti sit opposita, quid enim spectauit Bonifac. quid quæsiuit cum habitum abiici religiosum prohibuit? obuiam ire flagitiis, fugare mala, quæ sæculi licentia sæculari obuelat veste? at quid interest ad suscipienda crimina, inter eum qui religiosum indumentum abscondit ne noscatur, & eum, qui reiicit?

Verum enim hæc ratio, momentum apud me habet nonnisi modicum ac leue. Enimuero cum de censura contrahenda agitur, mens est spectanda Pontificis, non legis vtilitas aut finis, ergo cum Pontifex, excommunicatione eum plecti velit, qui est sine habitu, non qui eum sæculari obtegit, ille prior solus, non iste qui proprie legem non violat, eius pœnis, ac censura tenebitur.

Ita de tribus quæsitis tertium explicandum restat. Nempe an interim dum Apostata Monachus absoluitur, diuina frequentare mysteria, Missæ aures accommodare, ac animum ei per Ecclesiæ iura sit licitum?

In quo longa oratione vtendum maximopere mihi non censeo, nam quis nescit arceri sacris ædibus excommunicatos, aut

A cui non cognitum, palam officiis religiosis, ac cœlestibus Ecclesiæ, iis interesse prohibitum? Vetus enim est querela Candidiani præpositi domesticorum Theodosii Imperatoris, Nestorio Constantinopolitano, ac Ioanni Antiocheno, templorum clausos fuisse omnes aditus, Cyrilli Alexandrini ac Memnonis Ephesiorum Episcopi, importunis imperiis, sic enim de Memnone, in actis Conciliabuli Ephesini, Concilior. *tomo 1.* his omnibus, puta 58. Nestorianarum partium hæreticis, Episcopis, τά τε ἅγια μαρτύ-
B ρια καὶ τὸ ἅγιον ἀποστόλιον ἀπέκλεισε μηδὲ τὴν ἁγίαν πεντηκοστὴν παρὰ τῶν ἐπισκόπων ἐπιτελεσθῆναι *i. SS. Martyrum ædes præclusit & sanctam Apostoli basilicam, & ne sacrum quidem Pentecostes diem Episcopis celebrare permisit.*

Quid? quod Ecclesiæ icti fulmine, per excommunicationem, omni sint congressione fidelium, vsu ac communicatione priuati *cap. penul. de sent. excomm. can. nihil, can. Engeltrudam 11. q. 3* At si quando, maxime sane sibi mutuo fideles communicant, cum au-
C diendi sacri causa, cœtus agunt Quare eos celebrare excommunicato speciatim prohibitum *cap. illud de Clerico excommunic ministr. cap. is qui de sent. in 6. cap. Episcoporum de priuilegiis in 6.* Huic ergo de quo præsens est quæstio, abstinendum officiis, ac sacro, dum Ecclesiæ reconcilietur, ac Deo. nisi is esset, cuius à choro missaque, aut vesperis absentia, esset cæteris exitio ob scandalum, nam tunc citra culpam omnem, in eadem incumbere cum aliis opera posset, iuxta Nauar. *cap. 27. Enchirid.* Sayrum *li. 2. de censur.*
D *cap. 11. num. 5.* Emman. Sa *correctum verbo excom. n. 17.*

Causa est, quod diuino iure, aut humano, naturale diuinum sit potius, at Ecclesiastica sola lege, vitanda sunt excommunicato commercia fidelium, naturali, ac diuina, sua cuique infamia: ergo vbi famę obsequi suæ non poterit, vnaque legi Ecclesiasticæ, qui censura est quasi virgula notatus Pontificia, omnis erit ei honesta ratio, eius seueritatem non curandi in neglectu sacrorum.

Dices valere quæ diximus quo tempore est excommunicati culpa censuraque om-
E nibus cognita, qualis haud dubiè non est præsens, cum paucorum tantum conscientia teneatur, ergo dictum est à nobis, non nisi imprudenter (inquies) transfugæ huic carendum esse sacrificio, humanoque hominum inter homines commercio. Hæc habent religiosi, cuius hic causa agitur, fautores, ac Patroni, quo freti, patrocinium eius suscipiant, à quibus, quam tamen parum, aut nihil, opis ei sit sperandum, declarabit sequens oratio.

Dico ergo primò, *Excommunicatum etsi toleratum à suffragiis Ecclesiæ communibus, quantum ad valorem, ex eius applicatione promanantem, subsidij nihil opisque sperare posse.* Ita Stephan de Auila 2. *parte cap* 6. *dub*.64. *conclus.* 3. pro qua opinione citat Soto *in*.4. *dist*. 22. *qu*.1. *art*. 4 Couar. *in cap. alma mater parte*1. *parag*. 6. *num* 4 quia Christi Seruatoris merita ex applicatione Ecclesiæ nulli possunt prodesse nisi quibus partem eorum aliquam vult communicatam esse, at nihil sibi commune cum excommunicatis quibuslibet, etiam toleratis, in precibus suffragiisque esse vult Ecclesia nam eos excludit, istiusque fructus ac commodi suauitate omni deiicit.

Confirm. Est distributio fortunarum communium Domini, Oeconomi facta manu, inanis ac irrita, cum ab eius discedit imperio, multomagis cum in eorum communionem recipit, quos ille exclusos voluit, at aliena, id est Christi vindicis merita dispensat eius nomine Ecclesia, à quibus tamen nec ista, nec ille, volunt emolumentum vllum manare in excommunicatum etiam toleratum. de Christi voluntate testes habemus, sacros Euangelij narratores, *Luc.* & *Matthaeum cap* 18 quorum sunt hæc in rem præsentem diuinæ voces, *si Ecclesiam non audierit* (quod facit quisquis obstinatè illi se præfert vt excommunicati ac præcisi omnes) *sit tibi sicut Ethnicus &c.*

Quid? quod Apostolus 1. *ad Corinth*. 5. excommunicatum tradit sathanæ quod si quid intelligo, quoad effectum non est aliud, quam priuari diuinis opibus, in quibus, haud dubiè communia sunt publicaque Ecclesiæ suffragia. De voluntate ergo Christi Domini, res est minime dubia, clarior Ecclesiæ, iudicium esto penes eos, qui cum cura, oculos in canones referent, *decimum quintum cum desideres & 28. à nobis est de sentent. excomm.* in eorum enim primo hæc habet Clem. III. *nisi beneficium absolutionis subsequatur, ille qui excommunicatur non debet communioni fidelium restitui, præsertim cum ex eo iuramento absolutionem consecutus non sit, & constet eum excommunicatum fuisse, & verum sit absolutum non esse, Episcopus, nec alij debent communicare eidem,* & quanquam à tempore Constant. Concil. non sint euitandi fidelibus excommunicati alii, quam qui sunt nominatim denunciati, toleratis tamen nihil licet amplius, quam quod ante Concilium eius rei testes sunt hæ voces, *Per hoc tamen non intendimus releuare, neque iuuare sic excommunicatos, suspensos, interdictos, aut prohibitos*, Concil Const. *in Extrau. ad euitanda*. Hinc enim sic argumentamur. sacris interesse mysteriis, Missæ sacrificium audire excommunicatus non potest, eo quod communibus illum suffragiis priuat Ecclesia, reddendo eum ad illa participanda inhabilem, ergo pro eo etiā tolerato hæc offerri missaque licitè nequeunt ex intentione Ecclesiæ.

Contraria sententia defensores habet Nauar. *Enchirid. cap*.27. *num*.36. Portelium *parte* 3. *casuum casu* 10. qui ambo tradunt pro eo orari posse publicè, quia etsi excommunicationem publicè incurrerit, non tamen fuit nominatim denunciatus excommunicatus, quia mortuos, eorumque congressum defugere non tenemur, quibus cum viuerent, familiariter vti fas erat, at communicare cum excommunicato tolerato, fideli cuilibet est licitum, tam in temporalibus, quam spiritualibus: ergo.

Est hæc sententia, authorum fide qui eam tuentur ac propugnant probabilis, nostra tamen est in praxi præferenda, vt tutior quare.

Dico secundò, *Excommunicato cuilibet etiam tolerato, nec denunciato, citra scandali aut moralis necessitatis tempora, prohibitum esse coire societatem consilij, tam in humanis, quam diuinis, cum fideli vllo, proindeque sine peccato, sacrosancto Missæ sacrificio interesse eum non posse.* Ita authores citandi postea cum agetur de effectis excommunicationis.

Probatur quod vitare fidelium commercia, cœtusque excommunicatum oporteat, pœna est peccati, ab eo admissi, at non minus eo attinentur occultus, ac toleratus, quam qui à superiore in publico hominum cœtu nominatim est de superiore loco fulminatus: ergo vt huic, commune nobiscum esse nihil potest, ita nec illis.

Secundo, per Extrauagant. Mart. V. in Constantiensi, cui est initium *ad euitanda*, excommunicatis nihil accessit opis, auxiliique, sed tantum fidelibus, ergo qua lege singulis, olim vitandi fideles erant, ita & sunt hoc tempore. Ita patet argumenti allati maiorem stabilem non satis esse veramque, ac proinde negandam,

QVÆSTIO

QVÆSTIO XVIII.

An excommunicatio lata à Iulio II. Pio IV. Gregorio XIII. Clem. VIII. contra Monomachos latæ sit sententiæ, ac reseruata Pontifici.

CONtra pugiles, diuersa diuersorum Pontificum decreta extant, omnium antiquissimum est Iulii II. in quo anno 1509. cùm pugnantes, tum eos dominos qui locum ad pugnandum annuunt excommunicatione ferit latæ sententię, mulcta insuper quatuor millium ducatorum pro prima vice, & priuatione feudi pro alia, verum nec hæc excommunicatio vlli reseruatur, nec ea alij coercentur, quam qui S.R. Ecclesiæ mediate vel immediate sunt subiecti. Cherubinus *tomo 1. compendij Bullarij bulla 19.*

Dixi *Antiquissimum* nam etsi essent hæ pugnæ singulares, tam iure ciuili quam canonico prohibitæ, vt est *in cap. 1. de purgat. vulgari.* & *lib. 1. Cod. de Gladiatorib.* iureque diuino vt ostendit Lancelotus *in suo templo Iudic. lib. 1. cap. 1. parag. 7. num. 7.* non tamen constitutione vlla Pontificum, ac cum ea adiectione pœnarum quibus hæc priuata certamina, extra belli iusti tempora puniri est certum.

Scripsere in eandem sententiam, & alii Pótifices: de quibus postea, fuere seueriores cæteris Pius IV. Clemens VIII & Gregorius XIII. primum enim priorum Pontificum contra monomachiam leges latas, fixas esse volunt & ratas, deinde nouas sceleri pœnas adiiciunt, tertio eas vbique terrarum valere iubent, quarto excõmunicatione affici volunt hos omnes *pugnantes prouocantes fauentes, spectantes, certantes consulentes, comitiuam,* verba sunt piæ sanctionis, *præstantes, locum certamini tribuentes, modo ne sint Imperatores aut Reges*, quinto pœnam hanc quoque pertinere ad eos vult Clemens, qui scripta exarant, aut exarata euulgant, quæ manifesta nominant, verba sunt hæc legis. *Qui aliis ad singulare certamen publice, vel occulte ineundum, vel ad prouocandum aliquem ad pugnam, siue ad huius generis scripta, quæ manifesta, quæque chartulæ prouocatoriæ appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, diuulganda, auxilium, consilium, operam, vel fauorem præstiterint, siue id suaserint, siue mandauerint &c.* hic iam ergo quæritur an horum trium Pontificum animaduersio, sit in omnes, qui in sese inuicem infesto incurrunt ense, etiam si non ex condicto.

Secundo, *An solius sit Pontificis à censura* A *incursa absolutio.*

De quæstione prima, est inter Doctores altercatio, Comitolo placet *lib. responsion. 6. q. 14.* duella quacunque ineantur ratione, à Clemente VIII. punita esse, quia hoc spectasse constitutione sua videtur incredibili sapientia Pontifex: à Christianorum finibus cladem vt hanc singularis certaminis, animorum certam, ac pręsentem perniciem procul pelleret, quod non esset assecutus, nisi omnem pugnæ speciem, modumque, Christianis voluisset esse prohibitum.

B Flauio Cherubino *tomo 3. compendij Bullarij in explanatione Bullæ Clement. VIII. 11. scholio 1. secus visum*, ibi enim negatiue respondet ad quæstionem, quæ non est in hac materia infrequens, nempe, *ecquid si incontinenti orta inter aliquos rixa, vnus alterum iracundia motus, ad dimicandum in certo loco inuitet, & incontinenti ibi dimicent*, ambo in excommunicationem incidant, censet ergo excommunicationi subiiciendos omnes non videri, qui tam lacessiti, quam volentes, inter se dimicant, pugnamque capessunt soli.

C Stant ab eius partibus *Ioseph. Ludouicus decis. Lucen. 11. num. 11.* Farinacius *q. 119. num. 24. & consil. 9. nu. 33.* Thuscus *in verbo duellum conclus. 605. num. 17* Franc. Suarez *in Enchirid. casuum conscient. lib. 7. verbo duellum,* Riccius *in praxi to. 3. resol. 5.*

Opinionis huius præsidium est vnicum, quod in Clem. & Greg. legem duella prohibentem non incurrant: exigit enim vterque ea ex condicto fieri, cum assignatione loci & temporis, sic enim Gregorius, *statuimus primo illos qui ex condicto statuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiserunt &c.* D at quæ præcoci subitoque fiunt impetu, ac ira, hæc non fiunt *ex condicto.* Condicere enim, est diem, locumque communi consensu constituere, quo quid fiat, sic Cicero condicere cœnam alicui, pro indicere, & denunciare se affuturum, *Crassus*, inquit ille in epist. ad Lentulum, *vt quasi testata esset populo Rom. nostra gratia, pene à meis laribus est in prouinciam profectus, nam cum mihi condixisset, cœnauit apud me*, quo in significatu Sueton. *in Tiberio & Claudio libidinoso ac prodigo seni, ea lege cœnam condixit, ne quid ex consuetudine immutaret, aut demeret*, ergo cum ira, E furorque vehemens deliberationem perfectam adimant, quã tamen *condictum* exigit, arma lacessitus quisquis capit, temereque ac sine consilio prouocanti ad pugnam se sistit, quæ tamen certo tempore, & loco ad eam capessendam caret, hic *ex condicto* in arenã, prælium que non venit. pœnam ergo à Clemente Monomachis constitutam proprie non subit.

Argumento respondendum, optasse quidem Pontificem à Christianorum cœtu singulares pugnas auertere, non tamen aliam quam quæ circunstantiis notata esset loci, temporis & modi, idque ambos, Pontific. Clement. & Gregor. innuere voluisse duplici hac voce *ex composito, ex condicto*, quas cum ira respuat, quisquis ea possessus, ad arma illico ac sine mora veniet, in pœnam vtraque bulla constitutam non incidet.

Quæstio fuit altera, *An quæ dimicationi singulari excommunicatio, legibus est Pontificiis adiuncta, sic sit ei reseruata, vt cuilibet alteri eius remissio interdicta censeri debeat ac vetita.*

Et mihi quidem ea de re cogitanti, quæ sequuntur, speciem videntur habere veri.

Primum pœnis subiici, quibus affici duellantes voluere Gregor. & Clemens, qui certo loco, ac tempore designato, ad pugnam singularem, quamuis solemnitate alia nulla adhibita, inuitati veniunt, Sanch. *lib. 2. moral. cap. 39. num* 28. Delrius *disquisition. magicar. lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 4 *sect.* 2. *num.* 16.

Secundum ea pœna coerceri, (nisi eius forsitan, legisque illam imponentis, ignorantia excusentur,) qui adhæc verba alterutrius è duobus, *veni, tali te loco certaturus expecto* in arma ruunt, ad locum certamini destinatum abeunt.

Causa est, quod quæ inter eos pugna suscipitur, proprie fit duellum, fit enim ex pacto inter eos inito, proindeque ex condicto: nam hoc nomine pactum circa locum, & tempus designari, bonorum est authorum opinio, eos autem condicere vel hinc patet, quod locum, tempusque præsens denotent, illudque acceptent, peræque ac facerent futurum: legis ergo violatæ quæ duella prohibet propriè sunt rei, proindeque à censura non liberi, Delrius *disquisit. magic. lib.* 4. *cap.* 4. *sect.* 2. Bonacin. *to* 3. *excomm. extra bullam cœnæ disp.* 2. *q.* 3. *pun.* 48. *num.* 7.

Tertium & mihi quoque perquam est probabile, pœnas tam temporales, quam spirituales, ab excõmunicatione, loci interdicto vbi est duellum commissum, diuersas, vt sunt priuatio beneficiorum, & dignitatum Ecclesiasticarum, si personæ duellantes Ecclesiasticæ fuerint, ac inhabilitas tam ad prædicta beneficia, quam alia obtinenda postea, iudicis sententiam exigere.

Ratio est, quod quæ pœnæ iure acquisito priuant, hæ subiri ante sententiam iudicis, declaratoriam criminis, ob quod incurruntur, nec soleant, nec debeant. Filliuc. *tract.* 29. *cap.* 9. *num.* 178. Suar. *to.* 5. *de censur. disput.* 40 *sect.* 2. Fagund. *lib.* 5. *in decal. cap.* 8. *num.* 9. & 51. cum is ergo qui contra Clementis le-

A gem pugnam est ingressus, beneficii possessor esset, eo non nisi per iudicis sententiam excidet, quod erat probandum.

Quarto, & hoc verisimile iudico *Septentrionales*, verba sunt Laymanni *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *cap.* 5.) *seu ob ignorantiam, seu quia constitutiones illæ Pontific. secundum hunc sensum promulgata, & in vsum deductæ non sunt, à censura excusatos videri.*

Quintum addo quibus in locis Clement. & Gregor. diplomata vim habent, Religiosos vi suorum priuilegiorum, à censura ob

B duellum incursa posse absoluere.

Primo, quia id eos Clem. non prohibet facere, nisi prætextu priuilegii alicuius sui, aut indulti, at qui eius vi, ac virtute, secundum quod est receptum absoluit, id facit vi priuilegii sui, & non prætextu, vera est ergo &c.

Secundo, concessa regularibus priuilegia dicuntur à Paulo eius nominis V. innouata fuisse, hoc est de nouo concessa: hanc enim isti voci notionem subiectam esse probant dicunt authores, ergo vt ante sic & modo,

C in Priuilegiatorum est iure, excommunicationis ob duellum incursæ remissio, ita Hurtado *disp.* 29. *de peccat. difficult* 30. Bonac. *to.* 3. *disp.* 11. *q* 3 *punct.* 40.

Sexto dico, cum duellum est occultum, nec ad forum contentiosum deductum, à censura quam inducit, absoluere Episcopos, posse vi potestatis sibi ad hoc concessæ à Concil. *sess.* 24. *cap.* 6. ita Hurtado *de peccatis diff.* 30. Fagund. *lib.* 5. *cap* 8 *num.* 5 quia priuilegia quæ sunt in iure inserta, per clausulam

D generalem reuocari non censentur, nisi de iis fiat specialis mentio, Peregrinus *q.* 37. *num.* 3. Sanchez 3. *de matrim. disp.* 36. at de Concil. mirum est in diplomatis Clem. & Greg. silentium, ergo &c.

QVÆSTIO XIX.

An qui occisi in duello funus insequitur, aut pro eo orat, peccare ac censuram incurrere sit censendus.

E CAsus est eiusmodi, ex condicto cum in arenam descendisset, singulari certamine cum hoste pugnaturus, vir nobilis, ab eodem, tertia impressione transfixus, fœde interiit, nec mora, elatus, ac amicorum stipante turba, à Clericis est, antequam res manaret ad Principem qui id impedisset, loco sacro sepultus, nec id modo, sed eius quoque defuncti Manibus, publica prece, ac sacrificiis tam Clerici, quam eius propinqui cœleste numen propitiauere, quæritur, an

an vtrumque sit à Clericis cum culpa ex censura factum.

Dubitandi hæc vna est causa quod in Monomachos excõmunicationem dictam esse constet à Pontificibus Iulio II. in quadam sua constitutione, quæ incipit *Regis pacifici* in qua tam pugnãtes, quã eos dominos qui locum ad pugnandum concedunt, excõmunicatione latæ sententiæ innodat à Leone itẽ X. in bulla cui initium, *tam Deo quam hominibus* Clemente VII. in constitutione inchoata his verbis: *Consueuit Romanus Pontifex,* Pio IV qui superioribus seuerior excommunicatione sibi reseruata (quod illi non fecerant) in prouinciis sanctæ sedi subiectis afficit, prouocantes, tentantes, ad id locum concedentes, ad pugnam comitantes, chartas duelli subscribentes, affigentes, publicantes, astantes, certantes, adhærentes, fautores, consulentes.

Quam quoque pœnam vt quæstione præcedenti diximus, suis diplomatibus confirmauere consecutis annis Gregor. quidem XIII. anno 1582. sanctione quæ incipit *ad tollendum*, Clemens autem VIII. anno 1592. speciali ea de re diplomate, cuius præcipua sibi capita explicanda sumpsit Flauius Cherubin. *tom. 3. comment. in constitut.* 11. quare cum optimo cuique nihil esse possit per leges Ecclesiasticas cum excommunicatis, in vita, victu, negociis, ac precibus commune, vt est in *cap. à nobis, cap. sacris de sententia excommunicationis in Arausicano* 1. *can.* 11. *Turonen.* 2. *cap.* 1. *&* 8. *&* 11. *q.* 3 per multos canones, venit in mentem ambigere, ecquid ob violatas has leges, in excommunicationis sese vincula induerint Clerici, ac propinqui, quibus extrema, idest funebria officia exhibere mortuo placuit.

Quid sentire quemque sit necesse, paucis explicandum videtur, & quoniam locus est lubricus, est hæc qualiscunque nostra responsio, prius enunciatis quibusdam fulcienda.

Primum, legem vim in populo, stabilem nullam ac firmam habere, quæ moribus vtentium non sit recepta, secundum Gratian. *can. in istis dist.* 4. Archidiaconum & Turrecrem ibidem *art.* 2. Enimuero vt commune habet iurisperitorum axioma, tum instituuntur leges, cum promulgantur, firmantur, cum suscipiuntur moribus. Nec est alia, ad manum paratior ratio, qua se prouinciæ, regna nationes, à peccato eximant, violatione canonum, quam eorum antiquo non vsu, nec pugnat cum primo hoc nostro enunciato veritas.

Equidem Theologi & Iurisconsulti fateri coguntur, non maiorem vim & potestatem esse legum, quas condit Princeps, quam principis, neque huius maiorem, quam velint ij, à quibus eligitur, & in quem suam transferunt potestatem, sed populus cum principem creat, & potestate instruit, non vult valere eius scita, legesque, nisi cum populo eas recipere, ac probare est visum, sic Nauarrus *Enchirid* 23. *nu.* 41. *Dixi receptam,* inquit, *quia antequam recipiatur, saltem per maiorem partem Vniuersitatis, cuius pars est transgressor, non ligat, quoniam promulgari videtur, cum conditione, si recipiatur, saltem per maiorem partem.*

Secundum enunciatum, lex lata populum non stringit à quo est reiecta, aut quæ non est promulgata à Principe, est de hoc genere atq; his verbis præscripta, à Iustiniano sẽtentia *l. de quibus ff. de legibus Ipsæ leges, nulla alia de causa non tenent, quam quod iudicio populi non fuere receptæ*, hunc sequuntur ẽ Theologis Maior *in* 4. *dist.* 15. *q.* 4. Driedo *de liber. Christiana cap.* 9. *documento* 2. Armilla *verbo lex n.* 11. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 4. *quæst.* 1. *num.* 3 Henriq. *lib.* 7. *cap.* 20. Flamin. *de confidentia quæst* 11. *n.* 19. *&* 18. Omnium hæc est vnica ratio quod ad ferendam legem, sint in Legislatore ambæ hæ res necessariæ, potestas ac eius sciscendæ voluntas, cum obligatione futura in plebe ei obsequendi, quorum alterum cum deest, legem quoque oportet inanem esse ac nullam nam quis iuste agi aliquid imperet? aut ab operando populum efficaciter cohibeat, nisi qui ad id potestatem sit nactus idoneam? qua ij soli sunt præditi, qui ad gubernacula reipubl. sedent cum imperio, Iura autem ipsa quam habitura sunt perennitatem, nisi ab iis Reges, aut Respubl. velint certum esse modum præfixum populo, quem hic in agendo sequatur? legis enim anima Legislatoris est intentio, cum ab intellectu manare nulla possit operandi necessitas, sed à voluntate, cuius est eam afferre, ac in obiecto ponere, si qua forte carebat antea, pro exemplo sit, quod in materia iustitiæ, voluntas Principis faciat, vt res tanti valeat, & non pluris, in materia temperantiæ, vt hic & nunc, cibis sit abstinendum vetitis, hæc ergo duo ad legem concurrere in Legislatore est necesse, potestatem, & intentionem obligandi, sed in Principe, aut Rege, non est potestas, ad obligandum populum per legem, nisi eam ipsemet acceptet, cuius rei est hæc ratio, quod hic illã à se in eum, non nisi sub hac conditione transtulerit, quod illius legibus non obligaretur, nisi in eas consentiret per acceptationem, vt Romanorum factum indicat, quibus tantum annuentibus, valebant leges quæ ideo rogationes dictæ, quod à Tri-

buno rogaretur populus, eas vt ratas esse vellet.

Et quanquam hæc, in Pontificum legibus ratio non subsistat, vt qui Deo soli acceptam suam authoritatem debeat, non plebi, quia tamen deest altera conditio obligandi, scilicet intentio id faciendi antequam lex acceptetur, certum mihi prope est, vim nullam Pontificis esse legibus, ante earum acceptationem à populo, quia conditio cum qua illi proponuntur, non est impleta: ergo nec voluntas eiusmodi est in legislatore, qualem esse est necesse, ad plenam operandi necessitatem inferendi populo.

Quod autem Pontifex pro reliqua sua caritate, ac beneficentia, in subiectas sibi gentes, nolit independenter ab earum acceptatione illas obligare per suam legem, docent Nauar. *in summa cap. 23. num.* 41. Gers. *to.3.tract. de Vita Episcopali lect.* 4. Driedo *de libert. Christiana lib.1. cap.9.* & indicat petita tam à facti æquitate ratio, quam Pontificum benigna indole, nec enim est credibile eos velle motus ciere in populo, aut id haberi pro lege, cui non conuenit legis notio, at vtrumque velle Pontifices est necesse, si ad obligandum per legem, eorum voluntas non dicit ordinem ad populi acceptationē & consensum. Et quidem tumultibus plena futura sunt omnia, nam (vt est populus, recti indocilis) ferre non satis æquo poterit animo, vim sibi repugnanti per legem inferri, nec tum est lex futura, cùm communitati poni debeat, vt sit ei loco regulæ, ad quam opera sua vitamque componat, at repudiata à populo, eiusque parte maiori, communis non erit operum regula, hæc ergo bina incommoda nasci oportet, si non est voluntas Pontificum in ferenda lege, ordinata ad consensum populi, eiusque approbationem, his ita præsuppositis.

Dico primo, *Quibus in locis, authoritatem habent diplomata Pij. IV. & Clem. VIII. Pontificum, nec fas esse in missa orare publice, pro occiso in duello, nec extrema ei reddere officia, quæ sunt mortuo exhiberi à superstitibus solita, insequutione videlicet funeris, aut pompæ funebris apparatu.* Ita Couarr. *in can. alma mater parte 1. parag. 9. num.* 4. Stephan. de Auila 2. *parte cap.6. dist.9. dub.6.* Sotus *in* 4. *dist.22. q.1. art.4.* Suarez *disp. 9. sectione 2. num.17.* *Præpositus de excomm. qu. 2. dub. 6. num.* 35. qui omnes missam ac communia Ecclesiæ suffragia, neganda asserunt excommunicato, etiam non denunciato & tolerato.

Probatur, oratione publica pro eo orari non debet, qui animam efflauit probabiliter in peccato mortali, vt est *in cap. fures 2. de furtis*, at occiso in duello spes salutis vlla, quę

A potest esse reliqua? quæ innocentiæ seruatæ verisimilitudo?

Confirmatur, contra mandatum Ecclesiæ facere, nunquam extra necessitatem extremam est licitum, at prohibet Ecclesia, ne excommunicati cuiusquemodi, etiam tolerati, quo de genere sunt monomachi, in communionem bonorum suorum veniant, publicaque eis suffragia applicentur, vt sunt fructus horarum canonicarum, ac precum, quę in Missæ sacrificio fiunt, ergo nefas.

Quod autem ea sit mens Ecclesiæ, patet
B ex eo quod hæc *in Extrau. sua ad euitanda*, patrocinari noluerit excommunicatis, quod faceret tamen, si esse hi possent suorum bonorum participes.

Secundo, si pro iis publice orari potest, licet & sacrificium offerre, quod pietas audire horret.

Tertio, occisis ab hoste in singulari certamine, Ecclesiastica sepultura est neganda Trident. *sess.* 25 *cap,* 19. Clemens *in sua constitut. de duello*, sed sepultura Ecclesiastica, vt pote à profana distincta, non fit sine preci-
C bus & cantu, Clericisque funus insequentibus, his ergo pro defuncto in duello orare publicè est illicitum.

Contraria sententia est Nauarr. *cap.27. Enchirid. num.* 36. pro qua est hoc argumentum quod à temporibus *Constantiensis* Concilij, fas sit Catholico cuique familiariter ac liberè cum excommunicato tolerato agere.

Sed in promptu est responsio, verum id esse, dummodo sit hæc eius communicatio
D cum præciso, communicanti vtilis, excommunicato nullo modo, eo quod mentis non fuit Patrum in Concilio, isti patrocinari ac prodesse, vt fieret, si pro eo supplicare Deo publice fas foret, spectat enim oratio, spiritale eius pro quo fit commodum, quod & promouet facta vt oportet, ab ea ergo abstinendum Clericis, ab ea propinquis palam & publice temperandum.

Quid si nihilominus incumbant in preces?

Mortuo nihil sunt allaturæ commodi quod enim hæ, suffragiaque prosint fideli-
E bus, id totum ex Ecclesiæ voluntate oritur, ergo si hęc ex iis cōmodum peruenire nullum velit ad excommunicatum earundem applicatione per ministrum benefica, quid consequetur hic boni, quid vtilitatis ad æterna beatæ vitæ gaudia?

Anteced. est certum, nam priuata suffragia à communibus hoc solo nomine differunt, quod hæc priuati sint cuiuslibet, illa Ecclesię, ergo vt illorum nemo potest esse particeps, sine voluntate eius ad quem pertinent,

nent, ita nec istorum repugnante Ecclesia.

Consequentia probatur, Bona spiritalia Ecclesiæ quemadmodum & alia quælibet cuiusuis hominis, vtilia esse nulli possunt, nisi ei applicata: ergo cum applicari nequeant nisi de eius consensu: est enim applicatio, donatio quædam, cui vis nulla est, nisi à voluntate donantis, si iis Ecclesia priuatos esse excommunicatos etiam toleratos velit, quo de genere sunt omnes qui singulari certamine diem suum obeunt, hæc illis, quamlibet minister velit ac tentet, applicari cum fructu non poterunt.

Confirm. si excommunicatus toleratus, bonorum communium Ecclesiæ partem aliquam habere, ministri voluntate benefica, posset, excommunicationis vis est nulla, cum eius quæ maior dicitur, præcipua ratio in hoc consistat, quod ita monomachum excommunicatum ab Ecclesia præscindat, vt eius non sit membrum, quoad participationem bonorum communium illius, ex Suar. *de censur. tom. 5. disput. 9. sect. 2. num. 17.* At excommunicationis iustæ, ab eo scilicet in nocentem illatæ, qui potest, vt est Pontifex, & ob peccatum lethale, vim nullam esse, quis credat? Nequit ergo ministri beneficentia, in communionem precum, communiumque bonorum Ecclesiæ vocari pugil, vbi quæ in eum est à Pontificibus dicta excommunicationis sententia, Principum ac populi voluntate est recepta.

Dico secundò, *Qui precibus aut sepultura monomachos impertiunt, nusquam locorum excommunicatos esse.*

Causa est, quod Ecclesiastica vincula, nullum stringant, ob sui cum præciso consortium, nisi de nomine, publicaque omnium, aut maioris partis ciuium conscientia sit talis, vt ex decreto PP. in Constantiensi Concil. Doctores colligunt, quibus hoc statuere est visum ad communem salutem, in *Extrauag. ad euitanda*, nemo vt deinceps teneatur, aliquem ratione alicuius sententiæ, vel censuræ, vitare in Sacramentorum receptione, vel administratione, vel aliis rebus externis, nisi hæc in eum specialiter sit publicata, aut denunciata, vel nisi pro sacrilega manuum in Clericum iniectione, eum sententiã latam à canone, adeo notorie constiterit incurrisse, vt nulla possit tergiuersatione celari. At nec è superiori loco, vnquam dicta est excommunicationis sententia in monomachum, nec eundem inuisum esse Ecclesiæ, Deo, & hominibus constitit, vllo superioris decreto, cuius exemplar, è templi valuis, aut fori publici columnis, pendens, populo notum fuerit, ergo quæ per preces

A aut sepulturam, intercedit cum eo communicatio, excommunicationi ac censuræ non cohæret.

Addo amplius, nullibi ne quidem iis in locis, vbi sunt Pontificum promulgata diplomata, videri vetitum in conflictu singulari mortuum mandare terræ, antequam id iudicis mandata vetent, quia vt est in quæst. proxime præcedenti dictum, pœnæ quæ iure acquisito hominem exuunt, incurri non solent ante sententiam iudicis, declaratoriam criminis ob quod subiri debent, Sanch.

B *tom. 1 in Decal. lib. 2. cap 39. & 7. de matrim. disp. 13.* Filliuc, *tract. 29. cap. 9. num. 178.* at fidelibus, hoc ipso quod eos Christus Dominus per baptismum in familiam asciuit suam, ius ad sepulturam Ecclesiasticam competit, quo priuari sine culpa aliqua sua, non patitur æquitas, dum ergo è tribunali iudex non loquitur, dum ab occiso pœnas non repetit, in tumulum illum maiorum inferri, consciẽtiæ saluo, incolumiq; iure nihil vetat.

Secus quam nos Bonacina sentit *to. 3. disp. 2. puncto 48. num. 22.* quod existimet pœnas

C Ecclesiasticas quæ in priuatione sunt positæ, ipso facto, admissoque incurri crimine.

Ab eo præter citatos dissentiunt Peregrin. *q. 3.* Hurtado *de peccatis diffic. 30. §. circa dictum*, Stephan. de Auila *2. parte cap. 6. disp. 9. dub 6.* his verbis: *Per hæc patet quod non licet sepelire in loco sacro excommunicatum toleratum, antequam absoluatur: nam hoc directè cederet in fauorem, & maximum honorem ipsius excommunicati.*

Sed nostram sententiam tenent Fagund. *in Decalog. lib. 5. cap. 8 n. 9.* Nauar. *c 27. En-*

D *chirid. num. 36. Nunc*, inquit id est post Constant. Concil. *non negatur sepultura iis, qui excommunicati moriuntur, nisi sint denunciati.*

Confirm. quibuscum dum viuerent, agere Catholico licuit, licet & cum mortuis, vt est commune Theologorum axioma, sed cum tolerato ab Ecclesia, congredi licet: ergo &c.

Dico tertiò, *Qui reos violatæ legis Ecclesiasticæ de monomachia, terræ in Francia mandant cum apparatu Ecclesiæ consueto, aut fato functos, Deo publicè in sacrosancto Missæ sacrificio*

E *commendant, nulla, citra scandalum, aut prohibitionem Episcoporum, culpa se impiant.*

Probatur, si quam admitterent, ei haud dubie initium esset à violatione legis Ecclesiasticæ de pugilibus, vt viuis, sic mortuis auersandis ob censuram, in cuius se laqueos pugnando induêre, vel certe quia perquam est turpe, pro eo, quem mors deprehendit in mortali scelere, preces fundere. At vt est hoc postremũ ambiguum (nam momenta temporum, quis nouit? Quis animæ ad

Deum redeuntis ſubitos motus? quis de admiſſis pœnitentiæ, ſalutares aculeos? quis inſtinctus) ita certum eſt alterum, leges de monomachia Pontificias in Gallia eſſe incognitas. Sint hæc indicio.

Primò, quod in vrbem, abſolutionis impetrandæ cauſa, pugiles non mittantur.

Exinde quod eorũ attactu cũ ſunt mortui, quaſi in peſtifera contage, nec homines, nec religioſæ, Deoque ſacratæ ædes, cum in eas ſunt illati, cenſeantur pollui.

Tertiò, quod palam, ac in omnium oculis, mortui tam ſuis, id eſt gentilibus, quam alienis tumulis ſoleant inferri, Epiſcoporum miro ſilentio, niſi cum id ipſi lege prohibuere Synodi, ergo cum lex quæ promulgata, aut recepta non eſt, obligandi facultate careat, vt ſunt omnes de monomachis in Gallia, non erit earum tranſgreſſio, prout ſunt leges quædam Eccleſiæ, lethaliter culpabilis, nec proinde rei ſceleris, ſunt futuri, qui, quod eſt Romæ, aut in Italia prohibitum, eiuſmodi homines honore ſepulturæ dignabuntur, aut precum, Portelius *part.* 3. *caſu* 10. *concl. Vlt. num.* 3.

Dicat aliquis quî vero conſtat, & vnde, citatas bullas, hic omni vi, roboreque deſtitutas, ob earum non receptionem in Gallia.

Primò, quia incertum eſt, an vnquam populo ſpectandæ præſtiterint, aut ei ab Epiſcopis, aut aliis eorundem imperio ſignificatæ fuerint.

Secundò, quia earum nullus eſt aut fuit hactenus vſus toto regno: quæro enim, quando, & vbi dictum aut auditum ſit vnquam hic (hoc eſt Pariſiis) aut vicinis circa oppidis, exhumata defunctorum in duello corpora? quando reconciliatæ Eccleſiæ? quando cœmeteria? quæ eorum fuiſſent polluta attactu, vt fieri debuiſſet haud dubiè, ſi de monomachis ſcriptæ leges à Põtificibus, vigerẽt in Gallia? quare quod de Germania ſcripſit Laym. *l.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *c.* 5. *n.* 4. dici poteſt pariter de aliis prouinciis, *ac Septentrionales* (verba ſunt eius) *ſeu ob ignorantiam, ſeu quia conſtitutiones illæ ſecundum hunc ſenſum promulgatæ, & in vſum deductæ non ſunt, à cenſura excuſari.*

QVÆSTIO XX.

A quo excommunicationes ab homine profectæ in hominem, abſolui debeant.

PRima aſſertio, *Eius eſt duntaxat, qui excommunicationem nominatim in hominem, dixit, illam tollere, non alterius, niſi ſit eius ſuperior ſucceſſor aut delegatus.*

Aſſertioni fides eſt primò, à decretalibus epiſtolis Innoc. III. in *cap. per tuas* 49. & *can. ſacro* 48. *de ſent. cap. prudentiam paragr. ſexto de officio iudicis delegati cap. ad reprimendam, cap. paſtoralis parag. præterea de offic. ordinarij can.* 47. *Concil. Nic. can.* 16. *Concil. Carth.* 6. *Antiocheni* 6.

Secundò, fides eſt eidem à ratione, quia *eiuſdem eſt ſoluere, & ligare*, & vt dicitur in *can. Verbum de pœnit. diſt.* 1. *par eſt ius ſoluendi, & ligandi*, quibus verbis innuitur quod ſolutio, coercitioque, communiter ad eundem pertineant, dummodo duret in eo iuriſdictio, ſecus ſi ſit extincta per depoſitionẽ, aut impedita per excommunicationem, aut cenſuram aliam, vel tempus quo abſolui debebat ſit finitum, vt in iudice delegato, iuxta *cap. quærenti de offic. delegati*, ſi horum nihil interuenit, ab eo ſolo qui illius eſt author, vel eius ſuperiore, aut ſucceſſore. excommunicatio remitti poterit.

Epiſcopis quidem facere id ne audeant, prohibet Concil. Sardicenſe *can.* 16. his verbis: *Si quis Clericorum, ab Epiſcopo ſuo fuerit communione priuatus, & ad alterum perrexerit Epiſcopum, & ſcierit ille, ad quem confugerit, eum ab Epiſcopo ſuo fuiſſe abiectum, non oportet vt ei communionem indulgeat, quod ſi fecerit, ſciat ſe cõuocatis Epiſcopis cauſam eſſe dicturum*, & *can.* 17. *eum qui fuit à communione ſeparatus, nullus alius debet præſumere vt recipiat, & communioni ſociet*, quorum ſunt hæc quam ſimillima, quæ tomo 2. Concil. habentur ſub finem Concil Arauſicani primi: *Nullus Epiſcopus, alterius Parrochianum excommunicare, vel reconciliare præſumat, ſine conſenſu, vel conſcientia proprij Epiſcopi*, quod facere cum tentauiſſet Dioſcorus Alexandrinus, iure notatus eſt à Patribus Chalcedonenſis Cõcilij quorum eſt, hæc aduerſus illũ oratio, ad Imperatores Valentinianum & Martianum: *Adhuc & quoſdã à diuerſis Conciliis rite damnatos, in communionem propria authoritate ſuſcepit, ſanctis regulis præcipientibus, excõmunicatos ab aliis, in communionem alios non debere ſuſcipere.* Hęc Patres, quorũ quam ſimillima ſunt iſta ex Concil. Carthagin. *can.* 9. *Si quis Epiſcopus*

pus vel Presbyter velit recipere eos qui pro criminum suorum meritis Ecclesia sunt eiecti, ipse æquali crimini obnoxius videbitur.

Excipit Concil. Agathense 1. *can.* 3. casum in quo excõmunicatus, innocens esset, aut non nisi ex leui minimaque causa culpabilis, nã tunc Episcopo proprio eum absoluere renuente, vicini illum Antistites admittere ad communionem possunt, isque maxime qui ei in Episcopatu successit, Epaun. Concil. canone 28. in hæc verba: *Si Episcopus, ante damnati absolutionem obitu rapiatur, correctum aut pœnitentem licebit absoluere*, ratioque est aperta, Qui succedit alteri, hominum est opinione iurisque interpretatione communi idem cum præcessore suo moraliter.

Nec is modo, qui in defuncti locum est subrogatus, sed & Capitulum sede vacante censuris ab eo positis cum fructu eximit, *ca. si Episcopus* 3. *de supplenda negligentia in* 6. ibi enim sancit Bonif. VIII. *Vt si Episcopus à Paganis aut Schismaticis capiatur, non Archiepiscopus sed Capitulum, ac si sedes per mortem vacaret, illius in temporalibus & spiritualibus Vicarius ministrare debebit*, hinc enim sequitur quod cum Episcopi defuncti potestas maneat penes Capitulum, vt ab illo, si viueret, ita & ab isto remitti censuram posse, *de maioritate in* 6. *nisi ei fuerit à sede Apostolica specialiter interdicta potestas*, ibi.

Certa tamen sunt tempora, quibus excommunicanti est interdicta absolutio vinculi, quod nexuit alteri.

Primum est cum ipsemet in excommunicationem maiorem incidit, eamque non toleratam, Nauar. *cap.* 27. *num.* 40. quia sine iurisdictione absolutio est nulla, at omni caret quem Ecclesia non tolerat, vult enim Alexand. quartus in *ca. decernimus* 8. *de sent. in* 6. vt *ab agendo, patrocinando, testificando, iudices sæculares ab Ecclesiasticis per censuram compellantur, excommunicatos repellere*, at absoluere est agere, &c. est hæc ergo actio excommunicato prohibita.

Secundum, cum authoritate Papæ, sine vlla causæ notitia excommunicatio est intentata Nauar. *cap.* 27. *num.* 44. *tunc enim exequens eius mandata non potest absoluere postquam excommunicauit* Nau. ibi.

Tertium, quando excommunicatio est ab inferiori quidẽ inflicta, sed consulto superiore, hoc est Papa, à quo etiam ex certa scientia confirmata eius sententia, quia confirmare sententiam est suo modo eam dicere, ita *c. conquest.* 22. *de sent.* Clem. III. negat in iure esse Episcopi, effractores sacrarum ædium absoluere, quando ab eo, aut alio quopiam, eius imperio dicta est in eos excommunicatio, sed ad Papam absolutionis causa

A recurrendum esse sanxit Innoc. III. in *cap. cum accessissent* 8. *de constitut.* dignitatem quæ sublata est de Ecclesia decreto Capituli, quod per Papam confirmari placuit, amplius non vacare, *nisi postea ipsi canonici contrauenerint, aliquem videlicet eligendo.*

Quartum, tempus est cum excommunicatio est in incendiarium fulminata, nam eius absolutio soli est reseruata Pontifici, *cap. tua nos* 19. *de sentent.*

B Quintum ac postremum, cum qui à delegato Papæ est excommunicatus, per annum integrum, vel aliquanto amplius perseuerat in Ecclesiæ vinculis, nam vt est *in cap. querenti* 26. *de potestate & officio delegati*, authoritas excommunicantis ex commissione, anno cessante cessat, totaque ad Pontificem relabitur, *cum enim vsque ad integrum annum, iurisdictionem sibi commissam ad exequendum sententiam exercere valeat*, Innocentij concessu, in *cap. citato*, patet cum eo tempore, absoluendæ ac ferendæ censuræ potestatem finem capere.

C Quid si censura neminem in particulari notet, sed communiter omnes qui in legem peccabunt? vt si dicat legislator excommunicare se omnes, qui à beneficiis suis, sine causa aberunt?

Respondendum, eam à quolibet remitti posse, quia quæ vagè, quæ communiter ac designato nemine, excommunicatio infligitur, æquiparatur in hac parte censuræ iuris, siue statuti, secundum Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 7. Nauar. *cap.* 27. *num.* 44. at ex dictis antea excommunicationes iuris, quæ non D sunt reseruatæ, ex probabiliori sententia, à quolibet approbato absolui possunt.

Secundò, censura irrogata generaliter, sententiam iudicis, quam rescindere alius non possit quam qui tulit, proprie non continet, sed potius præceptum sub tali pœna impositum, ergo &c.

Quid? quod canones quibus vetatur absolutio censuræ, mentionem particularis casus, & hominis faciant? quod hæc non habet de qua loquimur.

Quartò, cum odia in mitiorem partem trahi oporteat, verbaque legis quæ pœnam E irrogat, proprie capi debeant, hoc est in ea notione quę illis ex hominum instituto conuenit, excommunicatio generaliter lata in fures, v. c. reseruata Episcopo non erit, si vniuersè sic concepta, non sit proprie in hominẽ. At verum est prius, quæro enim quem voces denotent? quem extra Ecclesiam, speciatim collocent *qui furatus est sit excommunicatus?* ergo non est generalis excommunicatio, de earum genere, quæ sint eius auctori reseruatæ.

Et hanc opinionem tenent Couar. in *can. alma mater* 1. *parte parag.* 12. Nauar. 27. *num.* 44. Reginaldus *lib* 9. *cap.* 2. *num.* 30. Sa *verbo absolutio ab excomm. num.* 5. Coninch. *de censuris disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 257. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 28.

Censuere tamen oppositum Suarez *disp.* 7. *sect.* 2. *n.* 22. *disp.* 19. *sect.* 2. *n.* 6. & alij apud Stephanum de Auila *loco proxime citato.*

Assertio secunda, *Superior eius qui excommunicauit, modo talis sit non dignitate tantùm, sed iurisdictione respectu personæ, & quoad causam de qua agitur, nominatim excommunicatum potest absoluere.*

Primò, quia superiori in ratione absoluendi, iure permissa sunt omnia quæ inferiori in eo genere aggredi, ac tẽtare conceditur, sine scelere, in bonũ spiritale rei, ergo Episcopo, aut Papæ, de quorum licentia, Abbas, Parochus, Archidiaconus, aut alius quispiam delegatus, Ecclesiasticam excommunicationis sententiam dixere, permissum est eam tollere, eiusque nexum cum lubet rescindere, sic Alexand. III. *in cap. cum ab Ecclesiarum* 3. *de offic. ordin.* ait conceptam à plebano S. P. in Clericos, & Laicos, excommunicationis aut interdicti pœnam, post satisfactionem parti exhibitam petitumque dicti plebani consensum relaxari per Episcopum posse *Eam*, inquit, *sine congrua satisfactione & absque eiusdem plebani consensu ac conscientia, non relaxes.*

Quid? quod Gelasius Papa 1. in libro de anathematis vinculo, quem tomo 2. Conciliorum insertum constat, in rem præsentem hæc scribat? *Inferior potiorem absoluere non potest, sola ergo sedes potior inferiorem conuenienter absoluit, proinde inferioris loci Pontifices, qui nullatenus se nouerant potiorem sibi sine prima sede se posse resoluere, præcipue quem eius sententia nouerant obligatum, præuaricatoria absolutione, non illum penitus exuerunt, sed se præuaricatione potius nexuerunt*, quæ si sunt vera dicta est causa, ius dicere inferiori superior, eiusque iudicium infringere cum laude potest, non istius ille.

Ad hæc testimonia, accedunt rationum pondera. Episcopo vt cõmuni Patri sua subest prouincia, in quam proinde pro conscientiæ foro, potest omnia, vt pote quæ diuinitus eius est commissa prouidentiæ, vt administretur & sicut expedit, est necesse 10 *q.* 1. *can. quæcunque* 50. *can. præcipimus* 24. *causa* 12. *q.* 1. Ergo si res communis, si vnius, aut plurium salus priuata exigat, acta inferioris iudicis abrogari, sententiam ab eo dictam rescindi, facient id sine culpa Episcopus & Papa, eius superiores.

Secundò, iurisdictio quæ Episcopo in Diœ-
A cesi sua conuenit, non est tam stabilis, firmaque, vt superiori, hoc est Papæ, potestatem quam in illam, adeoque Ecclesiam vniuersam nactus est cælitus, adimat, cum isti hoc est Papali, Episcopalis sit subordinata.

At Papam, vt patrem ac iudicem Ecclesia vniuersa agnoscit, cui tam in se, quam membris suis ius dicit, dare hoc ergo & Episcopo poterit, ergo & eius acta si res ferat inania, nullaque reddere, ergo & censuram vnicuipiam inflictam tollere.

Tertiò, quæ suo indulgenda subdito superior credidit, hæc in eius redundare detri-
B mentum non debent, redundarent autem, si quos inferior facultate sibi ab Episcopo, aut Pontifice demãdata vinxit, hi ab vtroq; solui, aut liberari non possent, dictã ergo ab inferiore sententiam in nocentem, ab eius superiore infirmari, nihil est quod impedit, ita Henriq. *lib.* 13. *de excommunicatione cap.* 28. *num.* 3 Præpositus *de censur. in communi. qu.* 1. *dub* 13. *num.* 86.

Id tamen tentare, ac facere superiori prohibitũ, nisi cũ circunstantiis quæ sequuntur.

Prima, vt hoc non nisi eo approbãte faciat,
C qui excommunicauit alterius nomine, aut suo, alterius quia est delegatus, proprio, occasione scilicet muneris ac officij quod in republica publicum gerit, Alexand. III. in decretali, *cum ab Ecclesiarum* 3. *de officio iudicis ordinarij*, Abbas *in cap. per tuum de sententia in* 6. Glossa *in cap. Ecclesiarum de sent. excom.*

Causa est, quod superior inferiori iura sua illibata seruare debeat, ne quid culpa sua de eius authoritate apud plebem intereat, nihil ergo eum in hac causa par est aggredi ac tentare, nisi prius eo admonito, qui excom-
D municauit.

Secunda conditio est, vt non nisi citata parte si ad eius instantiam maximè sententia in excommunicatum est dicta, & post satisfactionem, illi exhibitam, vinculis suis eximatur, *Concil. Valentin. sub Lothario habitum anno* 855. *can.* 23. collata tamen absolutio absque citatione partis, valet, quia auctoritas quę inferiori, beneficio superioris ac indulgentia competit, hunc sua, id est propria non exuit, cum sit ordinaria, ita fas est Archiepiscopo, ius dicere suffraganeo-
E rum suorum subditis.

Primò, cum ad eius tribunal appellant.

Secundò, cum eorum Diœceses ex officio visitat, quo tempore, quos hi tenent in Ecclesiæ vinculis, hoc est censuris obligatos, liberos, si patiatur æquitas, dimittere poterit; dummodo his, quorum interest excommunicationi vim suam esse, iniuria irrogetur nulla, quod fiet si antequam absoluantur, læsis illi satisfaciant.

Tertiò,

Tertiò, à censura suffraganeorum absoluit Archiepiscopus, cum isti improbe eius absolutionem differunt, aut negant.

QVÆSTIO XXI.

Quibus in casibus Episcopo absoluere à censura Papæ reseruata sit licitum.

PRimò, Episcopus tàm per se, quam Vicàrium, ad id specialiter deputatum, censuras ex delicto subditi occulto ortas relaxat, Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. Piasec. 2. *parte cap.* 1. *art.* 3. *subditum dixi*, nam alieno, id est alterius Diœcesis homini prodesse non potest. Nauar. *lib.* 1. *consil. de offic. ordin. consil.* 8. Ratio est, quod in eum iurisdictionem nullā habeat, sine qua tamen quid est absolutio?

Tunc autem delictum censetur occultum, cum non est publicum Auila 7. *parte disp.* 10 *dub.* 6. publicum non est, non tantum quod testibus probari nequit, sed quod non est notorium, manifestum, aut famosum, nam in hæc tria partitur publicum, opinione Comitoli *l.* 6. *resp. q.* 44 *n.* 2. Crimē occultum id esse alii volūt, quod non est deductū ad forum contentiosum, vel si est, non est tamen probatum, deducta enim ad tribunal forense, excipiuntur tantum in irregularitatibus, & suspensionibus, & non in excommunicationibus, aut aliis casibus Papalibus, quare antequam de irregularitate, aut suspensione sententiam iudex dixerit terminatam, in iis Episcopus dispensare nequit, sicut potest post terminatam litem, quod tum iniuria iudici nulla fiat, cum enim officio suo sit functus, eius authoritas infringi non potest, aut imminui per Episcopum eum dispensantem, quia iam est à censura absolutus. Ergo cum restrictio potestatis Episcopalis in absoluendo à censuris deductis ad forum contentiosum, tota fundetur in voluntate Concilii, à quo est hæc inducta, alienæ authoritatis conseruandæ causa. nec hæc absolutione, aut relaxatione vinculi Ecclesiastici lædi post sententiam à iudice dictam soleat, hæc ei absolutio erit concilii lege permissa.

Secundo, intelligitur delicti occulti nomine, factum quod quidem est manifestum, in ratione facti, non tamen mali, & prohibiti, cum enim eius malitia latet, factum occultum est, quà malum est, & prohibitum V. G. celebrat aliquis publice in suspensione, si non scitur quod sit suspensus, dicitur crimen eius occultum, etsi ipsa celebrandi actio, nulli non sit spectantium nota, Nau. *cap.* 27. *nu.* 255. & 241.

A Tertio, id occultum dicitur, quod nec est notorium notorietate facti, aut criminis, qualia sunt quæ excusationem aliquam habent, aut non sunt admissa à reo in iudicio, aut à iudice condemnata.

Quarto occultum est, quod non est manifestum, aut famosum, *Notorium*, inquit Luc. III. *in cap.* 7. *de cohabitat. Clericor. definitur, de quo Presbyter canonicè condemnatur, occultum quod ab Ecclesia toleratur.*

Manifesta sunt, de quibus est fama in maiori parte Ciuitatis aut Collegii, orta à scientibus; Sex, septem, & octo personæ, rem B scientes in magna ciuitate, non possunt efficere, vt hæc dicatur notoria non occulta; Portelius *ad dubia regularia verbo dispensare num.* 9. Diana *prima parte tract. de absolut.*

Secundo famosa sunt, quæ nituntur famā partis maioris ciuium; orta ex vno sciente, vel ex indiciis, aut ex præsumptionibus, illis æquipollentibus Gloss. *in can. manifesta* 2. *q.* 1. & *in ca. vestra* 7. *de cohabitatione Clericorum.*

Iam ergo dico excommunicationes ac casus omnes Papales, qui proueniunt ex delicto occulto, etsi deducti sint ad forum con-C tentiosum, posse absolui ab Episcopis, dummodo non sint probati aut publice noti, quia deducta ad forum contentiosum, excipiuntur tantùm in irregularitatibus & suspensionibus, verba ipsa indicant, *liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, exceptis deductis ad forum contentiosum dispensare.*

Secundo, remittere Episcopus potest excommunicationes natas ex leui percussione Clerici Clem. III. *in cap. peruenit* 17. *de sent. excommunicationis: De his, inquit, qui Clericis* D *non enormem, sed modicam & leuem iniuriam irrogarunt tuæ fraternitatis arbitrio ducimus committendum.*

Tertio relaxat omnes & singulas, quæ Sacerdoti inferiori soluendæ conceduntur à Papa vt Abbati, &c. nam inferioris nomine, Episcopus intelligitur, secundum Innocentium & quæ dispensatio *vel absolutio reseruata Papæ, priuilegio iuris conceditur inferiori, videtur concedi Episcopo*, Nau. *cap.* 27. *num.* 112.

E Quarto, cum excommunicatus impeditur senio, morbo, aut aliter, sedem Romanam super absolutione censuræ suæ consulere, licet Episcopo eum reconciliare, extra *de sententia excomm. cap.* 26. & *in cap. eos qui* 22. *de sent.* & extra eodem titulo *cap. ea noscitur* 13. *cap. de cætero, cap. quamuis* 5. 8. *cap. mulieres* 6. & *cap. quod his* 26.

Impeditur autem quis varie, primo ægritudine Præpositus de *censuris in communi q.* 1. *n.* 101. etiam non periculosa.

Secundo, metu mortis, subeundæ in via;

aut grauis alicuius incommodi incurrendi Nauar. *cap. 27. num. 90. parag. ad tertiam*, Auila 2. *part. cap. 7. disp. 1. dub. 6.*

Tertio, inopia, quarto ætate, vt si senex est, aut impubes, non probo tamen, quod ait Piasecius supra, huic, cum vir factus erit, absolutionis causa, adeundum esse Pontificem, cum *cap.* 58. citato eum, ab itinere in vrbem, cum adoleuerit, excuset Gregor. nonus.

Quinto, impedit sexus muliebris *cap. mulieres* 6. vniuerse quidlibet quod viri prudentis iudicio excommunicato moram proficiscendi in vrbem, facere potest Nau. *c.* 27. *num.* 88. eoque antiquior Clemens Papa tertius *cap. ea noscitur* 13. *de sententia*, libet hic eius verba ponere. *Consultationi tuæ duximus respondendum, quod mulieres, senes & valetudinarij, seu membrorum destitutionibus impediti, licet ad Apostolicam sedem non veniant, ab Episcopis valeant fidelium communioni restitui, satisfacto iuxta facultates his, quibus per eos constiterit iniurias irrogatas, si vero infirmitatis tempore, timore mortis beneficium absolutionis fuerit indultum*, iuramento præstito iniungatur iisdem, *vt postquam sanitati fuerint restituti ad Romanam Ecclesiam, vel eius Legatum accedant, mandatum Apost. super talibus recepturi*, scripserat idem Alexand. III. *in cap. de cætero* 11. *eiusdem tituli*; nisi quod legati non meminit, Idem Greg. nonus *in ca. quamuis* 58. *eiusdem.*

Quid si ante absolutionem, nuncius mitti à reo eius obtinendæ causa Romam potest? quid si coueniri Legatus à latere, loco Episcopi? quid si eorum aliquis, quibus ex priuilegio id audere, ac in Sacramento pœnitentiæ, super confessione licitum est, in bonum pœnitentium, cum admissa ab iis culpa, adnexam ei censuram dissoluere, etiamne excommunicato absolutionis impetrandæ causa, adeundus hic erit? aut sollicitandus precibus, vt potestatem suam alteri, causa sua committat? vel si est relinquendus Episcopus? adigine ad id reus debet?

Negant Henriq. *lib. 12. ca. 3. de matrim.* & *lib. 6. de pœnit. ca. 9. num. 7.* Ægidius *disp. 14. dub. 16. num.* 240. Auila *parte 2. de censuris disp. 1. dub. 6.* quia absoluendi authoritas, quæ reseruatione peccati, sublata fuerat, redit impedimento posito, vi cuius reseruans adiri non potest, absolutionis ab eo obtinendæ gratia.

Secundo, quia eius rei nulla fit in canonibus mentio.

Tertio, quia sic vix vnquam posset Episcopus absoluere à Papali censura, cum fere semper sint religiosi, qui potestate absoluendi ab excommunicationibus Papæ reseruatis, sunt prædíti.

A Quarto, quia extraordinaria potestas concessa Legato, aut Religiosis, non tollit ordinariam Episcoporum, quibus ius commune potestatem in necessitate circa censurás Papæ reseruatas tribuit, easque tollendi.

Pro opinione opposita, est hæc ratio, potestas absoluendi à censuris, iure communi facta Episcopis aut aliis, à necessitate ortum habet, at hæc cessat, cum suppetit, qui ordinaria aut delegata authoritate, absoluendi à reseruatis est instructus: ita quidem apud Ægidium *de ministro pœnitente dub. 12. num.* 90 &
B meo iudicio probabiliter quare est hæc sententia in conscientia probabilis, ac tuta.

QVÆSTIO XXII.

An vi alicuius priuilegij, Episcopus absoluere possit ab heresi.

Sermo est de priuilegio, cuius meminimus initio præcedentis quæstionis, vi cuius, concessione Trident. *sess. 24 ca. 6* licet
C Episcopis, quælibet delicta Pontifici reseruata, modo ne sint nota, sed occulta, & à subditis suis sint admissa, in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ absoluere: *Idem quoque*, inquit Concil. *& in hęresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tantum, non eorum Vicariis erit permissum.*

Quæritur ergo in præsenti, an vi huius priuilegij, Episcopus hæreticos sed incognitos, reconciliare possit Ecclesiæ. Causa dubitádi
D est, quod in Bulla cœnæ, dicatur expresse, à casibus in ea contentis, absolui posse neminem, nisi à summo Pontifice, vel alio, cui id de speciali eius mandato sit concessum, *non obstante quocunque priuilegio, vel clausula Concilij generalis*, quo præcepto verum abrogetur, ac intereat data Episcopis facultas, iam est videndum.

Prima sententia est Nauar. *ca. 27. nu.* 275. Suar. *disput. 30. de Sacram. sect. 2. num.* 11. Piasec. 2, *parte praxis ca. 1. art. 2. num.* 4. Suar. *to.* 5 *de censuris disp. 21. sect. 3. num.* 5. Comitoli *in responsionibus moralibus*, Riccij *parte 3. decisio-*
E *ne* 280. *num.* 1. Ragucij *in lucerna Parochorum qu.* 125. Fabri *de Sacramento Ordinis dub. 25. q. 1. disp. 3. ca.* 4 Floroni *de casibus reseruatis parte 1. ca. 1. parag.* 22. Torreblancæ *de magia disp. 3. ca* 10. Villalobos *par. 1. tract. 9. dub. 61. num. 1.* Tolet. *in explicatione Bullæ cœnæ excommun.* 4. post prædictæ Bullæ promulgationem id Episcopis interdictum esse, quod probant, primo responsis Gregorij XIII. Clementis VIII. Pij V. quorum meminit Genuensis in *praxi art. 67. num.* 10. Ibi enim tradit ab vtrisquo

que significatum esse, responsumque viuæ vocis oraculo, Episcopos nihil posse valide in absoluenda hæresi, sine speciali sanctæ sedis licentia, quod potestas iis olim à Tridentino concessa, iisdem sit hoc tempore per Concilium adempta, eo quod priuilegium, quod Episcopis est indultũ per Concilium, reuocatum sit à Pontificibus, ac quot annis reuocetur in bulla Cœnę Domini, vt respondit Congregatio Cardinalium, teste Genuensi loco citato, Suar. *to. 4. in tertia parte, disp. 3. sect. 2. num. 12.* Maiolo *de irregular. lib. 5. cap. 46. num. 6.* docetque Nauar. *cap. 27. num. 275.* summo pœnitentiario negatam esse à Gregor. XIII. & Pio V. facultatem absoluendi ab hæresi, nisi cum certis modificationibus.

Secunda priori opposita defensores habet hos authores Gomez in bulla Cruciatæ clausula 10. Pet. Ledesma *2. to. summæ tract. 1. cap 6. diffic. 7.* Henriq. *lib. 6. cap. 14 §. 7 litera M.* Episcopos existentes in sua Diœcesi hoc tẽpore, sicut & olim, hæreticos sibi subditos absoluere ab hæresi externa occulta posse.

Nititur primo authoritate Cardinalis Caraffæ à quo nomine Congregationis sibi Comitolus responsum esse ait, nihil per bullam derogatum esse, aut etiam derogari hoc tempore antiquis Episcoporum priuilegiis, quod & fecisse Pium quintum docet Viualdus *in explicatione bullæ num. 141.* qui in eadem est sententia *in candelabro cap. de absolutione num. 13* cum Victorello *in annotationibus ad Toletum in fine.* Sa *verbo Episcopus nu. 37.* Puteano *in secundam secundæ q. 11. art. 4. dub. 2.* Fagundez *de præceptis Ecclesiæ tract. 2. lib. 8. cap. 8. & in præcept. Decal. lib. 1. cap. 15.* Becan. *to. 2. cap. 15. de pœnis hæreticor. q. 2. num. 5. ver. 4.* Portelio *in additionib. ad dubia regularia verbo Episcopum num. 1.*

Qui omnes asserunt in iis maxime locis vbi non est inquisitio, vt hîc in Gallia, Episcopum à quacunque hæresi absoluere posse etiam in foro exteriori, si non præcise hoc nomine quod sit Episcopus, saltem ideo, quod sit inquisitor ordinarius contra hæreticos.

Probatur primo, hæc verba bullæ Cœnæ *Etiam si casus hi in genere, vel in specie, in prædictis facultatibus concedantur,* intelligi de casibus bullæ publicis, & non occultis debẽt, vt authores sunt Becanus & Fagũd. loc. citatis. At facultas Concilij loquitur de absolutione casuum occultorum, qui sunt sedi Apostolicæ reseruati, vt notant Sanchez *tomo 1. Decalogi lib. 2. ca. 11. num. 27.* Fagundez *in præceptis Decalogi lib. 1. ca. 15. num. 7.* Becan. *tom. 2. ca. 15. de pœnis hæreticorum q. 2. n. 5.*

Secundo probatur, *ex ca. 9. ad abolendam* A *extra de hæreticis,* vbi Lucius III. Clericos negat priuandos officiis, & beneficiis, *si post deprehensionem erroris, ad fidei Catholicæ vnitatem sponte recurrere, & errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis, publice cõsenserint abiurare, & satisfactionem congruam exhibere,* hinc enim sequitur, in Episcoporum potestate esse, hæreticos reconciliare Ecclesiæ, culpamque contractam condonare, idque iure communi ac canonum.

Quid? quod Episcopus inquisitor sit Ordinarius contra hæreticos, testimonio Bonifacij, *in ca. per hoc 17. de hæreticis in sexto,* sed B hic absoluit ab hæresi in vtroque foro, vt est in decretali Clementis III. *vt officium 11. de hæret. in 6.* traduntque Homobonus *in examine parte 2. tract. 11. cap. 6. q. 11.* Putean. loco citato, Garcias *de benef. to. 2. parte 2. ca. 10. n. 121.* freti his verbis quæ in citata decretali habentur, *Si aliquis ex prædictis hæretica labe primitus abiurata, redire voluerit ad Ecclesiæ vnitatem, ei iuxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium impendatis*: ergo cum per Bullam Cœnæ reuocentur priuilegia vel quæ generalis Concilii clausula continentur, C non autem quæ sunt iuris communis, vt est in Episcopo potestas absoluendi ab hæresi, & bulla Cœnæ cum clausulis illi adiectis, obesse non poterit.

Tertio, si per Bullam Cœnæ, non sunt reuocata Episcoporum priuilegia, aut verius si ius commune per eam non tollitur, vt ante, sic & modo reddere Episcopi poterunt hæreticos Ecclesiæ, per absolutionem vinculi quo tenentur, sed verum est prius, nam quod Episcopus absoluere possit ab hæresi non cognita, iuris est communis.

D Primo, quia olim ab iis est relaxata quæ erat publica, nullique non nota, testes quartadecimani quos constat Ecclesiæ reconciliatos esse à Patribus Ephesinis, *actione 6. partis 2. eius Concil.*

Quid? quod *in ca. nouerit 49. de sententia & c. ad abolendam 9. de hæreticis,* hæresis non reseruetur Papæ: sed pro eius absolutione qui à lege Diœcesanæ iurisdictionis sunt exempti, & potestati Apostolicæ subiacent, Episcoporum subire iudicium debeant, vt est in ea de- E cretali: at quæ peccata per Canonem reseruata non sunt Pontifici, hęc relaxare Episcopis est integrum ex Caiet. *verbo excommunicatio ca. 1. & ca. nuper 29. de sent. excommunicat.*

Ad ea quæ opponuntur ex responsis Pontificum, Gregor. XIII. & Pij quinti (de quibus Nauar. *ca. 27. num. 275.*) & Congregationis, dicendum est, de iis authenticè ac iuridice non constare, quantum est necesse ad spoliandos Episcopos sua possessione, & ita non obstante Bulla Cœnæ, posse eos ab

hæresi, & aliis casibus occultis Bullæ absoluere, etiam si noti sint aliquibus, modo hi maiorem Vrbis, Collegii, aut Communitatis partem non faciant: Fagundez *supra num. 9.* vt enim tales casus dicantur publici, & sic ponantur extra potestatem Episcopi.

Requiritur primo, notitia maioris partis personarum, quæ communitatem, viciniam, Collegium, aut vrbem componunt in qua sunt admissi, quare si ea decem constet hominibus, non est satis crimen esse notum quinque ex illis, sex minimùm eius habere notitiam debent.

Secundo, requiritur, vt tales casus non sint deducti ad forum contentiosum, aut si sunt, ne sint probati ab vnico saltem teste.

Tertio requiritur vt reo sit intimata delatio, seu deductio ad forum externum, si enim ei significata nõ fuerit, quantumuis crimen sit deductum ad forũ illud, & in eo aliquo modo probatum, saltem vnico teste, dicetur tamen casus occultus in ordine ad absolutionem Episcopi, & dispensationem in irregularitate, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario in qua etsi sit occulta solus Papa dispensat. De Graphiis *lib. 1. decis. c. 13. n. 32.* Auila *de censur. parte 2. ca. 7. disp. 1. dub. 11. conclus. 3* Sanch. *tom. 1. Decalog. lib. 2. ca. 11 num. 21.*

QVÆSTIO XXIII.

An cum datur plenaria indulgentia per modum Iubilæi, intelligatur data potestas absoluendi à censuris, etsi istarum, non fiat specialis in Bulla Iubilæi mentio.

NOn dari, mihi inter cætera, fit hoc nomine probabile, quod indulgentiæ, & absoluendi authoritas à censuris, sint res disparatæ, quare vnam sine alia concedi, Romanæ Ecclesię vsus habet. Equidem cum de Iubilæo quod centesimo quoque anno recurrit, sermo est in iure Canonico, censurarum nulla fit mentio, sed tantum plenissimæ peccatorum omnium veniæ, quare cum tantum Iubilæa valeant, quantum sonant, (vt aiunt) nec amplius, si hæc, censuras in Confessariorum esse iure nõ afferant, ab his pœnitentes non nisi conatu irrito liberare Confessarii tentabunt, ita Suar. *in tract. de fide disp. 21. sect. 4. num. 21,* Auila *de censur. par. 2. ca. 7. disp. 1. dub. 7. conclus. 1.* Diana *tract. de absolut. ab hæresi resol. 1.*

A

QVÆSTIO XXIX.

An quando datur à summo Pontif. facultas absoluendi à censuris, & casibus Papæ reseruatis, in Bulla Cœnæ intelligatur data absoluendi ab hæresi.

QVi pro affirmante pugnant sunt hi authores, Sousa *in Bullam Cœnæ ca. 2. & disp. 5.* Becanus *in summa Theolog. par. 5. qu. 2.*
B Pinellus *de casib. reseruat casu 2. num. 20.* Barbosa *de potestate Episcopi parte 2. allegat. 49. num. 5.* ad quam sententiam propendent, Fagundez *in primum præcep. Decalog. lib. 1. ca. 16. num. 2.* Filliucius, *tom. 2. tract. 22. ca. 6.* Reginald. *tom. 1. lib. 9. ca. 14. num. 224.* Cherubin. *in compendio Bullar. tomo 3. constit. 24. Pauli V.*

Defensores aduersæ partis in re Theologica præstantes viri, sunt hi, Henriq. *lib. 7. ca. 13.* Nauar. *ca. 27. num. 275.* Viualdus *verbo absolutio num. 16.* Vgolinus *tabula 1. ca. 10. pa-*
C *rag. 4. num. 17.* Couar. *in priore parte comment. alma mater, parag. 11. num. 13.* Suar. *in tract. de fide disp. 21. sect. 4. num. 2* (. Portelius *in additionibus ad dubia Regularia verbo hæresis num. 26.* Præpositus *de censur. in communi dub. 14 num. 102.* de re tota quid iudicii habeam, aliquot enuntiatis planum faciam.

Primum Enuntiatum, *In locis hæresi non infectis, non intelligitur data potestas absoluendi ab hæresi occulta, aut manifesta in vtroque foro, nisi litteris Apostolicis id specialiter contineatur.*

Fidem faciunt Pauli IV. & Pii V. diplo-
D mata, in quibus ambo hi Põtifices, ius remittendæ huius culpæ, fidei censoribus in Hispania tribuunt, quibus ab Henrique additi sunt duo. *lib. 6. ca. 16. Vrbanus scilicet IV. Greg. XIII.* quod eos facturos fuisse, homines nempe eruditione iuxta, ac virtute præstabiles, quis credat? si in facultate ampla illa, & circunstantiis contracta nullis, absoluendi à casibus quos ad suum tribunal Papa reuocat, continetur hæresis?

Secundo, quæ est Portelii argumentatio loco citato *num. 26.* in concessione generali non veniunt ea, quæ quis non esset in specie
E verisimiliter concessurus *de regul. iuris in 6. regul. 8* at Papam plerique omnes, coniectura non improbabili freti, aiunt responsurum, si de re eum forte consulerent Episcopi, mentis suæ fuisse nunquam, nec esse modo, eis remittendæ hæresis iura dare, nisi cum id expresse, Roma tanquam ex tripode significat, vt declarasse Gregor. XIII. & Pium V. authores negatiuæ sententiæ asserunt, huncque esse Romanæ Curiæ stylum, hunc morem, lõgo sæculorum vsu firmatũ.

Enuntiatum

Enuntiatum secundum, *In regionibus ad Septentrionem positis, licet ei qui à casibus Bullæ Cœnæ, siue ex priuilegio communi alicuius Iubilæi, aut Religionis, siue priuato absoluere poterit, licet* (inquam) *ei in foro conscientiæ, absoluere ab occulta hæresi.*

Primò, quia id ita Romæ declaratum esse in pœnitentiaria anno 107. & ita in praxi seruari scribit Filliucius *tom. 1. tract. 8. cap.* 10. *num.* 265.

Secundò, cum Pontifex ea de re multos ambigere non nesciat, ac hæresim interdum à concessione generali casuum quam nonnullis tribuit, excludat, hoc ipso illis eius absoluendæ potestatem concedit, quod eius non meminit.

Tertiò, cum sit vtile, ac vero etiam sæpe necesse, pœnitentes absolui posse, vero simile est velle Pontificem, id vt Confessariis, ad bonum fidelium liceat, proindeque in concessione illa generali hæresim comprehendere, ita innuit Præpositus *de censuris in communi dubio* 14. *num.* 103. cum ait in facultate absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ interdũ ratione loci, comprehendi hæresim.

Est tamen in facultatis istius vsu Confessariis adhibenda hæc cautio.

Primo, ne cui in vrbe Catholica suspecto de hæresi, facile manus imponant, ne minutæ plebi scandalum generent, potestatis autem sibi ad eam rem traditæ ignaris, offensionem creent, eum ergo ad Episcopum, aut si quis est alius in vrbe, à quo pro vtroque absolui foro queat, remitti oportet, sic enim turbarum in populo, sic querendi Episcopis causa omnis tolletur, cum se non neglectos videbunt, sed absolutionis causa adiri, & rogari tam à pœnitente, quam Confessariis.

Secundo, est id illis quoque laborandum imprimis, vt de hæreticorum fæce præpropere neminem, in hæretica Ciuitate, ad Catholicorum suaueolentia dogmata transferant, ob metũ relapsus, cũ enim hic inde migrare alio, seque eximere nisi ægre, peccandi periculo nequeat, propter eius assidua colloquia cum popularibus suis, dubiæ scilicet mentis, ac fraudulentæ hominibus, raro nec nisi post repetitas de absolutione cõsequenda frequentes preces, votaque lachrymis mixta, recipi potest, ac debet in Ecclesia.

QVÆSTIO XXV.

An Episcopus, absolutionem ab hæresi, committere possit alicui.

Causa dubitandi petitur ex verbis Concil. *sess.* 24. *cap.* 6 vbi Patres aiunt in Episcoporum potestate, arbitrioque esse, casus omnes Bullæ cœnæ reseruatos Pontifici, remittere tam per se, quam Vicarium, ad id specialiter deputandum, *non* item hæresim *quam in foro conscientiæ, eis tantum, non eorum Vicariis vult permissum esse absoluere,* quæ causa Theologis multis extitit, asserendi, hanc eis potestatem tribuendam non videri.

Præcipui inter eos, numerandi veniunt, Gutier. *qu. canonicar. lib.* 1. *ca.* 13. *num* 29. Suar. *tomo* 4 *disp.* 30. *sect.* 2. *num.* 9. *&* 15 *& de fide, spe, & charit. te disp* 21. *sect.* 4 *num.* 8 Ledesma *to.* 2. *summæ tract.* 1 *ca.* 6. *post* 10. *conclus. difficult.* 6. sic Episcopis, condonandæ hæresis ius competere, vt id alteri committere nec licitè possint, nec validè, Particula enim *tantum* Concilij decreto adiecta, vtpote taxatiua, commissionem omnem excludit, tam generalem pro omnibus casibus, & causis, quam specialem pro reseruatis, & specialissimam, in causa hæresis.

Contrariam doctrinam sunt complexi, Nauar. *lib.* 1. *consilior. tit. de constitut. consil.* 1. *qu. vltima, num.* 89. & *lib.* 1. *tit. de sentent. excom. consil* 15. *q.* 2. *&* 3. Sanchez *to.* 1. *Decal. lib.* 2. *ca.* 11. *num.* 23 Emman, Sa *in Verbo Episcopus num.* 37 Emman. Rodrigu. *in Bull. Cruciatæ parag.* 9. *num* 69. Henriqu. *lib* 6. *ca.* 14 *num.* 7. & in Glossa littera O. Diana *in tract. de absolut. hæresis resolut.* 2. quæ mihi opinio & tuta, & sequenda videtur. Rationes quæ me in eam mentem adducunt, cum tantorum globo hominum, ingenio iuxta, ac eruditione pręstantium sunt istæ.

Prima quod iurisdictio, potestas & imperium, quæ ex Principis priuilegio competunt alicui ratione dignitatis & officij, non autẽ personæ propriæ, delegari ex natura sua queant. At est potestas absoluendi ab hæresi, annexa Episcopi dignitati, nõ personæ, cum Concilium, nullius in particulari meminerit, non Petri, non Ioannis, sed Episcoporum communiter, ergo cum nomen Episcopi, nomen sit hominis, publicam personam sustinentis, prouinciæ suę, officiique partem alteram, quæ est in hæresis absolutione sita, committere poterit, cui maxime visum erit.

Secunda, cum verba adhibentur aliqua, eius potestatis correctoria, quæ in perpetuum dignitati Episcopi, eiusque officio est adiuncta, sunt hæc in eum sensum capienda, vt quam minimùm illi officiant, ac iuri communi præiudicium afferant, cum non sit probabile velle Ecclesiam, aut Concilium, ea re priuare Episcopos, quæ illis iure quam optimo ratione officii competit, ac personæ, quam obeunt: At minus eis de auctoritate sua deperit, minus de maiestate sui magistratus ac nominis, si committere quem possint cum est necesse, qui de hæresis crimine, hic & nunc, absoluat suo nomine, est hoc ergo eorum relinquendum arbitrio.

Debet hæc tamen commissio specialis esse, Communis, & ad omnes Bullæ occultos casus, aut hæresim, reprobanda est, vt Concilio non conformis, secundum Nauar. *lib. primo consilio. consil. primo de constitut. q. vltima num.* 89. Sa *in Verbo Episcopus num.* 37. Corduba *in summa q.* 8.

QVÆSTIO XXVI.

An Prælati regulares, subditos suos absoluere possint ab hæresi occulta.

EST hæc disputatio in duas diuisa partes, in prima quæritur, an ius sit penes Prælatos regulares, hæresis iis hominibus remittendæ, quos suæ habent obnoxios potestati, ac curæ.

In secunda disputatur, an tale ius sit à Pontifice reuocatum, aut à Bulla cœnę.

Vtraque quæstio tractatur à Doctoribus, quorum, de ea non idem, vnusque est sensus.

In partes affirmantium concedunt, Sanchez *de matrim. lib.* 8 *disp.* 2. *num.* 3. Suar. *in* 3. *part. to.* 4. *disp.* 30. *sect.* 2. *num.* 7. Megala *in* 1. *par. lib.* 1. *ca.* 13. *num.* 10. Portelius *ad aub. regul. Verbo Abbas num.* 6. vbi hęc habet. *Prior Dominicanus, & proinde communicantes, habent erga suos subditos in foro conscientiæ tantum, & per seipsos tamen, omnem auctoritatem absoluendi, & dispensandi, quam habent Episcopi erga suos subditos, quæ concessio facta à Pio V. habetur in Bullario Rodrig. fol.* 920.

Secus quam illi loquuntur ac sentiunt Megala *in conf.* 21. *num.* 6 Nouarius *in singular. conclus.* 3. *num.* 10 Diana *par.* 1. *tract. de absolut. ab hęresi resolut.* 6. Fagundez *in primum præceptum Decal. cap.* 15. *num.* 21. quam sententiam, ne sequamur, multa nos mouent.

Primum, quod authoritati Prælatorum regularium noceat.

Secunda, quod eorum subditos priuet ne-

A cessario ad salutem remedio, absolutione scilicet criminis, in quod, ex iis labi possunt plurimi. Nam quod de Episcopis, aut Inquisitoribus sanctę fidei dicitur, ad quos ire, & ab iis impetrare solutionem nexus sui, regulares possunt, etsi afferatur verissimè, quantis est id tamen peruium molestiis, quantis, & quam certis expositum animæ, salutisque periculis? quæ subire, consulto ac scienter, cum Dei nobis gratiam eripiunt, culpa est, eaque contra ius naturæ, lethifera, sed hoc discrimen sponte ij eligunt, qui egressi claustro, Episcopum de absolutione

B suorum criminum sollicitatum eunt, vel enim id sciente faciunt Prælato ac probante, vel inuito, ac ignorante, si secundum, peccant, cum eo renitente domo egredi, aut ignorante committere se itineri, inobedientiæ sit scelus. Si primum, etsi contra regulam, aut obedientiam non delinquant, culpa tamen non sunt omnino vacui, quod religioni tali facto scandalum ingenerent, bonum eius nomen, famamque violent. Nam quid facilius, quam plebi natura sua suspicaci, eam tùm opinionem imprimi, esse ab eo

C graue quidpiam admissum, de quo cum ab Episcopo absolui sit necesse?

Quæ famę, nominisque dedecora vt vitentur, Regulares prępositos oportuit ea potestate pręditos esse, quæ subditis sibi gentibus, reconciliandis cum Deo & Ecclesia, est necessaria. Societatis sanè nostræ Prouinciales ac Generalem, suos de hæresi absoluere posse, scribit Ortizius *in summa ca.* 5. *nu.* 29. Peirinus *de priuileg. Minimor. to.* 1. *ad constitut.* 4. *Sixti IV. parag.* 5. *num.* 20. quod eis speciali priuilegio concessum voluit Greg.

D eius nominis XIII. vt est in eiusdem Societ. Compendio *parag.* 7. & 8. facultate iisdem Generali & Prouincialibus relicta, subrogandi sibi in casibus particularibus, non vniuersim, tamen ac generaliter, nisi res secus exigeret (de quo sunt ipsi iudices, ac arbitri) qui suo nomine de eo crimine absoluant, Suar. de Religione.

Fuit altera quæstio, de istiusmodi duratione priuilegii, & an sit per Pontifices abrogatum, aut per Bullam cœnæ, eiusdem qui

E quotannis eam legi Romę imperat, voluntate ac literis reuocatum.

In quo sibi, vt plerisque aliis, Doctores non consentiant.

Reuocatum esse scripsit Portelius *in dubiis regular. Verbo Abbas num.* 11.

Suar. *tom. de censuris disp.* 21. *sect.* 3. *num.* 4. nodum soluit hac distinctione. priuilegia vel sunt eiusmodi, quibus detur facultas absoluendi à casibus Bullæ cœnę in generali, vel in specie tantum, vt cum permittitur absolutio

siæ, manet tamen obnoxius pœnis Ecclesiæ, quales sunt, repelli ab agendo, iudicari inhabilem ad beneficium obtinendum.

Excipiendus est casus in quo excommunicatio lata esset pro debitis, in gratiam partis læsæ, nam si hæc sibi satisfactũ esse fateatur, aut condonatum debitum, aut in absolutionem rei, id est creditoris sui consentiat, hanc in foro interno datam, valere etiam pro externo est probabile, quid ita vero? quia Pius Papa V. absolutionem in foro externo, valere negat, parte non satisfacta, ergo si se hæc contentam dicat, si sibi satisfactum asserat, pro vtroque foro valebit absolutio.

QVÆSTIO XXVIII.

An extra confessionem data de excommunicatione absolutio, sit rata.

IN opiniones contrarias distractos Doctores video, eorum classes omnino sunt duæ.

Prima negantium, inter quos chorum ducit, Nauar. Enchiridii *cap. 26. num. 31. & lib. 1. consilior. tit. de sentent. excommunicat. consil. 28. ad 4. qu.* Corduba *in summa q. 19. & 187.* Eis se adiunxere comites Emanuel *in Bullar. parag. 9. num. 54.* Couar. *in commentario canonis alma mater parte 1. parag. 11. num. 16.*

Opinionis huius præcipua fundamenta sunt, primum, quod in *Compendio priuilegiorum societatis nostræ*, relaxandæ censuræ authoritas, quam dictæ Societatis Presbyteris Pontifex dilargitur, ad confessionem restringitur, *qua audita eam*, inquit ibi Pontifex, *possint absoluere.*

Secundum, quod eiusmodi facultas tantum detur pro interno foro, ergo extra Sacramentum data, non est rata.

Secunda huic opposita, patronos habet non inferioris notæ Theologos, quorum inhærendo vestigiis.

Dico, ad hoc vt quis per priuilegium, aut Iubilæum absoluere ab excommunicatione possit, & id in foro interno valde faciat, nõ est necesse confessionem absolutioni præmittere, ita Auila *2. parte cap. 7. disp. 13. dub. 13.* Aegidius de ministro pœnitentiæ *disp. 8. num. 84. & disp. 14. de censuris dub. 16. num. 262.*

Probatur, absolutio censuræ, est sublatio vinculi, quo quis impeditur ab vsu, & participatione Sacramentorum, remouetur autem à congressu, commercioque fidelium, at tolli posse hoc vinculum, aliter quam cõfessione, factum Prælatorum indicat, quibus

A sæpe ad officium est satis, si de censura tollenda rogati, eam soluant, pœnitente pro admissis, eorumque condonatione, ad Sacerdotum tribunal remisso. Quod sæpe fieri expedit, vt cum pœnitẽtibus, aut Præsuli, id per tẽpus non licet, illis quidem conscientiam suam explicare, isti autem explicatam intueri cominus, eique medicinam facere.

Argumentis allatis respondendum: primo quidem, iis verbis *audita confessione*, loqui Papam velle, de peccatis reseruatis, à quibus esse liber nemo potest nisi confessus;

B hanc porro mentem eius esse, ostendit textus ipse paragraphi, in quo vt de censuris, ita de peccatis, est sermo. Sunt hæc ergo verba (*audita confessione*) referenda ad absolutionem à peccatis, non autem ad absolutionem à censuris: Diana *tract. 11. de Bulla Cruciatæ re. sol. 26.*

Ad secũdum dico per ista verba *pro foro interno*, significare Pontificem, remissam censuræ, non valere in foro externo, hoc tantum: nullo vero modo, quod eius absoluẽdę

C potestas, extra Sacramentum redigi in actum nequeat, cum inter vtramque, nulla sit necessaria connexio, ratione cuius addi absolutioni de peccatis, eique confessionẽ eorũdẽ præmitti oporteat. Ita Sanch. *lib. in Decal. c. 11. n. 13.* & Præpositus *dub. 14. de censur. in cõmuni n. 100.* his verbis: *Ita particula pro foro conscientiæ, videtur designare, ita absolutum non posse se tueri, allegando suam absolutionem, si contingat pertrahi ad iudicium, propter crimen pro quo est absolutus*, Suarez *disp. 7. sect. 5. num. 16. itaque licet iudex possit talem punire in foro*

D *contentioso, is tamen qui est absolutus, quandiu non trahitur ad illud forum, potest in omnibus se gerere vt absolutum, etiam publice.* Hæc ille.

QVÆSTIO XXIX.

Quibus verbis, formaque, vtendum sit in absolutione Censuræ.

DIco primò, *Solam absoluendi voluntatem non sufficere.*

E Ratio est, quod absolutio sit concessio facultatis, facta excommunicato, vt cum aliis communicet; at hæc dari & permitti nequit nisi verbis, aut externis quibusdã signis, quę voluntatem internam permittentis sufficienter significent: sic enim & interna animi nostri sensa vulgare aliis, & hi ea cognoscere sunt soliti.

Dico secundò, *Certa tamen verba pro foro conscientiæ ex rei natura nulla esse, quibus excommunicationis absolutio, necessario, sit impertienda.*

Probatur, cum absolutio sit culpæ aut vinculi remissio, à quo liberari reus postulat, pendet hæc à voluntate superioris, aut alterius, habentis ad id potestatem, quæ quantum est satis, ei qui absolui postulat, exprimatur, aut alteri eius loco, at hoc verbis quibuslibet, aut signis, modo ad id indicandum idoneis, fieri quid obstat? ergo verba quælibet, aut signa, absoluendo à censura homini sufficiunt, quæ quantum est satis absolutionem ab ea dari indicant.

Confirmatur, possunt nullo discrimine verba cuiusq; modi ad excommunicandum adhiberi, modo sint apta communi hominū opinione innuere excōmunicātis sensum, & iudiciū, ergo & ad absolutionem impertiendam, quælibet sufficient, modo declarent, id absoluentem sufficienter velle, & quantum est satis. Cum nec natura iudicij, nec Ecclesiæ antiqua praxis, certa verba postulet, quæ tanquam ei essentialia, vsurpare in hoc ministerio oporteat, vsus tamen communis Ecclesiæ, aliqua exigit, quæ præteriri honeste ac omitti nequeunt.

Dico ergo tertiò, *Sacramento pœnitentiæ verba hæc adhibenda esse aut similia*, Absoluo te ab excommunicatione quam incurristi ob furtum *V. G.* & restituo te Sacramentis Ecclesiæ & communioni fidelium In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

Dico quartò, *Cum excommunicatio remittitur solemniter, sequendam esse loci cuiusque consuetudinem, ac formam Ritualibus cuiusque Diœcesis præscriptam, eiusque maxime, vbi absolutio impenditur*, quæ forma tamen, quemadmodum & aliæ ceremoniæ, adhiberi in ea absolutione solitæ, non sunt ad eam necessarię, necessitate essentiali, sed præcepti tantum, quare eas omittere, veniale tantum esse dixit Auila *2. parte cap. 7. disp. 13. dub. 2.*

Dico quintò, *Quando excommunicatio propter graue aliquod crimen cōtracta fuit, cuiusmodi sunt, Clerici enormis percussio, crimē falsi, incendiū, & quæ continētur in Bulla cœnæ, iuramentū à pœnitēte ante eius absolutionē exigendū erit, quod amodo Ecclesiæ morem geret, quod mandatis eius obtemperabit, nec proinde id peccati genus committet amplius, cuius occasione ac causa, repulsus est ab Ecclesia, insuper quod & præstabit omnia, quæ ab eo Prælatus circa rem, cuius causa factus est reus, iuste ac cum ratione postulat*: Ita Alexand. III. in decretali *ex tenore 10. de sentent. excomm.* his verbis: *Mandamus quatenus recepto ab eo iuramento, quod tuo debeat mandato parere, ipsum vice nostra, à sententia qua tenetur, absoluas, sibique in virtute iuramenti præcipias, ne de cætero in Clericum manus iniiciat violentas, nisi se defendendo, &c.*

Notauit tamen à Graph. *lib. 4. ca. 47.*

A communiter iuramentum à pueris non debere exigi, quod ad culpam, sint ob ętatem faciles ac proni, nec ab eo quem probabile est non facturum promissa, ne iuramenti delatio sit ei occasio peierandi, similiter nec pro quocunq; delicto, sed tantum graui, postulandum dicunt, Henriq. *lib. 17. de excommunicat. cap. 28.* Sylu. *verbo absolutio 3. nu. 35.* Ægidius *disp. 14. dub. 16. nu. 204.* qualia sunt incendium publicum, vt dicebam paulo ante, verberatio Cardinalis, falsificatio literarum Apostolicarum, percussio notabilis Clerici; data tamen absolutio sine iuramento
B præuio, est rata, Sylu. *verbo absolutio 3. num. 3.* quia non est de eius essentia, quemadmodum nec preces quas præmitti olim absolutioni solitas, habet canon 108.

In primis enim olim Episcopi, tot cum numero absoluere debebant, quot excommunicauerant. *Satagentibus quibusdam, vt Hugoni redderetur Remense Episcopium, repugnarunt Rotericus Laudunensis, & Catalaunensis Episcopus, asserentes, quod à tot Episcopis excommunicatus, à minore numero absolui non posset.*
C Concil. Meldense sub Ludouico 4. anno Christi 962. Sane qui *reum excōmunicauerat, ante ianuas Ecclesiæ venire debebat, & Presbyteri duodecim cum eo, & si ille terræ prostratus, veniā postulat*, inquit canon, *& de futuris cautelam spondet, tunc Episcopus apprehensa manu eius dextera, in Ecclesiam illum introducat, & communioni Christianæ reddat*, Concil. Arausic. vt refertur 11. q. 3. *can. cum aliquis 168.*

Prius tamen, eiusdem decreto Concilii recitabantur Psalmi septem pœnitentiales, cum his precibus Κύριε ἐλέησον *Saluum fac ser-*
D *uum tuum Domine*, Alias clara voce canebatur Psalmus (*Miserere*) aut alius, quo durante, si commode poterat, excōmunicatus vapulabat fune, aut flagellis, aut virga in scapulis, non nudis illis quidem, sed opertis velamine, quia ita vsus ac consuetudo vbiq; obtinebat, Pontifice sciente & probante, quod etiam seruabatur in mortuo, qui quidem si sepultus erat in loco sacro, non necessario exhumandus erat, sed tantum cum in prophano: & tunc qui corpore suo verbera excepisset, si fuisset sanus ac superstes, tolerabat
E in tumulo, qui ideo vapulabat à iudice virgis aut corrigia spectante turba.

Verberationem excipiebant, preces Κύριε ἐλέησον *Pater noster, saluum fac seruum tuū, &c. Esto Domine turris fortitudinis, Nihil proficiat inimicus in eo. Domine exaudi orationem meam.* Dominus vobiscum *Oremus. Deus cui proprium est misereri, &c.* postmodum addebatur absolutio, *authoritate Domini nostri Iesu Christi & Apostolorum Petri & Pauli mihi concessa, absoluo te à vinculo excommunicationis*

tio piratarum. Si primum, eorum vis omnis interiit, quod ea Pontifici reuocare pridem placuerit. Si secundum, perseuerant, iisque in bonum fidelium, vti est in laude ac merito. Hæc ille.

Cum his ego sentio qui ea priuilegia reuocata negant.

Primo, quia ea quotannis renouantur, ac vocetenus confirmantur à Pontifice, ad instantiam Procuratorum cuiusque Ordinis, testimonio Portelii *in dubiis Regularib. verbo Abbas num. vlt.*

Secundo, per Bullam cœnæ, quælibet non prohibetur absolutio casuum quos continet, sed ea duntaxat, quę priuilegiorum prætextu datur, ergo cum prætextus sit color quæsitus vt exposuit Budæus *in leg. illicitas dig. de officio præsid. leg. sub prætextu, Cod. de transact.* vel vt loquuntur alii, id quod sub specie veri exercetur, non peccabunt regulares in Bullam, si cum absoluunt de hęresi, aut casibus aliis Bullæ occultis, id legitima auctoritate faciunt, & non colore quæsito, aut sub aliquo velamine, at verum est consequens, nam per priuilegia sibi concessa à Pontifice, eiusdem benignitate tantundem hi possunt, quantum ipse, cum sunt eius subdelegati.

Quid? quod Societatis IESV Patribus indulsisse dicatur Gregor. eius nominis XIII anno reparatæ salutis 1584. vt per Bullam non censeantur eorum abrogata priuilegia? vt est in Compendio eiusdem Societ. *in verbo Bulla cœnæ parag.* 2. quod notauit Suar. *de religione to. 4. tract.* 8. *lib. 9. ca.* 20. *nu.* 18. Portel. *in dubiis verbo Bulla cœnæ*, data ergo à Greg. XIII. religiosis huius ordinis, à Pio autem V. Patrum Dominicanor. superioribus potestas absoluendi ab occulta hæresi, in iisdem perseuerat hoc tempore.

Obiicit Fagundez loco citato, Episcopis solis dari à Patribus Concil. *in sess.* 24. *ca.* 6. facultatem absoluendi hæretici occulti.

Causa est, quod eorum duntaxat fiat mentio, non regularium, *Liceat*, inquit Concil. ibi, *Episcopis in irregularitatibus omnibus & aliis &c. dispensare.*

Ad antecedens dicendum: Episcopi nomen bipertitò sumitur, primo propriè, pro his duntaxat, qui Episcopali sunt charactere insignes, secundo latè, vt ad eos quoque pertinet, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habent, occasione prouinciæ quam obeunt, muneris quod faciunt, Episcopi nomen primo modo acceptum, Regulares non amplectitur, sed altero tantum.

Obiicit secundo, potestas impertiendę absolutionis de hæresi, iis tantum per Concilium est concessa, quibus competebat an-

A tea, at regulares ante concilium Trident. habitum, non leguntur vsi hoc iure, ergo nec sibi vendicare id poterunt hoc tempore.

Maior est falsa, nam per Pontificis Pii quinti beneficentiam, Priori Dominicanorum suos ab hæresi licet absoluere, ac cum iis in votis dispensare, quem tamen Pontificem, constat, Concilio tempore posteriorem esse.

Obiicit tertio, nunquam censetur facta

B vlli ab hæresi absoluendi licentia, nisi in literis quibus hanc potestatem Papa alicui annuit, hæresis expresse meminerit, secundum Fagundez supra, Sanchez *tom.* 1. *summæ lib.* 2. *ca.* 11. *num.* 7. at in priuilegio Patribus Dominicanis concesso à Pio Pontifice, ne vox quidem est vnica, qua significetur id eis licere per Pium, sed in eo est duntaxat, tantùm eorum Priori permissum esse erga inferiores suos: quantum Episcopo erga suos subditos.

Respondend. primo, implicitè mentionem hæresis fieri à Pio V. in bulla sua, nam

C vult Dominicanos, tantum in ratione absoluendi subditos suos posse, quantum per Concil. permittitur Episcopo, in illa *sess.* 24. *ca.* 6. at hæresis fit ibi mentio, ergo & in Bulla Pii saltem implicitè.

Secundo respondend. maiorem esse falsam, quia hoc ipso, quod Pontifex, à concessione facta alicui absoluendi à casibus, hæresim nominatim non excipit, eius relaxandæ facultatem tribuit, Diana *in tract. de absolut. ab hæresi resolut. 6. parag. sed respondeo,*

D quod hinc probat quod cum hanc vult alicui negatam esse, illam expresse excipiat, vt factum esse à Gregor. XIII. in Bulla, qua Patribus S. Bernardi in Hispania, absoluendi à casibus quibuslibet, ius esse voluit, scripsit Ludouic. Portelius *in dubiis regularib. verbo Abbas num.* 6. nam de eorum numero hæresim excludit.

QVÆSTIO XXVII.

E *An Excommunicatus ab homine nominatim, absolui queat vi Commissionis Generalis.*

NEquaquam, vt sic sentiam inducor ab hac causa, quod non sit credibile, Papam velle, liberalitate sua ac indulgentia, fideles esse ab eo obsequio liberos, quod superiori suo negare nequeunt sine culpa, id autem accideret si qui nominatim exclusus est per censuram de Ecclesia, ab alio quam qui eum loco mouit, censuraque perculit, absolui posset.

Probatur minor, excommunicationis, sicut & cuiuslibet censuræ reo intentandæ, causa non est alia, quam obedientia, quæ quia vt oportet, vltro ac sponte non præstatur, metu ac terrore subeundæ pœnæ extorqueri debet ab eo, contra quem fertur, à qua liberari nequit nisi obediat, at id superiori obtinere à suo subdito, non est facile, si hic ab alio, quam innodante, solui potest, nam eo prætermisso, alterum côueniet istius rei gratia, quo, quid ad firmandam eius ac subditorum, contra superiores, audaciam esse potest efficacius? quare si *quis Presbyter, aut Diaconus, per Episcopum à communione exclusus sit, hunc neutiquam ab alio fas sit, suscipi, quam ab eo, qui ipsum à communione exclusit, nisi forte Episcopus, qui ipsum à communione segregauit, defunctus sit*, ita *canon* 33. *Apostolorum*, citatus ab Alexand. Episcopo Constantinop. apud Theodoret. *lib.* 1. *cap.* 4. quem Nicæn. magnum Concil. confirmans atque declarans sic statuit *can.*5. *Seruetur & ista sententia, vt hi qui ab aliis excommunicantur, ab aliis ad communionem non recipiantur*, quæ etsi de non priuilegiatis, iure communi dicantur verissime & seclusa commissione Papæ, dici tamen etiam probabiliter possunt de priuilegiatis, ob causam allatam, pacem scilicet, ac quietem, retinendam in Ecclesia, quã turbari est necesse, cum hi Papæ indulgentia, licet Episcopi aut excommunicãtis fulmina in certum contorta hominẽ, reddere per absolutionem irrita, ac sine effectu.

Quæ sententia est Stephan. de Auila *de censuris part.* 2. *cap.*7 *disp.* 3. *dub.* 10. *conclus.* 1. Coninch. de Sacram. *disp.* 14. *dub.* 16. *conclus.* 3. *num.* 207. *nota primo*, inquit, *quando quis nominatim est excommunicatus, aut causa deducta est ad forum contentiosum, reum communiter non esse absoluendum pro foro conscientię, ab eo, qui per talia priuilegia, id facere potest quia hoc perturbaret ordinem iuris.*

Sentiunt. idem Vasq. *in* 3. *par. to.* 4. *tract. de excomm.* Præpositus *de censur. in communi dub.* 13. *num.* 80. his verbis: *Notandum* 1. *absolutionem censuræ contra aliquem in particulari latæ, ita reseruari his quos diximus, vt ab ea nullo modo possint absoluere, qui vi priuilegiorum possunt absoluere à censuris, vel etiam vi Iubilæi, imo neque posset id alius Episcopus, ad cuius territorium forte se contulerit is, qui est censura irretitus ibi fixurus domicilium, quia saltem quando sententia fertur ex causæ cognitione, alter ita subiicitur ferenti censuram, vt hic permanentem sortiatur iurisdictionem in tali causa, ergo etiam vt solus beneficium absolutionis possit impendere.* Hæc ille.

Contraria tamen sententia vt probabilis, defendi potest, priuilegiato scilicet, quem A sibi Pontifex in repurgandis conscientiis fidelium substituit, cum potestate eos eximendi ab omnibus casibus, quos sui iuris ac fori esse voluit, priuilegiatis (inquam) fas esse excommunicatum nominatim ab homine, reconciliare Ecclesiæ, ita Dian. *tract.* 11. *primæ part. resol.*26.

Ratio est, quod quæ illis à Pontifice facultas à censuris absoluendi conceditur, detur illimitata, ac sine restrictione, non est ergo limitanda hac, aut illa in specie, cum omnes comprehendat. Qui enim omnes dicit, nullam B excludit, quare si omnium sibi reseruatorum ius, ac potestatem, Pontifex alicui concesserit, censetur etiam concedere absolutionem à reseruatis Episcopo, Ægid. de Coninch. qui tamen absolute contrarium in praxi tenendum ait, *disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 207. nisi forte reus in loco degeret, vbi eius excommunicatio nota non esset, aut necessitas incumberet hic & nunc absoluendi.

Secunda assertio, *Quando solum conceditur generalis potestas absoluendi à censuris reseruatis Pontifici, non censetur in ea comprehendi casus* C *Bullæ*: ita Ægid. *disp.* 14. *dub.* 16. *de excommunicatione num.* 246. Præpositus *de censur. in communi dub.* 14. *num.* 102. quia sunt hi specialiter reseruati, non censetur ergo eorum reseruatio per concessionem generalem sublata: specialis facultas est necessaria, quia à concessione casuum, est is remouendus, quem concedens videtur tacite exclusisse, nec verisimiliter concessurus fuisse, si ei venisset in mentem, *can. in generali de reg. iuris in sexto, regula* 81. at casus Bullæ, ita sunt re- D seruati Pontifici, vt eorum remittendorum facultatem videatur concessisse nemini, nisi de opposito constet, per concessionem particularem.

Sentiunt alij contrarium, in euentu quo eiusmodi facultas datur generatim alicui ordini, vel per Iubilæum, nam tunc quia est gratia Principis, late est interpretanda Ægid. *disp.* 14. *dub.* 16. *num.* 245. Henriqu. *lib.* 13. *cap.* 27. quam sententiam probabilem esse putat Suar. *de censuris disp.* 7. *sect.* 5. *num.* 12.

Tertia assertio, *Vt vi sit de potestate absol-* E *uendi, priuilegiatis concessa à Papa, data tamen per eos absolutio excommunicatis, tantum est pro foro interno vtilis*, Ægid. *dub. penult. de excommunicat.* Nauar. *Enchirid.* 27. *num.* 19 Reginald. *lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 19. quia cum hæc concessio, sit in materia odiosa, contra rigorem iuris, ac potestatem ordinariorum, non videtur concedi per verba generalia, secundum omnem suam amplitudinem, quare etsi absolutus restituatur participationi Sacramentorum, & communium precum Eccle-

communicationis, quam incurristi propter hanc aut istam causam, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium, In nomine Patris &c. Hæc fere Innoc. III. *in decretali à nobis 28. de sent. excommunicat.* qui hæredes *quoque ipsius defuncti ad satisfaciendum pro ipso, si monitione promissa noluerint per districtionem Eccl. compelli* imperat.

Dico ergo sextò, *Quando absoluendus ad satisfactionem tenetur, absolutioni censuræ, satisfactionem à reo pro illata parti iniuria præmittendam esse integram si potest, si minus, ex parte.* Tuetur se hæc opinio.

Primo authoritate Innoc. III. *in ca. ex parte 23. de verbor. significat.* deinde ratione: nam prodesse vni cuipiam, cum aperto alterius discrimine, caritas non sinit, quam autem nulli est dubium, læso certum imminere propinquūq; noxæ periculum, si reum, hoc est, eum à quo damnum, aut iniuriam esset passus, absolutione iudex impertiat, antequā (quod est necessitatis, officii ac iustitiæ) læso ille satisfaciat petitione veniæ, aut restitutione rei sibi debitæ, vbi enim est deleta culpa, vbi suum reo solutum vinculum, vbi communicandi promiscue, ac libere cum omnibus facultas hic raro est data de satisfactione cogitationem suscipit, aut si quam habet, nō nisi eiusmodi, quæ tarde, ac ægre mādari soleat effectui, quæ etsi timenda non forent, negligi tamen non posset satisfactio, vt quæ iustitiæ est lege debita, ac ab Innocentio eius nominis tertio præcepta *in c. ex par. 23. de verborum significat.* vbi postquam excommunicationis inferendæ, causas esse duas dixit, contumaciam nēpe, *quia scilicet nocens citatus stare noluit iuri, & offensam, quia videlicet iussus: maleficium noluit emendare, in primo casu* ait *cōgrue satisfieri vt sententia relaxetur, si prius sufficiens standi iuri cautio tribuatur*, in secundo, *si offensa est manifesta*, credit *non satisfieri congrue vt relaxetur sententia, nisi prius sufficiens præstetur emenda.* Hæc ille de satisfactione quæ à reo exhibenda est læso.

QVÆSTIO XXX.

An in mortis articulo absolui excommunicatus possit à Laico.

Mihi duo sunt certa, vnum est, vsitata forma Ecclesiæ, cum quis publice absoluitur & solemniter, Laicum in reconciliando præciso, sub finem vitæ, vti non posse, quia habet ea absoluendi forma, ritus ac cæremonias, quas frequentari ab alio non conuenit, quam ministro Ecclesiæ publico, vt quod Sacerdotibus consciis, iisque ca-

A nentibus, præcinente autem eo, qui censuram laxat, ac nomine Ecclesiæ Deo supplicet populus ei, vt ad illam redeunti, eiusdem benignitate ac indulgentia, introitus pateat.

Alterum est, de peccatis absolutione Sacramentali, absoluere Laicum non posse, quia charactere ad eam rem necessario non est instructus, sine quo remitti crimina, ac deleri posse, nemo dixit vnquam Catholicus.

Itaque de absolutione à censuris, cū mors imminet, aut timetur probabiliter, nec haberi quis potest de propriis Sacerdotibus (in
B quo Angelus *ver. Confessio 3. nu. 7.* Armil. *in verbo Absolution. 12.* mortis articulum constitutum esse volunt) de absolutione (inquam) à censuris est sermo quæriturque, an in mortis articulo Laico laxare excommunicationis vinculum, ac soluere liceat, & de hoc grauis est inter Doctores altercatio, vbi reliquorum dicta recitauero quid meæ sententiæ sit, aperiam.

Turrian. de censuris *li. 2. disput. 24. dub. 4.*
C Præpositus *in 3. par. q. 1. de censur. in communi dub. 14. n. 96.* Villal. *to. 1. tract. 16. difficult. 20. n. 18.* Hurtado *de exco. disp. 15. diffic. 1, n. 3.* Suar. & Vasq. bene per absolutionem mereri de excommunicato Laicum posse negant, eo tēpore, quo periclitatur de capite. Vnicum est eorum præsidium, quod Laicus sit iurisdictionis spiritalis incapax, non sit autem probabile, nisi de eo cōstet per aliquod decretū Pōtificis tū derogari iuri cōmuni quoad cōditionem tam ad absolutionē necessariam.

Concedunt alij, quorum mihi communior ac probabilior videtur opinio, in his
D sunt Ragucius *in lucerna parochor. titulo de absolut. q. 124.* Sancius *in select. disp. 44. num. 7.* Angelus *verbo absolutio 3. num. 17.* Syluester *verbo Absolutio 1. num. 8.* Ledesma *ca. 8. de excomm. dub. 4.* cæteriq; quorum meminimus, cum de censuris in communi sermo esset.

His autem rationibus, præter allatas eo loco, præsens nititur opinio.

Primo, est Laicus quilibet, modo sacris Baptismi vndis lotus, iurisdictionis spiritualis capax, hanc ei tum ergo dari valide ab Ecclesia, ad ægri spirituale commodum, non
E est improbabile, nempe vt pro eo, vbi fatis, ac naturæ concesserit, publice oretur, sacra sepultura donetur, &c.

Secundo, omnium est opinio maximè *Glossæ in cap. pastoralis parag. præterea de officio iudic. ordinarij* Clericum primæ tantum tonsuræ insignibus notatum, reconciliando homini cum Deo, per absolutionem censuræ, qua ligatus hæret, posse ab Ecclesia præfici, ergo & sic ab Ecclesia factum esse, pie est credendum.

Equidem si Carolo de Grassaliis habenda fides (quam tamen ei in hac materia nullam tribuo) hanc Francorum Rex Christianissimus potestatem habet, nec eâ tantû morte, aut eius periculo definitâ, vel metu, cur non & Laicus quilibet in necessitatis casu? hoc est in dubiis, afflictisque ægri temporibus? Grassalij sunt hæc verba *li. 2. regalium iure 9. Hinc est tertiò quod nedum Rex Christianissimus ab aliis excommunicari non potest, imò ipse alios, saltem Laicos ex iusta causa excommunicare potest secundum Vincent. Cygn. in allegationibus suis de bello Ital. c. regali versu superest videndû.*

Hinc enim sic disputo, qui vincire, qui nectere, idem quoque in libertatem vinctum potest asserere, vt est omnium bene de re Theologica iudicantium conflata consensio, at excommunicat Papæ benignitate Rex Galliæ, vt habet hic author, ergo & absoluit, quæ ergo ei facultas est concessa ab Ecclesia, potest & Laico, ab eadem tribui, in bonum miserorum ac commodum, quod erat probandum.

Ad argumentum respondendum: esse quidem Laicum, iure communi iurisdictionis incapacem, hanc ei tamen communicari à Papa posse, nec enim est quisquam qui eum neget, Laici opera vti posse ad excommunicandum, admitti ergo pariter debet, eius authoritate posse Laicum ad absolutionis beneficium excommunicato impertiêdum, sese accingere.

QVÆSTIO XXXI.

An excommunicatus absolui in mortis articulo possit à simplici Clerico.

Posse deficiente Sacerdote, habent Glossa *cap. Pastoralis parag. præterea de officio iudicis ordinar.* Præpositus quæstione proxime præcedenti citatus *num. 97.* probatur ex his verbis Innoc. III. *in cap. pastoralis citato excommunicatus ab huiusmodi delegato, non potest per alium (præterquam in mortis articulo) absolutionis gratiam obtinere, vbi per alium* (inquit Præpositus ibi) *videtur intelligi omnis is, cui potest committi iurisdictio Ecclesiastica,* quo de numero Clericum esse, nemo opinor ambigit.

Secundo, causa cur Laico committi excommunicationis absolutio in mortis articulo nequeat, eorum authorum opinione, qui secus quam nos iudicant, est, quod iurisdictionis spiritualis non sit capax, at non facit contra Clericum hæc ratio, vt patet, cum per tonsuram, cooptetur inter Christi ministros, futurus aliquando mysteriorum eius A dispensator.

Obiicies data per Clericum, excommunicationis incursæ relaxatio in mortis articulo, excommunicato futura est inutilis, ei ergo est neganda.

Est vtraque propositio falsa, prior quidem, quia data absolutio eo temporis momento, ad hoc excommunicato prodest, vt pro eo mortuo oretur, vt in loco sacro sepultura donetur, quæ relaxatio post eius mortem, promiscuè ab omnibus concedi nec potest, nec debet, sed ab eo qui ligauit, quare cû est B censura cuius absolutio quæritur, ac datur, Pôtifici reseruata, aut alteri, hæc non potest à quolibet post mortem indulgeri, sed ab eo dûtaxat, cuius erat excommunicato dum viueret, beneficium hoc conferre.

Est consequentiæ falsitas ex antecedente perspicua, nam etsi ad Sacramentalem absolutionem, censuræ remissio non valeat, ad alia tamen proficit, vt ad suffragia, precesque Ecclesiæ publicas, ac sepulturam in loco sacro.

C

QVÆSTIO XXXII.

An cum Papa aut Episcopus super obtinenda absolutione censuræ, quam sibi reseruarunt, adiri ob causam non possunt, consuli aliquem de priuilegiatis oporteat, talis beneficij consequendi gratia.

Ita censuit dixitque Nauar. *cap. 27. Enchirid. nu. 89.* dicentque omnes, qui asserunt, ei non licere qui Catholici, & non præcisi Sacerdotis copiam habet, à præciso, & ex- D communicato, in mortis articulo, salutis & Sacramenti medicinam flagitare, similiter nec peccata sua in alterius auribus collocare, cum ea Sacerdoti proprio, hoc est Parocho potest indicare.

Quam sententiam summarum scriptores Innocent. tribuunt *in ca. nuper de sentent. excomm.* qua in opinione sunt & magni Theolog. qui à pœnitente duo exigût vt illi mortis articulus largiatur, posse à quolibet Sacerdote de censura, aut peccatis absolui, primum E est, vt ei mortis probabile periculum immineat, alterum, vt ad proprium Sacerdotem non sit facilis aditus.

Mihi quæstionis propositæ statum paulò attentiùs consideranti, sic videtur, cum iusta est causa non conueniendi superioris, hoc est Papæ, idem de censura, quod de peccatis esse oportere iudicium, cuilibet nempe in mortis articulo posito fas esse, cui collibitum erit, conscientiam suam detegere, ab eoque vt peccatorum, ita & censuræ remissam petere,

petere, licet non desint qui ob priuilegia sibi concessa, eam si non maiore, at certe fructu certiore dare queant.

Ratio est, quod in eo articulo cesset reseruatio.

Anteced. est ex Trid. verbis planum *in sess.14.ca.7.*

Conseq. probatur, ideo est ad reseruatorem eundum, quod peccatum, vtpote reseruatum, in eius sit iure, non alterius, at ex hypothesi *nulla est reseruatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusuis peccatis & censuris absoluere possunt,* Trident. *sess.14. cap.7.* ei ergo, qui est excommunicationis vinculo irretitus, non sunt tum necessario adeundi Papa & Episcopus, qui censuram sibi vel culpam reseruandam putarunt.

Confirm. cum conueniri Papa nequit, redit ad Episcopum facultas, quæ ei per Papæ reseruationem ablata fuerat, ergo non tantum in mortis periculo, sed etiam extra illud, quolibet alio tempore, si iusta est Papæ non conueniendi causa, peti ab eo censuræ reseruatæ absolutio poterit, quamuis viros prouinciæ habeat multos, ac doctos, relaxandæ censuræ Pontificiæ potestate præditos, vt Legatum, Mendicantes, & priuilegiatos reliquos.

Confirm. est absolutionis reseruatio, onus ac odium, ergo restringendum quantum patitur æquitas, coercetur autem, cum ad reseruatorem solum, absolutionis obtinendæ gratia, pœnitens ire nõ cogitur, ergo si eum abesse contigerit absoluet Episcopus, & si hunc sua alibi negotia tenebunt impeditum, Parochus, qui si aberit, in approbati cuiuslibet iure erit, dare postulanti, quod ei iuste negandum non videtur, vinculi sui scilicet ac censuræ laxamentum sed ea lege, vt cum primum ei erit expeditum ac facile, sistat se Papæ, aut datis ad eum literis impetret, excommunicationis à se contractæ solutionem, id si facere negliget, in excommunicationem reincidet priori non absimilem, de quo docendus ipse erit per Confessarium Henriq. & Auila *par.2. cap.7. dub. 6. concl.3.*

Iustæ autem Pontificis non adeundi sunt hæ causę, prima sexus fragilitas qualis est mulierum *cap. mulieres, cap. de cætero, cap. relatum de sent. excom.*

Secunda, ætas siue senilis *cap. quamuis de sent.* siue puerilis siue puberum propria *ca. 1. & cap. quamuis de sent. excom.*

Tertia mortis periculum in itinere *cap. non dubium cap. ea noscitur eod. titulo.*

Quarta paupertas, aut longa infirmitas, etsi non periculosa, *cap. quod de his de sent.*

A Quinta, cura animarum, quibus timetur, cum abesse ab vrbe Romanum iter coget *cap. ne pro dilatione de pœnit. & remissionib.*

Vniuersè quicquid hominum prudenti sensu, videbitur eiusmodi, quod excommunicatum à capessendo itinere in vrbem excusare valeat, eundem quoque absolutionis à censura qua tenetur, obtinendæ causa, licitè Episcopo submittet, vel in eius absentia, Parocho. *Similiter,* (inquit Tannerus *tom. 4. disp.6. q.10. dub. 6. num. 112.*) *si excommunicatus excommunicatione Papæ reseruata, propter* B *legitimum impedimentum, Papam, aut alium ab eo facultatem habentem, adire non possit, potest absoluere Episcopus, quod si nec Episcopum possit adire, Parochus, eoque deficiente, quiuis approbatus Confessarius.*

QVÆSTIO XXXIII.

An excommunicatus à suo Episcopo, possit absolui ab alio, in cuius Diœcesim postea transijt.

C DIco primò, *Excommunicatum per generalem sententiam ab eo absolui Episcopo posse qui præest loco, in quo domicilium constituit* ita Suarez *de censur. disp.7. sect.2. n.19.*

Ratio est, quod talis excommunicatio non est eius auctori reseruata, nec superiori, poterit ergo ab eius loci Episcopo absolui, quò excommunicatus migrauit, ibi sedem fixurus, vel habiturus, diuturnam habitationem. Præpositus *de censur. in communi dub.14. q.1. n.92.*

Dico secundò, *Etsi esset hæc excommunicatio reseruata Episcopo qui eam tulit, non tamen in* D *Episcopatu, vbi reus versatur, qui culpa sua illam in alia Diœcesi incurrit, posset hic nihilominus absolui,* Ægidius de Coninch. *disp. 14. dub. 16. num.258.*

Ratio est, quod reseruatio nõ sit nisi respectu Sacerdotũ, in quos reseruãs ius habet ac imperium, eorum enim potestatẽ per reseruationẽ cohibet, quodq; eis alioqui in causa pœnitentis tentare fas fuisset, efficit, ne amodo eis liceat sine culpa, operisque nullitate, sed Episcopus ad cuius Diœcesim excom- E municatus venit relicta propria, non est in iure alterius Episcopi, ab isto ergo frænos alienę potestati immitti, & Episcopum alterum ad cuius Diœcesim excommunicatus transit, ab absoluendis delictis quæ ipse sibi non reseruauit, nec decet nec licet.

Dico tertiò, *Excommunicatum per particularem sententiam, & de nomine, absoluendum ab eo esse, qui illam dixit,* quia de iure talis censura sic est ei reseruata, qui eam inflixit, vt permanentem in eo iurisdictionem sortiatur, te-

cundum Præpositum *dub.13.num.89.* excommunicando enim cum causæ cognitione ab eo lis est incepta, ergo, & eam terminari ab eodem iudice est necesse, Suarez & Coninch locis ante citatis, Laym. *lib.1.tract 5. cap.6 num.4.*

Dico tamen vlt. *Valde esse probabile, excomm. per particularem alterius Episcop. sententiam, ab Episcopo loci, in quo versatur, absolui posse, si sedem in eo sibi stabilem, firmamque delegit*, quia tunc ei tanquam superiori subest, hicque in eum vicissim iurisdictionem, quanta est ad absolutionem necessaria, obtinet, nihil est ergo rationis, quamobrem si hic velit, excommunicatum per particularem alterius Episcopi sententiam, reddere Deo, Ecclesiæque, per absolutionem contractæ ab eo censuræ, non possit: huiusque opinionis sunt Gabr. Vasq. *dub. 20. num. 5.* Turrian. *lib.2. de censur. disp.15. dub.5.*

Locum tamen hæc non habent in eo qui communicat cum excommunicato in crimine criminoso, præbendo ei scilicet fauorē, auxilium &c. seu in crimine propter quod censuram reus subiit, nā talis à nullo alio potest absolui, quam à conditore Canonis, vt est in *cap. Nuper 29. de sentent.*

Patet ex dictis, eum qui dum in alieno Episcopatu versabatur, excommunicationem incurrit, quia cōmisit in statutum, quo decernebatur vt, qui hoc aut illud admitteret, censeretur excommunicatus, à proprio suo Episcopo, cum in patriam redierit, reconciliari posse, quia talis eius excommunicatio, reseruata non est Episcopo, cuius legem est transgressus, estque de earum genere, quæ sunt à iure, quæ quia nulli sunt reseruatæ, possunt licitè ab approbatis remitti. Secus dicendum foret, si dies illi, lisque intentata fuisset à non suo Episcopo, quo tempore ille in sua Diœcesi trahebat moras, qua in lite, ob iustam eum causam Sacris moueri accidit, nam tunc ab eo reconciliari debet, non à proprio, eò quòd eiusdem sit liti finem imponere, à quo eidem datum est initium, Greg. noni fuit hęc opinio in decretali proposuisti 19. de foro competenti vbi est his verbis. *Proposuisti nobis, quod quidam subditus tuus, ad petitionem cuiusdam aduersarij sui, à te legitimè citatus ad causam, quia postmodum iurisdictionis alterius esse cœpit, tuum intendit iudicium declinare. Porro tuæ prudentiæ dubium esse non credimus, quod is in prædicta causa, ius reuocandi forum non habet, quasi ab illo iam præuentus,* Quibus verbis significat Pontifex, legitimè citatum, teneri coram iudice citante, causam prosequi, non obstante, quod post citationem forum mutauerit: verum est ergo, eius Episcopi forum non mutandum, à

A quo facta est rei citatio, aut causæ agitandæ, vel iam agitatæ inchoatio.

QVÆSTIO XXXIV.

An data absolutio sub conditione de futuro valeat.

SErmo hic nobis nullus. De absolutione à peccatis, hanc enim absolutam esse oportet, data sub conditione de futuro est sacrilega, & nulla.

B Ratio est, quod in nostra non sit, aut Presbyteri situm potestate, Sacramenti effectum suspendere: Christi enim voluntate, eiusdemque institutione, operatur cum est, est tunc verò, cum verba, in quibus sita est formæ ratio, proferuntur super materia, cum intentione debita, at qui Sacramenti effectum à conditione vult pendere, infusionem gratiæ, ac remissionem culpæ, dari non vult antequam impleatur conditio, quæ est absolutioni adiecta, quam tamen conferri

C tunc nō posse, fit ex hoc argumento perspicuum, quod forma, materiaque Sacramenti deerunt, cum esse incipiet conditio: ergo & illa.

Quid? quod apposita conditio de futuro Sacramentum reddit nullum, quia falsum, verba hæc enim *Absoluo te id operantur* haud dubie, quod innuunt, at de præsenti significant, ergo & peccata hic & nunc obliterant, at habet hoc conditio omnis de futuro, vt rem cui adiicitur reiiciat in tempus venturum, consequenter ne peccata deleantur,

D cum forma cui accidit profertur: est ergo falsa, proindeque sacrilega, ac nulla. Caiet. *in sum. verbo Confessio 5. num. 9.* Nauar. *in man. cap. 26. num. 12.*

Est hic ergo de censura duntaxat quæstio, & an his verbis concepta eius absolutio, *Absoluo te si restitueris*, sit valida. Taleq; esse, si Doctorum sensu, communique approbatione, iudicandum est de hoc genere, nemo aut pauci negant, & quidem pro vera ac efficaci eam habent magni Summarum scriptores Turrian. *de censur. lib. 2. disput. 24. dub. 1.*

E Henriq. *lib.13. ca. 19. num. 4.* Emman. Sa *verbo absolutio ab excommunicat. num. 2.* Theologi autem Suar. *de censur. disput. 7. sect. 8. num 11.* Coninch. *disp. 14. nu. 218.* Ludouicus de Beia *parte 2. casu 31.*

Ratio est, quod absolutio à censura, à sola voluntate absoluentis eiusque iurisdictione pendeat, ergo eam quibuscunque verbis visum erit ac modis, indulgere excommunicato poterit, sed his hypothesim, ac conditionem addi aliquam quid repugnat? maxime cum

cum ea sublata possit Superior nolle absolue-re, cuius oppositum de Sacramentali est absolutione censendum. Enimuero cum determinatam à Christo formam habeat, quæ mutari non debet, inest eius verbis, ex Christi instituentis virtute, ac meritis, delendi peccati vis ac potestas, quæ conditione eius effectum suspendente, impediri nequit nedum tolli, ob rationes initio quæstionis positas.

Confirm. data de censuris absolutio, cum conditione futuri euentus, nullo iure irritatur, ergo est licita, ergo & valida, si conditione posita, sub qua conceditur, censuram adimit, facit id vero, cum eam lex nulla reddat irritam, non positiua, nam proferri eiusmodi nulla potest, non naturalis, in quo enim se natura, ratioque læsas queri possunt, si quis è vinculis suis sinatur egredi, sub conditione secuturi effectus?

QVÆSTIO XXXV.

An inuito data absolutio à censura sit valida.

ESse, mihi rationes multæ persuadent, ac variæ, omnium sit instar. Quod per quas causas quid ponitur, per easdem & tollatur, *de regul. iuris reg.* 1. at est censura repugnanti inflicta, modo ex causa honesta, & iusta, valida rataque, ergo & eius absolutio.

Quid? quod hæc ex parte excommunicati, aliud non postulet quam culpam, vt irrogetur? quod eius relaxatio, absoluentis sit solius actio? quæ omnia falsa forent, si indulta censuræ remissio, consensum eius exigeret, quem ab ea solui conuenit.

Dubitationis autem est inter Scriptores non minimæ, ecquid similiter, data reluctanti nexus sui, vinculique remissio, sit permissa. Mihi in re satis ancipiti, dubiaque, distinctione vti ad plenam eius notitiam, videtur omnino non esse absonum.

Dico ergo primò, *Cum est excommunicatio promulgata ab homine, hanc quoque nolenti relaxari licitè*: Diu. Thom. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 8. Vasq. *dub.* 18. *num.* 14. quia non habet ea relaxatio vllius iniuriam, non remittentis, quia volenti non fit iniuria. Deinde ius non est ad seipsum propriè, ergo nec iniuria, quæ est iuris sui ab alio voluntaria transgressio. Nec est etiam in quo se violatum, in quo læsum, is verè dicere possit, cui inuito, ac nolenti indulgetur cēsuræ remissio, quia ius hic obtendere nullum potest, quo honestè possit, ac cum ratione obsistere, ne sibi per indulgentiā, ac caritatem superioris, à quo fuit pulsus de Ecclesia, ad eam reditus pateat, li-

A cita est ergo eius licet inuiti reconciliatio, licita absolutio, etsi absistere contumacia, culpaque nollet, propter quam excommunicationi subiacere est iussus Faber *de censur. in* 4. *sentent. dist.* 25. *q.* 1. *disp.* 4. *ca.* 8. *num.* 261. maxime verò, si Episcopo constet aut iudici, excommunicationem nō prodesse, nocere autem excommunicato plurimum, quia nec errorem deponere, nec peruicaciam obstinatæ mentis dediscere animum inducit: tunc enim (inquiunt Turrian. & Faber) absolui contra voluntatem, nolensque poterit.

B Dico secundò, *Cum est censura à iure, eiusque remissa, certæ sunt Papæ voluntate adiunctæ cæremoniæ, vt quod contractæ veniā deprecabitur, quod parti satisfaciet, aut facturum se promittet, hæc condonari remittique inuito non debet.* Quia culpæ deprecatio, satisfaciendi expressa promissio, vt voluntatem indicant repetendæ Ecclesiæ, ita & vitandę culpæ. Si tamen id iura non exigerent, si satisfactionis, ac tollendæ iniuriæ non meminissent, vti partis ad absolutionem necessariæ, etiam quæ iure esset contracta excommunicatio, inuito posset adimi, quia cum id iura non vetent, tacite censentur concedere vt fiat, cum cautione tamen triplici.

C Prima, quod in tertii detrimentum non vergat; sic enim læderetur æquitas, ac caritati aduersus Deum & proximum vis fieret. Secunda, quod scandali metus omnis absit.

Tertia, quod iusta sit aliqua existimandi causa futurum, vt quæ excommunicato censura oberat, ei profutura sit ad animi mutationem in melius, eiusdē tribuenda remissio.

D Dubium, *An solemni forma absoluendi à censuris prætermissa, valeat absolutio forma essentiali seruata.*

Valere sentiunt Doctores ferè omnes vt ait *Sylu. in verbo Absolutio* 3. *parag. sciendum est.* Villal. *in summa to.* 1. *tract.* 15. *diffic.* 24. *nu.* 5. antequam probetur notare placet modos, seu formas à censuris absoluendi duas esse, vna ad necessitatem pertinet, ad solemnitatem alia, prior quæ essentialis & intrinseca quoque dicitur, est in iis sita verbis, quæ remotionem censurę significant, vt sunt *absoluo te ab excommunicatione, relaxo tibi excommu-*

E *nicat.* Altera quæ appellatur extrinseca, seu solemnis, bipertita est; quædam enim consistit in eo, *vt fiat cum psalmo pœnitentiali Miserere & tam oratione Dominica, quam alia consueta,* Innoc. III. *in decretali à nobis* 28. *de sent. excom.*

Alia iuramentum habet, ab absoluente expressum de eo, cui datur absolutionis beneficium, quod amodò sanctè ac religiosè obsequetur mandatis absoluentis seu Ecclesiæ, cui iureiurando præceptum addi de-

bet, *in virtute iuramenti* vt loquitur Alexand. III. *in cap. ex tenore* 10. *de sentent. excommun.* quod in legem, seu canonem, ob quem violatum, excommunicationem incurrit, amplius non committet.

Tertio, exigenda est ab eo satisfactio, eaque ante absolutionem exhibenda, si potest, deprecatione offensæ, ac reparatione iniuriæ, quod si nequit, iubendus est præstare cautionem, aut pignoratitiam, aut fideiussoriam, etsi id non potest, saltem iuratoriam.

His præmissis dico primò, *Absolutionem quę datur à censura, ratam esse, dummodo habeat quæ ad eius essentiam pertinent, hoc est verba ad absoluentis intentionem exprimendam idonea*. D. Thom. *opusc.* 22. *de forma absolut. Sacramentalis cap.* 2. hoc enim absolutio à censuris à Sacramentali differt, quod ista vim suam verbis debeat, quæ habent efficaciam ex institutione diuina, quæ est causa, cur mutari sine certo formæ interitu nequeant, quod in altera non est timendum, eo quod verba, quibus coagmentatur ac constat, efficaciam suam habeant ab intentione dicentis vnde quibuscunque tandem hic vtatur, rata futura est ac valida, modo eius exprimendæ intentioni idonea, quare

Dico secundò, *Secluso contemptu, & scandalo, mortale non esse, cæremonias in absolutione excommunicationis adhiberi solitas, omittere*, Tannerus *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 10. *dub.* 6. *num.* 124. *dub.* 3. Auila *par.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 2.

Ratio est, quod nusquam præceptæ legantur esse sub eo rigore. Secũdo non est earum omissio absolutioni, eiusque efficaciæ opposita, vt enim ab earum præsentia vim non trahit, sed à voluntate sola absoluentis, idoneis verbis expressa, ita nec ei noxa vlla ex earum præteritione aduenit, cum nullas ex priuilegio Mendicantes adhibeant.

At satisfieri parti læsę, at à reo, hoc est excommunicato, iuramentum de obsequio exhibendo postmodum Ecclesiæ ac iudici, exigi Pontifices imperant, ergo si horum aliquid fuerit ex negligentia præteritum, non erit censuræ absolutio valida.

Neganda est conseq. primo, quia iuramentum in multis non exigitur, nec vero communiter nisi in piacularibus, magnisque delictis exigi posse scribit Antonin. *in* 3. *parte tit.* 24. *cap.* 77. & tamen valet sine eo data absolutio.

Secundo, Etsi non nisi satisfactione exhibita solui excommunicatus debeat, data ei tamen absolutio valet, eo quod hæc non pendeat à voluntate tertii, sed absoluentis, modo ne sit eius impedita iurisdictio.

At crebro satisfactionis vt conditionis cuiusdam ad absolutionem necessariæ fit in

A literis Pontificis mentio.

Respondend. cum adhibentur hæc verba *Satisfacta parte*, speciali cautela, & tanquam conditio sine qua non, hanc seruandã videri, datãque sine satisfactione absolutionem nullam esse, quia pendet hæc ex voluntate delegantis, qui ex hypothesi vult ad eius validitatem satisfactionem præmitti.

Quod si econtra inseruntur priuilegio, ac literis quibus absoluendi à censura facultas datur, quomodo ius ea commune accipit. Dicendum est, iis delegari potestatem, non

B restringi, sed per ea admoneri officii, eique dandam operam in primis, ne vis æquitati fiat, iniuriaque parti, proinde ei incumbere, vt non nisi satisfactione pro offensa, iniuriaque exhibita, excommunicatum reconciliet. Hæc autem verba, *In forma consueta Ecclesiæ*, non tam significant præscriptionem verborum, quibus vtendum est in absoluendo, quam rerum, quæ faciendæ sunt, cum excommunicatus absoluitur, quam interpretationem sequuntur, Anton. Diana 5. *parte tract.* 9. *resol.* 12. & Ludouic. de Beia *parte* 1.

C *casuum casu* 29. his verbis: *Quamuis iuris forma absoluendi excommunicatum regulariter seruanda sit, nihilominus si prætermittatur, non propterea inualida erit absolutio, quia cum hæc absolutio non sit Sacramentalis sed iudiciaria, quibuscunque verbis fiat, dummodo adsit absoluentis intentio, efficaciam habet. Adeo quod etiamsi in Bulla Papæ committatur potestas absoluendi secundum formam iuris, peccabit quidem confessor illam non seruans, nihilominus tamen absolutio erit valida, quamuis talis formanõ seruetur, quia*

D *non est intentio Papæ, nouam absolutionis formam inducere per illa verba, sed solum admonere confessorem, cui absoluendi potestas cõmittitur, id quod ad suum officium secundum iuris dispositionem pertinet.*

QVÆSTIO XXXVI.

Quæ sint de iure in foro conscientiæ iniungenda, post absolutionem censuræ.

E PRimo, imperandum pœnitenti vt animum ad mandata Ecclesiæ, iudicisque paratum in posterum afferat.

Secundo monendus est sedulo, de non violando amplius canone, vel constitutione in quam commisit, Alexand. III. *in cap. ex tenore de sentent.*

Tertio, iniungenda est ei pœnitentia, quæ iusta & æqualis eius culpis putatur & quidem sub peccato, si in Sacramento absoluitur eius excommunicatio.

Primo, quia ei incumbit ex officio curare ne

ro ne Sacramentum imperfectum sit ac mutilum, tale est, sine tertia eius parte, quæ est satisfactio.

Secundo, quia Christi vices agit in vindicanda illata Deo iniuria. An autem similiter, & cum ea obligatione pœnitentiam acceptare hic debeat Doctores disputant, Scotus *in 4. dist. 17. & 19.* Gabr. *dist. 16. q. 2.* Armilla *verbo Confessio parag. 29.* Sylu. *eod. primo, parag. 25.* Nauar. *Enchirid. cap. 26. num. 20.* Ludou. de Beia *pa. 3. casuum casu 3.* scribunt ad id eum non teneri, iterat eandem sententiam Nauar. his verbis: *Pro qua Scoti sententia adferri multa possent, quæ consulto omitto, eo quod videam, in Vrbe, & in orbe receptum, ne cuiquam denegetur absolutio, eo solo quod nolit acceptare pœnitentiam sibi iniunctam, modo habeat propositum verum satisfaciendi Deo, viuens per bona opera, & indulgentias, vel mortuus in purgatorio cruciatu horrendo.* Tuetur se hæc opinio argumentis plurimis.

Primo, quod cum pœnitentia, parte Sacramenti tertia, peccatorum remissio vinculum nullum necessarium habeat, nam & moribundo, nam ægro, nam imminenti in mortem, non necessario imponi vlla debet.

Quid? quod à Sacerdote pronunciari forma super pœnitente confesso, & contrito possit, nulla ei per obliuionem pœnitentia imposita, quod cum accidit, data ei ita bene affecto absolutio, crimina obliterabit omnia, non est ergo pœnitentiæ, quam satisfactionem dicimus, vis vlla ad productionem gratiæ, culparumque remissam in Sacramento: quid ergo peccaturus est pœnitens, si eam, vt ad hunc effectum non vtilem repudiet?

Secundo, si est acceptanda pœnitentia sub peccato, maxime quia id laborare pœnitentem est necesse, vt de admissis Deum placet, eique satisfaciat, at nec id est certum, & si foret, vtrumque facere pœnitens potest aliter, nempe in hac vita per bona, in igne purgante per supplicia, sibi tum irroganda cœlitus.

Tertio, non est obligatio sub mortali inuehenda vlla, nisi quæ lege diuina, naturali aut humana nititur, aut ex a petitur, at eiusmodi assignari nullam posse ad satisfaciendum in hac vita, pro peccatis remissis, docent Adrian. *de satisfact.* Medina *Codice de pœnit. tract. de satisfact.* de Beia *supra*, De diuina res est notior, quam vt vlli anceps esse debeat ac dubia, de Ecclesiastica similiter probatio facilis est, ac perspicua, quæro enim, vbi, à quo & quando est sancita? qui eam libri, quæ Concilia, historiæque continent? & quod eius impletioni tempus sit præscriptum? quorum nihil cum in monumentis sacris, aut profanis reperire sit facile, in eam mentem citati auctores eunt vt existiment pœnitenti non necessario vt ab omni sit peccato liber, pœnitentiam quæ sibi sit à Confessario, claue non errante inflicta, acceptandam esse, nec cum est suscepta, dependendam integrè ac vt Christianum decet, ex fide.

Qua de sententia, Theologi prioribus doctrina & eruditione nō impares, me auocant Richardus de S. Victore *in tract. de potestate ligandi ac soluendi cap. 8.* Magister *in 4. dist. 18.* Tradidit eandem sententiam Diu. Tho. *in eand. distinct. & in additionib. q. 18. art. 3. & in 3. parte q. 80. art. 2.* vbi his verbis est locutus: *Requiritur ex parte pœnitentis, primo quidem voluntas compensandi, quod fit per contritionem, secundo quod se subiiciat arbitrio Sacerdotis, quod fit per confessionem, tertio, quod recompenset, secundum arbitrium ministri Dei quod fit per satisfactionem & ideo Contritio, Confessio, satisfactio ponuntur partes pœnitentiæ.*

Mitto alios, quorum mihi si singulos enumerare vellem, ingens se turba offerret, negantium in pœnitentis iure esse, constitutam à Sacerdote à quo absolui petit, pœnitentiam recusare, aut datam, & acceptatam non obire.

Rationes quibus opinionem suam fulciunt, firmantque, præcipuæ sunt istæ.

Prima, Iudici quæ honesta sunt, ac iusta imperanti ex officio, parendum est sub peccato, *habet enim vim coactiuam* (inquit Diu. Thom.) *2. 2. q. 67. art. 1. alioqui eius iudicium non esset efficax*, possetque eius infringi ac eludi à reo sententia. Sed qui audiendis confessionibus in sacro conscientiæ tribunali Sacerdos præsidet, iudex est, eiusque absolutio iudicialis actus, ex *can. 9. session. 14.* Concil. Trident. ergo iubenti vt pœnam suscipiat, obsequi pœnitens debet.

Secundo, quæ iuris sunt diuini, violari sine culpa aliqua nequeunt, nam quid fœdius aut hominis dignitate indignius, quā vt Dei iussa quæ sunt sancta, quæ religiosa, sacrilego refigat ausu? id sane aggredi non modo est dictu turpe, sed cum horrendo coniunctum scelere. At est integritas Sacramenti pœnitentiæ, diuini iuris, cum eam Christus iubeat, quæ integritas stare sine satisfactione quî potest? quam tamen violat, qui pœnam sibi à Sacerdote iniunctam renuit, aut admissam non facit, sed ad purgatorium alterius vitæ ignem reiicit, ergo id ei non licet, ergo sub peccato eam suscipere susceptamque debet dependere.

Sit hoc igitur tertium Sacerdotis, in excommunicato absoluendo officium, illi pro offensa, iniuriaque, Deo vt pro facultatis suæ modo satisfaciat, imperare.

Quartum, culpæ pœnam æquare, quan-

cum in hac mortalitate licet homini.

Quintum malo medicinam remediis oppositis facere, vt si quis piorum cœtu, numeroque est auulsus, quia insontes maledictis proscidit, quia Episcopi famam nomenque fœdis suis factis verbisque afflixit, cogendus est deprecari veniam, laudatione compensare maledicentiam. Si quia veneri ac ventri plus æquo erat deditus, de Ecclesia est extrusus, ieiunio, cibi potusque parsimonia, in eam sibi reditum quæret. Paleis asellum pascendum esse non hordeo, pridem castissimus Hilarion monuit: Vt Diabolus intemperantiâ, & gulâ vitiis omnibus pandit aditum, ita virtutibus, quæ exulatum ab his animi monstris missæ erant, reditum ad hominem conciliat. In summa, vulneribus congrua Confessarius aptabit remedia, suauia asperis, vaniloquentiam, linguæque pruritum silentio, otium labore curabit, si commercia hominum in negotiis si in conuictu communi colloquia, si in eadem domo amicorum contubernia, contra legem Ecclesiæ excommunicatus appetiit, & habuit, hac pœna præceptoq; stringendus erit, vt à fidelium congressu aliquanto se tempore remoueat, solusque domi viuat. Quod si populares suos ac domesticos in fraudem exemplo suo impulit, si violandæ legis de vitanda excommunicati consuetudine. auctor illis, aut aliis extitit, errati veniam ab iis deprecabitur, cæterisque qui sciunt ab eo, cum excommunicatione damnatus esset, damnationis pœnam neglectam esse.

QVÆSTIO XXXVII.

Ne Episcopus in absolutione censuræ peccet, quid ab eo illi præmitti præter dicta, quæstione præcedenti sit necesse.

OLim quidem non nisi exomologesi facta, ac impositione manuum Episcopi, & Cleri recepta, reconciliari solitos, quos suæ culpæ ab Ecclesia extorres egerant, colligere est cuique facile, ex Cypr. *epistolis* 10. *&* 11. iuxta editionem Pamm. *libri autẽ tertij* 14. *&* 15. in priori enim, Presbyteros arguit quod temere pacem lapsis darent, citra conscientiam Episcoporum, vt magis ipsi perirent, & qui erigere se poterant, plus caderent. *Nam cum in minoribus*, inquit, *peccatis quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur iusto tempore, & exolomogesis fiat inspecta vita eius, qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit nisi prius illi ab Episcopo, & Clero manus fuerit imposita* Cypr. *epist.* 12. *illi contra Euangelij legem, ante actam* A *pœnitentiam, ante exomologesin grauissimi atque extremi delicti factam* (hoc est negatæ fidei Christianæ, blasphemiæque in Deum admissæ vt ipse scribit *epist.* 10.) *ante manum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam impositam offerre lapsis pacem & Eucharistiam dare, id est sanctum Domini corpus profanare audebant.*

Quæ de reditu ad Ecclesiam per excommunicationis remissam intelligi, planum facit hæc ratio, ex modo loquendi quo vulgo Cypr. vtitur, ipsaque adeo Elibertini Concil. sanctione petita. Sic ergo disputo.

B Qui eiurata fide Catholica, ad Gentilium nefanda sacra, turpi defectione transibat, huic, si culpæ pertæsus, Christũ vt ante propitium sibi cupiebat in Ecclesia, sacra synaxis vt excõmunicato, toto vitæ suæ tẽpore negabatur, concedenda tantum in morte, at lapsi cum multis essent aliis impliciti vitiis, tùm maximè de idolorum cultu, Christique seruatoris repudiata lege, ac honore infames erant, in excommunicatorum ergo albo numeroque locum habebant.

Confirmatur, communicationis in rediuina, humanaque priuatio, eius est censuræ C effectus, cui nomen est excommunicatio, arcere enim ac cohibere communicatione, phrasi Cypriano vsitata, idẽ est, ac expellere Ecclesia, cœtu piorum mouere, & excommunicare, *epist.* 41. iuxta editionem Pammelij 11. autem *lib.* 3. *Cum ex literis quas secum ferebant* (Mathæus Augendus & Longinus) *& eorum sermone Nouatianum factum Episcopum comperissemus, eos à communicatione nostra statim cohibendos esse censuimus*, & *epist.* 49. ad Cornelium de Nouati sceleribus. *Hanc conscientiam criminum, iampridem timebat, pro-* D *pter hoc se non de Presbyterio excitari tantum* (hoc est auctore Pammelio ibi suspendi à Presbyteri officio) *sed & excommunicatione prohiberi pro certo tenebat.* Est ergo communicationis priuatio, argumentum excommunicationis incursæ, longe apud Cypria. certissimum. Sed lapsi, erant ea pœna perculsi omnes, sint pro indicio iustæ eius querimoniæ, *epist.* 10. *quod cum in minoribus peccatis agunt peccatores pœnitentiam iusto tempore, & secundum disciplinæ ordinem ad exomologesin ve-* E *niant, & per manus impositionem Episcopi & Cleri ius excommunicationis accipiant, hoc vero tempore, persecutione adhuc perseuerante nõdum restituta ipsius Ecclesiæ pace, ad communicationem admittuntur, & offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi facta nondum eis manu ab Episcopo & Clero imposita, Eucharistia illis datur*, erant ergo excommunicati omnes.

Confirm. secundo, vult Cyprian. *epist.* 13 iuxta antiquam editionem 17. *lib* 3. vt qui

incommodo

incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, sic vt ipse adiri aut expectari nequeat ad eos reconciliandos, aut Presbyteri non sit copia, *apud Diaconos exomologesin facere delicti sui possint, vt manu eis imposita veniant ad Dominum cum pace*, ergo cum de peccatis absoluere hi non possint, Cypriani locus de excommunicatione lapsorum est intelligendus cui proinde ritu laudabili priscæ Ecclesiæ, præmittenda erat pœnitentia publica, culpæ exomologesis, quæ sanè non nisi Episcopi & Cleri impositione manuum remittebatur.

Secundo absolutioni præmittenda satisfactio, quod si inopia aut iusta alia causa eam tum non patiatur fieri, is qui est absoluendus vt licite absoluatur, iurabit primo, se quoque tempore id facturum, data si opus est læso cautione pignoratitia, aut fideiussoria, præterquã in hæresi, in qua nulla est necessaria, quod in ea agatur honor Dei, non res temporalis, satis erit ad explendum officium, si spondeat hæreticus, se dictum Dei honorem reparaturũ pro viribus, reuocando in viam, quos ab ea auertit, ad veram autẽ religionẽ, quos fraudibus suis ac sermone, ab ea, veraque fide abduxit, quæ quam sint sacris decretis Ecclesiæ conformia, patebit ex sequenti oratione quã additam reperi in Concilio Arausicano, sub Leone: *Cum aliquis excommunicatus vel anathematizatus pœnitentia ductus veniam postulat, & emendationem promittit, Episcopus qui eum excommunicauit, ante ianuas Ecclesiæ venire debet, & duodecim Presbyteri cum eo, qui eum hinc & inde circunstare debent, vbi etiam esse debent illi quibus iniuria, vel damnum commissum debet emendari, aut si iam emendatum est, eorum testimonio comprobari; Deinde interroget Episcopus si pœnitentiam iuxta quod canones præcipiunt pro perpetratis sceleribus percipere velit, & si ille terræ prostratus, veniam postulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, & de futuris cautelam spondet, tunc Episcopus apprehensa eius manu dextera in Ecclesiam illum introducat, & ei communionem & societatem Christianam reddat, & septem Psalmos pœnitentiales decantet cum istis precibus Kyrie eleison. Pater, &c. Post hæc secundum modum culpæ pœnitentiam ei iniungat & literas per Parochiam suam dirigat, vt omnes nouerint eum in societate Christiana receptum esse.* Hæc ibi.

Quæ de absolutione excommunicationis inflictæ duntaxat à iure, intelligi oportere, dixit Monaldus *in summa paragr. de forma absolutionis folio 66.* sed oppositum canon ipse citatus indicat, vbi de homine, dictaque ab eo sententia est sermo, Quæ autem excommunicatio est à iure, absolui quidem hæc de-

A bet, secundum Innocent. III. *in decretali à nobis 28. extra de sent. excomm.* hac forma, *vt fiat cum pœnitentiali psalmo, & tam oratione Dominica, quàm alia consueta, hæredes quoque ipsius, ad satisfaciendum pro ipso, si monitione præmissa noluerint, per districtionem Ecclesiasticam sunt compellendi*, cæremonias autem adhiberi omnes, de quibus fit in citato canone mentio, nulla necessitas; quare mihi huius authoris quoad hoc non probatur opinio, probanda tamen quoad cætera, vt quod absolui percussorem Clerici nõ deceat, nisi iu-

B ramento præstito, quod mandatis Ecclesiæ morem sit gesturus in posterum, nec proinde Monacho, aut Clerico manus illaturus vnquam, *nisi defendendo se in continenti id est, antequam se conuertat ad contrarium actum, aut de mandato suorum faciat prælatorum, vel nisi super eum prelationis officium habeat.* Monaldus *de excomm. maiore parag. de forma absolutionis.*

C

QVÆSTIO XXXVIII.

An absolutus ab excommunicatione in foro tantum conscientiæ, possit cum quolibet liberè, ac sine crimine congredi, perinde ac si in foro publico esset absolutionis gratiam consecutus.

NOn posse, hac maximè ratione suadeor, quod quibus causis quid ponitur, iisdem vt in regula iuris prima dicitur tolli debet, at est excommunicatus auctoritate Episcopi publica, publice à fidelium distra-

D ctus consuetudine, ergo ad eum, nisi de eius voluntate ac consensu, redire est licitum, nam quid æquius quam vt cui communio fidelium publica, iure est Ecclesiæ publico adempta, hæc eodem illi reddatur iure?

Quid? quod iusta Episcopo querendi causa exinde detur? quod scandali non minima leuisque, minutæ plebi? si quem suum scelus, Ecclesiæque imperia, remouent à turba, eiusque congressione ac sermonibus, palam cum ea colloqui, res negotiaque qua cæteri libertate inter se transigunt, cũ quoli-

E bet ausu mirabili habere liceat: quæro enim, vnde Episcopo, plebique de eius reconciliatione cum Deo, & Ecclesia, constare possit? quæ in arcano conscientiæ iudicio geruntur ac fiunt, lucem nesciunt, hominum conspectum ac aures horrẽt, nesciri volunt, silentium appetunt, quis ea, bonus è cœlo genius, populum edocebit? quis Episcopum? quare eiusmodi homini absoluto tantum in conscientiæ foro perinde ac ante, humana sunt vitanda consortia, nisi forte eorum, qui-

bus de eius absolutione constaret: cum quibus communicare eum posse scribit, Nauar. *tom. 2. consilior. consilio de excomm.* 15. quam tamen opinionem, vt lubricam, & intutam, reprobant Comitol. *responsion. lib. 6. q. 6.* & Couarr. *in cap. alma mater parte* 1. *relectionis parag. 2. num. 6.* quod qui semel est excommunicatus, sit habendus perpetuo pro tali, donec eum absolutum esse multorum fide, aut argumentis æque firmis, constiterit, quod ipsum confirmat Innocent. III. *decretalis* 28. *à nobis de sentent. excommunic.* nam in ea habetur: *quod quantumcunque se quis iuramento præstito, quod Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curauerit, quantacunque signa pœnitentiæ præcesserint, si tamen morte præuentus, absolutionis beneficium non potuerit obtinere, quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus.* Si tamen ex priuilegio, daretur ab excommunicatione absolutio, posset ex probabili quorundam sententia ita absolutus, Sacramenta recipere, sacro ministrare, vbi scandali metus abest, quod etiam procedere nonnulli aiunt, in casu, quo quis virtute priuilegiorum Mendicantium absoluitur, eorum hoc est vnicum fundamentum, quod his absoluta datur, ac indefinita censuræ remittendæ auctoritas & potestas, non est hæc ergo ad forum restringenda internum duntaxat, sine causa.

Secus dicit ac sentit Comitol. *responsion. lib. 6. q. 6.* nam quid ab eo dici contra poterat expressius, quam peccare, qui excommunicatum in interiori foro cõscientiæ, absolutũ ad diuina admittit? dixit Comitol. sic enim ille in citata *q. n. 3. Ego sane,* inquit, *Sacerdotem eum, qui eiusmodi excommunicatum in foro tantum conscientiæ absolutum admitteret ad diuina, & mortifera culpa, & suspensione, non item irregularitate teneri arbitrarer, nec secus de Sacerdote iudicatum iri prorsus affirmo.*

Sententia tamen opposita quam propugnant Auila *de censur. par. 2. cap. 7. disp. 3. dub.* 12. Acosta in explanatione Bullæ *q.* 50. Villalobos *to. 1. tract. 27. claus. 9. parag. 2. nu. 24.* Anton. Diana *tract. 11. primæ part. resolut. 26.* probabilis est, tutaque in praxi dummodo scandali nullum sit periculum, probetque excommunicatus absolutum se esse, testimonio Confessarii, à quo ad eius rei fidem schedam petendam esse, manu Notarii, sigilloque obsignatam dixit Rodrig. *in bulla parag. 9. num. 5.* & post eum Crucius *in director. conscientiæ par. 2. tract. de excommunicat. dub. 5. conclus. 3.* quam pro foro externo valere scripsit. Acosta, in iis censuris maximè quæ sunt à iure, & ita à sacro remouendum altari non esse, qui eiusmodi schedula se

A probaret ab excommunicatione ob percussum Clericum contracta solutum, quod absolutio *Bullæ cruciatæ* (idemque est de Mendicantium priuilegiis iudicium, secundum Dianam proxime citatum) *quoad censuras à iure latas, non solum prosit in foro animæ, sed etiam in iudiciali,* Diana *par. 1. tract. 11. resol. 26.*

Deinde de censuris latis ab homine, iisque promulgatis duntaxat Papa loquitur, cũ eas per Bullam & priuilegia, absolui pro foro externo posse negat, ne fori eius auctoritati

B fiat iniuria, iurisdictioque qua pollet, turbetur aut intereat, quare contra sic absolutum procedi potest non secus ac si de peccatis confessus non esset.

QVÆSTIO XXXIX.

An cum Roma, dantur discreto viro literæ, quibus ei sit potestas relaxandæ censuræ, possit eius absolutio, à peccatorum remissione seiungi?

C NEquaquam, primo quia diriguntur Confessario, non Petro, non Paulo, ergo cum onere confessionis excipiendæ eius, quem prædicta censura vinctum tenet, quæ si sunt vera, dicta est causa, qui à pœnitẽte deligetur ad hoc salutare ministerium, potestate sibi ad absoluendum tradita vti extra Sacramẽtum non poterit, nec proinde peccatis insolutis censuram remittere.

Deinde quam parum est verisimile Pontificem, ea prudentia ac pietate hominem,

D velle excommunicato liberum esse ad Ecclesiam reditũ, nec pro caritate sua conari, ei prius ad amicitiam cum Deo, bonamque frugem, absolutione à peccatis recepta, patere fores? quare sic statuo, suam à pœnitẽte Sacerdoti conscientiam explicandam esse, antequam eius beneficio liber à censuris abire queat, sicque à peccatorum Sacramentali absolutione, remissionem censuræ auelli non posse. Et quoniam quæ *discreto viro Confessario* mandata diriguntur, ad forum sunt restricta cõscientiæ, ab eo formam seruari non est necesse quæ est in capitibus

E ex tenore, & à nobis *de sentent. excomm.* à Romano præscripta Pontifice, ad iudicium enim hæc externum pertinet, cum quo interno, quid est commune?

QVÆSTIO

QVÆSTIO XL.

An à peccatis absolutus, non autem ab excommunicatione, qua se hic irretitum nesciebat, iterato ea explicare Sacerdoti debeat.

NEquaquam, quid signi? quid argumenti? nēpe confessionem iterari non oportet nisi cum fuit nulla, at talem esse nemo dixerit bona fide obitam, quam est sequuta absolutio, data ab eo, qui potestate ad eam rem necessaria erat præditus. Habet enim confessio vitium vel ex defectu contritionis vel integritatis in pœnitente vel iurisdictionis & intentionis in absoluente, nam cum pœnitens peccata sua more historico narrat, neque ex eorum commemoratione dolorem suscipit, vel verecundia impeditus, aut etiam dolose mortiferum aliquod peccatum occultat, præcepto confitēdi nō satisfacit, quare non potest absolui, sed de iisdem peccatis iterum debet apud Sacerdotem confiteri, sed de eo qui bona fide peccata sua Sacerdoti exposuit, non autem censuram quæ eum vinctum tenebat, nihil tale dicitur, habuit enim eius confessio contritionem comitem, aut certe attritionem eiusmodi, quam Deus exigit. Deinde anteactæ vitæ scelera, quæ recognouit, omnia ne vno dempto Sacerdoti explicuit, potestate ad absoluendum necessaria instructo, non est ergo illi necessario repetenda confessio.

Secundo, cum multa nos lateant, multa oculos etiam perspicaces ac lynceos effugiant, quibus Deus ab humana mente offenditur, quam nulli vnquam aut paucis quiescere fas foret, iuste, ac cum causa ambigentibus singulis, ecquid forte cum sunt confessi, censura irretiti tenerentur, à qua cum se absolutos nesciant, renouandæ confessionis legem sibi impositam, nec sine anxietate, mœstitiaque animi crederent, quo quid absurdius? minusque Dei benignitati ac clementiæ consonum? Quare ad explendum viri boni officium, vbi de culpa constiterit, cui lege Ecclesiæ, adiuncta censura erat, per obliuionem tamen aut ignorantiam iuris, vel facti, non fuit explicata confessario, satis erit hanc illi diiudicandam offerre, non sunt repetendæ cæteræ, quia prius sunt remissæ, cuius rei est hæc causa, quod Sacramento, per pœnitentis obliuionem aut ignorantiam, mora nulla, quominus esset efficax, afferri potuerit, *rem enim quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit, nec detrimentum ante prohibitionem possunt ignorantes incurrere,*

A *quod eos postmodum dignum est vetitos sustinere.* Gregor. *cap. 2. de constitut. & can. sine culpa de regulis iuris in 6. regula 23. sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*

Idem de eo sentiendum, qui se quidem de contracta excommunicatione reum in Sacramento confitētur, sed ei, à quo in eum beneficium remissæ censuræ, aut culpæ manare ac deriuari ob defectum potestatis nequeat, qua cum tamen, errore iuris, aut facti, probe munitum credebat pœnitens, B huic enim cum se illusum, cum se falsa alieni iuris opinione deceptum intelliget, nihil erit necesse confessionem, quæ rata fuit retexere, dabit operam, de excōmunicatione ab eo absolui: hoc tātum, causa est, quod etsi forte culpa Sacerdos non vacet, quod concessæ sibi facultatis terminos sit egressus, relaxando censuram, quæ iuris erat non sui, sed alieni, fuit tamen pœnitentis confessio valida, vt pote facta ab eo dolenter & integre, quam eius bonitatem euertere Sacerdotis imperitia, aut censura non remissa nequeunt, non imperitia, quia si ad tres actus C pœnitentis qui complectuntur omnes dispositiones ad remissionem peccati necessarias, accedat cum intentione debita, Sacerdotis absolutio, Sacramentum est ratum. Non excommunicatio, quia hæc à Sacramento, eiusque effectu non diuellit, quem bona fides, tā eius quàm culpæ illi cōiunctæ ad Sacerdotis genua, veniam deprecantem aduoluit. Quid ita vero? Nempe Sacramentum nunquam non in bene præparatum pectus gratiam transfundit, at à bona fide, cum qua pœnitens tam admissa, quam censuram à se con- D tractam ad Sacerdotem affert, habet hic vt Sacramento obicem, eiusque effectui producendo non ponat, non facit ergo excommunicatio, Sacerdoti narrata, qui ad eam absoluendam putabatur idoneus, ne sit confessio rata ac valida.

QVÆSTIO XLI.

An possit à Regulari absolui percussor Clerici.

E POsse, responderūt pridem Rodrig. *to. 1. qq. Regul. q. 61. art. 8. & 5.* Nau. *in manuali cap. 28. num. 42.* Vega Minimus *in summa verbo Absolutio casu* 28. Sane id Societatis nostræ hominibus à Paulo III. concessum esse, fidem eiusdem Societatis priuilegia faciunt. Est hæc tamen regulari priuilegiato, antequam reum percussi Clerici absoluat, tenenda cautio, vt ab eo, læso satisfieri det operam: Satisfactio hæc vero par esse in omnibus ac æqualis non debet.

Primo si illata est plaga, si factum vulnus cui sanando expēsas fieri oportuit, erunt hę restituendæ ante omnia, si nullum est inflictum, nec percusso aliquid præter honorem aut æstimationem in populo interiit, restitutioni pecuniariæ locus nullus erit, quia cum fama, dignitate interuallis propè infinitis pecuniam id est vile fortunę membrum superet, inter hanc & illam, æqualitas esse nulla potest, nec proinde restitutio, quæ cum sit commutantis iustitiæ actio, tantum refundere læso, tantùm redhibere, iniuriam passo debet; quantum reparantis opere improbo, ei contra ius, fasque est ademptum, vnde est hæc ergo petenda, & ad quas regulas reuocanda satisfactio? iniuria enim facta Clerico à percussore, necessariam ei legem imponit. cùm damni sarciendi, si quod percussus subiit, tùm compensandæ iniuriæ.

Primo si præter honorem, nihil ei percussio abstulit, nulla percussori imperanda est restitutio, vt paulo ante est dictū, nec enim honor æstimationem recipit, cum in rebus humanis sit nihil, quod cum merito ac dignitate exæquet, id quod sacræ confirmant literæ, cum aiunt Prouerb. *melius esse bonum nomen quàm diuitias multas.*

Secundo præter expensas, in morbi curationem factas, (si quo tamen ex vulnere est affectus) lucri præterea cessantis, tempore morbi ratio habenda erit, eiusque ante absolutionem datam, exigenda erit à percussore reparatio, ratio est, quod eius per iniquam actionem sit causa.

Tertio, *Quoniam reparatio inæqualitatis, existentis in actionibus, & passionibus, satisfactio nominatur, sicut reparatio inæqualitatis existentis in rebus restitutio*, Diu. Thom. *in* 4. *sent. dist.* 15. *qu.* 1. *art.* 5. *quæstiuncula* 1. *ad* 1. locum autem habet præcipue satisfactio in iniuria, & contumelia, quæ si tolli nequeunt, mitigari certe, ac leniri conceptus ex illis dolor mœstitiaque potest, eamobrem, reum violati Clerici, verbere aut pugnis ei infractis absoluēdum non credo, nisi petita prius venia de illata ei iniuria, id quod canones non pauci, ipsaque adeo æquitas exigit, vt ex superius dictis constat.

Qui tamen in honore suo propugnando, quem Clericus qui est percussus iniuriose appetebat, alapam ei aut verbera intulit, non tantum præstabit, quãtum præstari ab eo est necesse, qui non inuasus in caput Clerici, corpusque irruit: ita Ludou. Portel. *par.* 3. *casuum casu* 37. *n.* 2. Iul. Clarus *in sua praxi criminali* §. *iniuria nu.* 14. & auctor Repertorij inquisitorum verbo *iniuria parag. si prouocas,* ibi enim habetur, *quod prouocatus ad iram, si* A *verbo, vel facto iniuriam faciat prouocanti, non teneri iniuriarum*, quam in sententiam it Nauar. *ad can. si quis reatus de pœnit. dist.* 1. *nu.* 4. *parag. tertio quod.*

Ex communi igitur sententia, si quis in famæ suæ defensione Clericum percutit, tractari debet hūmanius, quam si vltro ac sponte, & non prouocatus intulisset iniuriam.

Quarto, sentiendum idem, cum Clericus, nullius est domi forisque rei ac nominis, vno verbo, cum est eius vita, ob anteactæ vitæ scelera infamis.

B Quinto si percussus fuit aggressor, si hic prior, hominem inter suos nobilem, iniuria affecit vt enim hic se tuēdo, culpam suscepit nullā, ita nullam contraxit obligationem satisfaciēdi pro iniuria, nam hanc propulsauit, non fecit, *neque ex eo, quod iure fit, obligatio oritur, quā gignere solet, quod fit iniuria*, Comitol. *lib.* 4. *respons. q.* 11. Aut si nascitur aliqua, non tamen eiusmodi, quæ deprecatione veniæ, aut abiectione supplici ad pedes læsi Clerici elui debeat. Etsi enim hic verbis læsit, facta his quoque addidit, nocere voluit, iniuriam C Laicus retudit, vim repressit, hominem male mulctatum domum remisit, quid hic habet Clericus quod queratur? aut qua re maxime factam sibi reparari iniuriam appetit? quam ipse Laico primus inflixit, illa ipsa, quam recepit compensatur, hac æqualitate, ac qualicunque compensatione contentus esse debet, supra si quod postulat, iniuste ac sine ratione postulat, Ludouic. Portelius 3. *par. casuum casu* 37.

Neque tamen percussorem liberum esse D volo à præstando iuramento, quod Ecclesiæ morem geret amodo, sibique temperabit in posterū à vi inferenda Clerico id enim Honorius Papa exigit in *c. super eo* 51. & *c. venerabili* 52. *de sent. excomm. Ac si infirmitatis tempore, timore mortis beneficium fuerit absolutionis ei indultum, iuramento præstito eidem debet iniungi, vt postquam sanitati fuerit restitutus, ad Roman. Ecclesiam, vel eius legatum accedat, mandatum Apostolicum super talibus recepturus*, Clem III. in decretali *ea noscitur* 13. *de sentent. excomm.*

Quod tamen iuramentum, cum virtute E priuilegii, à Mendicantibus excommunicatus absoluitur, necessarium non esse, scripsere Reginald. *lib.* 1. *cap.* 19. *sect.* 3. & Portelius *loco ante citato.*

Causa est, quod priuilegio suo Pontifex regularibus facultatem tribuit dispensandi cum istiusmodi hominibus, ne se sibi offerant, Romamque eant.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XLI.

An excommunicatum, excommunicatione qualibet, hoc est tam maiore, quam minore scienter & extra necessitatem absoluere liceat à peccatis, & non ab excommunicatione, & si id fiat, an sit Sacramentum validum.

DIco primò, *Peccare mortaliter, qui pœnitentem à peccatis soluit, prius quam à censura.* Causa est,

Prima, quod contra præceptum Ecclesiæ, admittere ad Sacramenta, qui eiusdem est voluntate, ac lege, ab iis exclusus, culpa sit non modo obedientiæ, sed & Religioni opposita, cum ea indigno, cum immerenti communicet, quod sacrilegij instar habet ac speciem. Sed hoc habet omnis excommunicatio, vt à Sacramentorum participatione passiua, quotquot sunt ea vincti remoueat: vt est expresse *in decret. si celebret. finali, tituli de Clerico excom. ministrante.*

Secunda, Ecclesia excommunicatum à diuinis officiis remouet, eidem ad Sacramenta aditum prohibet, Sacerdoti, ne illi ea quãdiu eo vinculo illigatus hæret, cõmunicet, imperat, at est inter diuina officia numeranda confessio, vt pote religionis actio, ad Dei cultum promouendum in hominum animis maximè vtilis, quam ei tamen obire, quam frequentare Patrum decreta vetant, *in can. Engeltrudam vltimo, causß 3. q. 4. & 24. q. 1. can. quacunque 27.* his verbis: *Quicunque ab vnitate fidei, vel societatis Petri Apostoli quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni cœlestis ingredi.*

Sanè vetat Innoc. III. *in decretali à nobis 28. de sentent. excomm.* ne cum excommunicato, quandiu non relaxatur eius vinculum, etsi de eius reconciliatione cum Deo constaret, communicare fideli liceat, at quæ maior esse potest communicatio, quam in Sacramentorum vsu, hæc ergo ministrare excommunicato, excommunicatione eius durante non licet,

Dico secundò, *Absolutionem Sacramentalem excommunicato datam, ab eoque receptam, esse validam, nec proinde iterato de iisdem peccatis, confessionem instituendam esse necessario.*

Pars prima probatur, Si est Sacramentum scienter excommunicato collatum, bona tamen fide ab eo susceptum, inane, ac nullum, defectum hunc oriri est necesse ab Ecclesia quę ita censuit, aut à Sacerdote, cui omnis est ab illa adempta iurisdictio, aut ab excommunicato ipso.

A Non primum, quia id nullo iure est cautum.

Non secundum, nam ab eo, nihil est admissum, quamobrem iurisdictionem suam amisisse dici queat, cum potestate sibi ab Episcopo tradita vt supponimus, ad eorum remittenda peccata, qui de ea re supplices illi fient.

Non vltimum, quia nusquam legitur, excommunicatum de subiectione Sacerdotum passiua substractum esse, bona ergo fide si se illis absoluendum à peccatis obtulerit, id beneficium consequi poterit, etsi eo-
B rundem improbitate, non prius censuratum sibi vincula, quam peccatorum sint exempta.

Secundo sunt Sacramenta reliqua, excommunicato collata, valida, rataque, vt probatum est antea, quam non est ergo creditu facile, solum pœnitentiæ Sacramentum cassum esse, cum excommunicatio reddat tantum eius receptionem iniquam, non inualidam?

Quare nostrę sententiæ patrocinantur Richard. *in 4. dist. 18. art. 10. qu. 4.* Angelus
C *Confessio 5. parag. 20 & Confessio 1. parag. 20.* Caietan. *in summa verbo absolutionis impedimentum,* Nau. *Enchir. ca. 9. n. 4.*

Contrariam tamen tuentur Paludan. *in 4. dist. 17. q. 6. art. 3* Diu. Antonin. *in 3. parte tit. 14. cap 19. parag. 4. casu 5.* nec modo irritum ac inane Sacramentum esse, ei collatum quem excommunicatio maior irretitum tenet, sed etiam illaqueatum minore, dixerunt supradictæ defensores sententiæ, Soto excepto, qui illud in *4. dist. 22. q. 1. art. 1.* valere ait datum excommunicato minori
D excommunicatione, non item maiore.

Dico tertiò, *Sacramentum pœnitentiæ ab excommunicato, suspenso, interdicto denunciatis publicè, aut notorio Clerici percussore datum, ratum esse non posse ac validum.*

Causa est. quod absolutio iurisdictionem exigat in dante vt valeat, qua carent tamen qui sunt de eorum hominum genere, quos notat assertio. Innocent. ipse auctor in *cap. ad probandum 24.* de sententia & re iudicata, vbi sententiam, quæ à iudicibus delegatis
E lata erat, de electione custodis, infirmandam ait, *quod vnus ex iudicibus delegatis, qui eandem sententiam protulerant, excommunicationis vinculo publice esset innodatus quando sententia lata fuit,* & *cap. veritatis 8. de dolo,* ac contumacia, ea in irritum reuocat omnia, quæ Curiensis Episcop. *post inhibitionem Apostolicæ sedis, seu factam suspensionem & excommunicationem, de rebus Ecclesiæ alienare præsumpserat,* cuius rei causa haud dubiè non alia, quam quod excommunicatio in quam

culpa sua lapsi ambo erant, ius vtrique dicendę sententiæ, resque abalienandi Ecclesiæ, ademisset.

An autem similiter ad condonationem venialium, sit aliqua iurisdictio necessaria, qua cum denunciati careant, ab eorundem absolutione excidant, controuersantur auctores, & in eorum concedo sententiam, qui partem sibi affirmantem tuendam existimant, sunt hi vero qui sequuntur Prepositus *in 2. par. q. 2. dub.* 8. *num.* 49. Auila 2 *par. cap. 6. disp. 13. dub. 1. conclus.* 3. quid enim impedit ab Ecclesia suspendi ex causa potestatem, quæ Sacerdoti cuilibet inest remittendæ culpæ leuis, ac humanæ?

Hoc Gabrieli Vasqu. non probatur *in 3. parte tom. 4. q. 93. art. 1. dub. 6. num.* 8. quod credat Sacerdoti cuilibet, iure diuino, in noxas humanas, hoc est veniabiles iurisdictionem competere, eique semper ac quolibet tempore earum respectu, materiam applicatam esse, quo ex principio infert, pręciso qui denunciatus est publice, aut percussori Clerici notorio, ne de venialibus cognoscat in tribunali sacro conscientiæ, interdici non posse, ad effectum Sacramenti impediendum efficaciter. Sed ab hac opinione deducit me hæc ratio. quod in cœnobiis, vbi primus disciplinæ viget ardor, non cuilibet adire quemlibet confessionis causa sit permissum, sed duntaxat ab eo designatos qui præest domui, à quo solo absolui cœnobitę valeant, hos vero arcessere criminum, quæ venialia grauitate superent, quam est ab eorum pietate, ac sensu quem insidere de ea, optimo cuique est necesse, alienum? & tamen minuta eorum errata, leues culpas, Presbyteri à Superiore audiendis fratrum confessionibus minime designati vetantur absoluere: est hæc ergo eorum iurisdictio respectu venialium, iuris Ecclesiastici, sicut & mortalium Diana quinta *par. tract. 9. resol.* 4.

QVÆSTIO XLII.

An aliqua sint tempora, in quibus fas sit parte ante non satisfacta, Clerici percussorem notorium absoluere.

NOn hic loquimur de Clericis bigamis qui degunt in matrimonio, nam his priuilegia non competunt, quæ Bonifac. VIII in constitutione sua de Clericis coniugatis, quæ incipit, *Clerici qui cum vnicis de Clericis coniugatis in 6.* illis tribuit, *qui cum vnicis & virginibus contraxerunt si tonsuram & vestes deferant Clericales vt priuilegium re-* A *tineant canonis 17. q. 4. can. si quis suadente.*

Nullus similiter sermo hic nobis, de Clericis, quos passim vagari constat, sine lare sine tecto, non modico famæ suæ, ordinisque detrimento, de cæteris intelligēda est quæstio, & quanquam iure nouo Concil. Trid. sit cautum, *sess. 23. cap. 6. vt Clericus prima tonsura, aut quatuor minoribus ordinibus insignitus fori priuilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum aut tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ, ex mandato Episcopi inseruiat, vel in seminario Clericorum, aut in schola, vel in vniuersitate, de licentia* B *Episcopi, quasi in via ad maiores ordines versetur,* eos tamen canonis priuilegium retinere, sibi responsum esse ab Eminentiss. Cardinali Caraffa, quem ea de re consuluerat, scribit Comitol. *respons. lib. 1. q. 54. & lib. 6. q.*

De his ergō Clericis, quos constat palam esse tales, quæritur, an cum sunt ignominiose, ac cum iniuria tam sua, quam ordinis ab aliquo habiti, offensæ iustam vllam causam aut querelæ habeant, si hic Deo reconcilietur, & Ecclesiæ, ipsis si minus reclaman- C tibus ac inuitis, attamen non placatis antea satisfactione competenti ac congrua.

Mihique minime est dubium, sæpe iis nullam esse, temporaque in quibus ea prius non exhibita, absolui reus potest ad tria referenda esse.

Primum est, cum hic appetitus, iniuriam iniuria compensauit,

Secundum, cum est adhuc in potestate Patris aut Tutoris, nam si ad verba, verbera addidit, ac vulnera, quibus curandis impensas in Medicos fieri oportuit, nec hic habeat D bona vlla castrensia, aut quasi talia, quibus contracta hæc nomina expungat, nolitque Pater filii loco soluere, eaque læso suppeditare, quibus exacerbatus eius animus placetur, absolui debebit filius sine satisfactione data, vel oblata, vel eius cautione.

Causa est, quod impossibilium nulla sit obligatio, at filio nihil quod læso pro impensis refundat, suppetit in re familiari vt supponitur, nec patri eius supplere vices est certum, cum ad id non teneatur, quando- E quidem non est ad damnum per eum datum cooperatus, vt tenent Iul. Clarus *in praxi crimin. q. 86. num. 3. & 4* Less. *lib. 2. de iustitia cap. 9. dub. 17. num. 12.* Cogi tamen debebit filius, deprecari veniam delicti sui à Clerico, eidemque sanctè ac religiose polliceri, nihil se postmodum commissurum eiusmodi de quo iuste possit conqueri.

Tertium est, cum Clericus oblatam sibi ab eo satisfactionem, eamque quæ delicto æqualis esse iudicabatur à viris prudentibus acceptare

acceptare renuit, absolui similiter hic poterit, quod enim æquitas, ratioque postulabant facturum se recepit, nec est tamen à læso Clerico admissus, si quid ei, de iure suo postmodum in recuperandis impensis deperibit, sibi imputet, non alteri, qui obtulit sed effectu inani ac casso.

Idem dicendum, cum percussoris desideria votaque satisfaciendi, læsus protrahit, cum de die in diem reiicit, petitiones eius omnes eludit, nam quis tum credat, Ecclesiam, matrem vtique pientissimam, velle vt is quem facti sui pœnitet, non sine salutis suæ periculo, precibus suffragiisque careat fidelium? & quia Clerico parum pio, parum de sua salute, famaque sollicito, sine causa iusta vlla sic est placitum, Sacramentis, eorumque vsu priuatus gemat?

QVÆSTIO XLIII.

An qui veniales culpas remittere in conscientiæ foro potest, possit & censuras reseruatas nemini.

NEquaquam, causa est, quod Innoc. III. *in decretali nuper 29. de sentent. excomm.* id duntaxat licere velit Sacerdoti proprio, vel Episcopo, at nomen Sacerdotis proprij, ad Parochum duntaxat, eosque qui illius authoritate, aut Papæ, à mortali possunt absoluere, pertinet ergo, &c.

Ex quo sequitur Sacerdoti simplici, & non approbato ad confessiones, relaxandæ minoris excommunicationis ius non competere.

Causa est, quod hæc tolli nequit, nisi facultate ei concessa, quem illa stringit recipiendi Sacramenti, at hæc potestas nusquam Sacerdoti simplici tributa legitur, aut si eam iure diuino, vel Ecclesiæ positiuo possidet, locus ostendatur ex quo ea erui possit ac debeat.

QVÆSTIO XLIV.

An data ab excommunicatione absolutio, satisfactione parti non præstita teneat, maxime si exhiberi poterat.

QVæstioni cum distinctione respondendum est quam facilitatis causa duplici assertione explicabimus.

Prima assertio, *Absolutio data à superiori antequam absoluendus satisfaciat parti cum potest, etsi sit illicita, est tamen valida.* Habet assertio duas partes, in priori dicitur, absoluentem

A peccare, in secunda, quod ille tamen facit, facere valide, vtraque probatur.

Prima quidem sic, violatio Canonis aliquid præcipientis, maxime cum eius prætereundi iusta causa nulla afferri potest, nunquam non est inferiori illicita, quia in canone qui violatur, superior læditur eiusque imperium, quod non fit sine peccato, at *in decretali 23. ex parte de verborum significat.* edicitur Episcopis, & aliis, ne excommunicatum Ecclesiæ reconcilient, antequam parti satisfecerit, quod eius reconciliatio facta aliter iniuriam læsi habeat, cui timendum est,
B ne obtento beneficio absolutionis, eius aduersarius officium negligat, ac vt ante, ei molestus esse pergat.

Secunda probatur, ad valorem absolutionis, sufficit voluntas eius impertiendæ ab eo qui potest, expressa verbis. At superior gaudet potestate absoluta ad absoluendum, nec est hæc restricta ad tempus, aut conditionem, qua tamen ex hypothesi vult vti, in bonum postulantis, ergo si reuocatur ad
C actum, tenet.

Secunda assertio, *Absolutio data à delegato Papæ, aut Episcopi, contra formam mandati, de non absoluendo ante satisfactionem, est nulla.* Ita Caiet. *verbo absolutio §. penult.* Suar. *disput. 7. sect. 5. num. 41. de censur.* Nauar. *cap. 27. num. 32.* Cappeauilla *cap. 10. de forma absolutionis.*

Probatur primo. *ex cap. cum dilecta 22. de rescriptis cap. venerabili 27. de offic. delegati,* vbi reddita à delegatis sententia, contra quam eis fuerat à delegante præscriptum, dicitur fuisse nulla, ab Honorio quidem III. *in cap.*
D *37.* ab Innocent. item III. *in cap. cum dilecta citato,* vbi processum delegati, *contra formam rescripti & iuris ordinem attentatum, irritum decernit ac inanem.*

Secundo, cum delegatus authoritate ad absoluendum careat, nisi accepta à delegante, eatenus vti ea valide & licite ei est permissum, quatenus, & quomodo, superiori deleganti videtur. At conditio addita potestati datæ delegato à delegante, quod excommunicatum non absoluet, nisi satisfactione parti plene exhibita, circunstantia est, sine qua, delegans vult absolutionem à
E delegato datam esse nullam. ergo &c.

Probatur minor, non potest iudex sine culpa, ante satisfactionem læso præstitam, velle vt absolutio sit valida, cum tam ipse, quam delegatus, eam reo impertiri nequeant, satisfactione non exhibita sine læsi iniuria, magnaque proinde iniustitia, si prætereatur, ergo cum caritas quæ cuique aduersus alium sincera esse debet ac vera, credere vetet quemquam peccare, aut eius peccato consensum dare, nisi de eo clara ha-

beantur indicia, iusta cuique credendi est causa, potestatem non esse à delegante datam delegato, absoluendi excommunicatum ante satisfactionem læso factam, ergo.

Quæres quid iuris, cum Papa dat extraordinariam potestatem absoluendi cum his verbis, *Forma obseruata iuris*, & an absolutio sit valida cum non obseruatur ista forma.

Respondet Henriq. *lib.13.cap.28.parag.1.* absolutionem esse inualidam.

Nauar. contra *cap. Vlt. Enchiridij num. 37.* validã esse affirmat, ratio est, quod cum dicitur *satisfacta parte*, vel *seruata iuris forma*, si aliud non addatur, sit potius admonitio eius, quod ab absoluente omitti nequit, quam conditio necessaria, vt rata sit, ac valida eius absolutio, quia quando Papa vult aliquid adiicere ad eius validitatem, dicere solet, eam aliter datam esse inualidam ac nullam, quod cum hic non afferat, argumento est velle eum vt valeat, quare valet *absolutio data virtute mandati Papæ, ad absoluendum secundum formam iuris, quamuis ea non seruetur, vt valeret facta sine illa, ab ordinario authoritate ordinaria*, Nauar. *cap.27. num.37.*

Quid si ob peccatum, non alteri quàm eius auctori noxium, censura est inflicta?

Negat Cypr. *in tract. de lapsis num.65. ante offensam placatam indignantis Domini, & minantis, pacem peccanti excommunicato dari oportere, concessamque videri nullam*, indicant hæc eius verba. *Non est* pax illa (quo nomine reconciliationẽ cum Deo intelligit) *sed bellum, nec Ecclesiæ iungitur qui ab Ecclesia separatur, quid iniuriam beneficium vocant? quid eis qui flere iugiter, & rogare Dominum suum debent, intercepta pœnitentiæ lamentatione communicare se simulant?*

Respondend. Cypriani & Episcoporum sui temporis talem fuisse sensum, vt scribit ipse *in epist. ad Antonian. de Cornel. & Nouat.* 52. nec quenquam extra mortis probabile periculum absolui potuisse, ex mutuo eorundem pacto, ac consensu, non peracta prius publica pœnitentia, vt est in commentar. Pammel. ad hunc tractatum. Hoc tamen tempore quia alia sunt Episcoporum iudicia, mens Ecclesiæ alia, cuius est interpres praxis ipsa, ab expiata conscientia, à repurgata culpis anima, vno verbo à mitigato numine, solutione iustæ pœnæ pro delicto, remissam censuræ non pendere, & ita ante satisfactionem obitam postulanti dare posse.

QVÆSTIO XLV.

Explicantur quædam dubia circa absolutionem datam aut dandam à censuris.

DVbium primum, *An absolutio data ex causa falsa, aut iniusta, sit valida.*

Respondeo valere, causa est, quod ad valorem eius, voluntas habentis potestatem, exterius expressa sufficiat, at cum causa iniusta & falsa, stare potest, tam volũtas, quam potestas absoluentis, ita sentiunt Sa *verbo absolutio num. 14.* Couar. *in can. alma, parte 1. parag 11. num.14.*

Equidem vt est *in cap. 16. de sentent. in 6.* potest quis sine vlla sua culpa præuiafactis interdici, ergo & absolui sine causa.

Excipiendi sunt duo casus primus est, cum qui ob plures causas est excommunicatus, superiori censuram duntaxat vnam explicat, suppressis aliis, *cap. cum pro causa 27. extra de sentent.* vbi Innoc. III. Lugdun. Archiepiscopo præcipit, *vt si ei constiterit, Archidiaconum ob duplicem causam excommunicatum, expressisse tantum alteram in literis, quas super absolutione sua impetrauit, ipsum tanquam excommunicatum, satisfacere pro altera, monitione præmissa cogat.*

Secundus est, cum absoluendus veram causam tacuit, & narrauit falsam, nec fuit eius superiori propositum, potestate sua vti; nisi vera dixerit, sic Alexand. Papa tertius *in cap. ex parte 5. extra de officio iudicis ordinarij*, interrogatus enim à Cantuar. Episcopo, an qui occultatis excessibus suis, pro quibus absolutionis beneficium, per sedem Apost. meruerant, pro absolutis essent habendi, si veram excommunicationis suæ causam celassent.

Respondit, cum est id certum, censura compelli eos oportere, vt ad sedem Apostolicam absolutionis causa redeant; extra hos duos casus, data absolutio ex falsa causa, aut iniusta tenet, secundum Sylu. *verbo absolutio num. 13.* Sa *absolutio ab excommunicat. num. 14.* Nauar. Enchirid. *cap. vltimo num. 35.*

Dubium secundum, *An censuræ absolutio vi extorta teneat?*

Respondeo non valere, si vis iniuste illata est absoluenti: Ita Gregorius X. in Concilio generali Lugdunensi & refertur in capite *absolutionis beneficium vnico, de his, quæ vi metusque in 6* eam enim auctoritate Apostolica viribus vacuat. *Ne* (inquit ibi Pontifex) *sine vindicta, violentiæ. crescat audacia, eos qui absolutionem seu reuocationem huiusmodi vi vel*

vi vel metu extorserint excommunicat. sententiæ subiacere decernimus.

Debet autem ad hanc primam incurrendam metus esse grauis.

Secundo, indirectè saltem incuti, in ordine ab absolutionem obtinendam, alioqui non tam erit causa absolutionis, quam eius occasio, & consequenter non poterit dici extorta esse per vim aut metum.

Tertio debet metus esse iniustus, nam si eius inferendi causa aliqua reo iusta suppetit, absoluitur valide.

Est similiter absolutio censuræ irrita, quæ datur, aut impetratur fictione dolosa, errorem atque inuoluntarium efficiente.

Ratio est, quod absolutio à voluntate, seu intentione absoluendi libera, proficisci debet, at quæ fraus in impetrante, erroris est causa volitionem liberam tollit, ergo impetrata absolutio cum fraude istius generis, est nulla, Sanch. *lib. 2. moral. cap. 12. num. 9.* Suar. *de censur. disp. 7. sect. 6 num. 12.*

Valet tamen absolutio ab eiusmodi vinculo data absenti per literas, & nuntium, aut repugnanti ac inuito. Ita Sotus *in 4 dist. 22. q. 2. art. 3.* Henriq. *lib. 13. cap. 29. num. 1.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 9. num. 14.* Suar. *de censur. disp. 7. sect. 7. num. 4. & sect. 9. in fine.* Nauar. *cap. 26. num. 14.*

Causa est, quod pœnæ vt absenti imponi possunt, ita & ab his eximi: nam quid prohibet, homicidam, qui latitat, aut in fugam se dedit, ne in manus veniret iudicis, damnari posse capitis? at sunt censuræ spirituales, ac Ecclesiasticæ pœnæ: ergo vt ignoranti ac absenti possunt infligi, modò nota sit eius contumacia, ita & eidem remitti, sola voluntate potestatem habentis, dummodo ea humano modo sit significata & expressa.

Idem de repugnante ac inuito dicendum, nisi forte pertinaciter persisteret & in crimine cui excõmunicatio est annexa, nã talem absoluere nemo potest nisi canonis author: Suar. *disp. 7 sect. 7.* Laym. *lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 6 num. 9.*

Dubium tertium, *An censura de qua cum obligatione Reincidentiæ est quis absolutus sine noua eius culpa redeat.*

Prima assertio, *Si excommunicatio, eiusque effectus suspenditur ad actum aliquem, aut tẽpus, in quo consistit absolutio cum reincidentia,* secundum Nauar. *cap. 27. num. 277. eo elapso, redibit illa sine nouo crimine.*

Probatur quod excommunicatio vim suam in excommunicatum non exerat, à voluntate oritur iudicis, cui sic est placitum ob iustam aliquam causam, ergo vbi velle desierit vt excommunicatio excommunicatum

A non liget prima eius vis, obligatioq; recurret, at velle desinit, cum eius suspensioni certum tempus præstituit, ergo eo finito, reditura est excommunicatio.

Secunda assertio, *Noua culpa nulla, ab inobedientia virtuali distincta, est in excommunicato necessaria, vt hic in antiquam suam censuram relabatur, si ab ea est absolutus cum obligatione reincidentiæ, si non poneretur conditio, cum qua fuit illa remissa,*

Est contra Nauar. 27. *Enchirid. num. 277.* Stephan. de Auila *parte secunda cap. 7. disp. 3.* B *dub. 14.* Henriq. *lib. 13. cap. 29. num. 2.* Ægid. *disput. 14. de excommunicatione dub. 16. num. 216.*

Et probatur, vt censurarum absolutio, à superioris voluntate, expressa verbis, iisque sufficientibus pendet, ita & earum retentio, sed superiori sic est placitum, vt qui reus est violatæ legis, ideoque excommunicatus, antiquis suis reuinciatur nexibus, nisi hæc, aut illa, quę in eius fuere absolutione designata, faciat, ergo eorum pręteritio est excommunicationis futura reuolutio.

C Secundo, qui effectus à conditione futura pendet, ista cessante, & ille cessat, at excommunicationis solutio, tam à voluntate superioris pendet, eaque efficaci, quam à conditione ei apposita, restitutione scilicet rei ablatæ, aut aditione superioris, cum erit commodum, ergo nisi hic adeatur, aut restituatur res ablata, non sequitur excommunicationis absolutio.

Obiicies vel excommunicatio absolute fuit remissa, per absolutionem reo datam cum reincidentia, vel secundum quid, nempe quia eius vis suspensa fuit, itaut secun- D dum se, & in actu primo manserit, non primum, quia quæ absolutè sunt ablata, hæc redire nequeunt nisi de nouo producantur. Non secundum, quia excommunicatio secundum ius ordinarium, ac communem vsum non suspenditur, noua ergo culpa est necessaria, vt antiqua censura redeat.

Dicendũ ad minorem, cõmuniter nõ suspendi excommunicationem, nec eius effectum à iudice, quia eius voluntas absolute fertur & sine conditione ad eam remitten- E dam, secus tamen euenire posse, vt accidit in casu præsenti, quid enim vetat, ita liberari aliquem ab excõmunicatione, vt nisi satisfecerit iterum incipiat ea ligari, sine vllo nouo suo peccato, cum id totum à voluntate absoluentis pendeat, qui censuram haud dubie, eiusque effectum potest suspendere, cum id minus sit, quam tollere, qui autem minus potest, possit, & id quod est maius vt patet, non est hæc tamen suspensio propria absolutio, sed imperfecta, & secundum quid, ex

quo sequitur, excommunicatum ab excommunicatione toto illo medio tempore non esse liberum, sed eam quæ illum tunc non ligabat, nisi quasi in actu primo, incipere iterum ligare in actu secundo.

Obiicies, non potest denuò quis ligari excõmunicatione noua, sine nouo peccato, at qui reincidit in excommunicationem de nouo ligatur, cum absolutus à prima excommunicatione fuerit. Maior est falsa, excommunicatio enim quæ redit, proprie noua non est, sed vel prior, quæ absolute non fuit ablata, sed tantum pro certo tempore, & pro reliquo sub conditione, qua non posita, vel excommunicatio redit propter peccatum antiquum, aut quod est probabilius, noua aliqua priori similis, quæ à iure ipso infligitur, ob inobedientiam & contemptum virtualem, qui in eo est, quod excommunicatus ea non faciat, quæ facturum se promiserat, vel conditionem non impleat, cum qua ei data fuit absolutio.

Dubium quartum, *An qui excommunicatus à suo Episcopo domicilium aliò transfert, ab Episcopo loci in quo degit, absolui possit.*

Assertio prima, *Si excommunicatio per generalem tantum sententiam in eum est lata, tam qui præest Episcopatui in quem excommunicatus transiit, quam Sacerdos ex approbatis quilibet, eam dissoluere cum fructu poterit.*

Probatur, excommunicationis quæ lata est per generalem sententiam, eadem est ratio, ac eius, quæ est quidem à iure, sed non reseruata, secundum Couar. *in can. alma parte 1. parag.* 12. Nauar. 27. *num.* 44. Henriqu. *lib.* 13. *cap.* 28. *num.* 5. At est ista, in Sacerdotum iure, qui audiendis confessionibus de superioris licentia dant operam: ergo, &c.

Assertio secunda, *Excommunicatus per specialem sentẽtiam Episcopi, de cuius Diœcesi, transiit in aliam, absolui non potest ab eo, cuius esse incipit Diœcesanus, ac subditus*, quia excommunicatio ab homine, remitti ab eo debet, & non ab alio, ne ille queratur factam sibi iniuriam, iurisque ordinem perturbatum esse: At quæ per specialem sententiam infligitur, est talis, manat enim ab homine in hominem, cum designatione eius speciali, ac propria, culpæque ob quam est irrogata à proprio iudice.

Confirmatur Benedictus XI. *in Extrauag. inter cunctas de priuilegiis*, inter casus iure reseruatos Episcopis, declarat esse crimen cui ius excommunicationem infligit, multo ergo magis excommunicationem specialem in hominem reseruari iisdem est credendum: id enim & iurisdictionis ordo postulat, & decorum, vt à nobis est in summa non le- A uium auctorum sententia, & coniecturis nimiè captiosis ostensum.

Quid? quod si secus factitaretur, audacibus, & ad omne scelus paratis, elabendi è suorum iudicum manibus, via muniretur prope certa, meritaque de peccatis deuitandi supplicia, cum in alienas Diœceses illico ac quid eos contra Deum, aut proximum consciscere, casus feret, migrare valeant, ibique tam à culpa, quam censura ei adiuncta à loci Episcopo absolui, quo quid magis veri absimile?

B Confirm. nulla ratio suadet dari à proprio Episcopo, alieno Sacerdoti potestatem maiorem absoluendi suum subditum peregrinantem, aut in aliqua Diœcesi commorantem, quam concedat à se approbatis, sed his ius nullum est remittẽdæ excommunicationis specialis ab homine, ergo nec alieno.

Secundo cum causa agitari coram aliquo iudice est cœpta, de ea cognoscere nequit alius isto abnuente, quia beneficio inchoati
C iudicij, notitiæque de præsenti controuersia habitæ, iurisdictionem quasi permanentem in ea, cæterisque omnibus quæ ad eam pertinent, sibi comparauit, qua potestate priuari nequit sine iniuria: At causa vt supponitur, cœpta est disceptari, ac discuti apud alium iudicem, quam eum, vbi nunc excõmunicatus versatur, cum ex hypothesi, is qui Diœcesi præest vnde discessit, eum excommunicauerit, quod non nisi causa cognita fieri potuit, aliter peccasset & tam censura, quam eius absolutio, ad causæ complementum pertinent, ergo ab eo indulgenda erit eius
D remissio qui intulit.

Confirm. Episcopo in cuius Diœcesim quis commigrat maior & amplior absoluendi à censura, & peccatis reseruatis potestas non competit, quam Sacerdotibus suis Episcopus reseruans, aut excommunicans dilargitur, aut excommunicato tribuitur, cum ei conceditur vt confessarium sibi eligat.

At cum Episcopus *suo subdito* (verba sunt Pontificiæ sanctionis) *concessit vt sibi posit idoneum eligere confessorem, ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reseruantur, nullam habet potestatem*, vt est in de-
E cretali Bonifac. VIII. *si Episcopus de pœnitent. & remissionib. in 6.* ergo nec Episcopus, in cuius Diœcesim, excommunicatus eo excommunicationis genere, de quo est sermo, secedit, nam quis ambigat eam sibi Episcopum reseruatam esse velle, nec ab alio, quam à se soluendam?

Dubium quintum, *An si excommunicatus ab homine Religioni det nomen, ab eius prælato absolui possit.*

Respondeo posse, si per generalem sententiam

tentiam aut statutum dicta est in eum sententia, non autem si est appellatus de nomine, & per specialem sententiam, caussaque ad forum contentiosum deducta, exclusus est de Ecclesia, nec enim Pontificem Romanum decuit, Religiosis quidpiam permittere, quod exitiale esset disciplinæ Ecclesiasticæ, vergeretque in dedecus, ac contemptum Ordinariorum, cuiusmodi eam potestatem esse. dixere viri doctrina iuxta, ac innocentia conspicui, eo quod viam ad audaciam munit, multisque contemnendæ authoritatis publicæ, ac Episcoporum, occasionem tribuit. Hæc illi.

Mea tamen est opinio, talem si sit in Mendicantium cooptatus familiam, ab eorum superiore absolui posse, vt à delegato summi Pontificis, cuius indulgentia, priuilegioque, potestate est ad id necessaria præditus.

Dubium sextum, *An pœnitentiariis in Cathedralibus, aut priuilegiatis in Cœnobiis, communicare aliis facultatem liceat, quam habent à Pontifice absoluendi à reseruatis.*

De omnibus casibus negant Paludan. *in 4. dist.* 17. Cappeauilla *cap.3. de potest. excommunicat. q.1.* Aloysius Riccius *in praxi fori Eccles. par. 1. resolut.* 419. Zerola *in praxi pœnit. cap. 25. q. 17.* Homobonus *de casibus reseruatis parte 1. cap. 5.*

Causa est, quod delegatus ad nudum ministerium subdelegare nequeat, sed Religiosis sola Sacramenti ministratio, aut absolutio à censura tribuitur, vices ergo suas cōmittere in hac materia non possunt alteri, sine expressa ad hoc Papæ licentia.

Propositio vtraque Gregorij noni authoritate longe est certissima, fidem facit hæc eius oratio *in cap. quoniam* 43. *de officio iudicis delegati*, Cæterum (salua legatorum sedis Apostol. authoritate) *nulli cui commissum fuerit prædicare crucem, excommunicare, vel absoluere aliquos, dispensare cum irregularibus, liceat hæc de cætero aliis demandare, quia non sibi iurisdictio sed certum ministerium potius committitur in hac parte.*

Posse tamen Regulares, casus alicuius particularis, ac indiuidui, in facto occurrentis, absolutionem alteri committere valide, ac sine culpa, scripsit Diana *prima parte tract. 17 miscellann. resolut.* 53. Ad Pœnitentiarium quod attinet, credo similiter ab eo quemcūque de approbatis, ad solutionem casus alicuius, de his quos sibi reseruauere Episcopi, honeste posse substitui ac cum fructu, non autem ad omnium, Piasecius *in praxi parte 2. cap. 1. num.* 35. nisi hoc ei fuerit expresse ab Episcopo concessum.

Pars prima, quæ est de casu aliquo speciali sic probatur. Ordinario cum aliis, quos ad

A eam rem idoneos credit, authoritatem suam communicare, omni iure est permissum: at habet Pœnitentiarius in multorum opinione, locum inter Ordinarios, cuius rei sunt hæc argumenta.

Primum, quod Cathedralis Ecclesiæ sit membrum, quod in ea gerat magistratum, præbendamque de multis vnam obtineat, cui audiendarum confessionum adiuncta est prouincia, iusque vice Episcopi absoluendi à casibus ipsi reseruatis, absque aliqua alia eius facultate, secundum Piasecium *cap. &*
B *num. proxime citatis*, Cappeauilla *ibi casib. reseruatis cap. 3. q. 1. difficult. 2.*

Secundum, quod ita Ecclesiarum omnium vsus habeat, sic praxis ferat communis Episcopatuum omnium.

Tertium, quod ei authoritate Concilij *sess. 24. cap. 8.* distributiones quotidianæ negari non debeant, etsi præsentibus tantum eas dari oporteat, dummodo quo tempore sit officium, confessionibus audiendis vacet, verum est ergo, eius præbendæ officium cohærere publicum confessionum excipiendarum in publico Episcopi loco, proinde-
C que esse ordinarium.

Pro parte altera, nempe quod alteri subdelegare Pœnitentiarius nequeat potestatem absoluendi de omnibus nisi hoc ei fuerit expresse concessum ab Episcopo, sic probatur. Delegatus ad nudum ministerium, iterum subdelegare non potest, nisi hoc ei expresse concedatur, *cap. vltimo parag. cæterum de officio delegati*, talis est multorum opinione Pœnitentiarius respectu casuum omnium occurrentium; & non alicuius in particulari: ergo, &c.

D

QVÆSTIO XLVI.

Quinam excommunicati modo sunt vitandi.

OLim quidem, hoc est ante tempora Constantiensis Concilij, excommunicati excommunicatione maiore vitandi omnes erant, eoque modo, quo de eorum excommunicatione, ac censura, cuique constabat, qui ergo publice, hoc est è superiori
E loco, in frequenti plebis cœtu, de piorum numero resciSsus erat, hic ab omnibus, corā ac publice, vbi, ac quoties eorum se offerebat conspectibus, vitandus erat, priuatim autem ac occulte, cuius excommunicatio occulta erat, ac paucorum, aut vnius duntaxat comprehēsa notitia, sic enim Clem III. *in decretali cum non ab homine 14. de sent. exco. Cōsultationi tuæ respondemus, quod à cōmunione illius qui pro sacrilega manuum iniectione in Cle-*

ricum, in edictum excommunicationis incidit, licet denuntiatus non sit, debet abstinere, nisi forte id tibi soli pateret, in quo casu ipsum priuatim tantum modo euitabis quandiu ab Ecclesia toleratur: vt saltem verecundiæ rubore suffusus, pro latenti excessu, satisfacere compellatur, & in Concil. habito in palatio Vernis habent hæc Patres *can.9. Qui scienter cum excommunicato communicauerit sciat se esse excommunicatum*, similia fere habent, *Sardicense can.16.* Carthagin. & Aquisgran. sub Ludouico Pio *can 54.*

Iam vero post Basileense & Constantiense Concilium, duo tantum excommunicatorum genera vitari debent, denuntiatorum scilicet nominatim, ac eorum qui aliquem percussere Clericum notoriè, ac palam. Et quanquam secundum Basileense Concilium, in perceptione & administratione Sacramentorum, diuinis officiis, aut extra ea, teneantur singuli excommunicatos, modo notorie sint tales, etsi non denuntiatos fugere, in quo à Constantiensi differt, isti tamen standum est, non illi, quia talis est Doctorum sensus, Antonini 3. *part. tit. 26. cap. 3.* Caiet. *in summ. verbo excommunicatio. Minor* Henriq. *lib.13. cap.5. nu. 1.* Ægid. *disp. 14. dub. 2. num.9.* Auilæ 2. *parte cap. 6. disp. 2. dub. 2.* quem praxis vniuersa fidelium, approbata per Ecclesiam confirmat, ac stabilit, nec enim religioni ducimus, rem negotiaque cum hæreticis in communi congressu habere, cum iis viuere, domi ac foris versari.

Quod cum id Pontifice vidente fiat, ac tacente, ab eius consensu confirmati Constantiensis Concilii argumentum, quoad hunc articulum peti debet, & quanquam id non esset, quod tamen ex Basileensi affertur, momentum non haberet.

Primo, quia quoad hoc, aut non fuit confirmatum, Ægid. *teste loco proxime citato*, aut non fuit decretum hoc canonicum, vtpote factum postquam est ab Eugen. IV. reuocatum, sicut ex Turrecremata secunda parte summæ Ecclesiasticæ *cap.* 100. refert Auila 2. *parte cap.6. disp. 2. dub. 2.*

Sunt autem ij nominatim excommunicati, primo quorum nomen expressum est in sententia, aut aliquid est huiusmodi in ea adiectum, ratione cuius distinctè nosci possunt, ab omnibus, vt quando dicitur qui præest Ecclesiæ tali v. c. sit excommunicatus, *qui natus est tali patre & est eius primogenitus, sit Sacramentis priuatus Ecclesiæ.*

Dixi *distinctè*, quia persona ita declarari debet, vt de ea ambigendi nullus sit locus, quare si duo erunt in ciuitate cognomines, hoc est eiusdem nominis, eæ adhibendæ notæ erunt, quæ vtrumque sic separent ab inuicem, vt de excommunicatione, à qua eorum alter afficitur, dubium supersit nullum.

A Neque eum de nomine, ab Ecclesia reiectum esse, est satis, vt promiscuè vitari debeat à plebe, eum quoque publice denuntiari est necesse, id est publicari sententiam, in eum latam, vel voce iudicis, aut alterius eius loco, vel schedulis loco publico affixis, quæ nomen excommunicati, eiusque crimen contineant.

B Causa est, quod id Concilia, Basileense & Constantiense, *ad euitanda scandala exigant*, Concilij sunt hæc verba, *ad euitanda animarum pericula, statuit sancta Synodus, vt nemo deinceps teneatur aliquem ratione alicuius sententiæ, vel censuræ vitare in Sacramentorum receptione, vel administratione, vel in aliis rebus externis, nisi talis censura sit specialiter publicata, & denunciata contra aliquam personam.*

Dixi necesse esse excommunicatum publice denuntiari, nam vt vitari debeat, non sufficit quod iudex in suo prætorio, audientibus causidicis, eorumque clientibus, eum

C fugiendum esse admoneat, de eo fideles doceri oportet in loco publico, vt templo, quo maxime tempore frequens est in eo hominum concio, vt in missa, vel in foro communi vrbis, aut templi valuis, per schedas, inibi de ea re affixas, quas cuique legere, & inde Ecclesiæ voluntatē ac iudicium intelligere sit promptum. Ita Glossa Clem. primæ *de sepultura verbo publice*, Armilla *verbo excommunicatio num.60.*

Secundo sunt ij censendi nominatim excommunicati, & denuntiati, quos Episcopus

D id fecisse publice denuntiat, quamobrem authoritate legum ac voluntate Pontificum, est eorum congressus, optimo cuique declinandus ne peccet, nam hoc ipso quo crimen commisisse dicitur, cui est ipso facto annexa excommunicatio, quamuis ante excommunicatus nominatim non fuerit, sed tantum generaliter per sententiam impositam, est tamen vitandus, non secus ac si de nomine, excommunicationis censura affectus esset.

E Ratio est, quod declarare iuridice aliquem excommunicatum esse, idem sit virtute ac implicite, ac eius commercium in communi vita, ac sermone singulis interdicere.

Est id tamen Ecclesiastico iudici laborandum in primis, vt excommunicati famæ nominique consulat, ne eum violatæ legis, quę transgressorem excommunicatione ipso facto subeunda punit, reum esse declaret, nisi prius citatum, iussumque pro se loqui, ac dicere, quæ accusato in sua causa licent, quia condemnari

condemnari nemo debet nisi auditus, conuictusque: vel sponte confessus, *can. notum sit 2. qu. 1. cap. quamuis de pœnis in 6.* nec sine iudiciario ordine *can. in summa 2. q. 1.* Glossa *fin. in cap. Ecclesiæ de constitut. can. iudex 2. q. 1. can. nihil contra 2. q. 1.* ob eam causam denuntiari excommunicatus nemo potest, nisi per suum iudicem Nauar. *lib. 5. consil. de sentent. excommunicat. consil. 3.* quia de eo in- A stitui debet quæstio, crimen discuti, audiri testes, citari reus, eumque de se confiteri, aut alieno conuinci testimonio est necesse, antequam fecisse crimen, cui iure excommunicatio adiuncta erat, ipso facto, declaretur ab Episcopo, eius Officiali, aut Vicario, declaratus autem vitari peræque debet, ac si nominatim excommunicatus foret, in quo autem iam est videndum.

Aa ij





TRACTATVS TERTIVS,

DISPVTATIO QVARTA

DE EXCOMMVNICATIONIBVS OB damnum temporale ferri ab Episcopo solitis.

QVÆSTIO PRIMA.

An pro temporali damno ferri posit excommunicatio.



VPPONO primo, excommunicationem pro damno temporali aut rebus deperditis, à nullo præterquam Episcopo, communiter & ordinariè concedi posse, & cum conceditur, id ab eo non nisi re ante diligenter examinata & discussa fieri posse, Trid. *sess.* 25. *cap.* 3.

Suppono secundo, ab Episcopo censuram recuperandis rebus amissis negante, ad Archiepiscopum appellare fas cuique esse, Prosp. de August. *in additionibus ad Quarantam in summa Bullarum verbo Archiepiscopi authoritas*, quia de grauamine, ad alium qui est iudice superior, appellare licitum cuique esse, dixit, Glossa *in cap. Romana verbo minus legitima de appellat. in* 6.

Suppono tertio, vacante sede, posse Capitulum per se, aut Vicarium quem sibi administrandæ Diœcesi substituet, monitorias literas (vt loquuntur) dare postulantibus, quia in his quæ sunt iurisdictionis necessariæ Episcopo succedit Capitulum, Barbosa *de officio & potestate Episcopi allegatione* 96.

Suppono quarto, monitorias eiusmodi literas, pro excommunicatione nullas dari in criminalibus, Riccius *in praxi decis.* 278. *& resol.* 240. Barbosa *in alleg.* 96. *num.* 32. & alij

A apud eum.

Causam hanc vterque reddit, quod earum concessio, irregularitatis periculum habeat, quid est enim aliud, impellere aliquem censuræ metu, ad crimen cuius causa quis est necandus explicandum iudici, quam eius ingulum petere? vim eius vitæ, ac fortunis inferre? vno verbo eum indirectè de medio tollere? cum eam notitiam mors sit secutura certissime. Quare secundum stylum Curiæ Romanæ, hæc clausula dictis literis inseritur, *Nolumus autem quod ex reuelatione hu-*

B *iusmodi, si eam fieri contingat, nisi pro ciuili interesse, & ciuiliter tantum agi posit, alias reuelatio ipsa, nec in iudicio, nec extra, fidem faciat.*

Prima assertio, *Potest pro damnis temporalibus excommunicatio à iudice Ecclesiæ concedi:* ita Trid. *sess.* 25. *cap.* 3.

Probatur, potestas Ecclesiæ, etsi primo & per se spectet spiritualia, indirectè tamen attingit temporalia, vt sunt hæc ad illa necessaria, at salus fidelium promouenda, maximeque eius, à quo res aliena possidetur cum

C iniuria, est quid spiritale. Restitutio vero, quid temporarium, ergo imperari hæc cum censura poterit, vt facit ad bonum animæ.

Secundo, nemo ambigit, peccata lethalia censura plecti posse à Præsule, at in bonis quis suis opibusque, lædi potest non vulgariter, ergo & in furem aut damni authorem excommunicatio ferri. Eam sane Concilium *sess.* 25. *cap.* 3. infligi non vult *nisi ab Episcopo, & tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ eius animum moueat.*

Quod ad monitoria attinet non sunt hæc, ad

ad finem reuelationis, cum pœna excommunicationis dari solita, concedenda de facili, & nonnisi pro re graui, ab ipsomet Episcopo, posse tamen ea etiam per eius Vicarium generalem indulgeri, si hæc facultas ipsi fuerit ab Episcopo expresse concessa, respondit S. Congregatio, vt testatur Genuens. *in praxi cap. 1. num. 1.* & Piasec. *in praxi Episcop. parte 2. cap. 4. de pœnis art. 13. de excomm. n. 4.*

Secunda assertio, *Id tamen ex quo damnum temporale redundat in alium, & cuius causa impetratur excommunicatio, debet ita esse cognitum, vt tamen eius author nesciatur.*

Probatur, literæ non dantur monitoriæ nisi in subsidium, id est cum argumenta desunt, faciendæ fidei necessaria, quoque tempore cognosci aliter veritas non potest, Trident. *sess. 25. cap. 3* Lazar. *de monitoriis sect. 1. q. 15. num. 3.* proinde eas imperare nihil est necesse, cum reo arma suppetunt, quibus de hoste victor euadat, hoc est cum pro se, contra illum argumenta habet, quibus eum admissi maleficij peragat apud iudicem, vt testes, aut instrumenta omni fide maiora, Henriq. *lib. 13. cap. 17. num. 4. litera B.*

Enimuero facile est cuique, cum author sceleris, publica est fama, aut sui ipsius confessione cognitus à seculari iudice obtinere, vt istud ille (quod exigit æquitas) capite, aut ære luat.

Secundo peruerti ordinem, quem in Republica à principe aut magistratu poni, ad multorum salutem & commodum oportuit, res est eiusmodi, quam probare prudens nequeat, at cum iudex, quem eam ob rem, præfectum esse foro princeps voluit, ius suum vt cuique redderet authorem scit criminis, nec in eum quæstionem instituit, nisi post impetratas ab Ecclesia monitorias literas, ordo turbatur, administrandę Reipublicæ ratio pessundatur: ergo & impetrare excommunicationem in pœnam criminis, cuius scitur author, cum hoc sit secularem potestatem ad Ecclesiam, præpostero transferre ausu, eiusque vsurpare iudicium, Auila teste, vbi supra.

Quare Galli Antistites tam suo ipsi instinctu, quam Concilij *sess. 25. cap. 3.* prohibentis ordinario, *vt quandocunque executio realis, vel personalis in qualibet parte iudicij ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo quam definiendo censuris Ecclesiasticis,* Galli (inquam) Præsules eas non concedunt nisi attestante iudice, sibi satis de authore facti, de quo habetur quæstio non constare, ac proinde metu numinis, ad eius reuelationem, conscios per censuram adigendos esse, ergo cum author scitur, factumque est cuique peruium,

A aut testes sunt ad manum, qui delictum probent, concedi talis excommunicatio non potest.

Excipit casum Auila *partis 2. cap. 5. disp. 2. dub. 1.* in quo de recuperandis bonis Ecclesiæ agitur, vel detentis ab aliquo de Clericis, nam etsi hic, & illi, à quibus Ecclesia læditur, omnibus sint noti, in eos tamen vibrare censurarum suarum tela, Ecclesia potest, dummodo tamen ante sit alia experta remedia, vt comprehensionem pignorum, &c.

Nec id modo est necesse, sed hoc insuper, B vt damnum cui reparando Diræ Ecclesiasticæ impetrantur, sit notabile Trident. *sess. 25. cap. 3.* vbi Concilium Prælatos admonet vt non nisi *sobrie, magnaque circumspectione; & pro re non vulgari, causaque diligenter examinata quæ eorum animum moueat,* spiritalem suum ensem distringant, ne contemnatur: adhibitus in paruis rebus, *perniciem parit potius quam salutem,* Trid. *supra.*

Atenim quando detrimentum plusquam mediocre, graueque est censendum?

Existimat Riccius *resol. 238.* Barbosa *de officio Episcopi allegat. 96. num 31.* Curiæ Ro- C manæ praxim habere, vt non dentur excommunicationes illæ, quæ præmissis monitionibus, ad finem reuelationis pro rebus deperditis conceduntur, aut auersis, nisi rei acceptæ valor, summam aureorum 50. excedat, licet non vna, sed multiplici manu, vicibusque repetitis sit vero suo, legitimoque subducta domino.

Sed est regnorum omnium, Galliæque præ cęteris stylus, praxi huic oppositus, res enim per se loquitur, pro summa huic impari, longeque minori, monitorias huiusce- D modi literas concedere Episcopis in more esse, ad quos spectat, considerata loci consuetudine, vel petentium paupertate, iudicare quæ summa sit grauis, quæ leuis.

Respectu pauperis, summam viginti aut triginta ducatorum, obtinendis vbique monitoriis sufficere, scripsit Piasecius *in praxi parte 2. cap. 5. art. 13. de pœnis num. 14.* quæ tamen in alia persona diuite, leuis creditur; hancque esse causam ait, cur Romę concedi non soleant, nisi pro summa ad minus du- E centorum aureorum Genuens. *in praxi. Episcopos dixi:* nam ab his duntaxat impetrandas literas monitorias non ab aliis, dixit Conc. supra.

Quanquam eo nomine, eius quoque Vicarium generalem intelligi oportere, propter communionem eiusdem fori cum illo, vt est *in cap. 2. de consuetud. in 6.* censuere viri doctrina iuxta, ac virtute conspicui, maxime si ad id facta ei ab Episcopo, expresse facultas esset, Genuensis *in praxi cap. 1. num. 1.*

Notare hîc placet primo statuisse Pium Pontificem anno 1570. die autem Iun. 27. vt mandata pro restitutione seu reuelatione huiusmodi dentur, ad eorum duntaxat instantiam quorum ciuiliter interest.

Secundo vt qui libelli supplices obtinendis monitoriis offerentur Ecclesiastico iudici, *rem ipsam de qua agitur, reique valorem nominatim & specifice exprimant, nisi forte sint pro Ecclesii , locis piis, Communitatibus, Collegiis aut vnieruſalibus ſuccenſoribus quos verisimile est certam rerum notitiam non habere*, Pij V. Constitutio, & tunc sufficiet res ipsas iis designare *vocibus*, quæ indicent eas minime vulgares existere.

Aduertendum secundo sic ea monitoria concipienda esse, vt tam detentoris non restituentis, quam scientium, nec tamen reuelantium, expressa fiat in iis mentio, nam si hos duntaxat Episcopus in illis comprehensos vellet, dubitandi causa foret, an qui rem penes se, clam malaque habet arte, de eorum foret numero, quos superioris imperio literis suis expresso, parere est necesse, cum prodere se nemo, certoque se vitæ, aut infamię periculo teneatur exponere, Genuens. *supra cap. 2.*

Aduertendum tertio in criminalibus, vel in famatoriis, vel vbi metus est scandali, monitoria concedenda non esse Abbas *in cap. dilectorum de testibus*, nec reuelationes, super his factas, à Parocho dandas Iudici cum quid continent, quod vergat in infamiam tertii, aut ex quo criminalis actio sequi possit, sequuta forte pœna mortis aut mutilationis membri, ob criminalitatē huiusmodi infligenda, Piasecius vbi supra.

Aduertendum quarto, monitoriis istis non ligari existentes, extra territorium Iudicis ea concedentis, quia lex, sententia, & statutum, extra statuentis territorium non obligant, vt dicitur *in cap. Vt animarum 2. de constitutionibus in 6.* cum *extra territorium ius dicenti non paretur impune* Bonifac ibi.

Tertia assertio, *Etsi excommunicatio pro restitutione rei ablatæ, aut veritatis incognitæ reuelatione, ferri communiter ante duas monitiones præmissas non debeat, contra determinatam personam, lata tamen tenet.*

Pars prima, probationem habet expeditam, ac facilem, petitam ab authoritate Patrum, in Concil. *sess. 25. cap. 3.* repetitam enim monitionem cum exigant, antequam censura percuti quis valeat, omitti sine culpa nequit, obedientiæ iustitiæque opposita, obedientiæ quidem, quia Episcopi aut Concilij imperata non facere, culpa est maculam habens inobientiæ, nocere autem alteri, ei vim inferre aut noxam, improbitatis A ac iniustitiæ: at facit vtrumque, qui (vt præcipitur) monitiones numero duas, censuræ futuræ non præmittit, nam primo, Concilio eas exigenti non obsequitur, certa autem reo infertur iniuria, si resipiscendi locus illi sit nullus, ope monitionis Ecclesiasticæ, de re reddenda, aut veritate, quæ latet euulganda, antequam excommunicetur.

Secunda ostenditur, censura inanis non est, ac nulla, nisi quæ iniusta, aut quæ errorem intolerabilem, ac non ferendum continet, præsens non est talis, valida est ergo.

B De maiore, ambigendi non est locus, Minor probatur, non est censura iniusta, nisi cum is cui intentatur, culpa vacat, estque innocens, nec errorem intolerabilem continet, nisi cum fertur, ob veniale, aut opus non malum, quod hic non accidit, cum ab eo qui est excommunicatione plectendus, supponatur esse admissum crimen, & quidem ea pœna dignum, nec est etiam inualida ob vsurpatam iurisdictionem; cum absolute peccata omnia iurisdictioni subsint Ecclesiæ.

C Deinde est Episcoporum proprium hoc munus, dare operam vt qui culpæ est mortalis reus, eius fuga, odioque reconcilietur Deo, sed is in quem vibratur excommunicatio, ob rem alienam, quam penes se habet, aut temporale damnum alteri illatum, reus est lethalis culpæ, vt patet, cum qua, spes ei consequendæ salutis, nisi eam pœnitentia, lachrymisque eluat, esse quæ potest? ferri ergo ab Episcopo, pro damnis temporariis, censura potest: quod cum facit, causa eius directa, ac per se, vtilitas est spiritalis proximi, D indirecta & secundaria, bonū tēporale læsi.

Ex quo sequitur primo, Episcopos culpæ non posse peragi, cum iudicibus censuram efflagitātibus obsecundāt; perinde ac si hi in se, potestatem suam hoc est Iudicum sæcularium transferrēt, cū in eos penes quos imperium nō habent, homines scilicet vita, moribusque turpes excommunicatione sæuiunt.

Patet secundo, etsi extra casum allatum in exceptione assertionis secundæ, censuris pro redhibitione alieni, aut recuperatione perditi, vti Episcopo non liceat, cum delin- E quens & delictum tenentur vnius aut multorum conscientia, si tamen faciat, facere valide, etsi illicite Stephan. de Auila *parte 2. cap. 5. disp. 2. dub. 1. concl. 4.*

Causa est, quod pro eo stent omnia ad censuræ bonitatem idonea, ac necessaria, iurisdictio non impedita ex parte excommunicati, sufficiens ad eam pœnam materia, nempe mortalis culpa, quod autem in aperta, perspicuaque tam delinquentis, quam delicti notitia, adhiberi censura honeste nequeat,

queat, reddi hæc causa potest, quod ea non nisi in externis morbis vsurpari debeat, prius enim palpanda est plaga, prius lenienda balsamo, quam flamma irritanda, aut ferro 24.q.3.*can. ecce autem.* At cum author criminis est cognitus, quis non videt eum verberum metu, prehensione fortunarum, posse à iudice ad officium adigi? hæc est ergo prius in criminosi commodum tentanda curatio, quam delabatur Episcopus ad acre, durum ac difficile censurarum pharmacum.

Patet tertio valere similiter excommunicationis latæ vinculum, contra retinentem aliena, cui non est trina præmissa monitio, cum ad eius validitatem vna sufficiat, quæ sit trium loco.

Nec est quod à nobis in probatione primæ partis dictum quis asserat, reo fieri iniuriam, cum non admonetur officii, antequam eum excommunicatio feriat, nam iniuria nobis eo loco idem sonat, ac peccatum, seu damnum datum: iniuria, enim Græco verbō *ἀδίκημα lege 1. & lege 5. digest. ad legem Aquiliam*, quidpiam est dignitati hominis non consentaneum, quod ipsum quoque virtuti alicui, putà charitati aut misericordiæ est contrarium, quo modo dicimus fieri iniuriam pauperi, cum negatur ei eleemosyna, aut impeditur à recipienda, ex eo enim dicta est iniuria, quod iure, & iustitia careat, quasi non iuria, *lege 1. digest. de iniur. & famosis libell. l. 45. paragr. procurator dig. de procurator.*

QVÆSTIO II.

Quando monitoria concedi debeant, qua forma, & pro quibus rebus.

NOn sunt concedenda monitoria, nisi *ad finem reuelationis (vt aiunt) aut pro deperditis, seu substractis rebus*, Trid. *sess.* 25. *cap. 3. de reformat.* & quando veritas aliter nosci non potest, vnde si sciretur reus, fur v.c. aut detentor, & posset contra illum agi via ordinaria, neganda hæc essent, nisi forte testes deessent ad probandū, tunc enim moneri possent quibus res est cognita, vt testimonium veritati redderent, quare (vt ante est dictum) *mandatur iudicibus Ecclesiasticis, cuiuscunque dignitatis existant, vt quandocunque executio realis, vel personalis, in qualibet parte iudicij, propria authoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se, tam in procedendo, quam definiendo, à censuris Ecclesiasticis, seu interdicto*, quod si hæc aduersus reos fieri non poterit, *sitque erga iudicem contumacia, tunc eos anathematis mucrone feriant*, Concil. ib.

A De forma autem quā in conscribendis monitoriis seruari conuenit (quæ fuit quæstionis pars altera) emanauit ordinatio Pii Papæ V. tenoris sequentis, *Sanctissimus in Christo Pater & D. N. D. Pius diuina prouidentia Papa V. præsenti quod perpetuo obseruare vult scripto ordinat, vt mandata pro restitutione seu reuelatione huiusmodi dentur, ad eorum duntaxat instantiam, quorum ciuiliter interest, quæ supplicationes rem ipsam de qua agitur, reique valorem nominatim & specificè exprimant, nisi forte sint*

B *pro Ecclesiis, locis piis, communitatibus, vniuersitatibus, Collegiis, aut vniuersalibus successoribus, quos verisimile est certam rerum notitiam non habere, tunc enim hac ipsa personarum qualitate expressa, ita demum ferri poterit quędam in genere designatio rerum, si neque nimis vaga, & incerta, & inuerisimilis sit, & tamen ostendat res ipsas, minimè vulgares existere.*

Ex quo sequitur primo vltro concedi monitoria nec debere, nec posse, *sed ad eorum duntaxat instantiam quorum interest.*

Secundo exponendum esse à supplicante iudici, quanta sit, quantique valeat res de

C qua agitur.

Tertio, si de valore præcise non constet, Episcopum docendum esse, eam non vulgarem existere.

QVÆSTIO III.

An Iudici imperanti, sub excommunicatione, vt reum eiusque crimen qui sciunt, illud sibi indicent, ei parere qui illius conscij sunt, debeant.

D

CRimina quædam sunt occulta, manifesta alia: occulta sunt, quæ nullo, aut tribus duntaxat, quatuorue consciis sunt admissa, manifesta quæ in omnium, aut certe multorum, vt maioris partis vrbis, aut viciniæ sunt conscientia, puta quia sunt famosa, aut notorietate facti vel iuris notoria.

Ad hæc quædam sunt quæ sunt secreta, quæ occulta, vel certè creduntur talia sunt tamē vere in Reip. perniciē comparata, vel priuati alicuius, nisi iis eatur obuiā. Deinde vel sunt

E præterita, vel futura, vel præsentia, & de his secundum modos omnes istos institui potest quæstio, pro cuius explicatione sit.

Prima assertio, *Iudici imperanti sub censura, vt delicta in futurum pendentia, comparata tamen in detrimentum tertij sibi manifestentur, detegi debeant cum sunt publica*: Ita Salon. 2. 2. q 68. *art. 1. controuers. 2.* Fagund. *in 8. præcept. Decal. lib. 8. cap. 51.*

Assertionis est hæc causa, cuique incumbit ex charitate, alienis malis medicinam

afferre, peræque ac suis, cum que hanc per se facere nequit, ad id opus, alterius auxiliũ implorare debet, & operam, ergo multo magis cum superioris accedit imperium, adest autem, cum peccata, quæ futura sunt aliis noxia, edici sibi sub censura præcipit, ei ergo tum est obsequendum, sub inobedientiæ crimine.

Assertio secunda *Quando peccatum est secretum, nec vergit in tertii cuiuspiam damnum, speraturque fore, vt qui est eius author pareat admonenti, ac se corrigat, ab eoque desistat*, non est iudicis mandatum cum ea seueritate capiendum, vt putetur ille velle obligare sub excommunicatione, & mortali crimine, ad illud reuelandum Ita Nauar. *in summa cap.7. num.*134. Sanchez *lib. 6. consilior. cap. 2. dub.* 15. *num.*10. Auila 2. *parte disp.* 4. *dub.*3. *conclus.*2.

Ratio est, quod *quando præcipitur vt qui rem aliquam scit, eam per denunciationem manifestet, intelligitur de eo qui scit, & probare potest*, Nauar. *loco proxime citato*, Sanchez *supra*, sed quæ sunt secreta, probari nequeunt, ergo &c.

Talia tamen peccata sæpe sunt denuntiãda, & quidem si perniciosa sunt Reip. & his indiciis ostendi possunt, quæ fidem faciant, denuntiatorem vera loqui: ita Diu. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.*7.

Dicti huius hæc est causa, quod minori bono maius præferri debeat, at bonum publicum priuato præstat, ergo isti illud est anteferendum, sed fama vnius cuiuspiam hominis, priuatum est bonum, salus communitatis, eius propagatio, aut conseruatio, commune & publicum, ergo huius prę illa cura est habenda potissima.

Assertio tertia, *Quando peccata sunt præterita, & emendata, nec fuere vnquam publica, & pro præsenti non habent effectum vllum pendentem à futuro, qui timeri debeat, non sunt hæc denuntianda*, Sanchez *in consil. lib. 6. cap. 2. dub.* 15. Auila 2. *parte disp.*4 *dub.*3.

Probatur, cessante causa, & ea quoque cessare est necesse, quæ ad eam, necessarium habent, aut accidentalem aliquem ordinem, sed criminis admissi denunciatio, correctionem respicit vt finem, morum mutationem, læsique satisfactionem, vt terminum, quo tendere, & cuius causa fieri eam oporteat, quæ duæ res tamẽ supponuntur non amplius existere, nec timendæ, ergo &c.

Dixi *si non sunt publica*: talia enim, vel quæ habent infamiam, effectumque pendentem in futurum, sunt denuntianda, ad superioris edictum ac imperium.

Causa est, quod ad iudicis officium pertineat, videre ne quid detrimenti Resp. capiat, & si est illatum, dare pro virili operam,

A vt modo qui esse potest optimus, reparetur, ab his quorum interest, sed ex hypothesi vulnus est Reipub. impositum per peccantis infamiam, vitæq; malè à plurimis instituendæ periculum, cui hic illos exemplo suo exposuit, quas tamen plagas, dedecoraque iudici Ecclesiastico sanare non est facile, nisi sciantur, nec sciri nisi declarentur, ergo cum talis declaratio ad eorum curationem sit via, præcipi à Prælato potest, omitti ergo ab inferiore nequit sine crimine.

B Peccata cætera quamuis tribus sint aut quatuor personis cognita, non sunt tamen manifestanda superiori vt iudici, eorum reuelationem imperanti, siue generaliter per edicta, siue specialiter sub excommunicatione, quia cum hic procedit via inquisitionis, & vt iudex, opus est infamia, potest tamen illi reuelare vt patri, Sanchez lib. 6. *consilior. cap.* 11. *dub.* 15. *n.* 7.

Assertio quarta, *Iudici reuelationem criminis imperanti, quod est notorium, & generaliter inquirenti quis illud commiserit, obtemperandum*
C *est sub peccato mortali, & excommunicatione, si eius auctorem dici sibi ab eius incurrenda pœna mandauerit.*

Causa est, quod hic iusta præcipit, vt supponitur, quod eum sciri, ac cognosci, vt in eum violatæ legis statuat ut exemplum, è re sit communi, priuataque peccantis.

Secundo, si quando iudici est obsequendum, maxime cum de reo quæstionẽ exercet iuridicam, facit id vero, cum eam de crimine notorio instituit. quid ita vero? quia
D est eius notorietas, actoris instar, eo quod vt est *in cap. 9. de accusationib. euidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris*, itaque habet ab ea iudex vt testes possit examinare, num authorem sceleris sciant, perinde ac si accusatio, cuius vicem supplet, præcessisset Reginaldo teste *lib. 24. cap. 3. sect. 6. n. 5.*

Assertio quinta, *Quando sub pœna excommunicationis iudex imperat, indicari sibi criminosum, vt eum corrigat, cogatque parti satisfacere, ei est parendum, etsi nulla rei infamia, nulla semiplena probatio, criminisque accusatio præcesserit.*

E Causa est, quod nihil tale imperium habeat, quod non sit rationi, ac æquitati consonum, ecquid enim est optabilius, ecquid homini præstabilius, quam esse in Dei Ecclesia, quibus eius salus sit curæ? qui eum sustentent ne ruat, qui cum ceciderit, erigant, cum errauerit in viam reducant? id superior efficit cum de vita eius, moribusque, vult à scientibus instrui, vt si hi, & illa maculam forte aliquam contraxerint, eam salutaribus monitis eluat, censura purget, ac si quæ sunt

in eo

in eo situ horrida, æuo ac ætate ad interitum spectantia, restauret.

Quid? quod aliena procurare commoda, subiectæ sibi gentis damna impedire, studio suo, ac prouidentia, pars sit curæ, officiique magistratus tam ciuilis, quam Ecclesiastici non minima, ecquid hic vero id spectat, cum de criminoso, ab his, qui illum norunt, doceri satagit, vt ei quem læsit, cui iniuriam intulit, satisfaciat?

At est (inquies) tale mandatum charitati repugnans, ac aduersum, cum rei famam vulneret, de eius virtute conceptam opinionem pessundet.

Respondend. primo, eiusmodi iacturæ si quæ tamen est metuenda, eum esse causam, non alium.

Secundo, eius retinendæ cum alieno damno, ius ei nullum competere, quale est timendum, si author delicti iudicem lateat, si ab eo corrigi, & ad satisfaciendum læso, cogi nequeat.

Tertio, quia etsi criminosus inde diffametur, iusta ei tamen causa nulla est querendi, de quantulacunque famæ suæ iactura, eo quod hæc ob culpam suam accidat, quā emendare non vult, & quæ verè tali pœna est digna, maxime quando damnum est mortale, Regin. *lib.* 24. *ca.* 3. *sect.* 6. *n.* 55.

QVÆSTIO IV.

An quando iudices Ecclesiastici proposita pœna excommunicationis, edicunt his qui bona aliena ab aliis possideri sciunt, eos apud se vt edant ac proferant, obsequi iis sit necesse sub crimine.

Dico primò, *Si præter vnum aliquem, nullus alius sit in vrbe, aut prouincia, qui aliena bona in potestate, manuque furis esse sciat, hic ad eum iudici manifestandum non tenetur.*

Primo quæ probari nequeunt, hæc non sunt euulganda magistratui, ne qui ea aperit famæ tam furis, quam suæ noxam afferat, illius quidem, nam à probi viri opinione, in qua ad eum diem in hominum vixit animis, publicatione culpæ suæ excidet, prædoque publicè audiet: Suæ autem, quia probationum inopia, pro calumniatore habebitur, & ita omnium iudicio ac sensu tam qui summi sunt, quam qui è plebe infimi, iacebit inglorius, & sine nomine.

Secundo, Iudici non necessario est parendum cum non sunt eius imperia, edictaque iusta, ac iuridica, eiusmodi sunt, quæ pro obiecto reuelationem faciendam rei occultæ habent, enimuero tunc iniustè contra

A reum in foro proceditur, cum nulla præcessit infamia, cum testis in eum nullus producitur, accusator nullus, indicia admissi sceleris nulla dantur, aut si quę proferuntur, sanè non nisi leuia, ac infirma, quæque fidem eius facere nullam possint Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 1. *num.* 49. Fagundez *lib.* 6. *in* 8. *Decalogi præceptum cap.* 51. *num.* 9. quæ omnia in occulto reperiuntur crimine, aut eorum pars maxima, eius ergo indicandi iudici, nulla est vi eius edicti necessitas, aut obligatio.

B Dico secundò, *Quando delictum est publicum, aut semiplene probatum, vel saltem est contra eius authorem magna præsumptio, infamiaque, qui rei sunt apud alium per iniuriam existentis conscij, tenentur sub pœna peccati, & excommunicationis, parere iudici, illamque, ac eius iniquum detentorem prodere.*

Probatur, iudici cum iuste præcipit, necesse est obsequi: at cum crimen est publicum, & contra eius authorem præcessit infamia, vtrumque aperiri sibi ac detegi, iuste ac iuridice imperat, in hoc enim iuridicus C processus consistit, vt seruetur forma iudiciorum, quæ in eo versatur, vt contra reum producantur testes & accusator, quod in casu proposito accidit, nā facti notorietas accusatoris vicem supplet, Innoc. III. teste ac authore *in decretali tua nos* 8. *de cohabitatione Clericorum*, in hæc verba. *Si crimen eorum ita publicum est, vt merito debeat appellari notorium, in eo casu, nec testis, nec accusator est necessarius, cum huiusmodi crimen nulla possit tergiuersatione celari. Itaque si de Clericis ipsis talis habeatur suspicio, vt ex ea scandalum generetur* D *in populo, licet contra ipsos non apparuerit accusator, eis tamen est canonica purgatio indicenda, quam si præstare noluerint, vel defecerint in præstanda, canonica debetis animaduersione punire,* quæ ergo furta sunt publica, aut semiplene probata, & contra eorum authores præcessit infamia, hæc iudici manifestari sibi iubenti sub censura, non sunt dissimulanda aut tegenda.

QVÆSTIO V.

E *An quando res est nota tribus aut quatuor de vrbe, aut Parœcia, hæc sit indicanda Episcopo, edicto generali, aut speciali, id sub excommunicatione iubenti.*

Dico primò, *Hanc ei à consciis dici sine culpa posse, ad emendam & non pœnam.*

Primo, quia est caritatis ac prudentiæ, alienæ saluti, commodisque consulere, hoc facit qui Episcopum vti patrem de alienis

culpis admonet, vt earum parentes ac authores officii sui commonefactos, in viam reducat.

Secundo, quilibet errantes corripere, titubantes firmare, peccantes vt fratrē decet, benigne hortari potest, vt abiudicatis à se culpis, cum Deo in gratiam redeant, peccata oderint ac horreant, virtuti studeant; ergo à fortiori facere id per Episcopum poterit, aut iudicem Ecclesiasticum.

Dico secundò, *Cum Iudex via inquisitionis ad pœnam delicti procedit, teneri neminem in casu positæ assertionis ei patefacere, quæ de reo nouit.*

B

Probatur, occulta reuelare ad præceptum Superioris nulla est obligatio, at quæ tribus aut quatuor duntaxat de collegio aut vicinia sunt cognita, occulta sunt, si in ea minimum sunt decem. Quia vt notauit Suarez *tomo 4. de pœnitent. disput. 30. sect. 2. num. 2.* Sanchez *tomo 2. summæ lib. 2. cap. 11. num. p9.* Fagundez *in 1. præcept. Decalog. lib. 1. c. 15.* delictum occultum hic sumitur prout opponitur publico & notorio in iure, *publicum autem & notorium in iure est, quod notum est maiori parti viciniæ, Parochiæ, Collegij, Monasterij, dummodo saltem decem personæ inueniantur in ea vicinia, Parochia, Collegio, &c.* Sanch. *supra.*

C

Secundo, cum reus non est infamatus, iudex iniustè procedit, ergo ei tum parere ac obsequi, nihil est necesse.

Tertio, de se testificari nemo tenetur, nemo crimen suum, quod duorum aut trium conscientia teneri non ambigit, & de quo interrogatur à iudice, obligatur agnoscere, ac fateri, nisi aliquomodo sit publicum ratione infamiæ, aut indiciorum, ergo nec alienum.

D

Conseq. probatur, Peccata prodere, aut ea in lucem trahere, alienis committenda auribus, quandiu sunt occulta est nefas, eo quod famæ parcere alienæ charitas æquitasq; imperent: at ex hypothesi cū hæc duobus tantū aut quatuor è vicinia sunt cognita, occulta sunt, ergo non euulganda, quæ ratio locum habet similiter in propriis, cū famā suam prostituere, causaq; iusta nulla prodigere, nemini fuerit vnquam in laude.

E

QVÆSTIO VI.

An qui iustæ compensationis nomine quidpiam retinent, aut retineri norunt ab aliis, teneantur iudici se sistere, & quæ possident, quoque titulo ea sibi vendicant, indicare.

A

Discrepantes ea de re, sententiæ fuere duæ, prima affirmans, negans altera, quam tuentur Comitol. *responsionum lib. 6. q. 4.* Lessius *lib. 2. cap. 12. dub. 10. num. 61.* Angelus *in verbo furtum parag. 41.* Syluest. *eod. nu. 19.* eorum præsidia præcipua duo.

Primum in excommunicationis laqueum, ij se tantum ob negatum superiori obsequium induunt, qui mortaliter offendunt, at non est culpæ affinis, qui iure compensationis, tantum sibi de bonis alterius assumit, quantum hic sibi debet, sic enim non alienum, sed quod est suum recipit.

Secundum Edicto, eiusque pœna nemo tenetur, nisi secundum voluntatem, ac intētionem iudicis à quo emanauit: at non est credibile hunc velle, vt ad eum excommunicatio pertineat, qui sibi vendicat quod ex iustitia sibi est debitum, hoc enim illeius si excluderet, in errorē laberetur intolerabilem, nec peccaret, qui ei dicto audiens non foret, nisi in tribus casibus, primo *quando debitum erat dubium,* secundo *quando qui compensatione vtitur, notabiliter vltra æqualitatem est progressus,* tertio *quādo rem alienam accepit, quæ non erat debitoris, extra hos casus* (inquit Lessius supra) *retinens aliquid compensationis nomine non ligatur excommunicatione.*

Obiicies, atenim improbatur à Romana curia, hæc compensandi sui ratio, cum literas annuere petentibus quotidie soleat, quibus in eos ferri excommunicatio præcipitur, qui superiori non significant, vt iubentur in iis literis, quos norunt bona occupasse aliena, per speciem recuperandæ rei quam causantur sibi esse debitam, à Romanis autem iuridicis peccari in hoc genere, aut ab iis ius creditoris hoc edicto suo perimi quis credat? quod si nec illi peccant ista iubendo, nec qui eos non declarant quos in alienam possessionem prætextu compensandi sui, manum immisisse sciunt, à culpa sunt liberi, dicendum sane videtur, edicto eos comprehendi, qui quæ sunt in alterius peculio ad se traducunt, vt quæ sibi sunt ab eius possessore ac domino debita, hæc præsenti vindicatione recuperent.

Respondendum primo, à Romanis ius non tolli compensationis, certum, sed incertum, aut non verum, ita Comitolus loco ante citato.

Secundo

Secundo dicendum, ab iis excessus argui, vt cum plus sibi sumpsit creditor quam par esset, aut quod non erat debitoris, sed alterius, ita Fagund. *lib. 8. commentario.. in Decalog. cap. 51. num. 13.* vbi ex Nauarro *in can. inter verba 11. q. 3. conclus. 6. corollario 66.* infert teneri vi edicti neminem, cum est acceptio ex parte iniusta, aut incerta, eam integram manifestare iudici, sed tãtũ quoad id in quo iniqua est aut dubia, quia de ea tantum loqui ac iubere iudici est certum, non alia, tunc enim *monitoriæ sic sunt intelligendæ quãdo recõpensatio fuit illicita, vt quia nimia, vel creditum suum erat dubium, quo casu sententia ligat,* Syluester *in verbo furtum n. 19.*

Quid si via communi, hoc est authoritate iudicum, ac imperio, sua creditori obtinere erat integrum? & sic sibi ius non dicere?

Respondendum peccasse quidem in accipiendi modo, in rei autem acceptæ detentione culpæ nihil esse; itaque cum illud peccatum, quod forte fuit mortale, non sit amplius, sed præterierit, propter illud excommunicari nequit, neque ob detentionem, cum non sit mortalis: ergo nullo modo, quod nobiscum dicunt ac sentiunt Angelus *in verbo furt. parag. 41.* Sylu. *in ver. furtum num. 19.*

QVÆSTIO VII.

Num lege indicandi furti quis teneatur, cum eius author propter paupertatem restitutionis faciendæ est impotens.

SAyrus *in claui regia cap. 14. num. 31.* Fagund. *lib. 8. in Decal. cap. 51. num. 15.* respondent non teneri, si qui auertit alienum inops est, is autem cui subductione rei suæ irrogata fuit iniuria, his est facultatibus præditus, vt re prædicta facile, ac sine magno suo incommodo carere possit.

Ratio est, quod qui alienum nouit facinus, de eo superiorem docere necessario non debeat, nisi cum ab isto corrigi, ab eo autem qui admisit, interrumpi, aut modo reparari quam optimo valeat: at impotentia furem à restituendo liberat: ergo & eum, cui hic est cognitus, ab obsequio Episcopo aut superiori exhibendo, super eius reuelatione facienda eorum alterutri.

Confirm. iudici proposita excommunicationis pœna, edicẽti singulis, vt qui furem norunt, hunc sibi prout in edicto iubentur, edant ac proferant, parere hi tum debent, cum facere id furẽ, aut aliũ est necesse, cõtra quẽ monitoriæ literæ sunt impetratæ: at ex hypothesi fur V. C. illata reparare damna, aut bona clã à se de alieno interuersa peculio, quandiu premitur inopia, reddere non tenetur, ergo nec qui eũ admissi furti reum esse norunt, obligantur edicto tùm obsequi, reumque deferre Episcopo id iubenti.

Partes tamen viri boni non explebunt, nisi illum id operam dare admoneant, vt intra præstituta per edictum tempora, ablata si potest restituat, alioqui facturos se officium, deque eius crimine, iudicem prout est in edicti literis, planè diserteque docturos.

Quod si opum tantum habet, quantum vt conscientiæ suæ, munerique satisfaciat est necesse, eũ de restituendo mora interposita nulla commonefacient, ac si dicto suo non erit audiens, nomen eius illico ad iudicem deferent, & idem erit in dubio, (inquit Fagũdez supra,) nempe quando hi, quibus eius est culpa perspecta, de illius sunt certi potentia, incerti autem ac dubij, de effectu & an statim restituet.

QVÆSTIO VIII.

An crimina non visa, sed tantum audita, sint denuncianda.

A multis narrantur multa, discrimine tamen non leui, nam quidam solo suo nomine, specieque, fidem orationi suæ faciunt, quia pii, quia graues, quia nõ vulgari inter suos religione sunt ac virtute præditi, quam alii leuitate sua, indoleque ad vitia omnia inclinante vellicant, ac subruunt, pro horum ingenio, moribusque inter se discrepantibus, nostra erit ad propositam quæstionem, accommodata responsio.

Dico ergo primò, *Qui de re aut crimine, de quo est quæstio, notitiam animo aliam impressam nullam habet, quam quæ ei sermonibus est ingenerata hominum, quos sua virtus, meritaque non commendant, huic tacere satius esse, quam loqui, ac quæ ab huiusmodi hominum genere, leuitate sua infami, didicit palam iudici prodere,* Nauar. *Enchirid. cap. 25. num. 46. & in can. inter verba 11. q. 3. conclus. 6. corrollar. 66.* Sanchez *in consil. lib. 6. cap. 11. dub. 15. conclus. 3.*

Ratio est, quod ab his, singulos abstinere oporteat, quæ notam inurere sibi leuitatis, apud viros graues possunt, eiusmodi est eorum relatio, quæ quis non nouit nisi horum ore hominum, quos sua leuitas infames, deque mendacio suspectos semper facit, quæ quis ergo ab illis didicit, taceri debent, nec in forum produci, ne reo damnum inferant, Nauarri sunt hæc verba *in cap. Enchirid. 25. num. 46.* excusat à reuelando, quando à tali-

bus, & taliter audiuit, vt ob id moueri non debeat, præsertim si denuntiaturus esset talis, qui leuitatis ob illam denuntiationem notaretur, aut cuius testimonio iudicem magis, quam oporteret moueret.

Dico secundò, *Qui audiuit, sed nescit à quo; & si scit, iudicat tamen eum similiter ab aliis ignorantibus accepisse, iudici sub censuræ pœna exigenti, sistere se non tenetur, vt hæc cum quæ ab iis didicit, edoceat,*

Ratio est, quod quæ sunt authore nullo, aut certe incerto, ac dubio sparsa per vulgus, fidem non faciant, est ergo eorum manifestatio inutilis, ergo non facienda necessario, quare potest tùm dicere (inquit Sanch. proxime citatus) se de subiecta in edicto materia, audisse nihil, intelligendo itaut dicere teneatur.

Idem sentiendum in casu, quo is à quo hic de facto inter loquendum, vt fit, in communi amicorum congressu, instructus esset, iudicem adiisset, eique cuncta quæ in rem præsentem forent, narrasset, nam cum tunc aliorum, qui de illo crimē dedicere, testimonium inutile sit ac superfluum, hoc à iudice exclusum, nec literis edicti sui comprehensum videtur. proinde non necessario reddendum sub culpa. Nauar. *cap. 25. summæ numero 46.*

Dico tamen tertiò, *Quæ à personis fide dignis sunt audita, hæc denuntianda esse iudici, si ei non sunt ab his à quibus eadem didicimus, pro officio suo munereque exposita.* Ita Nauar. *in can. inter verba corollar. 65. num. 787.* Sanch. *supra dub. 16.*

Causa est prima, quod quæ viri graues memorant, hæc fidem in populo habeant.

Secunda, quod notitia ex auditu, vera sit notitia, eaque generandæ infamię idonea, vt est *in cap. inquisitionis 21. de accusationib.* ex cuius colligi contextu potest hæc infamiæ definitio: *Est rumor ortus de aliquo crimine, non à maleuolis, & maledicis, sed à probis hominibus & honestis, sparsus per maiorem partem viciniæ, in qua quis habitat,* nam vt quis sit infamis, oportet rumorem esse publicum Innoc. teste *in decretali inquisitionis citata parag. quæsiuisti* interrogatus enim *vtrum aliquis super eo crimine reputari debeat infamatus, de quo ipsum duo, vel tres, vel etiam plures dixerint infamatum, licet de ipso nihil sinistri in publico audiatur.* Negatiuè respondit, ac proinde ad depositionis sententiam procedendum non esse, *nec propter dicta paucorum, reputandum eum infamatum, cuius apud bonos, & graues viros læsa opinio non existit;* quæ si sunt vera, est & hoc longe verissimum, quæ à viris sunt grauibus dicta, hæc iudici tacēda non esse, cum ea ad se pœna excommunicationis proposita re-

A ferri mandat.

QVÆSTIO IX.

Quæ sit causa ferendæ excommunicationis pro reuelatione veritatis non cognitæ, aut rei perditæ.

SEnsus est an sit necesse præcessisse mortale in eo, contra quem fertur excommunicatio ab homine, pro aliqua rerum supradictarum, ad hoc, vt eam incurrisse censeri queat, ad cuius rei intelligentiam sit

Prima assertio, *Vt contrahatur excommunicatio à non parente legi Ecclesiæ de restituendare aliena, aut veritate detegenda, quæ nescitur, & est occulta, prærequiritur in eo culpa lethali similis.*

Probatur, causa excommunicationis proxima, & immediata, est contumacia, hoc est præcepti Ecclesiastici violatio, contra obedientiam, eaque ab obfirmata in contemptum legis voluntate, consulto profecta. At C est contumacia, mortalis in re graui, vt pote legis alicuius deliberata transgressio, qua priuata peccantis, aut multorum salus ac vtilitas continebatur, excommunicationis ergo quæ contra eos, qui turpi silentio veritatem obscurant, aut velant, vel alienum non restituunt, reus esse nemo potest, nisi qui in eo, culpæ lethalis maculam contrahit.

Confirmatur, *cap. Romana 5. de sententia excommun. in 6.* negat Innoc. eius nominis quartus in Episcoporum iure esse, vllius audaciam censura reprimere, *nisi mora in exhibenda satisfactione, vel culpa, seu offensa præcesserit,* quod *edicto Aurelianensi anni* 1560. *art.* 18. confirmare Regi Carolo nono placuit: ibi enim Episcopis, eorumque Vicariis, amodo licere vetat, monitiones excommunicationi præuias, aut censuras promulgare vllas, præterquam in causa maiorum criminum, quæ sisti aliter aut curari nequeant, aut publici scandali, Imbertus *in praxi ca. 62. lib.* 1. & quanquam hæc Ecclesiasticæ potestatis restrictio, paucis post annis, hoc est anno 1571. ad postulata Antistitū Galliæ sit sublata, facultate eisdem concessa *in art. 18. Regiæ Constitutionis cui initium. Sur les Doyens,* excommunicandi, quos ea pœna dignos reperint, modo ne contra decreta Ecclesiæ, sed in casibus, eiusdem Ecclesiæ lege licitis dūtaxat: rē tamen Senatui Parisiensi, ita moderari est visum, cū promulgari est cœpta in Curia, vt arresto speciali, æris alieni nomine, excōmunicari neminē voluerit, qui creditori sua prædia vēdēda addicere potest, aut etiā addixit, interim dum ei per se, aut alium,

pro

pro contractis nominibus fiat satis, ad quam authoritatem, additur & hæc ratio.

Fraterna correctio excommunicationem ex præcepto Christi præcedat est necesse, Matthæi 18. *Si peccauerit in te frater tuus vade & corripe eum inter te &c.* At non nisi crimina sunt, aut quæ criminum instar habent, quæ à recto decerrant, quæque corrigi à superiore possunt, ac debent, ergo peccatum excommunicationi, quam monitoria præcedunt, præsupponi debet, vt quidpiam ei præuium.

Secunda assertio, *Per accidens tamen, intentandæ excommunicationi culpa venialis sufficit, exempli causa graue est à ciuibus alicui illatum damnum, quod tamen habito ad singulos respectu, exiguum est, ac leue, vt cum successiue, ac per vices, alienã hi ingressi vineam, eam sunt depopulati, nullo eã de re prius inter se communicato consilio, id enim si fecissent, excederet haud dubie eorum culpa venialem, cũ obligatione in quolibet reparandi integri damni, in defectu aliorum*, quia in moralibus idem est ex certa scientia, ac intentione, damnum irrogare, ac in illud efficaci voluntate ferri, loquimur ergo de iis, qui casu ac independenter, alter ab altero, nocent alteri, in quo, etsi non plus peccent quam venialiter, tamen pro sua quisque parte, cogi sub excommunicationis pœna, ad reparationem detrimenti illati potest: ita Couar. 1. *variarum cap. 3. num. 12.* Soto *in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. & lib. 4 de iustitia q. 7. art. 3.* Suarez *disp. 10. de excomm. ab homine sect. 3. num. 3.* Barbosa *de officio & potestate Episcopi allegatione 96. num. 29.* Suarez *disput. 10. sect. 2.*

Probatur, intentari excommunicatio prudenter, ac cum laude potest, cum de damno reparando agitur, aut de eo ne accidat, omni qua cura licet, impediẽdo, ad charitatẽ enim Ecclesiæ aduersus fideles pertinet, videre ne hi quid detrimenti spiritalis accipiant, ne cũ est importatum, inopia aut desperatione pereant, at noxa, quę est vero possessori vineæ, sectione racemorum, vitiumque nece irrogata, non potest ei detrimentosa non esse, ac grauis, næ ergo ad eam impediendam aut tollendam, fulminari à Præsule, cui singulorum chara salus esse debet, excommunicatio poterit.

Patet hinc primo, ferendę censuræ causam, temporale duntaxat damnum non esse, cum enim respectu cuiusque, à quo est factum sit leue, nec magni faciendum, cum spectatur solitarie, ac proinde iustitia grauem per se obligationem eius reparandi non inferat, ex quo consequitur, non esse in superioris Ecclesiastici potestate, intra latitudinem huius virtutis, aliquam addere, quæ

A sit notabilis, ac obiectum peccati mortalis, quia vt recte adnotant Suarez *tomo 5. de censuris disp. 20 sect. 2. num. 6.* præsens materia, nempe venialis culpa, eius non est capax, quare ei virtuti ac illius obligationi, adtexere debet aliam, nempe obedientiam, quæ vt operandi necessitatem sub mortali imponat ei, ad quem dirigitur, debet in superiore motiuum aliquod esse iustum, & graue imperandi restitutionem rei ablatæ, aut reuelationem occultæ, quod motiuum spiritale esse debet, suamque trahere originem à sa-

B lute, tam eius cui fit imperium, quam cuius causa à superiore datur subdito, vt accideret, si restitutionem fieri esset necesse ad vitanda peccata, litesque inter verum dominum rei ablatæ componendas, eumque, penes quem hæc est cum eius iniuria, vel ad impediendum in legitimo eius possessore mœstitudines, ob illius carentiam, aut culpæ probabiliter in eo futuræ periculum, nempe, quia priuatus re sua, cogetur furari, aut præ inopia animi mœrore se conficiet, quia cum potestatis spiritalis, quali pollent Episcopi, finis sit salutis alienæ procuratio,

C ac regnorum Ecclesiæque tranquillitas, hæc demum materia censenda est proportionata esse lethali culpę in hoc genere, qua priuata aliquorum salus, aut publica continetur, ergo si rem alienam restitui, aut occultam reuelari, intersit boni publici, aut priuati vnius cuiuspiam, aut plurium, & si de se minuta sit & exigua, cur præcipi eius redhibitio, aut reuelatio, ab Ecclesiastico Iudice sub mortali non possit, scire de aduersariis aueo.

Patet hinc secundo, Ecclesiam cum ex-

D communicationem non restituentibus alienum infligit: ad eorum culpam qui furtis suis minimis nocuere Domino, respectum non habere, nam hęc fuit tantum venialis, sed ad mortalem, ab illorum quolibet illico admittendam, ac Ecclesiæ imperanti restitutionem damni ab iis facti, ob bonum spirituale læsi, contumaces & immorigeri sunt futuri, addi potest quemlibet pœnæ huic fore obnoxium, vbi grauiter se vna cum reliquis, illi nocuisse intelliget, etiamque nocere

E re modo, parte damni minime redhibenda, cuius author extitit.

Tertiò, quia appetere, quia velle graue malũ alterius, aut illi quando minimo tuo incõmodo potes facile, minime occurrere, peccatum est lethale, sed vtrumque efficit, qui pro rata nocumenti, cuius est causa, domino nihil rependit quod eius sit loco, eadem enim eius esse videtur ratio, quæ illius, qui per minima furta, quorum quodlibet tantum veniale est, rem suam auget, & alienam

minuit, hic enim vbi summam attigit, quæ ad mortale sufficit, peccat mortaliter, non restituendo tam assem vltimum, quam reliquos, quia vniuersæ pecuniæ retentio, accedente vltimo asse qui est ad complementum materiæ necessarius, quæ furtum mortale constituit, domino damnosa esse incipit, proindeque lethalis, quare cum eadem in causa præsenti sit ratio non restituentis id, cuius accessio ad furta reliqua, domino non vulgariter nocuit, vt ille, ita & iste dicendus est mortale peccatum contrahere.

Confirmatur, pro mortali culpa, quam quis emendare in se renuit, innodari censura potest: at talis admittitur ab eo, qui leue damnum quo affecit alterum, non reponit, à quo tamen vna cum eo, quod cæteri sigillatim pro se quisque fecere, graue redundauit incommodum in tertium, ad quod reparandum etiam scit excommunicationem impetratam esse, culpa (inquam) committenda ab huiusmodi homine est mortalis, quemadmodum conficit hæc ratio.

Si dedita opera, si consulto & ex pacto inter se mutuo, omnes qui sigillatim ac pro se quisque, leuiter tamen huic homini nocuere, impetum fecissent in eius fortunas, non est dubium, quin se culpâ inquinassent lethiferâ, etsi materia circa quam suæ actionis, respectu cuiusque leuis foret, at quantum ad grauitatem materiæ, culpæque quantitatem, idem est moraliter, quod multi ex certa scientia, aut conuentione inter se mutua noceant, ac ex crassa aduertendi negligentia, tantum est diuersitas in causalitate vnius, circa actionem alterius, ergo vt illi, ita & isti culpæ lethalis rei sunt futuri.

QVÆSTIO X.

Quid excuset ab incurrenda excommunicatione quæ fertur ab homine in hominem, in ordine ad reuelationem criminum, solutionem debiti, restitutionem scripturæ, ex qua pendet causæ victoria.

PRima assertio, *Quando sine magno reuelantis incommodo spirituali, aut temporario, in honore & fortunis, criminis reuelatio fieri non potest, ad eam nulla est obligatio.* Ita Nauar. *ca.* 25. *num.* 50. Graphius *lib.* 4. *decis. cap.* 8. *num.* 34. Reginaldus *lib.* 9. *de absolutione cap.* 11. *nu.* 212. Sanchez *lib.* 6. *consilior. cap.* 2 *dub.* 12.

Probatur, alteri consulere nemo tenetur cum damno suo aliquo, plusquam mediocri, secundum Sylu. *verbo familia qu.* 2. eo quod Ecclesia tacite hunc casum excipiat: ita non obligatur seruus herum prodere, à quo excipiendus est verberibus, subditus dominum, cuius offensionem metuit, nec quilibet alius, reum magnorum criminum deferre iudici, id ab eo exigenti sub censura, si sibi ac suis mortem inde imminentem timet, si fortunis exitium, quod certum ac propinquum, propter interminantis potentiam ac gratiam credit, & vitare nequit: lex enim naturalis, & caritas, vnicuique præcipit vt se suaque diligat Diu Thom. *in* 2. 2. *q.* 64. *art.* 5. Similiter potest Clericus, cui est ad testandum dicta dies à Iudice, fuga rebus suis consulere, aut veritatem de qua interrogatur simulare, si iustam existimandi causam habet, fore, vt audito suo testimonio iudex reum morte afficiat, & ita tanquam irregularis à sacris remoueatur ordinibus.

Secunda assertio, *Nec seipsum reum manifestare iudici debet.* Graffius *supra num.* 18. Nauar, *cap.* 17. *manual. num.* 100. *Auctor*, inquit, *incendij, aut alterius delicti manifesti occultus, non potest pœna excommunicationis compelli ad se manifestandum.*

Primo, quia nec reus sui accusator esse cogitur, extra Sacramentum pœnitentiæ, nec accusatus de crimine, tenetur illud de se admittere, nisi sit per testes cognitum.

Secundo, nil est rationis, quamobrem iure tuendæ famæ suæ spoliari quis debeat, ac confessione delicti, suspicionē iudici, populoque, iis de rebus facere, tanquam à se admissis, quas ipsi nosse volunt, maxime cum nemo, vt est in *can.* 2 *causæ quintæ quæst.* 1. *semetipsum innotescere debeat.*

Ab assertione excipiendi sunt casus sequentes. Primus est, cum præcessit accusatio, aut infamia, qua si laborare eos constat, quibus publico in foro, dies coram iudice dicta est de furto, aut sane sunt eiusmodi, vt communiter habeantur in plebe de eo suspecti, vel certè tam aperta eius dedere indicia, vt non nisi imprudenter ac temere, secus de iis iudicari possit, *tunc enim*, inquit Grafius, *principalis reus qui rem detinet alienam, tenetur eam reuelare, vel restituere, si vult excommunicationem vitare.*

Secundus casus eorum est proprius, qui alienas scripturas seruant, nam si hæ ad eos non pertinent sed ad alium, cum quo litigant, isti repræsentari debent, quia in metu paris incommodi subeundi ab vtroque, præferendus est ille maxime è duobus, cuius ius est maius, illustriusque: at tale est eius, pro quo facit earum literarum possessio, sunt hæ ergo ei reddendæ, nec proinde ab eo seruandæ ad quem non spectant.

Tertia assertio, *Quando sic est occultum crimen, vt de eo non præcesserit infamia, nec vero argumenta suppetant vlla, quibus probari valeat, in eo*

in eo casu præceptum superioris de eo reuelando sub censura non obligat Soto *de iust. 5. q. 5. art. 1.* Nauar. 25. *Enchirid. num.* 46. Fagundez *lib.* 8. *in Decalog. cap.* 51. Rosella *verbo excomm. 7. num.* 20. Nam principi præcipienti contra formam iuris, tam humani quam diuini, non necessario est parendum, cum imperia quæ ab illa forma deflectunt ac abeunt, vt pote inualida, nullaque, quia non sunt iuridica, seruari non debeant, at criminis occulti reuelatio est huiusmodi, cum de eo quæstionem exercere iudex nequeat, nam contra reum progredi ei nefas, nisi cum publica laborat infamia, aut in eum, ea ab accusatore proferuntur, quæ prope fidem faciant, quorum nil accidit cum crimen ita est occultum vt de eius authore nulla habeatur suspicio.

Quid? quod nunquam sit licitum proximũ traducere, cum in inuidiam ac suspicionem culpæ vocare, vnde timet infamiam, traducitur autem denuntiatione criminis, quod ab eo admissum quidem est, sed vno tantum conscio, non pluribus *qui solus scit* (inquit Rosella) *verbo excommunicatio 7. nu. 20. non tenetur reuelare prælato publice, imo tenetur non reuelare publice, sed secreto vt corrigat secrete.* Idem quod Rosella dicit Syl. consentit Ioan. Tabiena *verbo inquisitio parag. extremo,* cum ait eum censuram excommunicationis vitaturum, qui non adiret Prælatũ, à quo is qui clam deliquit, corrigendus esset, addit Angelus *in verbo denuntiatio parag.* 13. cum more iudiciali agunt Prælati, non cogi quempiam indicare id quod probare non potest, cui tamen indicari posset, si Prælatus partes susciperet & ageret patris.

Cum his pro veritate proposita faciunt etiam, Auila 2. *parte disp.* 4. *dub.* 9. Nauar. *in summa cap.* 25. *num.* 46. Panormit. *in cap. nouit de iudiciis num.* 41. negant enim ambo, denuntiationi locum esse in occulto delicto quod probari non potest vtiturque vltimus authoritate Glossę *in can. si peccauerit* 2. *q.* 1 & Ioan. Andr. *in cap. nouit ille de iudiciis,* qui sic scribit: *Caueat denuntians quod peccatorem conuincere possit, quia ei etsi sit Episcopus non creditur 6. q. 2. can si tantum* 2. his verbis: *Si tantum Episcopus alieni sceleris se conscium nouit, quandiu probare non potest nihil proferat,* & 2. *qu.* 7. *can. plerumque* 27. hæc leguntur. *Boni viri propterea sufferunt aliorum peccata, & tacent, quod sæpe deseruntur publicis documentis, quibus ea, quæ ipsi sciunt, iudicibus probare non possunt.*

Ab assertione excipienda sunt ea crimina, quæ quanquam occulta, paucisque aut nulli cognita, sunt tamen contra bonum commune, aut priuatorum, quibus sunt vul- A gariter detrimentosa, ac noxia, de Graph. 4. *decis. cap.* 8. *num.* 33. sunt enim hæc Ecclesiastico indicanda iudici, tanquam patri, vt ea pro cætera sua pietate, paternoque erga delinquentem affectu, corrigat & à commissa sibi plebe, in cuius bonum ac salutem incubare pro charitate debet, omnino remoueat, Sylu. *verbo excommunicatio versu secundo dicto* 3. quod faciet, si à cõscio de illis monitus, quæstionem de veritate rei constituat, vt ea cognita, in authorem facti vindex vltorque veniat.

B Tertia assertio, *In quinque item casibus, nemo tenetur obsequi sententiæ, à superiore Ecclesiastico latæ, de re latente, & occulta detegenda, sub pœna censuræ.*

Primus est, si est cui est hæc cognita, eam per testes, literas, aut indicia vel argumenta sufficientia probare nequeat, Henriq. *lib.* 13. *cap.* 18. Graph. *lib.* 4. *decis. cap.* 8. *num* 32.

Causa est, quod sublato fine, & ea quoque tolli sit necesse, quæ ad illum, vt media referuntur ad terminum, at est omnis denuntiatio, à natura instituta, publicæ salutis causa, puniendi scilicet criminis, aut rei perditæ C recuperandæ gratia, quæ duo obtineri tamen nequeunt, cum probari hæc non possunt, ergo cum crimen eo modo nescitur, quem æquitas ratioque ipsa postulat, vt fidem eius reuelans in aliorum animis, maximeque iudicis imprimat, non necessario prodi debet, cum Edictum in genere contra scientes, non alios comprehendat, quam qui eius fidem, quã norunt facere valeant, quare *in can. placuit 6. q. 2. qui desumptus est ex Afric. Conc. can.* 99. admonetur Episcopus, *vt caueat ne dicat in quenquam quod aliis documentis con-* D *uincere non potest.*

Secundo qui denuntiat, & non probat, præsumitur calumniator, Glossa *in can si Sacerdos de pœnit. dist.* 6. at exponere se huic infamiæ, nemo alterius causa debet, ergo cum probari res nequit, non est necessario manifestanda.

Ab hac assertione excipiendi sunt sequentes casus.

Primus est, cum literis monitoriis, quas nominant, nõ pręcipit Episcopus subditis sibi E gentibus, vt se denuntiatores pręstent, ac exhibeant, sed testes, tunc enim qui facti, cuius notitia quæritur, sunt conscii, illud aperire iudici debent iuridice interroganti, quia Ecclesiæ in eo quod iubet est parendum, cum non obsequendi iusta causa nulla subest, ergo si hæc scientem, prodire velit vt testem, & non vt actorem, pro veritate quin eloquatur, ac ea denuntiet, quorum est conscius, ratio eum nulla legitima excusat.

Secundus est, cum matrimonii causa agitur, nam qui scit inter sponsum & sponsam impedimentum intercedere naturale, diuinum, aut Ecclesiasticum, vi cuius stabile inter eos esse coniugium nullum queat, denuntiare illud, quamlibet probare nequeat, Dei lege debet ac Ecclesiæ, Genuensis *ca.* 2.*num.* 2. Sanchez 3 *de matrim. disp.* 13. Paludan. *in* 4 *dist.* 27.*q.* 1.*art* 3.

Primo, quia bene infomata ratio, bonis alienis consulendum docet vt suis, at quod impedimentum matrimonium dirimens, non indicetur ei, cuius est pro authoritate videre ne fiat, via est, eaque longe certissima coniugibus, ad multa scelera vtpote qui cum eo impedimento futuri sint in concubinatu perpetuo, quique ex eis nascentur liberi, habendi sint illegitimi.

Secundo, ideo in alia materia tacendi cuique iusta est causa, quia eam cum probare nequeat, prudentiæ est, non se exponere probabili periculo subeundæ calumniæ, at in causa præsenti de matrimonio, cessat hoc periculum, eo quod testis vnus ad illud impedimentum inducendum sit satis, *vt est in titulo capitis* 12. *de Sponsalibus*, his verbis: *Dictum vnius asserentis impedimentum, impedit matrimonium contrahendum*, etsi qui testis, idem quoque denuntiator foret, Sanchez *lib.* 3. *disp.* 13. *num.* 2. eodem pertinet causa religionis ac fidei, in qua criminis contra eam admissi delator, habetur pro teste.

Tertius casus est, cum retentio rei alienæ, quæ iubetur manifestari, cum leui coniuncta est culpa, vel certe grauem non supponit, in occultanda scriptura V.C. aut re aliena subducenda factam, quia sententiæ quæ est nulla, non est parendum necessario sub peccato, at excommunicatio ferenda, aut lata ob culpam leuem, est nulla, vt pote quę errori intolerabili sit iuncta, deest enim causa vt supponimus, nempe mortalis culpa, cum contumacia, ergo, &c.

Secundum tempus, in quo cuiuis est honesta ratio, non parendi Episcopo, imperanti sub censura, rem perditam, aut auersam prodi, est cum is qui eam habet, illam tanquam debitam detinet, aut iure compensationis, nempe vt sibi, rebusque suis consulat: ita Nauar. *consil.* 75. *de sentent. excommunicationis num.* 8. Barbosa *supra allegatione* 96. *nu.* 31. Grafius *lib.* 4. *ca.* 8. Quid si author Edicti, id est Episcopus, aut quilibet alius iudex Ecclesiasticus, ius excluderet legitimæ compensationis, vetando nempe, ne quis sibi compẽsationis nomine, tantumdem de bonis alterius capiat, quantum sibi ab eo deberi existimat?

Respondet Angelus *in verbo furtum parag.* A 41. tale edictum vtpote errori proximum, iniustum fore, proindeque culpæ affinem non esse, qui edicto non esset audiens, pro Angelo pugnant Ioan. Tabiena *in verbo inquisitio parag. extremo*, Sylu. *in verbo furtum num.* 16. Nauar. *in summa cap.* 25. *num.* 46. qui omnes asserunt ius compensationis ab Episcopo, aut iudice, Edicto suo non tolli, & ita illo, eiusque pœna non teneri, qui secus faceret, quam ille iuberet.

Ratio est, quod monitoriæ literæ, vt diximus supra, Edictaque Pontificum, eos tantum obligent ad reuelandum, qui rem iniu- B ste penes se habent, aut haberi ab alio sciunt, vt dicit Barbosa loco citato, at qui compensationis iure, de alieno habet tantundem, quantum est ei debitum, iniustitiæ non potest argui, quia habet suum.

Secundo excommunicatio non incurritur nisi ob peccatum mortale contra obedientiam, at qui rem iuste detinet, puta in compensationem damni recepti, aut quia sibi est debita, eam non reddendo, non est præcepto Ecclesiæ inobediens, cum hoc, ad rei alienæ detentores duntaxat, & non ve- C ros possessores pertineat, ergo &c.

Excipiendus est casus, in quo scriptura quæ reddi præcipitur sub excommunicationis incurrendæ pœna, aduersarii foret, vt diximus antea, non eius qui possidet, aut apud quem latet, quia cum creditoris, ac domini, conditio melior sit quam cuiusuis alterius, res ei debita, etiam cum dantis detrimento reddi debet.

Secundo, cum ad eam retinens ius non habeat, sed aduersarius qui eam postulat, si ille hãc retinet, retinet alienũ, cum obligatione D restituendi quidquid damni inde sequetur.

Quid si scriptura nec est aduersarii, nec habentis, sed tertij?

Respondendum, tradendam eam esse nihilominus, quia etsi exigens ad eam ius non habeat iustitiæ, illam tamen iuste, ac cum ratione postulat, Prælatus item eius exhibitionem honeste præcipit, ac efficaciter, hoc est cum authoritate, ergo is quem penes erit, tenebitur eam lege obedientiæ postulanti exhibere.

Tertio edicto obsequendum non est ne- E cessario, cum author criminis de quo inquiritur in iudicio, & quod reuelandum est, consanguineus est reuelantis Vgolinus *cap.* 45. *parag.* 7. *versu* 6. Auila 2. *parte cap.* 5. *disp.* 4 *dub.* 1. *concl.* 5. *& eiusdem capitis disp.* 5. *dub.* 1. *verbo ex dictis.*

Probatur, prodere se nemo tenetur Grassius *lib* 4. *cap.* 8. ergo nec consanguineum vsque ad quartum gradum inclusiue, cum ambo in vnã personam moraliter coeant quid-

piamque

piamque vnum censeantur esse moraliter,

Secundo, ea quorum est conscius reuelare non tenetur qui de iure nequit ad testificandum adigi, Vgolinus proxime citatus, Barbosa *de offic. Episcopi allegat. 96. nu. 52.* at consanguinei vsque ad quartum gradum inclusiue, ad testificandum contra Gentiles suos, ac consanguineos produci nequeunt, Auila 2. *parte cap. 5. disp. 5 dub. 2. conclus. 1.* Gutierrez *lib. canonic. quæstionum cap. 11. num. 55.* nisi in casu hæresis, eo quod hæc in detrimentum commune vergat, læsæ insuper maiestatis, ac blasphemiæ in Deum, cuius rei est hæc causa, quod Dei honos, ac gloria, Regisque ac regni incolumitas, parentum ac propinquorum reuerentiæ præferri debeant. Consanguineorum autem nomine, *intelliguntur parentes, & alij ascendentes, socer, gener, vitricus, priuignus, fratres, & horum filij, & reliqui intra quartum gradum, itaque licet isti sciant, quod aliquis cognatus retinet scripturas, vel fecit furtũ, & tamẽ nõ vult parere, non tenetur denunciare,* Auila proxime cit. qui eius rei causam reddit duplicem, primam, quod amicitiæ fœdera inter cognatos sancta esse, firmaque oporteat, dissolui autem ea sit necesse, per reuelationem admissorum ab iis criminũ. Alterã, quod filio nocere pater, denunciãdo eius crimen nequeat, nisi & sibi obsit, & quidẽ non vulgariter, facit enim naturæ cõmunio, sanguiniſq; quæ inter vtrumq; intercedit, communia vtriusque vt sint mala, lædique vnus sine alio nequeat.

Secundo, complectitur etiam consanguineorũ nomen, coniugem ipsam Barbosa *supra n. 59.* Nau. *in canone inter verba concl. 6.* pro qua sententia Lazarius de *monitione sect. 5. q. 11. & de blasphemia q. 12. num. 67.* Menochius *de arbit. casu 248.* quia vir & vxor censentur vna caro, at nemo se iudici dedere, nemo se ei occidendum tenetur tradere: ergo nec vir suam coniugem accusare.

Quid si præter eos non sunt vlli, qui denunciare valeant?

Montaluus *lib. 2. legum fori titulo 8. lib. 9.* Capella Tholosana *in decis. q. 3.* Sanch. *in consil. lib. 6. cap. 11. dub. 18. n. 9.* Imbertus *in praxi fori lib. 1. cap. 41.* docent, cum desunt qui denuncient, aut testentur, priuilegiatos, id est consanguineos omnes, vxoremque adeo in virum produci posse, & vice versa. *Regulariter* (inquit Nauar. *cap. 25. summæ n. 48.*) *priuilegiati possunt cogi ad testificandum in defectum aliorum testium, etiam maritus contra vxorem, & è contrario* quæ est etiam opinio Aufrerii *in q. 3. Capellæ Tholos. parag. tunc enim,* nisi forte vterum vxor gereret, prægnansque esset, Baldus *in leg. inuiti digest. de testib.* nam cum tunc ad iurandum cogi nequeat, secundum

A Aufrerium loco proxime citato, nec in testẽ vocari potest, cum hanc obire prouinciam non alii queant, ac debeant, quam iurati.

In opposita sunt opinione Gregor. Lopez *parte 3. tit. 16. lib. 11.* & Stephan. Auila loco citato, quam quia probabilem tutamque censeo, existimo priuilegiatos, cuiusmodi censendi sunt omnes consanguinei, edictis Episcoporum non comprehendi, nec proinde excommunicationem incurrere, si quæ de crimine, aut re cuius gratia promulgatæ sunt monitoriæ, non responderint.

B Ratio est, quod contra ius commune non possint iudices inferiores aliquid statuere, ergo cum habeãt à iure cõmuni, id est naturali consanguinei, vt sanguine sibi iunctos denunciare non debeant, ad id ab Episcopo, aut quolibet alio iudice Ecclesiastico cogi nequeunt: Sylu. *in verbo correctio q. 7.* quod etsi in causis criminalibus duntaxat, valere velit, etiam in ciuilibus admittendum puto, quia cũ illi sibi inuicẽ agnatione cohæreãt & sanguine, vt contra se dicere, ita nec contra cognatos debent: vniuerse enim loquuntur

C Nauar. *cap. 25. num. 27.* & Auila loco ante citato, nec ad criminalia eorum priuilegium reuocant, ac contrahunt.

De seruis autem censeri quid debet? Eis incumbere, peræque ac cæteris, parere literis monitoriis, nisi sibi cum ratione, à Dominis verbera metuant, ac plagas, *Capella Tholosana in q. 4.* his verbis: *Quæsitum item fuit, an familiaris vel seruitor, produci possint contra dominum conclusum fuit quod sic,* quæ est etiam Aufrerii opinio in eum locum, *de stylo,* inquit, *Curiæ Parlamenti, non repellitur te-*

D *stis, si opponatur quod sit familiaris, nisi adiiciatur quod sit commensalis continuus ad potum, & ollam.*

Quartus casus in quo non obligat præceptum de reuelando crimine, aut scriptura occultis, est, cum nihil de vtroque scio nisi per auditum, & is à quo didici rem iudici exposuit, Nau. *in canon. inter verba cõcl. 11. n. 321.* Graff. *l. 4. decis. c. 8. n. 30.* quia ad eius verba fidemque, mea nihil est additura narratio, ergo edictò, eiusque pœna non tenebor, si ei non paruero.

E Idem dicendum est, cum res tantum est eius beneficio cognita, cui fides nulla est debita, puta quia turpibus suis, fœdiſq; factis est indignus, cui narranti credatur, idem censendum de pueris, quorum vt ætas leuitate est infesta, ita animus in omnes est auras, ventosque rumorum mobilis, quibus si credi oporteret, aut rumusculis qui per vicos circunferuntur vrbium imprudẽter ac authore sæpe nullo, pauci aut verius nulli forent orbe toto culpa vacui, sic impune in omnes

graſſatur fama, ſic populus maleuolentiæ ſuæ fumo, præclara obſcurat facinora: audita ergo à pueris, maleuolis, aut fide indignis, detegenda non ſunt iudici.

Primo, quia periculum habent infamiæ conſciſcendæ proximo.

Secundo, cum non manifeſtantibus infligitur excommunicatio, non alii eo intelliguntur nomine, quam quibus vere de re cōſtat, ſcire enim eſt veritatem viſu perceptam, mente retinere, Graff. ſupra, hoc autem de illo dici poſſe quis credat, qui à perſonis leuitate ſua contemnendis, aut ex aliorum recitatione, per vicos & plateas quidpiā intelligunt? hi ergo duntaxat reuelare tenentur qui audierunt à perſonis fide dignis, vel à parte principali, nam tunc dicuntur ſcire, idque probabiliter vt ait Graff. *ſupra n.30.*

Quinto excuſatur qui rem quidem nouit quam iubetur ſub excommunicatione aperire, non aperit tamen, quia habet impedimentum aliquod legitimum, quod eum à mortali excuſat, non parendo, vel ſaltem à contumacia.

Probatur, non reuelatio rei, aut criminis, quod imperatum eſt detegi per Eccleſiam, non importat excommunicationem in non reuelante, niſi cum peccat mortaliter per inobedientiam, ergo ſi pro eo facit aliquid quod eum à mortali liberet, illud manifeſtare minime tenebitur.

Eiuſmodi eſt primo, quod rem cuius cauſa dicenda eſt excōmunicatio niſi reſtituatur, certo aut ſane probabiliter ſuā eſſe ſciat.

Secundo, quod eam ex cauſa, vt ad compenſationem debiti retineat.

Tertio, quod Doctoris vnius viri boni & eruditi opinionem ſequatur, aſſerentis rem non reddendam, nec hic & nunc parendum monitoriis, in iis enim euentibus, ſi ſententiæ iudicis non obſequitur, in excommunicationem non incidit, quia petenti nunc rem ſibi, aut ſcripturas reddi, ius deeſt de Graph. expreſſe *lib.4. deciſ. ca.8. n.11.*

Quarto, ſi factum de quo agitur, ſibi non eſt niſi per confeſſionem cognitum.

Quia iuſta nulla ſuppetere vnquam vlli cauſa poteſt violandi ſacri ſigilli, nec quæ ſibi ſunt à pœnitente dicta in ſacro tribunali conſciētiæ. In ſumma, res quælibet in impedimentis eſt ponenda, quæ quamuis de facto non ſufficiat, putatur tamen talis à non obediente.

Probatur cum bona fide ſtare non poteſt mortalis culpa, iuxta illud Gen. 20. *Num gentem ignorantem & iuſtam interficies.* At opinio in non reuelante, iuſti alicuius impedimenti, facit in eo bonam fidem, ergo ſi tunc non obſequitur præcepto de re manifeſtanda ſub

A excommunicationis pœna non peccat.

In re autem, & non in opinione tantum, ſequētes cauſæ collectim omnes, aut ſigillatim earū aliqua, à neceſſitate nexuq; monitoriis obſequēdi ſubpœna, in iis propoſita, liberāt.

Prima, ſi qui rem ſubduxit, aut poſſedit, factus eſt ad eius reſtitutionem impotens, quia ad impoſſibile nemo tenetur, *lege impoſſibilium ff. de Regulis iuris.*

Secunda, cum reſtituere quidem illam poteſt, ſed non commode, quia quod quis non poteſt commode, cenſetur abſolute non poſſe, *lege nepos ff. de verbo ſignif.*

B Dicitur autem aliquis commode reſtituere non poſſe, cum reddi ab eo res nequit, ſine detrimento boni altioris ordinis, puta famæ vitæ, honoris, Barboſa *allegat.96. de offic. Epiſcopi n.49. tit.4. ca.8.*

Ad caſus quinque ſupra memoratos, in quibus res denuntianda non eſt ſub peccato, addendus eſt ſextus, nempe cum hæc tantum ſcitur, via conſultationis, ſecreti, aut aliter, nec enim Eccleſiaſticum præceptum vt pote humanum, præualere poteſt naturali, at natura admonet non eſſe euulgāda temere,
C ac facile, quæ alicui ſunt ſub ſecreto credita, non ſunt hæc ergo ad ſuperioris mandatum detegenda Nau. *c 25. n 42.*

Excipiendus eſt caſus, in quo, ex taciturnitate non reuelantis vi edicti Eccleſiaſtici, id quod nouit magnum alicui in fortunis, aut vita, damnum impenderet, nam tunc præceptum de ſecreto ſeruādo, Eccleſiaſtico poſtponendum foret, de reuelādo crimine, quia cum præcepta plura cocunt, quæ ſimul ſeruari nequeunt, maius minori, ſtrictius laxiori, minuſque obliganti præualet, at faciunt pro
D reuelatione imperata præcepta duo, Eccleſiaſticum quidem, & naturale de auertendo magno proximi incommodo, quorum præceptorum vis eſt haud dubiè maior, quam naturalis de ſecreto non prodendo.

Secundo, non ſunt pacta conuenta iniquitatis vincula, eſſent autem, ſi obſtaret promiſſio de ſeruanda fide, ne innocentis dānum caueretur, ergo ſi quæ alicui ſunt dicta ſub ſecreti fide, *ſunt talia, quæ non detecta in aliorum damnum redundarent*, hæc ſuperiori ſilenda non erunt, Nau. *c. ſum.25. n.42.* ma-
E xime ſi impediri via alia damnum quod metuitur nequeat, & tunc inquit Nauar. non eſt detegendum aliquod vltra neceſſarium, *neque quantum eſt neceſſarium, ſi maius ex eo damnum famæ, in eum qui detegitur, quam in damnificatum, damnum bonorum redundat.*

Dixi *via ſecreti conſultationis, aut ſigilli ſacri,* nam ſi res eſt aliter cognita, ad præceptum eſt Superioris manifeſtanda, ob bonum commune, & priuatum læſi.

Tertio,

Tertio, fides secreti, vim non habet obligandi contra ius, damnumq; alicuius tertii vt enim est in lege pacta quę *Cod. de pactis. Pacta quæ contra leges, constitutionesq; vel contra bonos mores fiunt, nullā vim habere indubitati iuris est.* Huic legi par est illa, quæ est *in eodem Cod. eodemq; tit. & Cod. de inutilibus stipulationib. lex ex instrumento. Omnia quæ contra bonos mores, in pacto, vel stipulatione deducuntur, nullius momenti sunt.*

At est contra ius Superioris, quod eius imperio præponatur secreti ratio, contra autem bonos mores, quod ne violetur secreti fides, sinatur quis damnum pati cui charitas occurrere, cum commodè licet, iubet.

Septimus casus in quo ad superioris præceptum, non est rei scitæ facienda reuelatio, est, cum hæc creditur futura inutilis, eò quod iudex animo est in reum propenso plusquam est iustum, aut certe ad vindictam criminum nimis remisso.

Octauus, cum is ad cuius emendationem, & partis læsę satisfactionem, reuelatio quæritur, est iam emendatus, ac parti satisfecit, aut probabiliter speratur emendatio, & partis satisfactio: Regin. *to. 2. lib. 9. c. 11. n. 212.* P. de Nauar. *lib. 2. de restitut. cap. 4. nu. 216.*

Ratio est, quod cessante causa, cesset quoque edicti seu monitorii obligatio, at causa excommunicationis ferendæ pro rebus deperditis, quæ non redduntur cum possunt, est peccantis correctio, & læsi extra damnum positio, recuperatione rei suæ, ergo si vtrumque est factum, causa iam nulla superest, reuelandi eius, qui criminis author esse creditur, quas non deferendi causas legitimas complexus est his verbis Nau. *in summa cap. 25. n. 46.*

Septimo, *Peccat qui absque causa non paret iudici præcipienti, vt denuntiet talia & talia crimina, vel debita, & est excommunicatus si mandatum fuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & tenetur restituere, dixi absque causa quia multa excusare possunt, quorum primum est, quod peccatum est occultum, aut peccator iā emēdatus, aut sola fraterna correctione emendabilis, tunc enim non est parendum ante fraternam correctionem. Secundum defectus probationis peccati denuntiandi. Tertium quod à talibus, & taliter audiuit, vt ob id moueri non debeat. Quartum denuntiatio eius à quo audiuit. Quintum nosse eum qui furatus est, vel tenet illud, retinere in compensationem alterius tanti vel pluris quod sibi debetur. Sextum quod per solam Sacramentalem confeßionem nouit. Septimum quod per solam secretam consultationē pro Concilio habēdo nouit.*

Patet ex dictis primo ab eo qui non est soluendo etsi vere rem sit furatus, quam iubetur reddere sub excommunicatione, eam

A pœnam non contrahi, quia impossibilium nulla est obligatio *de regulis iuris in 6.* incurritur autem illico, ac ei suppetet vnde creditori satisfaciat, quia durat lata contra eum sententia, cuius tamen est executio ob paupertatem suspensa.

Quid si non potest integre quidem contracta nomina dissoluere, sed ex parte?

Respondend. ad id teneri iure quam optimo, quia quādo præceptū est de re quæ partes habet, si tota nequit, certe pars eius quæ potest, præstari debet, alioqui peccabitur.

B Patet secundo excommunicationis subeundæ sententia contra scientes lata, nisi reos superiori iudicent, eos non teneri, quibus certo cōstat, rem ex debito legati, aut in compensationem alterius debiti realis, aut operę eius domino exhibitæ, substractam esse ab eo cui merces sua non est soluta, nam istum in præsenti materia lex cogere nulla potest ad se prodendum iudici, ergo nec istos ad illum indicandum, quia *vbi principalis non tenetur reuelare*, nec accessorij Graff. *supra nu. 12. quia accessoriū sequitur naturam principalis de reg. iuris in 6. reg. 42.* Certo dixi quia si anceps

C esset, dubiaque retinentis probitas, nec sciretur, ei iustam esse causam seruandę rei quam habet, aut subduxit, sententiæ de ea manifestanda parendum foret, quia in dubio melior est possidentis conditio, quam non possidentis: at est Ecclesiæ præceptio in possessione, præferēda est ergo dubio, de iustitia retentionis rei alienæ à tertio, hoc est eo apud quem esse scitur.

Patet tertio, vxori ac liberis censuram timendam non esse, si non reuelent quæ ab istis, & illa, sunt de re patris, qui omnia dila-

D pidat, clam sublata: ab illa quidem dotis nomine, ab istis autem ne fame pereant, habeantque vnde parce, honeste tamen pro vitæ suæ ac generis conditione viuant, quia cum in eo non peccarint, nihil est magnopere, cur edicto obtemperandum sibi existiment.

QVÆSTIO XI.

E *An Episcopo sub pœna excommunicationis id iubenti, denunciari debeant, qui ordinem compensandi sui non seruarunt, sed prætermißis antiquis creditoribus de bonis debitoris sui, sibi satisfecerunt.*

Exigit quæstionis huius explicatio intelligentiam alterius, nempe, an ius priorum creditorum, quibus prius satisfieri oportet, compensationi moram ac impedimentum afferat.

Dubitandi cauſa inter reliquas, non vltima eſt, quod lege ciuica debitor eiuſque hæres, iubeantur damna præſtare omnia creditoribus, ſi his præteritis, eoque qui habet hypothecã priorem, aut priuilegiatam, poſteriori creditori ſoluat, à quo nihilominus quicquid iſti ſolutum fuerit, recuperare authoritate ſua, aut iudicis, impunè illi poſſint, ac ſine crimine *lege ſcimus 22. parag. etſi præfatam Codice de iure deliberandi.*

Hæc dubitatio, quę percellere ſolita eſt multorum animos, in eam opinionem quoſdam induxit vt crederent, compenſationis nomine, capi aut retineri de bonis debitoris nihil poſſe, niſi prius creditoribus ſatisfiat, tempore prioribus, quod eorum ius ſit potius quam poſſeſſoris, iuxta iuris axioma. *Qui prior eſt tempore, potior eſt iure.*

Mihi contra de re tota, paulo attentius cogitanti, videri ſolet, creditori ius eſſe cõpenſandi ſui, nec neceſſario curam ei ſuſcipiendam vllam eſſe de creditoribus reliquis, quibus debitoris bona nondum ſunt addicta.

Primo, quia non eſt æquum, rem illum ſuam amittere, cum poſſit recuperare.

Secundo, cum creditori iuſta eſt metuendi cauſa, ne debitor verſuram faciat, poteſt hic per iudicem adigi, ad preces vnius de illis, vt capione ſupellectilis, aut carcere, ſi eſt opus, contracta diſſoluat nomina, etſi hic à quo prædicto debitori dies eſt dicta apud iudicem pro impetranda ſolutione debiti, tempore multis aliis ſit creditoribus poſterior, inter quos tamen nullum eſt prælationis priuilegium docent Nauar. *cap. 17. nu. 13.* Sylueſt. *reſtitutio 6. qu.* 8. Leſſ. *lib. 2. de iuſtit. cap. 15. dub. 5. nu. 39.*

Cauſa eſt, quod ſua eum diligentia, quæ hypothecæ inſtar eſt, aut priuilegij, potiorem facit cæteris, ſic enim Sylu. loco citato. *Si creditor vigilauit, exigendo debitum in iudicio, vel extra, poteſt, imò debet ei debitor ſoluere, antequam bona debitoris authoritate iudicis incipiant poſſideri,* Nauarri par ſimiliſque oratio eſt, num. citato. *Quando creditor in petendis debitis ſuis in iudicio, vel extra illud, fuit aliis diligentior, non ſolum poteſt, ſed etiam debet, prius illi, quam aliis ſoluere, modo alij non ſint magis priuilegiati.* Iam ergo ſic diſputo creditori licet, ius ſuum apud iudicem proſequi: ergo & per ſe exequi, retinendo tantum de bonis debitoris, quantum ei credidit, ſicut perſpicuis verbis permittit lex poſtrema *Cod. de compenſat.* ſic enim loquitur. *Compenſationes ex omnibus actionibus, ipſo iure fieri ſancimus, nulla differentia in rem, vel in perſonalibus actionibus inter ſe obſeruanda.*

Confirm. ſui quiſque prę alio rationem

A habere poteſt, vt enim vita mea, mihi cuiuſlibet alterius, carior eſſe debet, ita me, meaque, plus diligere debeo, quam quemlibet alium bonaque eius, hoc enim recta caritas exigit, at peruerteretur hic eius ordo, ſi in recuperanda re mea, cogitare deberem, vtrum is apud quem eſt, anterioribus creditoribus aliquid debeat, quorum ante me rationem habere debeat, ſic enim eius commodis, ſic eius rei domeſticæ, ac familiari, magis quam meæ conſulerem. Quare cum ſe dat opportunitas, cum loci, temporiſque B ratio patitur, poteſt ſibi quiſque creditor ius dicere, ſeque compenſare, quare *non peccat accipiendo ſuum debitum, quod diligentius petiit, ſi alij non ſunt magis priuilegiati,* Nau. *ſupra,* cautioque hęc ſeruetur.

Prima, vt moraliter conſtet, rem ſibi ex iuſtitia eſſe debitam, nam ſi dubitat, ſi anceps animi, dubiuſque vacillat, modo in hanc, modo illam inclinans partem, manus ab ea, animumque abſtineat eſt neceſſe, quod melior ſit in dubio poſſidentis conditio. Idem dicendum, cum non niſi ex grati- C tudine res eſt debita Leſſ. *c. 12. dub. 10. n. 55.*

Secunda, vt ſi rem maioris pretij ac æſtimationis, quam quæ eſt debita, ceperit, reponat quod eſt ad æqualitatem neceſſe.

Tertia cautio, vt aliter recuperari nequeat, vel non ſine moleſtia, ac labore, puta quia debitor gratioſus eſt iudici, creditori autem infeſtus, parumque placabilis, vel ſi eſt vtriuſque ex æquo ſtudioſus, periculum eſt tamen, ne ſi adeatur, amicitia quæ multis viciſſim officiis, inter creditorem coaluit, D intereat.

quarta, ne è tali compenſatione, damnum erumpat, aut graue malum, vt ſcandali, infamiæ, iacturæ æſtimationis propriæ, qualis eſt timenda, cum iuſta metuendi eſt cauſa, ne compenſanti lis intendatur, tanquam furi, tanquam alienæ rei iniuſto raptori, quod eſt admonitum Leſſij *loco proxime citato num.* 60. vbi duo ad rem pręſentem non parum vtilia, in commentarios retulit.

Primo enim cauendum eſſe ait, ne iterum peti id poſſit, ad quod abſcondita ſufficiunt.

Secundum, cum à iudice, de loco ſuperio- E re frequenti populo edicitur, vt qui rem aliquam habet, quæ in peculio creditoris erat, aut haberi ſcit ab alio, hunc ſibi pœna excommunicationis propoſita denunciet, non teneri ſe prodere, qui compenſationis iure eam poſſidet Nauar. *cap. 17. manual. num.* 134. nec qui eam pro eo abſconditam ac latentem ſeruat, quia edicto ſuo iudex, eos duntaxat ad manifeſtationem rerum de quibus eſt quæſtio, adigit, qui alienum poſſident, at ius compenſationis efficit, vt qui eo

est vsus, intra iustitiæ limites, alienum nihil habeat, nullo ergo iure, se bonaque quæ à debitore suo abstulit, iudici aut Episcopo sistere compellitur aut denunciare, nisi in casibus, qui sequuntur.

Primus est, quando debitum erat dubium.

Secundus, quando plus longe, sibi de alieno attribuit, quam quãtum erat ei debitum, proindeque & licitum.

Tertius, cum rem accepit, quæ debitoris non erat, de bonis enim quæ propriè sunt eius, non alterius, fieri debet compensatio. Et quanquam multorum opinione, compensationem hanc depositum non admittat, ex decretali *bona fide de deposito & lege extrema Cod. de compensationib.* oppositum tamen videtur Lessio probabile *cap. 27. dub. 4. num. 16.* saltem in foro conscientiæ, quando rei recuperandæ alia non suppetit ratio, quia iure naturæ, & gentium, potest sibi quisque ex re aliena satisfacere, quando aliter solutionem non potest obtinere, quæ est sententia Less. supra Nauar. *cap. 17. num 115.* Emm. Sa *verbo deposit. num. 4.* his verbis: *Potest in conscientia & depositum, & commodatum pro debito detineri, quicquid sit de foro exteriori* in quo vt tradunt Sylu. *verbo compensationum. 3.* Panormit. & alii, datur etiam indirecta compensatio, quæ definitur, *retentio rei acceptæ, donec fiat solutio, directa, est debiti & crediti inter se contributio,* Scholiastes Angeli *parag. 12. verbo depositum.*

Ex dictis facilis est ad quæstionem initio positam respõsio, neminem teneri prodere cum de creditoribus, qui cum modificationibus allatis, sibi prius aliis de bonis debitoris satisfecit.

QVÆSTIO XII.

An imperata à iudice reuelatio, Euangelica correctioni officiat.

DIco primò, *Correctionem Euangelicam, denuntiationi præmittendam esse, cum pro futura speratur, & nondum præmissa fuit*: Ita Nauar. *in can. inter verba 11. q. 3. concl. 6. corrollario 66.* & Enchirid. *cap. 17. num. 134.* Fagundez *in 8. precept. lib. 8. cap. 51. num. 3.* Comitol. *in responsionib. lib. 6. q. 4. n. 4.*

Causa est, quod superior, quæ sunt diuini iuris, ac naturalis, euertere præcepto suo nequeat, non sunt hæc enim eius potestati obnoxia, nec talia, circa quæ accidere possit vlla mutatio, vt enim natura stata est, inuariabilis ac perpetuo eadem, nec proinde de earum rerum genere, quas arbitrio emouere suo vlli sit licitum, ita quæ à Deo sunt

A præcepta, in iure non sunt hominum, sed Euangelica correctio, id est secreta, iuris est diuini positiui Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus vade & corripe inter te, & eum solũ, si te audierit, lucratus eris animã eius* &c. quod ipsum etiam ratio, naturaque præcipit.

Nam quis nescit bene informatum animum præcipere homini, vt quàm minimùm famæ alienæ noceat, nihilque non faciat, ægro medicinam vt afferat, priusquam nescientibus ac ignaris, plagas eius, vulneraque prodat, ergo si fraterna correctione, pec-

B canti potest consuli, eam ante denuntiationem non oportet omitti, nec secus præcipere Superior potest, aut ne adhibeatur vetare, cum eius iussa, legi naturali ac diuinæ consentanea esse debeant, alioqui errorem continerent non ferendum, nec obligationem vt eis pareretur, haberent vllam.

Dico secundò, *Si monitus non sapit, si post correctionem Euangelicam, obstinati animi duritiem reus non ponit, si superiori, vt ante, obsequi renuit, hunc ei, eiusque crimen manifestandum videri.*

C Primo, quia tum si quando, Christi seruatoris præceptum vim habet, *dic Ecclesiæ si Ecclesiam non audierit, &c. Matth. 18.*

Secundo, cum ipsi per nos non possumus, ad salutem proximi promouendam, Deique gloriam, aliena vti opera est necesse, ne se charitas læsam queratur ac dicat, vtimur autem, cum criminosum nostris non emendatum sermonibus ac monitis, nec iudici paratum obsequi, eidem deferimus reuocandum in viam, ac cohortatione sua sanandum, vel carcere ac censura Ecclesiæ plectendum,

D vt est meritus.

Dico tertiò, *Superioris edicto de manifestando delicto, eius auctore, aut re auersa, obtemperandum necessario non esse, cum eam restitutam vel læso satisfactum, auctoremque emendatum esse constat,* conclusionem subscribunt P. de Nau. *lib. de restitut. 2. cap. 4. part. 2. dub. 9. num. 217.* Toletus *lib. 5. summæ cap. 57. num. 3.* Nauar. *cap. 25 num. 33.* Fagund. *lib. 8. in præcepta Decal. cap. 51. num. 4.*

Ratio est, quod cessante fine, cessare ea quoque oporteat quæ ad illum ordinantur

E vt media: Iam hoc quæro, Iudici denuntiationem criminis, aut occultæ rei imperanti, quid sit præ cæteris propositum maximè? Opinor, quod res ipsa loquitur, docetque vsus, sistere in cursu vitia, ne ad insontium exitium porro pergant, & sæuiant, reparare si quid detrimenti vlli intulerint, in bonam frugem, mali fontem ac auctorem, metu pœnæ reuocare: ergo si est id opera sua diligentiaque assecutus, qui vitæ eius, operumque conscius, hominem à continuando dehor-

tatus est scelere, quid eum adire iudicem est necesse, vt quod ipse magna sua laude obtinuit ab homine, per eundem iterum fieri expetat?

Excipiunt summarum authores hæresim, qua qui semel sunt infecti, vt probe fingunt animum, seque ad fraudes componunt, fidem eiuratæ suæ improbitatis facilè non faciunt, quare eis non nisi ægre, ac iuratis credi debet, ideoque ne noceant, iudici sunt denuntiandi, Fagund. supra, ac contra eos, quando & quoties hic imperat, obiici si quid in fide, vita, & moribus queat, vnicuique vere & planè incumbit dicere.

A prima assertione, in qua admonitionem præmittendam esse denunciationi dixi, excipiendi sunt casus sequentes.

Primus cum peccator præsumitur incorrigibilis.

Secundus, cum timetur magnum damnum, & periculum est in mora, si expectetur admonendi opportunitas Graffius *lib. 2. decision. aurear. ca. 69. n. 15.*

Ratio est, quod commune bonum priuato vnius cuiuspiam anteferri debeat, ex hoc capite concludit hic author in causa hæresis, factæ coniurationis in Remp. aut corruptelæ in fide, moribusque, periculo item disseminandi erroris in populo, ex quo virtuti labes, religioni interitus imminet, Prælatum adeundum illico, deque imminente periculo syncere eum edocendum, omissa correctione Euangelica.

Tertius casus est, cum non speratur profutura correctio, tum enim in ea operam ponere, quid est aliud quam bonum otium in nugis perdere?

Quartus est, cum sibi quis à peccatore metuit, cum verbera, opprobrium, aut amicitiæ cum eo olim contractæ iacturam timet.

Quintus, quando iisdem quibus ille sceleribus est infamis, tunc enim inquit August. *lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 30.* non reprehendi aut obiurgari, sed inuitari debet ad pariter cauendum nobiscum, Diu. Tho. *in 2. 2. qu. 33. art. 5.* fraternæ correctioni peccatum præteritum officere ait propter tria, primum, *quia inquit ex peccato præcedenti, indignus redditur vt alium corrigat.* Secundo, *redditur indebita correctio propter scandalum ex correctione si peccatum corripientis sit manifestum.* Tertio, *propter superbiam corripientis, in quantum scilicet aliquis propria peccata parui pendens seipsum proximo præfert, in corde suo.*

QVÆSTIO XIII.

An Prælato præcipienti, vt si quis furem nouerit, eum denunciet, parere sit necesse.

Dico primò, *Furem, culpæ reum non esse, si Prælati decreto non obtemperet,* Graph. *lib. 2. cap. 69.* Iulius Clarus *lib. 5. receptar. in practica criminali q. 16.*

Ratio est, quod reus, sui accusator esse non cogitur extra Sacramentum pœnitentiæ, nec crimen suum prodere: est enim contra caritatem, qua se quisque debet prosequi, arma hosti in manus porrigere quibus pereat, quo se peccato maculat, temeritatis, scilicet ac odij aduersum se taciti, qui de se ea confitetur, quibus in suspicionem iudici de iis rebus veniat, quas capite suo luat.

Confirm. ad id adigi superioris imperio aliquem, quod naturali, diuino, ac humano iuri repugnat, malum est, eiusmodi est occultorum reuelatio per eum facienda cui sunt nota.

Et quidem de naturali probatur, Naturę repugnat vt quæ sunt aliena à scientia publica, hęc iudicio subsint publico, in quo pręter reum & iudicem, requiruntur accusator, & testes, qui crimen ore, fideque sua probatum, omnium subiiciant oculis, quod cum accidit, haud dubiè non est occultum.

Deinde natura non patitur, vt idem sit agens & patiens in damnum suum, quod tamen vsu veniet, si se fur, aut quilibet alius delicti occulti author, seipsum ad iudicis edictum prodere debet.

Esse similiter contra ius diuinum, vel hinc patet, quod contra Sodomam, sententiam mortis ac exitij Deus non dixit, nisi postquam eius libido nota fuit omnibus, deque ea publice, ac in omniū ore male hæc audiit, infamisq; extitit: *Clamor* (inquit Deus) *Sodomorum ascendit ad me & descendam &c.*

Et de Cain Genes. 4. dicitur. *Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me,* iuri ergo naturali ac diuino repugnat, cogi quem seipsum prodere iudici culpamque suam, quandiu est hæc secreta, nullique nota.

Aduersatur etiam canonico nam *extra de accusatio. cap. inquisitionis 22.* vetantur Superiores de vllo quæstionem habere, aut sententiam dicere, qui non laborat infamia, vera est ergo allata pro assertione eius confirmatio.

Secus quam nos opinantur Sylu. *in verbo correctio q. 9.* Graph. *l. 2. decis. c. 69. n. 31.* sensumq; suum probant authoritate Greg primi, quem (aiunt) pœna excommunicationis

nis

nis proposita iussisse cuidam, qui peccatum responsali suo affinxerat, vt se proderet. *Quia quisquis, inquit, veraciter loquitur, semetipsum innotescere non debet formidare, oportet, vt publicè exeat, & quæcunque in contestatione sua loqui præsumpsit, ostendat. Quod si non exierit, neque publicè confessus fuerit, quisquis ille sit, qui hoc agere præsumpsit, vel consensum inĕtatæ iniquitatis consilio præbuit, ex Dei, & Domini nostri Iesu Christi Spiritu definimus, vt sancti eius corporis & sanguinis participatione priuatus sit*, Gregor. *lib. 5. epist. 36. siue c. 130. & refertur 5. q. 1. can. 2.* Ad hanc authoritatem.

Secundum argumentum nobis opponit Sylu. nepe quod sententiæ iustæ sit parendũ qualis, cẽlenda est, (inquit) quæ nihil illicitũ continet, cuiusmodi est, ait, quæ reuelationẽ rei etiã occultæ præcipit, aut personæ, de qua nulla præcessit infamia, quia mandatum superioris intelligendum est secundum ius, ordineque Euangelico seruato.

Obiicit 3. si occulta exponi iudici id mandanti nequeunt, maximè quia probari non possunt, nam denunciationi locum in huiusmodi non esse, dixere Panormit. *in cap. nouit de iudiciis num. 41.* & Ioan. Andreas ibid. vbi sic scribit, *caueat denuncians, quod peccatorem conuincere possit, quia ei aliter etiamsi sit Episcopus non creditur 5 q. 2 can. si tantum & can. placuit*, at id denunciationem occultorum non impedit, nam probatio rei iudicandæ, aut iudicatæ, ei tantum incumbit, qui voluntarie, & non coacte, & à iudice astrictus aliquid denunciat, quod hic locum non habet, cum denuncians non nisi iussus id faciat, vi scilicet edicti de re, aut persona declaranda.

Sed respondendum argumẽnto priori (nam de mente Gregorii postremo nobis erit sermo) respondendum (inquam) negatione minoris, si in ea agatur de delictis secretis, quæ in aliorum iniustam perniciem non vergunt, nam vt eorum denunciatio est iniusta, ita & imperium quod de ea facienda manat à Prælato ad subditos, nam potestatis humanæ limites excedit, præcipere ac velle vt in foro, vbi tantum publica agitantur crimina hoc est notoria, aut de quibus est infamia, secreta, quæque carent testibus, argumentis, ac probationibus euulgentur.

Argumẽti alterius est itẽ negãda minor, & ad eius. Confirmationẽ dicendũ, pertinere ad denunciantis officiũ, probare denũciata, aliter peccat mortaliter infamando iniuste proximum excommunicatio enim cum sit actus iurisdictionis exterioris, non comprehendit nisi delicta in exteriori foro perspicua, aut quæ testibus reddi possunt talia.

A Ad factũm Gregorii ex citato canone petitum respondendum primò, probabile esse, de authore criminis huius, præcessisse infamiam, aut indicia extitisse tam clara, perspicuaque, vt hæc argui nisi ægre, mendacij non possent, in quo casu, reo de se fatendum, iudicique id præcipienti sub pœna in edicto proposita obsequẽdum esse dixere auctores qui paulo ante Sylu. *verbo correctio q. 8. & in verbo dubium q. 2.* de Graphiis *n. 28.* Est autem infamia in præsenti materia, sermo communis populi, seu antecepta vulgi animis opi-

B nio, quod ab hoc aut illo, certo sit patratum facinus, de cuius auctore ambigitur in iudicio. Infamia enim, & ignominia (inquit Cornel. Front.) hoc differunt, quod ignominia imponitur ab eo, qui potest animaduersione notare, infamia ex multorum sermone nascitur, vt enim hæc quæ iuris dicitur auctoritate sola legis nominatim infligitur, vnde ex famosis actionibus condemnatus, iustam contrahit nominis maculam, ita infamia facti, ex ipsa rei indignitate secundum censuram bonorum virorum est, *lege 2. di-*

C *gest. de obseq. à liberis & libertis parentib. præstand.*

Respondend. 2. ita pręcepisse Gregor. quod in ea opinione esset, à qua abire, cum non sit in re, materiaque fidei, puto cuique esse liberum, quod si non erit ad stomachum hæc rẽsponsio. Addi tertia poterit, fuisse qui famosi huius libelli authorem contra responsalem Greg. accusaret, cuius solius voce, suffragioque, damnari cum non posset, aut certo peragi criminis, iussisse Gregor. (quod poterat) se sibi vt sisteret, nam cum

D semiplene vt loquuntur delicta probata sunt, aut de iis est aliqua infamia, vel indicia fortia, teneri reum se iudici prodere, ac admissa recognoscere. Doctorum est opinio apud Graph. *loco ante citato.*

Responsio quarta, excommunicationem latam à Gregor. non cadere supra debitum reuelandi delictum commissum, sed supra id quod erat futurum, si Sacramentum corporis Christi, in illo peccato sumeret, nam cum is qui alienæ famæ iniuriam intulit, eam restituere teneatur cum iactura pro-

E priæ, si nequit aliter, nec ex tali restitutione periculum ei capitis imminet, recte excommunicari à Gregor. potuit, qui libellum in responsalẽ suũ scripserat nisi se proderet, eo quod non se manifestando, iniuriam illatam detractione sua non reparabat, cum qua culpa pasci Christi corpore, & sanguine potari, quid erat aliud, quam diem sibi contempti Christi dicere, nouoque se crimine impiare? à quo prædicti libelli auctorem vt deterreret Pontifex, sumptioni corporis Christi & san-

guinis tam indignæ, excommunicationem addidit.

Dico secundò, *Conscium facti criminis non teneri vi edicti, aut præcepti Superioris, illud ei detegere, cum ipsi soli est cognitum, scitque eius auctorem id nosse, nisi forte in Reip. bonique communis, aut proximi perniciem vergeret.* Longus *part. 2. de iudicio regulari casu 5. de denuntiat.*

Ratio est, quod cum magno suo incommodo, aut eius subeundi certo periculo, superiori obsequi non sit necesse, nam quis credat id eum velle? at magna sunt, eaque indubia argumenta offensionis, ac simultatum futurarum inter reum, & reuelantem eius peccatum, si hoc eius solius conscientia scit teneri, nam cum à iudice sistetur ad prætorium, super eo dicturus causam, vt est hominum suspicax ingenium, in eum solum nominis sui ad iudicem delati causam referet, & sic contracta inter eos amicitia soluetur, regnabit odium, non sine periculo faciendæ iacturæ in fama bonisque, cui se vt pareat iudici, eiusque faciat imperia, exponere nemo tenetur in conscientia. Claudam hunc locum insigni testimonio Graphij, hic ergo *num. 32. cap 68. lib. 2.* sic scribit, *In casibus, in quibus reus, siue qui scit delictum, tenetur reuelare, considerandum est quod non tenetur reuelare iniuriam passo, quia hoc esset odia nutrire. Item si hoc mandatum esset generale, non tenetur reuelare iudici publice, quando non potest probare, sed bene secretè ad correctionem. Si tamen iudex præcipit quod vult sibi dici in iudicio, debet intelligi, saluo ordine Euangelico, quod si vult iudex vt probet, cum non possit, & denuntiet ante correctionem, non tenetur, quia sententia continet intolerabilem errorem*, Armilla *in ver. excommunication 31.* Hæc ille.

Confirmatur, Occulta & quæ probari nequeunt, puniri nec debent nec possunt, ergo nec reuelari ad mandatum iudicis.

Anteced. probatur pœna de insonte repeti nulla potest. At quàdiu crimẽ de aliquo non probatur, innocens habetur: ergo &c.

Conseq. probatur, cum potestas iudicis, forum publicum respiciat, hicque rei punitionem intendat, non potest præcipere, nisi ea quæ eò, vt ad finem tendunt, at occulta, eorumque reuelatio, ad pœnã infligendam nocenti non sufficiunt: vnde in decretali *inquisitionis 21. § tertiæ dubitationis de accusationibus* respondit Episcopo Gebenn. Innocent. III. *nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, seu clamosa insinuatio non præcessit propter dicta huiusmodi, puniendum, quin imò depositiones contra eum recipi non debere, cum inquisitio fieri solum debeat, super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt*, quare delictum licet sit notorium, si tamen persona quę illud commisit est occulta, non subest potestati iudicis, quia illa quæ non subiacent scientiæ publicæ, publico quoque non subsunt iudicio Lud. de Beia *in responsionib. parte 2. casu. 2.*

Secũdo quæ iuris sunt naturalis aut diuini, hæc abrogari à iudice nequeunt, hunc enim obsequi Deo ac naturæ conuenit, eorundem obtemperare legibus, nõ has refigere, antiquare ac tollere: at occulta tegi iuris est naturæ, nisi sint proditiones, aut hæreses, similiaque crimina quæ in damnum publicum cedunt, ergo ea detegi, reuelari, ac manifestari sibi, aut alteri pœna excommunicationis proposita, præcipere iudex non potest.

Quod occulta velari natura iubeat, nec in apertum trahi: conficit hæc ratio.

Alienæ nocere famæ, tam Dei, quam naturæ iura vetant, ob causam iustitiæ lege est restituenda cum aufertur, secundũ D. Th. 2. 2 *q. 62. ar. 2.* ergo & occulta proponere crimina per quæ aliena fama læditur, culpa est, eaque iniustitiæ, ergo vt id fiat, præcipere iudex non potest, & si faciat, nulla ei sic iubenti debetur obedientia, *plerumque enim* (vt est in homil. August. *de pœnitent. & refertur 2. q. 7. can. 27.*) *boni viri propterea sufferũt aliorum peccata & tacent, quia sæpe deseruntur publicis documentis; quibus ea, quæ ipsi sciunt, iudicibus probare non possunt.*

QVÆSTIO XIV.

An obligatio reuelandi ac denuntiandi criminis furti V. C. exspiret elapso termino, à iudice ad eam rem præstituto, ac in edicto suo posito.

CVm crimina sibi detegi iudices imperant, aut alia, quæ sciri Reip. ac boni communis interest, certum tempus diemque præstituunt singulis, V. C. decimum, aut nonum, à die promulgati edicti, quo illis obsequi, remque sibi, si qui forte eam norint, clarè narrare ac perspicuè oporteat. Quæritur ergo, an exacto dierum decem spatio, quo clauditur iudicum præceptio, hæc sic cesset, vt nulla postmodum lege, eius conscij, ei teneantur obsequi, si forte aliquid ipsi de crimine, aut re norint, de qua doceri iudices volunt, quam cognorare ad salutem communem aut priuatam proximi non oportet, & de eo duplex est opinio.

Prima negantium, quam propugnant Suar, *tomo 5. de censur. disp. 20 sect. 3 nu 14.*

Lazarius

Lazarius Papiensis *in suis quæstionib. canonic. sect.2.q.6.n.5.* Sanch. *de matrim.l.3.*

Secunda opposita, priori meo iudicio probabilior, elapso termino qui ad reuelandum est præfixus, dierum V.C. nouem aut decem, obligationem præcepti Ecclesiastici extinctam esse: Ita Anton. Genuens. *in praxi Neapolit. cap.1. num.7.* Fumus *verbo excommunicat.4. parag. 4.* Beia *1. parte casuum casu 47.* Armilla *ver. excom. parag. 34.* opinionis huius sunt hæc firmamenta.

Primum, censuræ vis est nulla, nisi secundum voluntatem iudicis eam promulgantis, at temporis, at dierum designatio, intra quos reuelari rem sibi iudex imperat, est tacita quædam per eum facta declaratio, quod vltra hos dies, neminem edicto suo comprehendi velit, si enim aliud ei in mente foret, diem vtique decimum non apponeret, ergo eo transacto, cessat omnis edicti obligatio: quare qui eo toto abfuerunt tempore ab vrbe, vbi eius facta est promulgatio, aut ad quos eius postea arrepsit notio, eo finito, de re quam sciunt, aut crimine, eloqui nihil, aut detegere sub peccato, eiusque pœna debent, res est enim plena odij, quam proinde extendi, ac vltra præstitutos sibi limites prorogari non conuenit, cui hæc ergo non nisi post definita temporis, ac dierum spatia innotuit, aut quo tempore est promulgata excommunicatio contra non obsequentes, ab vrbe aberat, ea non tenetur, vt quæ vltra decem illos dies, in quibus, absentem præceptûq; iudicis cum pœna ei apposita ignorantem, non tangebat, minime extendatur, Reginald. *tom. 1. lib.6. cap.12. num. 218.* Philiarchus *de officio Sacerdot. par. 1. lib. 3. cap. de excom.34.*

Secundum, cessat præceptum, cessante tempore quo ponitur, in hoc enim à lege inter cætera distinguitur, quod hæc sit perpetua, firma ac stabilis, nec morte ferentis moriens. At cum è superiori loco à Prælato edicitur, vt res aut crimina sibi per eorum gnaros ac conscios innotescant, non lex aut statutũ sciscitur, sed mandatum datur; cuius vis omnis, certo est circumscripta tempore vt supponitur, cum iubeat vt intra tot dies sub excommunicationis incurrendæ pœna detur effectui: ergo eo elapso, non durat eius obligatio.

Cuius oppositum in opposita sententia est dicendum, nempe tam præsentes, quàm absentes, ad quorum notitiam publicatio edicti non peruenit, teneri vbi primum eam sciuerint, intra illum ipsum terminum, in edicto assignatum à die notitiæ eius, rem restituere, reuelare, aut denuntiare, sub eadem excommunicationis pœna, dummodo idem sit iudex, & cum eadem authoritate perseuerans.

A

Dicendum secundo, in ea sententia, obligationem parendi edicto Prælati, quæ ex iusta aliqua causa, aut impotentia extincta fuerat, reuiuiscere cessante ea impotentia, aut alio quopiam simili impedimento, quare factus potens ad restituendum, tenebitur intra alium æqualem dierum terminum, numeratum à die, quo impotentia aut impedimentum cessabunt, rem reuelare, reum denuntiare, crimen iudici indicare.

B Quam id vero sit parum probabile, vt ipse non dicam, res ipsa, quæ per se semper multum potest, eloquitur, nam quis credat, post viginti aut triginta annos, ex vi edicti, obligari aliquem ad restituendum, aut vulgandum, quod ei ante per inopiam, aut metum subeundæ iacturæ alicuius, in re sua familiari aut fama nõ licuit, & ni fecerit, hoc ipso excommunicatum esse? Tenetur quidem semper, & eo toto tempore, quo potest, post elapsum terminum rem sublatam Domino suo reddere, est enim hæc obligatio de iure

C naturæ, quæ semper durat, dum res non restituitur, vt dicebam paulo ante, nec fuit suspensa nisi ob inopiam, aut similem aliquam causam, sed nego, eum ad id teneri vi edicti, cum eius vis omnis, pœnæque ei appositæ interierit, vna cum termino, qui ad parendum ei præstitutus fuerat.

QVÆSTIO XV.

D *An is ad cuius instantiam dicta est à Prælato sententia cum termino, intra quem proposita excommunicatione ei sit parendum, eum terminum possit producere, ac maiorem temporis intercapedinem concedere, iudice ante non consulto.*

Dico posse, primò, quia cum res tota ab eius pendeat arbitrio, nec enim iudex aut Prælatus debitorem amplius aut strictius obligare intendunt, quam velit creditor: tacite ergo ad eius prorogationem consentire hic est censendus.

E Secundo, iure suo cedere quisque potest, sed ad ius læsi, hoc est eius cui illatum est damnum, pertinet, vt res ei sua intra tempus in edicto præfixum reddatur, aut eius ablatæ auctor iudici indicetur, quo iure decedit vltro, cum illud prorogat, ac ad designatum, aliud adiicit, quo sibi aperte satisfiat commode, est id ergo ei licitum.

Tertio potest creditor, in cuius gratiam concessa est à Prælato excommunicatio subeunda à debitore, nisi tempore sibi per

Pars secunda. Dd

A edictum designato, æs contractum dissoluat, illud plene ei remittere, ergo & eidem concedere, vt non obtemperet sententiæ iudicis illo tempore, quo est à se, sub pœna censuræ iussus, sed alio, quod sit priore productius, ac longius, hoc enim non est aliud, quam solutionem differre seu debitori permittere vt moras soluendi trahat.

Dico secundò, *Non posse inconsulto ac nesciente iudice, partem ad cuius instantiam lata est excommunicatio, tempus eius innouare, aut* B *mutare, sed prorogare tantum*, quæ est opinio Toleti *lib. 1. cap. 9. num. 4.* Vgolini *de censuris tabula 1. cap. 2. paragraph. 6.* Suarez *de censuris disputatio. 3. sect. 6. num. 11.* Est innouatio, cum tempus à priore diuersum, longeque maius creditori tribuitur ad parendum, Prorogatio, cum æquale præstituitur à iudice, exempli causa, *tempus mutat, ac innouat*, qui dies viginti, triginta, aut plures, parti assignat; intra quos sententiæ pareat. *Prorogat*, qui spatio præstituto à iudice ad satisfaciendum, æquale adiicit, exten- C dendo illud, vsque ad aliud simile, V. C. ad nouem aut decem dies, quem terminum, iudex esse voluit iussis suis explendis positum, mutabitur hic vero, si pars parti alteri annuat, vt non nisi post duodecim, viginti, aut triginta dies exequatur, quæ edicto suo, sententiaque iudex ei præstanda mandarat.

Probatur, excommunicatio vim non habet à voluntate partium, sed iudicis, est enim iurisdictionis actio, quam partes nullam in sese mutuo, possident, tolli hæc ergo, aut suspendi, ad earum arbitrium non potest, suspendetur autem eius obligatio ad tempus ab illis præstitutum, tolletur verò si pro designato à iudice, fas est partibus, eo nesciente, exequendæ suæ sententiæ sub excommunicatione ipso facto subeundæ, tempus præfigere longius, quàm ipse statuit, mutari: hoc ergo, ac ab iis innouari iudice minime conscio ac volente, non potest.

QVÆSTIO XVI.

An cum est in edicto, vt qui de furto, aut crimine admisso aliquid scit, illud intra octo dies Prælato denuntiet, teneatur hic obsequi, si alij absint, qui cum eo præsentes aderant, cum est factum facinus.

DIco non teneri. Responsi causam hanc producit Lazarius *in lib. de quæstionib. sect. 2. quæst. 11. numero 1.* quod decreto de re exponenda quæ latet, detegendo fure, aut parricida, qui nesciuntur: cognosci autem est necesse, vt puniantur, non comprehendantur alii, quam qui sic sciunt, vt quæ dicunt, argumentis omni luce clarioribus probare valeant, Nauar. *cap. 17. Enchir. num. 134. & & in repet. can. inter verba 11. q. 3. concl. 6.* quia iubentur rem dicere vt accusatores, non testes. Denunciator autem nec potest, nec debet alia denunciare, quam quæ potest probare, alias peccat mortaliter, & tenetur famam alterius restituere, damnumque, si cuius forte istiusmodi reuelatione iniusta, causa extitit: secundum Nauar. *cap. Enchir. 18. num. 40. & 61.* Tolet, 5. *summæ cap. 27. num. 6.* Fagund. *lib. 8. cap. 52. num. 22.* Atqui solus in iudicium contra reum progreditur, solus ei litem intendit, solus crimen obiicit, nihil proficit, infamat quidem, non probat: infamato autem, iusta tum est causa querendi de facta sibi ab eo iniuria, petendique D eam reparari, restitutione boni nominis sibi ab illo ablati. Ita Longus *parte 2. de iudicio regulari casu 5. num. 12.* quia *præceptum quo iudices iubent, vt qui sciunt, denuncient, limitandum est*, inquit, *vt solum procedat de iis qui quæ sciunt probare possunt*, & *nu. 10. eiusdem tract.* sic loquitur. *Sicut contra seipsum, ita nec contra alium tenetur quis reuelare, dummodo crimen sit occultum, adeout nec infamia specialis sit de illa persona respersa, nec indicia sufficientia, vel semiplena probatio.*

Excipiendus est casus, in quo de matrimonio, eiusque impedimentis agitur, cum E enim testis vnus; ad illud impediendum sufficiat, incumbatque omnibus pro virili sua, peccata impedire aliena, denuntiandus est haud dubiè, qui cum impedimento dirimente meditatur cōtrahere, ne se in ea vitia præcipitem agat, vnde ei postea emergere nō sit facile. Si tamen ei per Rom. Pont. matrimonium facere cum eo impedimento fas esset, cessaret hæc in eo caritatis obligatio. Enimuero eo spectat hęc de qua loquimur denunciatio, ei⁹ ope, beneficioq; vt occurratur peccatis

catis futuris, ac Sacramenti nullitati ac irreuerentiæ. At horum nihil potest metui, cum quicquid impedimenti inter sponsos suberat, illud tollere Pontifici est visum, facit enim dispēsatio, vt eodem sint vterque loco, ac si inter eos nihil vnquā rei intercessisset, quæ eorum contractui moram necteret.

Secundus casus est, cum non præcipitur sub excommunicatione denunciatio, sed solatestificatio, ita Graphius loco ante citato, Longus *parte 2. de iudicio regul. casu 5. num. 12. parag. quod dictum*, vbi ex Nauar. *in canon. inter verba 11. q. 3. conclus 6. corrol. 66. nu* 780. hæc habet. *Quando præcipitur, vt reuelemus quod scimus, vt denunciatores, non autem vt testes, quia si vt tales nobis præciperetur, teneremur deponere, vt tales quod scimus, etsi id probare nequeamus*, eiusdem sunt opinionis Angelus *verbo denunciatio num. 3.* Nauar. *cap. 17. num. 135.* Fagund. *lib. 8. cap. 52.* parendi tamen obligatio est nulla, nisi de re, aut crimine, de quo inquiritur iudex semiplenam probationem habeat, iusteque ac iuridice procedat, quare ab eo quoque requirere testis potest, vt sibi statum causæ indicet, vt sciat quid, aut quomodo testificari debeat, Fagund. *loco cit. num. 27.*

Sciri autem his notis argumentisque potest quod vt testis & non vt denunciator, iubeatur ad reuelandum quis progredi.

Primo, cum iudex præcipit, vt quibus res est nota, hi testificentur aut denuncient, verba enim in sua, propriaque notione debent intelligi, at quid à Prælato clarius dici potest exprimendæ menti suæ, quam vt testis in rem præsentem qui eius est conscius veniat? hoc ei ergo nomine, subsellia sunt fori tentanda, explicanda quæ nouit, testimonium pro veritate licet occulta, diserte ac clare ei incumbit reddere.

Secundo testimonium iudex exigit, non denunciationem, cum ex modo proponendi, ac coniecturis quæ eius præcessere imperium, aut ei connexæ hærent, id intelligere cuique est facile, taciti enim, & expressi vis est eadem: ergo si coniecturæ, si signa id eum velle indicent, ei obtemperandum est nō secus, ac si verbis, mentem suam exprompsisset ac animum.

Tertio cum in decreto præcipimur dicere, quicquid de re tam visus, quam auditus, famaque ad nos detulerint, si erunt monitoria de furtis, ea denunciari duntaxat, non reuelari vt à teste, tali loquēdi forma iudex imperat Lazar. *sect. 2. q. 20. num. 12.* Corduba *qu. 64.* Quod si causa in qua de crimine, disceptatur, est cœpta discuti, testimonium imperatur, non denūciatio, nec enim est hæc tunc necessaria, cum capitali causæ ab accusatione initium esse debeat. Quod si non est inchoata, si dies reo necdum dicta, iudex eo loquendi modo, actionem ei vult intendi, crimen eius deferri, vno verbo sibi denunciari, quicquid eorum conscientia comprehenditur, quibus præceptum ponitur.

Causa est, quod rem proponi oporteat antequam diiudicetur, proponitur autem, cum à sciente defertur ad iudicem, postulat hic ergo non testimonium, sed denunciationem facti criminis, cum causa criminalis nondum est inchoata, & est in edicto, vt quicquid visu, auditu, aut aliter de re cognoscitur, iudici exponatur à scientibus, intra tale aut tale tempus.

Porro ea scire tantum dicimur, quæ sensu aliquo externo vsurpauimus, aut ex narratione, vel confessione partis extra Sacramentum didicimus, secundum Henriq. *lib. de censur. 13. cap. 18. num. 5.* & Fagund *supra*, & ita testis esse nemo potest, omni exceptione maior, nisi qui facinus cum patraretur, hausit oculis, aure percepit, manu, aut sensu quolibet alio tetigit, Graphius *lib. 2. cap. 68. num. 29.* Tamen cum res familiaris in iudicio agitur, quæriturque eius reparatio, tenetur testis ea dicere, quæ sibi de ea sunt cognita etsi ea probare nequeat,

QVÆSTIO XVII.

An Medici, Patroni, & alij, ad quos de rebus grauibus, & occultis, consilij causa referri solet, in eorum redigi classem debeant, quibus præcepta est reuelari.

NEquaquam; quia est reuelatio eiusmodi rerum, quæ alicui sunt commissæ consilii capiendi causa, bonis moribus opposita, societati humanæ aduersa, amicitiæ qua necti homines inuicem est necesse, inimica. Fac enim, ea euulgari quæ à cliente, patrono suo vti firmamenta causæ suæ, præsidiaque (vt putat) victoriæ de aduersario consequendæ, sunt secreto exposita, breui silebit curia, obmutescent pulpita, exulabit fides, nemo Patronorū vtetur opera, nemo iudicum, quo quid innocentiæ, quid virtuti funestius accidere queat, non intelligo. Et si obstetricibus est in laude, confiteri de caritate prægnanti exhibita, quæ securitas esse nasciturae proli poterit? cum matres natura plurimas genuerit, quę metu secuturę infamiæ, æterna sobolis suæ salute, honorem suum famamque, priorem sunt habituræ, eamque ne ab obstetrice prodantur inhumaniter sunt ac fœdè occisuræ, quare cum crimen eorum alicui de notatis in titulo, de-

claratum est ad consilium, solatium aut auxilium, vel ad medendum, illud Iudici sibi sub pœnis acerrimis præcipienti detegi, dici non debet, quia seruare secretum in hoc casu, est de iure naturæ, cui præualere nequit Ecclesiasticum, cum facere contra naturam, vt non est permissum homini, ita nec superiori contra eam quidquam præcipere. Deinde, si malorum tollantur remedia, si miseris solita adimantur in aduersitate solatia, quid eis erit super, quamobrem cordi sit eis vita?

Quid? quod multi iureiurando se ex fide facturos officium spondeant? quod in eo obeundo, viri se boni partes omnes fidelissime expleturos promittant? quorum nihil præstituros eos est certum, si iubente iudice, eos qui fidei suæ corporis & animæ suæ salutem commissam esse voluere manifestent? quare cum præstet, authoritatem Episcopi ac Prælati minorem esse, quam Rempub. scandalis lædi, animas in apertum exitium trahi, perire fidem, amicitias, fœderaque perimi, vt certo accidet, si obstetrix puellam nobilem, cui parienti operam suam detulit, iudici reuelet, aut chirurgus ægrum recepto vulnere in conflictu, iniquo hostem interemit, censeo eos lege teneri nulla, quæ de crimine norunt hæc mandanti indicare iudici.

QVÆSTIO XVIII.

Solent Iudices Ecclesiastici ac Inquisitores fidei proposita excommunicationis pœna edicere ijs, qui hæreticum aliquem norunt, vt apud se, nomen eius edant ac proferant, hic quæritur an is denunciari debeat, si non est crimen eius cognitum, nec defectu testium probandum.

DEnunciandum dixere hi authores Barbosa *de potestate Episcop. parte 3. allegat.* 90. Diu. Thom. 2.2.q.23.art.7. Sotus 5. *de iustit. q.5. art. primo, & de tegendo secreto memb.* 2.q.5. Sanctarellus *de hæresi cap. 9. dub. Vnico num.* 3. & 4. opinionis huius præcipua sunt hæc firmamenta.

Primum, quod proximi salus, bono communi addita, anteferenda sit priuato vnius cuiuspiam commodo, sed est hæresis publicæ rei, priuatæque eius quem inficit, inimica in primis, serpit enim, & vt in mala contage, ad incautos incogitãtis vulgi animos penetrat, vt qui communicat superbo, induit superbiam, *Eccl.* 13. ita & qui hæretico assuescit diu securus non erit, nihil contagiosius corruptis eius moribus, hi addiscũtur, & adA hærescunt facile, nec enim sibi tantum, errat hæreticus sed & aliis erroris causa est, qui ab eo in hos trãs funditur. In summa, vt quadã in cõtactos vitia corporis trãsiliũt, ita & hæreticus mala sua proximis tradit, publicæ ergo saluti nocet, nocet & sibi, eius autem crimen, verum quidem, sed occultũ Episcopo aut inquisitori qui defert, soli sibi infamiam creat, cum sit periculum ne probationum inopia, calumniator audiat, quod incommodũ quanquam magnum, ac prudenti cuique iure metuendum, non est tamen eiusmodi, B quod communi multorum exitio conferri debeat, suas ergo rationes in eius delatione criminis, posteriores habere quisque debet communibus ac publicis.

Secundum, etsi probari hæresis nequeat, non est tamen eius delatio inutilis, vtpote quæ iudici causam est datura inquirendi studiosius, ecquid in delato adhæreseat hæc labes, emaculanda sua cura.

Mihi tamen secus sentienti hæc in contrariam partem suppeditabant argumenta.

Primum, quod Christi imperio, quæ sunt C secreta, secreto argui oporteat, non publice, coram iudice aut in multorum oculis Matth 18. *Si peccauerit in te frater tuus* (hoc est coram te vt ibi explicat August.) *corripe eum intra te & ipsum solum.*

Secundum argumentum, denunciandi hæretici in casu posito, *nulla est obligatio*, si est hæc criminis quo notatur, denunciatio facta iudici, futura huic ad remedium inutilis, accusato autem noxia, at est vtrumque non sine causa, eaque probabili, D deferenti metuendum; cum enim nemo vnius duntaxat testimonio pereat, de hæresi accusatus ab vno quopiam (hoc tantum) & non conuictus, pœnam soli mutatione, aut capite non luet, eius ergo ad iudicem delatio, ad vindictam, aut medicinam prodesse nihil potest & delato obest, quia famæ eius infertur iniuria, cum sit authore Less. *lib.* 2. *de iustit. cap. dub.* ... contra iustitiam, admissum crimen, ignotum tamen detegere cuipiam. Ob hoc argumẽtum inquisitori ac Iudici de hæresi occulta, quæque in iudicio probari nequit ab eius conscio, doceri se tamen E ac moneri iubentibus, parendum esse negant hi authores Reginal. *lib.* 14. *cap.* 3. *sect* 6. *num.* 50. Megala *in* 5. *par. lib.* 1. *cap.* 5. Decian. *tract. crimin. to.* 1. *lib.* 5. *cap.* 50. *num.* 4. Palatius *in rep. cap. not.* 3. *parag.* 26. Fagund. *lib.* 1. *cap.* 26.

Argumentis autem partis oppositæ respondere est facile.

Primo quidem, negando in iure esse Reip. exigere, vt famæ meæ certo detrimento, mala quæ metuit, auertam, maximè cum est incertum

incertum vtrum id sim iactura rei tantæ facturus, an non.

Ad secundum dicendum, contra denunciatum vi denunciationis sibi factæ, nihil posse fieri à iudice, nec de hæretico eum quæstionem instituere, aut de crimine cuius est suspectus, inquirere vi eius posse, Fagundez *in 1. præcept. lib. 1. ca. 26. n. 7.*

Quid si hæresis probari, quid si multorum conscientia, testimonioque reuinci possit, etiamne Episcopo, ac Inquisitori iubentibus eam detegi, parere filium contra patrem, & vxorē contra maritum est necesse?

Nonnullis aientibus negant alij, distinctione dirimenda est controuersia: nam si aperte Pater grassatur in Remp. si eius perniciem hæresi sua molitur, ac quærit, si erroris sui sementem palam facit in minutæ plebis animis, Patrem prodere debet filius, maritum vxor, Simancha *lib. de Cathol. instit. tit. 29. n. 4.* Genuens. *in praxi cap. 18.* causa est eadem quæ est initio quæstion. allata, petita à caritate, quę maior esse debet ac in Rempub. potior, quam in priuatum quempiam.

Quid si soli sibi Pater est malus, & filius à Iudice, vel vxor interrogetur contra maritum vt testis, neutri necesse est, in vtrumque quod scit eloqui, quia bene instituta ratio singulos admonet ne se prodāt, cum id natura abhorreat vt rationibus suis oppositum, seipsum autem perdit, qui patri, fratri, aut marito insidias struit, aut crimen aperit quo sunt perituri certo, cum moraliter pro vna eademque persona censeri soleant, Homobon, *in exam. Ecclesiast. part. 1. tract. 7. ca. 7. q. 32.*

Explicantur dubia ad propositæ quæstionis intelligentiam, de reuelatione criminum superiori facienda, non inutilia.

PRimum, *Quinam censendi sunt scire personam delinquentem, vel delictum, quod superiori iubentur edicere.*

Quicunque illud visu, vel alio aliquo externo sensu percepere, vel ex rei confessione, extra pœnitentiæ Sacramentum, aut petitionem consilii ad solatium nouere: *Tum homo scit* (inquit August. relatus à Gratiano *in causa 22, can. hoc videtur 8.*) *si ei rei de qua iuratur, testis fuit, aut vidit, aut conscius fuit, idest aliquo modo cognouit, aut oculis suis cōspexit, aut ipse qui iurat illi indicauit.*

Secundum, *An, & quando delicta detegi superiori oporteat vti Patri.*

Primo quando probari iuridice nequeunt, & tamen hæc ab illo sciri est necesse, ne nocere pergant, aut porro ad Reipub. perniciem insontiumque, in vrbe prouinciaque serpant.

Secundo, expedit delicta Prælato aperiri, cum de his emendari, ac corrigi debet eorum author.

Tertio, cum de eorum sunt numero, quæ à priuato impediri ne fiant nec facta possunt ab eodē corrigi, quia ea non est authoritate nec his à natura, eiusque authore Deo, ingenii ac eruditionis dotibus præditus, quæ vt facinoroso criminis sui odium imprimant, vtiles sunt ac necessariæ, quibus cum superior sit instructus, vt qui ad consilium, metum, remediaque ad illum à relapsu præseruandum efficacia potest addere, censeo ad eum vti Patrem de occultis criminibus, referendum esse, nisi ea esset mollitudine animi, quę futuræ correctionis spem omnem adimeret, eumque in tali opere versari non sineret.

Tertium, *An denunciatione sit opus, quando reus peccaturus amplius non creditur, eo quod occasiones ei peccandi omnes sunt præcisæ, aut in alium est mutatus, deque perdito, factus est per integram suorum criminum exomologesim homo frugi.*

Ne credam, suadet hæc mihi ratio, quod authore Christo tunc demum facienda sit peccātis denunciatio, cum reprehensus non sapit, cum solus remotisque vt aiunt, arbitris, ab vnico solo de officio admonitus culpam dediscere, ac odisse renuit, tunc enim lis ei est intentanda apud Ecclesiam, non ante, *Corripe inter te, & illum solum, si te audierit lucratus eris fratrem tuum, si te non audierit, dic Ecclesiæ*, Matth. 18. at ex hypothesi reus contumaciam posuit, aut verius ponere, nulla propè interposita tēporis mora in animum induxit, & ita facturus probabili coniecturâ, si non certa creditur, non est ergo tùm denuntiandus.

Quartum, *Num in excommunicationem inciderit qui iussus à iudice, ad dictum diem reddere, quantum abstulit, edicto non paruit.*

Vel furtum eius est perspicuum, deque eo in iudicio constat, aut extra, vel non constat, quia clandestinum est, quia obscurum, quia nulli certo cognitum, si primum, edicto illi est parendum, si vult excōmunicationis vitare laqueum, si alterum, nec se, nec flagitium suum debet prodere,

Primo quia cum iuridice, seruataque fori forma non procedat Episcopus, ei non necessario est parendum.

Secundo, cum periculum famæ, vitæ vel honoris conflatur reo, criminis à se facti confessione, non debet hic ad mandatum iudicis illud in apertum, lucemque promere. Iam cui esse ambigutum potest, non impro-

babile eum famæ, ac forte vitæ subire periculum, cum de se facinus fatetur, quod in sola ad hanc diem suspicione hominum fuit positum, edicto ergo hac de causa non obtemperando, non peccat, si non peccat, nec eum excommunicatio, quod se minime prodiderit, ligat, tantundem tamen domino, quantum de eius fortunis habet, restituere debebit, cum fas erit.

Quintum, *An qui culpa sua, hoc est in pœnam patrati alicuius sceleris, aut ob defectum ætatis, legibus est ciuicis ac canonicis incapax dicendi testimonij, teneatur Ecclesiastica, de manifestando reo aut eius peccato occulto.*

Dico teneri, ita Nauar. *cap. summa* 25. *nu.* 5. in hæc verba. *Inhabilitas*, inquit, *non excusat à parendo eiusmodi mandatis*, Sanch. *in consiliis lib.6.cap.11. dub.18.nu.vlt.*

Causa est, quod patrocinari nemini suum scelus debeat, aut ex eo lucrum consequi, prodesset autem, si quia hic peccauit, sistendi se iudici nexu solutus esset.

Secundo, si quia iure testificandi, in pœnam delicti aliquis est priuatus, ideo quoque est ab obsequendo superioris edicto de manifestando crimine liber, vt errasse erit peccatori hoc nomine optabile, quod non cogetur ad prætorium venire iudicis, testandi causa: ita Reipub. damnosum erit ac noxium, cum defectu testium, in nocentes de violatis Principum legibus statui non poterit exemplum, quo quid periculosius?

Est tamen tempus vnum, cum se inhabiles, ab obtemperando iudici, eiusque decretis de manifestando scelere, excusare possunt honeste, ac iuste, nempe cum metuunt ne sibi sua crimina exprobrentur palam, & in consessu prætorii publico, cum hac enim tam cruenta sibi, ac nomini suo plaga imposita, aut imponenda in omnium oculis à delicti sui consciis, eos obsequi debere iudici quis credat?

Sextum, *An qui scit, eum penes quem aliena sunt bona, hæc compensationis iure possideri, teneatur illum enunciare iudici?*

Nequaquam, causa est, quod edictum Ordinarii illos duntaxat comprehendat, qui alienum possident, idque fraude, furto, iniuria, at ius compensandi, facit vt quæ in debitoris sunt peculio, hæc creditoris esse incipiant, atque eorum sit dominus, cum ea compensandi sui causa capit.

Secundo, qui ea bona fecit hoc titulo, ac nomine sua, cum alienum nihil possideat nullo iure compellitur se Ordinario prodere, ergo nec qui illa nouit ab eo sic possideri.

Septimum, *An crimen alterius, quod est occultum, Reipub. tamen aut tertio noxium, est tamen eiusmodi quod probari nequeat, sit superiori,*

A *aut Prælato dicendum.*

Dubitandi hæc vna causa, quod eius famam talis manifestatio vulneret, quod dispensatione, mandato, aut facultate vlla Episcopi, non potest esse licitum.

Dicendum nihilominus, peccata quæ in apertam multorum perniciem vergunt, declaranda esse iudici cum iubet, præmissa tamen antea correctione fraterna, si per eam creduntur emendanda, aut vitanda, quæ spes si deerit adhibenda non erit, sed illico super his, superior admonebitur, resque illi vniuersa prout gesta erit, explicabitur,

B sic hæreticus ne alios corrumpat, sic proditor ne ciuitatem hostibus dedat, sic lepra infectus, sic corpore affectus, ne cum aliis contagem communicet, sic à natura impeditus, aut lege canonica, ne matrimonium cum ea contrahat, cuius ei societas, commerciaque sunt inhibita, superioris est authoritate imperiique mature cohibendus, quod si eius fama, si honor tali denunciatione nonnihil læditur, æquabili ferre id eum animo conuenit, quod innocentis, cuius vitæ ac fortunis

C insidias molitur, maior sit habenda ratio, quam eius famæ, qui hanc non nisi scelere, fœdisq; factis suis seruatam cupit, ita 4. Reg. 16. laudatur. Elizæus, quod quæ Rex Syræ vasto destinabat animo, in bonorum exitium, Israëli patefecerit, Dauidi autem Absalonis nequissimi filii in optimum Patrem nefandissima consilia, Chusai 2. Regum 17

QVÆSTIO XIX.

D *Gallia quid obseruet tanquam sibi proprium in præsenti materia.*

PRimo sacris abdicari, templisque arceri neminem patitur, quod æs alienum iussus dissoluere, continuo non paruerit nec indicatum fecerit, pignoribus enim captis aut rerum solo adhærentium pignoratione debitor prius est ad solutionem vrgendus, quod si nihilominus contumax esse pergat, tùm locus erit censuræ, sane ante prehensionem mobilium Ecclesiastico ritu, com-

E municatione neminem mouendum esse, sed eius bona discuti oportere antequam excommunicetur, ob iudicatum non solutum, scripsit Imbert. *in praxi lib. 1. cap. 61.* itaque curiam iudicare solitam Chopp. tradit de sacra polit. *lib. 2. tit. 3.*

Secundo, nec ob debita, imprecatione Pôtificia percelli Clericum posse, sanxit Carolus eius nominis IX. anno 1571. *art.* 8. *Ne pourront les Ecclesiastiques estre excommuniez pour argent par eux deu, sauf à leurs creanciers à*

faire

faire proceder contre eux, par execution de leurs meubles, & saisie d'immeubles.

Tertio, non licet Ecclesiastico iudici in Gallia, Laicum remouere ab Ecclesia per censuras, quod edicto vnico etiam cum cōminatione peremptorij, ad eius subsellia vocatus, venire noluerit, quatuor edictorum numero, eius est peruincenda contumacia, hunc ordinem qui non seruat, non tantum litis coram se intentatæ sumptus refundere à Magistratu regio iubebitur, sed etiam quanti citati à iudice Ecclesiæ intererat. Hac iniuria cum non affici, gestaque aduersus illum omnia declarabuntur irrita, Imbertus supra.

Quarto, edicto Aurelianensi anni 1560. art. 18. est vetitum ne censura promulgetur, præterquam in maioribus negotiis ac delictis non communibus, ibidem quoque Episcopis, eorumque Vicariis prohibitum reperio, ne censuras Ecclesiasticas, aut monitiones vt loquuntur, vlli indulgeant, nisi in casu criminis ac scandali publici. *Ne pourront les Prelats, gens d'Eglise, Officiaux, decerner monitions, & vser de censures Ecclesiastiques, si non pour crime & scandal public.*

Quinto, Gallis Regibus concessum est à Clemente Papa VII. anno 1530. Maij 24. *Vt nulla regni ciuitas, castrum, villa, locus, territorium, vel districtus, pro delito pecuniario, Ecclesiastico interdicto supponi possit*. ita liber literarum, ac constitutionum Romani Pontificis collectaneus, qui in Curiæ tabulis asseruari dicitur.

Sexto: concedi in Gallia monitiones nequeunt nisi Senatu permittente, cum enim hic conflетur ex parte Clericis, viris religiosis ac grauibus, quorū est de spiritualibus rebus cognoscere, nō videntur hi absonè facere, cum iudicant, locum esse concedendæ censurę ac monitionis, eiusdemque impetrandæ à iudice Ecclesiæ, Tournetus *tom. 2. litera M. art. 82.*

Septimo, literæ monitoriæ quas S. Genouefæ nominant concedi nequeunt nisi aduersus Abbatis subditos, idque in casibus, quos priuilegiatos nominant, & in cursu litis iam agitari cœptæ in prętorio inter litigantes, proindeq; incidenter, & non ab initio, quo eam moueri, ac intendi accidit, sed consequēter, vt aiunt, & eius instituēdæ gratia, provt à centumuirali curia iudicatum ferunt scriptores nostri.

Octauo, etsi Iudex dum de tabularum substractione agitur, quæ ad litis institutæ definitionem faciūt, aut de veritate facti occultioris eruenda, imprecationes Ecclesiæ impetrari sinat, in id tamen incumbere Episcopus debet ne terrificas execrationum

A clausulas, quas olim in Ecclesia frequentatas testantur historiæ, literis his adiiciat, aut contra reuelantem, vsurpari iubeat, veluti quod campanis pulsatis, cereisque ardentibus in terrā proiectis, gehēnç deuoueatur, si Episcopo non paruerit, nec enim in hac morum humanitate, qua Gallia vtitur tantæ seueritati locum esse, iudices volunt, quare de iis appellantes tanquam ab abusu audiunt, & auctoritate sua contra fori Ecclesiastici ministros protegunt.

Nono, excommunicari nemo speciatim B potest, in Gallia, quod Episcopo reuelationem veritatis occultæ imperanti, non paruerit, Tournetus *in Arrestis litera M. art. 83.*

Ratio est, quod quæ liti accidunt, ac quæ ea iam mota controuersiæ nascuntur eius occasione, ac causa, seu incidenter (vt loquuntur) harum notio arbitriumque, ad iudicem secularem pertineat reum ergo Episcopus id est earum rerum conscium, quarum causa concessa est monitio, ad sua citare subsellia non potest, vt causam dicat, ac conuictus alieno, id est testium ore, contempti imperij Ecclesiastici, super manife-C tione rei abditæ, pœnam, exclusione sui ab Ecclesia per censuram ferat, hancque fori praxim esse, præiudicia Senatus multa ac varia indicant, quorum meminere Chop. *l. 2. de sacra polit. tit. 5. num. 4.* Tournetus *supra.*

Decimo, non recipiuntur in Gallia execrationes Antistitum, hoc est monitiones, quibus immobilia declarari, restituiue iubent, sed mobilia solum; Guenois *in comment. cap. 62. lib. 1. praxis fori per Imbert. litera I.*

Vndecimo, nec eæ quibus persona certa D appellatur de nomine, aut iis designatur circumstātiis, quæ eius notitiam auditorum animis imprimant, Bergeronus *in memorabilib.* vitiosæ item forēt, si personas quæ contendunt inter se, exprimerent de nomine, aut aliquas in suspicionem admissi criminis traherent, quod enim iis iniuriam tali modo loquendi inferant, traducantque apud populum, vt inanes ac irritæ, proindeque nullarum virium, habentur in foro Tournet. *in arrest verbo monitorium art. 84.*

E Duodecimo, cum Roma mittuntur literæ, quibus Pontifex imperat, vt conscij rei de qua in iis agitur, eam indicent, aut reddant si possunt, promulgari hæ ab alio quā qui Episcoporum iudex est ordinarius, aut eorum Vicarius, nequeunt. Indiscriminatim hæ quidem olim, vt erat Pontifici collibitum, exequendæ committebantur cuilibet, modo, non nisi ab ordinariis id est Episcopis, aut eorum Vicariis, promulgari debent, secus si quid à Pontifice factum

erit, tanquam ab abusu ad suprema tribunalia appellare fas erit Imbert, *l.1.praxit c.62.*

Decimo tertio, cum de crimine instituta est in foro quæstio, cuius veritas indaganda est aliquo testimonio, cauendum est Iudici Ecclesiastico, ne moneri populum sinat de aliis delictis euulgandis, aut eidem, literis suis monitoriis imperet, vt si quid de reo inaudierint censura dignum, ab eo tamen distinctum cuius causa sunt hæ obtentæ, illud ipsum iudici prodant, alioqui ab his, tanquam ab abusu appellare fas erit Bellordeau *lib.2.controu.89.*

Decimo quarto, & hoc moribus Gallicis receptum esse tradunt Paponius *lib.1.titulo 5. arresto* 11. Bleyan. *in Theor. tract. de benefic. cum dignit. personatu, vel officio litera E. ad marginem,* Guenois *ad cap.62.lib.1.praxis Imbertianæ,* quod lata ab Italis excommunicatio nullius sit apud nos momenti in prima instantia, quare cum Rhemensis Archiep. quendam cum quo ei negotia quædam intercesserant, mouendum ab Ecclesia in vim rescripti impetrati ab vrbe curasset, iussus est à Senatu eum vinculis soluere, aut eorum solutionem Roma expensis suis pecuniaque quærere, esse hoc autem Gallorum priuilegium, non aliorum, calculo suo sententiaq; declarauit Curia: nam cum censuræ Pontificiæ parendum sibi homo alienigena, negotii causa commorans eum in Gallia non crederet, eam Senatus sua authoritate, ad quam tanquam ab abusu appellauerat, infringendam putauit, nec in suo nomine præsidium vllum reperit, arresto enim à petitione sua submotus, quod Gallus non esset, Pontifici vt postulabat æquitas, obsequi est coactus Lucas *lib.5.tit.5.placito 5.*



TRACTATVS

TRACTATVS QVARTVS

DISPVTATIO QVINTA DE EXCOMMVNICATIONE incurrenda ob percussum Clericum.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid intelligatur nomine percutientis Clericum.



RIMA assertio, *Nomine percutientiũ intelligendi veniunt viri iuxta ac fœminæ, vniuersi cuiusquemodi homines, qui ratione præditi personæ sacræ manus violẽtas scientes inferunt*, vt dicitur *in cap. mulieres 6. de excommunicat* cum enim ab his sanctitati, reuerentiæque Clericis debitæ fiat iniuria, manuum in eos immissione violenta ac impia, quis eos à culpa liberos asserat? quis à pœna? & quanquam pueri fœminæque committere se viæ, vrbemque petere absolutionis consequendæ causa, non necessario debeant, non sunt tamen à pœna huius canonis, si in eum incurrant, censendi liberi, cum hæc culpam sequatur, quę in pueros, si rationis sunt compotes, quemadmodum & fœminas cadere potest, ambo ergo si Clericos male tractent, habeantque religiose parum ac decenter, plecti excommunicatione poterunt vt cæteri.

Secunda assertio, *Hoc nomine intelligendi quoque sunt prælati, qui subditos sibi Clericos, aut alios, eorum potestati non obnoxios, per personas quibus id non competit, percutiunt*, Molina *tract. 3. disp. 51.* qui factum consulunt, ex *cap. mu-*A *lieres sexto de sententia, is enim verè committit, cuius auctoritate, vel mandato delictum committi proba tur* Alex. III. ibi.

Percutiunt etiã moraliter qui factum suo nomine approbant, aut faciendũ imperant, *cap. cum quis 22. de sent. in 6. Cum quis*, inquit Bonifac. VIII. ibi, *absque tuo mandato manus inicit in Clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam incunctanter incurris*, itẽ qui ad id consilium, auxilium aut fauorem exhibent, Angelus *excom. 5. n. 31.* Innoc. III. *in cap. quantæ præsumptionis 47. de sentent. excomm.* quod vt habet
B Alex. III. *in decretali mulieres 6. eiusd. tit. is committit vere cuius authoritate vel mandato delictum committi probatur*, ob eam causam non *solos violentiæ authores, puniendos Ecclesia credit, facientes quoque, & consentientes, pari plectendos pœna Catholica semper damnauit authoritas, eos autem delinquentibus fauere interpretamur, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obuiare, hæc Innoc. in cap. 47. de sent. excomm.* vt id autem quod est alterius nomine fa-
C ctum, eidem imputetur ad pœnam, has conditiones concurrere est necesse.

Primo, percussionem eius intuitu factam esse oportet etsi hanc non mandarit: Glossa *in cap. 23. de sent. in 6.* Sylu. *verbo consensus q. 5. parag. 1.*

Secundo, is cuius nomine aliquid est factum, approbare illud debet, ratumque sub ea consideratione habere, qua creditur causa sua, nomineque factum esse: sic enim vt est in regula iuris 10. *& in cap. 22. de sent. in 6. ratihabitio retro trahitur & mandato comparatur*, quare si is, cuius nomine verbera sunt il-

lata Clerico, ea quidem approbet, sed ignoret, quod gratificari sibi percussor his inferendis voluerit, aut illatam sibi per Clericum iniuriam reponere, eumque vlcisci, in quo ratio faciendi aliquid alterius nomine est sita, approbans in excommunicationem non incidet.

Quare qui cædem admissam, aut plagas Clerico gaudet impositas, rem tamen arguit, doletque factam sua causa, is hanc ratam habere quantum est ad pœnam necesse, non creditur, & sic censura non tenetur vlla, Auila 2. *parte disp* 53. *dub.* 9. Comitol. *lib.* 6. *de irregularit. qu.* 63. similiter qui inimico suo Clerico interfectionem, vel plagam illatam ab aliquo approbat, deque ea interfectori aut lædenti gratias agit, etsi non suo nomine, nec causa sua occisus aut læsus fuerit, hæc homicidij approbatio, ac ratihabitio, excommunicationis aut irregularitatis notam incurrit nullam, verissima est enim iuris *regula* 9. *lib.* 6. his verbis: *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum*, quæ regula totidem pene verbis repetitur à Bonifac. VIII. *in decretali cum quis* 22. *de sent. in* 6. *Si iniectio eadem tuo non sit facta nomine, tunc licet pecces ratam habendo eandem, non tamen propter hoc excommunicationis vllius vinculo innodaris, cum quis ratum habere nequeat, quod eius nomine non est gestum.*

Tertio, ad rem præsentem requiritur, vt ratihabitio cuius causa incurritur excommunicatio ob vulneratum Clericum, signo aliquo externo pateat, nam Ecclesia non castigat occulta, ergo vt facinus admissum ab aliquo redundet in tertium, quoad pœnam per ratihabitionem, debet hæc innotescere signo sensibili. Nam vt inquit Diu. Thom. cui Theologi assentiuntur *in* 4. *distinctione vigesima tertia quest. tertia articulo primo quæst. prima, Homicida voluntate*, verba sunt eius, *incurrit reatum pœnæ æternæ, sed non irregularitatem, vel excommunicationem aut aliquid eiusmodi.*

Quarto, debet ratihabitio eo tempore esse saltem potentia, quo fit actus, nam *retro trahitur & mandato comparatur* in iure, ex *capite cum quis de sentent. excommunicationis in sexto, at id est impoßibile*, nisi qui ratificat sit eiusmodi vt mandare possit, quare quæ amentis, aut pueri nomine, ante perfectum rationis vsum fiunt, non eis quoad effectum subeundæ censuræ nocent, si cum erunt sui compotes, ea rata habeant, quia communis est Doctorum opinio, ratihabitionem nō mereri pœnā, nisi ambo extrema sint habilia, vt loquuntur, id est excommunicandus mandare potuerit, & ratum habere, sicut res geri ab alio potuit, Panormit. *in cap.* 1. *de conuersione infidelium numero decimo*, Comitol. *respons. libro sexto questio.* 63. resque sit eiusmodi, quam per alium exequi possit, vt homicidia cædes &c. Panormitanus *in cap. mulieres de sent nu.* 8.

Quinto, vt aliquid alterius nomine factum dicatur, requiritur vt delictum sit tale, quod possit per alium committi.

Circa dicta hac assertione, & priori, aduerte primo, consulentem excommunicationem non incurrere, sicut nec mandantem, nisi iussione sua, consilioque, tanquam causæ morales, efficaciter influxerint in effectum, id est violentam iniectionem manuum in Clericum, quia per canonem non punitur voluntas sed effectus, sed hic quando est, à vera est causa tantum, non alia, cuiusmodi non est, quæ in effectum non influit.

Aduerte secundo, mandantem, consulentem, adhortantem, hac pœna non teneri, si ante factum facinus ab exequente, non tantum significent sibi gratum non esse, vt fiat suo nomine, sed etiam argumentis non omnino inualidis contrarium ei persuadere conentur, quàm illius animo prius impresserant, tunc enim clades aut verbera, iubenti ac consulenti non sunt tribuenda, sed executori soli, ac eius malitiæ Syluest. *excommunicatio* 6. *qu.* 5.

Secus dicendum est, cum mandatario de mandantis reuocatione non constitit, & ante eam sibi patefactam, cædem fecit, nam tunc vterque censendus est excommunicatus ex Syluest. loco proxime citato, Reginald. *cap.* 17. *libri primi numero* 216. Auila *parte secunda cap. quinto disput.* 3. *dub.* 7. *conclus.* 2.

In contrariam partem transgressi sunt authores, hi Nauarr. 27 *numero* 33. Tolet. *libro primo cap:* 85. Layman. *libro primo tractatu quinto parte secunda cap. quinto numero septimo*, negant enim reuocatione consilii aut adhortationis factæ ad vim inferendam Clerico, vel iniuriam, vitari censuram, nisi is cui suaseram, vere dissuaderi se siuerit, ac à nece & plagis abstineat, ad quas ante meis inductus videbatur esse sermonibus, quia vere causa, vel potius concausa cædis ac iniuriæ extiti, si qui eam innocenti irrogauit, in eam mentem meis inductus rationibus venit.

Sed contra, nam ego aut consiliarius quilibet alius, esse ac dici causæ effectus non possumus, nisi ad eum moueatur executor vi dati, ac recepti consilij

at eius retractatione seria, impeditur hic metus, videt enim confessione consiliarii ingenua se lapsum, eius autem rationes non fuisse eiusmodi quibus adhibenda fides esset, quare si agit, inductione ipse sua, motuque agit non alterius, ipsique soli non consiliario, affingenda est effectus secuti culpa.

Idem dicendum de mandãte, nam vt quis peccasse dici queat mandando, ac excommunicationem incurrisse per actum mandatarii, debet hic eius nomine, causaque, vim Clerico facere, at facit mandati reuocatio vera & seria, vt iam mandantis gratia opus non fiat, sed operantis solius, ergo isti soli non illi imputandum, ergo factum homicidium, inflicta Clerico verbera, plagæ eidem impositæ, mandanti censuram non inferent, sed executori soli, qui improbitate potius sua quam alienis est rationibus impulsus ad iniuriam, quam si solus luat, sine mandantis aut consulentis consortio, quis arguat? estque hæc sententia Auilæ *loco cit. disp. 3. dub. 7. Conc 3.* Anton. *in 3. parte titulo 28. cap. 2. parag. 2.*

Tertia assertio, *Etiam percutientium nomine hi sunt intelligẽdi, qui cum impedire possint & debeant ex iustitia, ne quando lædatur Clericorum dignitas, ac nomen, id tamen incauti, parumque de officio solliciti non faciunt, extra de sentent. excommun. cap. quantæ 47. eos enim delinquentibus fauere interpretamur, qui cũ possint, manifesto facinori desinunt obuiare*, inquit ibi Bonifacius, similiter qui percussioni Clerici assentiuntur in excommunicationem incidunt *cap. quantæ de sentent. facientes enim & consentientes pari pœna plectendos, Catholica condemnat authoritas*, dummodo tamen illatæ iniuriæ cooperentur per fauorem, auxilium, aut imperium, Glossa *in cap. cit.* & Bonifac. VIII. *in cap. vlt. de homicid. in sexto*, ait irregularem eum esse, qui mandat aliquem verberari, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet, aut occidat, is qui (inquit) mandat aliquem verberari (*licet expresse inhibeat ne occidatur, vel membro aliquo mutiletur) irregularis efficitur, si mandatarius mandati fines excedens, mutilet, vel occidat, cum mandando in culpa fuerit, & hoc euenire posse, debuerit cogitare*, Bonifac. VIII. *in cap. de homicid. 3.*

Si tamen vt est dictum antea, mandans mandatum reuocet, aut iniuriam inferri vetet, hæcque reuocatio mandatario innotescat, vt ille à culpa secuti homicidii, ita & à pœna immunis erit, Glossa *in caput cum quis de sentent. in 6.* Sylu. *verbo excommunic. 6. parag. 5. casu 3.* Henriq. *lib. 14. cap. 16. parag. 2. litera R.* quia nemo excommunicationem incurrit, nisi qui Ecclesiæ contumax est &

A rebellis, qui mandatum suum reuocat, antequam executioni detur, non est talis.

Notandum tamen quod in his quatuor cooperantium generibus, limitanda sit pœna excommunicationis ad cooperantem, qui est causa efficax, sine qua non fieret ista percussio.

Notandum secundo, quod excommunicationem non incurrit qui postquam mandauit, moritur antequam percutiatur Clericus, nam si post mortem aliquam incurreret excommunicationem, posset fieri vt quo

B tempore quis est beatus, idem quoque excommunicatus foret, quod est contra rationem.

Notandum tertio, cum dixi in excommunicationem incidere, qui cum possint, Clerici percussionem non impediunt, de iis duntaxat id intelligendum esse, qui iã tenebãtur ex officio, vel iustitia impedire, vt sunt prælati, iudices & alii, qui potestatem in Republica habent: Ita Glossa *in cap. 47. extremo de sentent.* & Henriq. *lib. 14. cap. 12. parag. 7. litera S.*

C

QVÆSTIO II.

Quis intelligendus nomine Clerici, quid per violentam percussionem.

PRimo intelligendus Clerici nomine qui sacris est initiatus ordinibus, etiã interdictus, irregularis, excommunicatus & suspensus. Nauar. *lib. 1. consil. consil. 7. de ætate & qualitate*, Graphius *lib. 2. decisionum cap. 47.*

D *num. 28.* etiam depositi verbo tantum, nisi essent solemniter degradati, & curiæ sæculari traditi Graff. ibid.

Secundo, Monachus professus religionis approbatæ *cap. cum illorum de sentent.* quo nomine etiam intelligendi sunt milites commendatarii, secundum Nauar. *consil. 13. de regular.*

Secundo Moniales *cap. de monialibus 33. tit. de sent. excom.*

Tertio, Nouitii *cap. religioso eodem tit. in 6.* sunt enim in via, ad religionis susceptionem, cum enim in fauorabilibus capiantur

E religiosorum nomine, eorundem quoque priuilegiis gaudere eos est necesse, Nau. *li. 1. cons. 5. de foro compet.*

Quarto, complectitur Monachorum nomen, coadiutores temporales aliter fratres oblatos, *cap. non dubium, cap. ex tenore, cap. de monialib. canone religioso de excommunicat. in 6.*

Quinto, Eremitas, qui vt Religiosi, superiori obtemperant eique obedientiam præ-

stant Tabiena *verbo excommunicatio* 5. *num.* 21. Rodrig. *tomo* 3. *regular.* 44. *q.* 49. *art.* 4. quod si voto nullo astricti sint, alicui tamen addicti sunt Ecclesiæ, aut ordini, cuius superiori etiam obsecundant, eique sunt in omnibus morigeri, vt eius ordinis, ac Ecclesiæ priuilegiis gaudent, eo quod tùm personæ censeantur Ecclesiasticæ, ita & priuilegio canonis: Reginald. *lib.* 1. *cap.* 17. *nu.* 214.

Ex quo consequitur eos pugnis impeti, vel calcibus aut verberibus affici, sine excommunicatione afficientis non posse, Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 5. Rodriguez *to.* 2. *qq. regul. q.* 63. *art.* 4.

Vt autem eis, Clericisque vniuersis prosit hoc priuilegium, quæ sequuntur sunt necessaria.

Primo non debent esse bigami, bigamia vera & propria *cap.* *vn. de bigam. in* 6.

Veram dixi, nam impropria quam similitudinariam dicimus, caditque in eos qui cum sint religiosi, aut Sacerdotes, vel sacris ordinibus initiati, matrimonium contrahunt, ac consummant, vt enim non sunt hi verè ac propriè bigami, quemadmodum est in *c. nuper* 4. *de bigamis*, ita nec eos eiusmodi bigamia isto priuat priuilegio, cū tales post factam pœnitentiam, ad Clericatum redire, ac Clericalem habitum deferre debeant, secundum Ægid. *disp.* 14. *dub.* 15. *n.* 157.

Secundo, ioculatores esse ac histriones non debent *de vita & honestate Clericorum in* 6. *cap. Clerici primo*, qui enim per annum artem exercent ludionis, mimi, aut parasiti, ipso iure, *si autem breuiori tempore & tertio moniti non resipuerint* (Bonifacii VIII. decreto) *careut omni priuilegio clericali.*

Et quanquam exigant aliqui ad vsum huius priuilegii vt Clericus, cum tonsura habitum gestet, & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deseruiat in diuinis, aut in aliqua schola, uel vniuersitate cum eiusdem licentia, quasi in via ad maiores ordines versetur, vt Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 2. *c.* 5. *n.* 2. Dian. 3. *par. tract.* 5. *respons.* 8 asserunt.

Opposita tamen sententia quam defendunt Auila 2. *par. disp.* 3. *dub.* 11. *conclus.* 3. *cap.* 5. à Graphiis *lib.* 2. *decis. cap.* 47. *num.* 27. & alii ante à nobis citati, probabilitate non caret, Clericum nempe, defectu habitus non amittere priuilegium canonis, sed tantum fori, sic vt ratione eius iacturæ, conueniri queat coram Laico iudice.

Iam vero in quo sit ea percussio posita, quæ excommunicationi dat causam, examinare placet paulo accuratius, proque eius explanatione sit

Vnica assertio, *Violenta Clerici percussio, est in eius contactu ignominioso, & infami sita, qui*

A *contactus est tam in plagarum ac cicatricis illatione, quam in dedecorosa, statuique Clerici contraria attrectatione.*

Alij dicunt percussionem violentam Clerici, quidpiam esse, quo vis personæ affertur, in detrimentum graue reuerentiæ, & honoris ei debiti, seu actionem exteriorem iniuriosam, circa Clericum, aut res ei adhærentes: nam omnium iudicio excommunicatur qui per contemptum saliuam in eius faciem, aut aquam iniicit, Nauar. *cap.* 27. *num.* 77. Ægidius *disp.* 14. *dub.* 15. *num.* 165. qui eum de curru turpiter ac fœde deiicit, qui

B vi detinet aut trahit, Sylu. *excommunicatio* 6. *num.* 11. Angelus *eodem num.* 5. Coninch. *supra*, & tamen nulla sunt vulnera, plagæ nullæ, aut verbera, sed sola ignominia deiecti è curru, detenti, aut tracti quò non volebat, ergo probrosa tractatio, immediate facta vel mediate, ratione rei coniunctæ eius corpori, cuiusmodi est id quod Clericus manu tenet, equus cui insidet, vestis qua operitur, sufficit ad inducendam hanc censuram. Ita Nauar. iudicio *cap.* 27. *num.* 77. Ægidii *disp.* 14. *num.* 165. pro excomumnicato habe-

C ri debet.

Primo qui equitantis Clerici frænum manu cohibet, ne progredi possit, aut cingulum ephippii incidit, vt ex equo labatur ac cadat, idem ibid, Reginald. *lib.* 1. *cap.* 17. *numero* 211.

Dixi *cum violentia*, nam qui clam ac latenter pecuniam Clerici subripit, vestes iacentis auertit, aut abdit, siue voluntate directa eum concludendi in loco, excommunicationi canonis non subest, teste Ægidio *disp.* 14. *dub.* 15. *num.* 166. Suarez *disp.* 22. *sect.* 1. quia ad

D incurrendam hanc censuram, requiritur violentia, quæ in facto præsenti est nulla, ob quam causam qui per iocum Clericum verberat, censura non tenetur vlla, eo quod tali opere nulla infertur violentia, Regin. *li.* 1. *can.* 17. *nu.* 211. vt quis enim ei subsit debet *actu vim aliquam iniuriose afferre eorum corpori immediate, vel mediate, ratione rei quæ illis sit coniuncta, qualis est res quam manu tenent, equus cui insident* Ægid. *supra.*

Secundo excommunicatur, qui Clericum puluere, aqua, aut saliua inspergit Glossa *in*

E *can. si quis suadente* 17. *q.* 4 quia etsi non sint istæ graues iniuriæ respectu corporis, tales sunt tamen, & mortales, comparatione honoris qui læditur.

Tertio, qui eripit ei aliquid è manibus cum violentia, nisi res sit eiusmodi, quam propria ipse authoritate vendicare sibi queat vt suam, quia per furtum est ei ablata, quod autem Reginald. asserit *lib.* 1. *cap.* 17. *nu.* 206. id illico post furtum oportere fieri, & pecca-

re

re qui aliquãto post tempore, eam vi de manibus Clerici extorquet, verè ab eo dictum non credo, nam vnicuique licet rem suam recuperare, ac eam apud quemcumque reperit tollere, cur enim quod Clerico licet respectu Laici, huic respectu Clerici non licebit?

Quarto est excommunicatus qui Clericum illicite in vincula coniicit, ex *cap. nuper de sent.* vi capit, aut capiendum iniuste mandat, Graphius *l. 2. c. 48. n. 12.*

Quinto, qui eum ne domo egrediatur libere, ac sine pudore impedit, qui pulsauit, qui manu aduersus eum leuata, quasi formidinem iniecturus verberare velle finxit, Laym. *lib. 1. tract. 5. parte 2. cap. 5. de excomm. num. 5.* quia his rebus Clerici honor contumeliose læditur.

Sexto, qui eum tam acerbe, ac animose insequitur, vt cogatur ad se eximendum discrimini, in præceps dare. Reginald. *num.* 207.

Patet hinc primo, peccare contra canonem, ac eius pœnis teneri, qui Clericum volentem licet, male afficit, quia eius indigna tractatio, in contemptum Ordinis vniuersi cedit, cuius causa, primo & per se vetita est Clericorum violenta percussio, vt dicitur *in cap. contingat 1. de sent. excom.*

Patet secundo, ab hac pœna liberos esse, qui clam in bona Clerici impetum faciunt, quia eorum interuersio per latronem facta, non est probrosa Clerico nec statui, cum sit difficile, iacturæ in bonis suis faciendæ causas omnes præuertere.

Deinde in materia odiosa, pœnæ, legum interpretatione sunt restringendæ, ergo cum in canone Clerici percussi fiat mentio, non opum eius, aut fortunarum, ad earum auersionem non est extendenda excommunicatio.

Patet tertio, ad incurrendam censuram huius canonis, exigi grauem iniuriam, quæ proinde sit mortalis in ratione sacrilegii, cum sit hoc proprium obiectum Ecclesiasticæ huius pœnæ.

Vt autem sit talis, duo exigi est certum: primum vt affectus interior faciendæ iniuriæ, de se sit mortalis.

Secundo, vt actio exterior, id est violentia, sit grauis in læsione corporis aut honoris, vnum enim sine altero, ad incurrendam excommunicationem non sufficit.

CIRCA dicta quæritur primo, *An qui prima duntaxat tonsura sunt initiati, priuilegio canonis gaudeant, sintque de eorum Clericorum genere, quos offendisse, excommunicationis vinculo sit se innodasse.*

Negant hi authores Ægidius de Coninch, A *disp. 14. dub. 15. num. 163.* Suarez *disp. 22 sect. 1. num. 11* Laym. *lib. 1. tract. 5. parte 2. cap. 5. num. 4* nisi sit hic Clericus, habitu seu amictu qui Clericum decet insignitus, alicuius Ecclesiæ obsequio, Episcopi mandato addictus, aut in schola Academiaue, Episcopi concessu commorans, quasi in via ad ordines.

Affirmant alii vt Comitolus *lib. 1. q. 54. lib. 6. q. 20.* Nauar. *lib. 4. consil. 25. de priuileg. edit. 2.* Auila *de censur. parte 2. cap. 1. disp. 2. dub. 9. conclus. 3.*

B Probatur excommunicationem ipso iure, factoque contrahit, qui Clerico violentas infert manus. At est hoc Clericorum nomine decorus, qui Episcopi manu Clericorum tonsura est notatus: ergo &c.

Maior est ex verbis decretal. Innoc. II. plana, cum in ea planissime hic Pontifex Clerici meminerit.

Minor autem similiter, est Innoc. III. testimonio perspicua, interrogatus enim ecquid eum oporteret censere Clericum, cui fuisset ab Abbate tonsura collata, respondit affirmatiuè, eo quod *iuxta formam Ecclesiæ* C *datam ab eo* (cum est Sacerdos) *Clericalis ordo conferatur, cap. cum contingat nono, de ætate & qualit. præficiendorum.*

Confirmatur authoritate Comitoli, narrat enim *respons. lib. 6. qu. 20.* cum à se sacræ Congregationis exoptatum fuisset iudicium, ecquid ij Clerici, qui Tridentinæ Synodi decreto, priuilegio fori priuantur, eo quod habitu, tõsura, ac beneficio Ecclesiastico careant, canonis priuilegium illico perderent; responsum se à Cardinali Caraffa hoc tulis se etsi istis Clericis de quibus agitur, pereat D fori priuilegium, non iisdem propterea interire *Canonis Innoc. II. si quis suadente diabolo.*

Est hæc sententia tam viri huius fide quam ratione probabilis. Prior est hac tamen communior, eo quod fori priuilegium, longe difficilius amittatur quam canonis, ergo si illud defectu habitus, ac tonsuræ perimitur à Concilio, & istud quoque eius voluntate tolli, non est improbabile, cum primum iuris sit diuini, humani alterum.

Sed neganda est conseq. ad confirm. respondendum priuilegium fori non esse in E multorum sententia nisi humanum, ideoque non habere hanc robur vllum.

De habitu autem quod affertur sciendum est, certum nullum esse, qui sit communis prouinciarum omnium, sed cuiusque sequendum morem esse, Ambrosinus *de immunit. cap. 33. num. 13.* hic tamen est Clerico necessarius vt fori priuilegium habeat, cuius ope distingui à sæcularibus queat, Antonin. Diana *parte 2. tract. 1. de immunitate Ecclesiastica resolut. 63.* in dubio autem an sit ta-

lis, ſolius eſt iudicis Eccleſiaſtici ſtatuere.

Quæritur ſecundo, *An Clerici omnes canonis priuilegio gaudeant.*

Priuilegiū canonis in eo eſt, vt nemo Clericis violentas manus poſſit adferre, quin in cenſuram excommunicationis incidat, à qua ſolus Romanus Pontifex abſoluit, niſi ſorte leuis eſſet iniuria, quo tempore (vt dicetur poſtea) abſolutio Epiſcopo permittitur, hic ergo quæritur an quorumcunque Clericorum percuſſio, percutienti cenſuræ vinculum iniiciat.

Reſpondendum negatiuè, nam primo excluduntur bigami *cap. Vnico de bigamis.*

Secundo, qui vitam degunt in matrimonio ſine tonſura & habitu *cap. Vnico de Clericis coniugatis.*

Tertio, qui poſt tonſuram acceptam, Clericali relicto habitu, ad ſæcularem vitam redeunt, eiuſque negotiis ſe immiſcent, *cap. 45. de ſentent. excomm.* Ad eos ergo priuilegium hoc pertinet, non modo qui ſacris ſunt initiati ordinibus, ſed qui prima tonſura decorati, in religioſam Domini ſortem per tonſuram cooptantur, nam in eorum numero qui vocantur & ſunt Clerici, non modò qui ſacris ordinibus ſunt initiati, ſed etiam pſalmiſtæ receſentur in canone, *Cleros & Clericos 1. diſt. 21.* quo tamē nomine, eos qui primam tonſuram habent intelligi, authores ſunt Sylu. *Ver. Eccleſia q. 5. Verſu 4.* Angelus *excom. 5. caſu 1. n. 27.* Nau. *cap. 27. Enchir. n. 79.* Regin, *lib. 1. cap. 17. n. 212.*

Sed quid ſi Clericorum more veſtiti non incedant? quid ſi Eccleſiæ in diuinis non inſeruiant? Ne tunc quidem eos hoc carere priuilegio, negant à Graphiis *lib. 2. deciſ. cap. 48. num 27.* Regin. *paulo ante citatus num. 213.* quam nos quoque ſententiam diximus, vt eſt in quæſt. proxime præcedenti.

Secundo Clerici coniugati, *qui cum Vnicis, & Virginibus contraxerunt, ſi tonſuram & Veſtes Clericales deferant*, & alicui Eccleſiæ, cui ſeruiant, fuerint ab Epiſcopo aſcripti, *priuilegium retinent Canonis ab Innoc. II. editi, in fauorem totius ordinis Clericalis,* Bonifac. VIII. *de Clericis coniugatis in 6.*

Sunt & alii non pauci, quibuſcum communicatur hoc priuilegium, de quibus poſtea.

Quæritur tertio, *An Tertiarij, quales ſunt, qui regulam S. Dominici aut Franciſci ſunt amplexi, inter Clericos ſint cenſendi.*

Dico primò, *Tertiarios qui tria Vota profeſſi in ordine Mendicantium eius Superiorem agnoſcunt, cuius nutibus ac imperio, Vitæ ſuæ conſilia moderantur ac regunt, eſſe quam perfectiſſime Clericos.* Quid eſt enim Clericus? *qui de ſorte domini eſt, Vel qui Domini partem habet. Gene-* A *raliter enim Clerici nuncupantur qui in Eccleſia Chriſto deſeruiunt, can. Cleros 1. diſt. 21.* at ſunt Tertiarij, in ſortem Chriſti adlecti, cum & per vota ſua obſequium exhibent religioſum & ſacrum: ſunt ergo Clerici.

Dico ſecundò, *Tertiarios qui domi ſuæ degunt; etſi habitum ordinis ferant, eique bona ſua offerant, Clericos non eſſe.*

Primo, quia perſonæ non ſunt religioſæ. Cherubinus *tom. 1. commentar. in Bullas Pontificias ad diploma Nicol. 4. ſecundum, ſcholio 2.* quod ipſum notari ſignificat *in compendio priuilegior. fratrum Mendicantium parag. Tertiarij,* B ſcriptumque eſt à Leone X. *in Bulla 22. cui initium dum intra mentis arcana, in cuius parag. 18.* eſt expreſſe Tertiarios in domibus propriis degentes, reputari vt Laicos, *in decimo* vero *nono, cum Viuunt collegialiter, ſeu cum clauſtralibus expreſſo Voto, & ſub habitu, priuilegiis fratrum gaudere*, quod anno demum 1612. decreto ſuo Congregatio Cardinalium concilij Trident. interpretum firmauit his verbis: *Sacra Congregatio conſulta reſpondit,* C *fratres Tertiarios Mantellatos, corrigiatos, alioſque ſimiles, ita demum ordinis cuius tertiæ regulæ habitum aſſumpſerunt, priuilegiis potiri, & ab ordinarij iuriſdictione exemptos eſſe, ſi Vnà collegialiter Viuant, ſeu cum clauſtralibus habitent.*

Quæritur quarto, *Quid ſentire oporteat de Apoſtatis, hominumque certo genere, qui habitu quidem religioſo amicti, Vitam agunt, ſed ſuo arbitrio, non prælati, à quo nec ad Vllum Vſum Eccleſiaſticum, piumue, ſunt deputati.*

Apoſtatas hoc eſt è clauſtro religioſi ſeptis fugitiuos homines, cædi à ſciente non poſſe ſine cenſura, etſi regulari veſte depo- D ſita vrbes circumeant, ac oppida, notius eſt, quam vt à me dici ſit neceſſe, quia nec nomen nec rem, Clericique priuilegia in iis apoſtaſia perimit, quam enim vere antea, tam ſunt extra clauſtra diſciplinæ, cœnobilque regulis ac votis aſtricti: cædi ergo ſine cenſura à ſciente nequeunt.

Non item alii, qui religioſa quidem amicti ſunt veſte, ſed ſub nullius viuunt poteſtate, quæcunque ſunt placita faciunt, quolibet abeunt, quam enim eſſet abſurdum, quam à ratione alienum, Eccleſiam his fa- E uere, iiſdem illos beneficiis afficere quibus Clericos, aut quis illos Eccleſiaſticis perſonis adnumeret, qui præter habitum nihil habent, Eccleſiæ autem operam non exhibent? ego illos pari loco habeo quo Laicos qui regularium veſtes vt S. Franciſci ex deuotione tantùm gerunt.

Quæritur quinto, *An cum manuum iniectio fit in Clericum abſque affectu mortali, incurratur hæc pœna.*

Certum

Certum est Clericis, nonnunquam ab incogitantibus, ac nesciis iniuriam fieri, vt si ab ignaro magistratus quem in Ecclesia gerunt fœde vapulent, si à sciente quidem, sed non animo lædendi aut nocendi, damnum tolerent, quod cum accidit, quæritur an qui tum nocet, qui tum lædit aut verberat, excommunicationem subeat.

Dico primò, *Excommunicationi canonis minime subiici, qui cum ignorantia inculpabili status Clericalis, ad quem est is vocatus, cui irrogatur iniuria, eum pugnis aut calcibus pupugit.*

Probatur, excommunicationi non est locus, vbi culpæ deest mortali, at maculam omnem culpæ mortalis eluit ignorantia maximè probabilis, excusationi locus est ergo, ne excommunicationi canonis subsit, qui ignorans male Clericum afficit, tractatque.

Dico secundò, *Ad subeundam censuram canonis si quis, opus est, vt affectus interior, cuius impulsu manus violentæ iniiciuntur in Clericum, sit mortalis.*

Ratio est, quod hæc censura eos duntaxat afficiat, qui culpā lethalem contrahunt nocendo Clerico in fortunis, corpore, aut honore, at talem nullā admittit, cuius animus iniiciendæ manus in Clericum, eam peruersitatem non attingit, quæ peccatum mortale constituit: ergo &c.

Dico tertiò, *Vt actus exterior censuræ canonis eum subiiciat, à quo est Clericus affectus iniuria, debet hic esse mortalis.*

Ratio est, quod hac pœna nemo plectitur, per sententiam, nisi quem constat peccasse mortaliter, de eo vero argumenta nulla sunt verisimilia, nisi quæ petuntur ex actione externa, quæ secundum moralem existimationem grauis est ac notabilis, qualis est futura, si sufficiat ad grauem iniuriam contra Clerici honorem, & reuerentiam ei debitam.

Confirmatur, peccatum mortale tantum, punitur excommunicatione, at leui iniuriæ ratio peccati mortalis non conuenit, nec hæc ad illud constituendum sufficit.

Quæritur sexto, *An ad incurrendam hanc censuram, requiratur corporalis aliqua læsio.*

Nequaquam, communis enim est opinio, in canonem eum committere qui in Clerici faciem, per ludibrium aut contemptum exereat, qui eum aqua aspergit, puluere commaculat ac inficit, facta enim ei iniuria redundat in contemptum ordinis, ac dignitatis Clericalis, idque plusquam vulgariter, non est ergo ad incurrendam hanc censuram corporalis vlla læsio necessaria, talibus enim actibus, vita eius, fortunæ ac membra graue quid patiuntur ac ferunt?

Quæritur septimo, *Quot sint, & quæ ad incurrendam hanc censuram ex parte iniuriam facientis, & passi, conditiones necessariæ?*

A Ex parte patientis, duntaxat est vna, nempe vt sit Clericus vel Monachus, quo nomine non professos modo superiorum ordinū Clericos, sed Nouitios & Nouitias, Conuersos & Moniales intelligi, Doctorum communis est sensus.

Ex parte autem facientis iniuriam duæ, prima est violentia, altera iniuriandi Clerici intentio, prima significatur his verbis: *Violentas manus iniecerit*, altera duobus his aliis, *suadente diabolo*, Panormit. *ad cap. 1. & ad cap. si vero 2. de sentent. excomm.* quod enim impulsu Dæmonis, ac suasu in Clericum fit, ei

B est, statuique Clericorum iniuriosum.

Ad violentiam quod attinet, etsi eius inferendæ instrumentum dicatur esse manus, non est tamē necesse, hanc per eam effici cū enim lata hæc sit excommunicatio, ad tuendā status Clericalis dignitatem, hæcque non minus lædatur aliis rebus, quam iniectione manuum, ea voce non debuere propriè manus intelligi, cum aliarum rerum exclusione, quibus vis fit Clericali statui.

Quæritur octauò, *Quinam Clerici priuentur*

C *priuilegio canonis.*

Primo bigami *cap. 1. de bigamis in 6.*

Secundò, coniugati qui non gerunt habitum Clericalem & tonsuram *cap. vnico de Clericis coniugat.*

Tertio, qui realiter sunt degradati *cap. 2. de pœnis in 6.*

Quarto, Clericus in minoribus constitutus, qui omnino habitum Clericalem deserit, nec vllum beneficium possidet, nec alicui Ecclesiæ ex Episcopi mandato deseruit, nec in vniuersitate aut schola aliqua, ex E-

D piscopi licentia, vt se ad maiores ordines præparet, versatur ac degit.

Quinto, *Qui se ioculatores seu galiardos faciunt, aut bufones cap. vnico de vita & honestate Cleric.* quales sunt qui ludiones mimos aut parasitos agunt.

Sexto, qui negotiis sæcularibus deposito habitu se immiscent, & ter moniti ab Episcopo non se emendant *cap. contingit 45. de sent. excomm.*

Septimo, qui habitu relicto, enormitati se ac tyrannidi immiscent, hi enim ante om-

E nem sententiam, priuilegio canonis excidunt: habetur *in cap. perpendimus 23. & cap. cum non ab homine 14. de sentent. excommunicat.*

Quæritur nono, *An qui verbis duntaxat Clerici nomen famamque lædit, pœnæ subsit canonis.*

Non subesse vt credam, hæc me inducit ratio, quod canon postulet, vis vt aliqua eius inferatur corpori immediatè, aut mediatè,

ratione rei quæ illi sit coniuncta, vt vestis qua tegitur, baculus cui innititur, quare qui aliquem metu mortis domi detinet ne inde exeat, pro excommunicato non est habendus, quia tum ei vis nulla infertur, Suarez *disp 22.sect.1.num.31.* secus sentiendum esset si concluderetur ne posset egredi, quo lubet, sic enim vis ei mediate fieret, eum detinendo in loco in quo est, ac versatur.

Quæritur decimo, *An in excommunicationem incidat, qui Clericum percuti iussit in pœnam, qua vere dignus est, ac etiam maiore.*

Dico primò, *De Clerico repeti pœnas posse, vtcunque culpæ suæ pares.*

Primo, quia scelera impunita esse non oportet.

Secundo, cum Clericum peccasse constat, nemo est qui illi, aut Clericorum ordini iniuriam factam putet.

Dico secundò, *A Patre consanguineis, & magistris, Clericos puniri posse cum delinquunt.*

Ratio est, quod eos status extra parentum potestatem non ponat: ergo cum antequam in Clericorum cooptarentur ordinem, parentibus sic subessent, vt iis non parere ac obsequi capitale esset, peruicaces autem, eorumq; non parentes obsequiis, ab iis puniri possent, quin & facti Clerici ab iis redargui, plecti ac corrigi queant, dubitandum non videtur. De Graphiis *lib. 2. decisionum cap.48.n 35.*

Dico tertiò, *Clericos si sunt facinorosi, si factiosi, si perniciem propriæ aut alienæ vitæ molientes, tuta conscientia, ac sine excommunicationis metu vllo comprehendi posse, vt iudici sistantur Ecclesiastico, ab eoque puniantur,* Comitol. *lib.1.respons.q 96.* Nau & alii.

Ratio est, quia impune licet, & sine vlla culpa, Clericum occidere qui in fortunas aut domũ facit impetũ, cum sine eius nece, eas res in tuto ponere ac seruare, sibique consulere inuasus non possit: ergo pariter licebit id facere, cum patris, matris aut amicorum commodis ac vitæ struentur insidiæ.

Dico quartò, *Peccat tamen Laicus, pœnamque sibi excommunicationis conciliat, qui innocentem Clericum inique, aut plusquam meruit, percutit: vel si iuste, ac causa correctionis, aliter tamen quam ius disponit.* Ita Caiet. *in verbo excommunicatio cap.10.notabili* 4. Nauar. *cap.27. num.76.*

Probatur, punire innocentem, aut si nocens est supra eius meritum, ac contra quàm æquitas postulat, culpa est, eaque de illarum genere quæ cæso, ac vniuerso Clericorum ordini in eius persona sit iniuriosa: causa est hæc ergo de se sufficiens ac idonea, excommunicationis inuehendæ in eum qui percutit.

A Similiter est sacrilegus, ac excommunicatus, qui secus quàm ius permittit, (quia scilicet modum non seruat quem lex canonica præscribit ac imperat) supplicia de Clerico merita exigit, partis prioris hæc est ratio, quod modum illum ad religionis materiam pertinere legislator velit, habet ergo eius violatio sacrilegii maculam, ac excommunicationis adiunctam pœnam.

Patet ex dictis primo. Abbati incumbere, per se subditũ suum castigare, aut si necessitas vrget, per Clericum vel Monachum *(c.* B *vniuersitatis de sentent. excomm.* nunquam per Conuersum ac Laicum vt ex eodem capite colligitur.

Sequitur secundo, peccare Laicum, qui sententiam dicit in Clericum, qua similiter percuti iubeatur à Laico, ambosque, idest tam iubentem, quàm obsequentem, tam iudicem pœnam præscribentem, quàm exequentem, excommunicationis pœnam incurrere, nisi forte esset Clericus de eorum numero, qui in vitæ turpitudine, & scelerum infamia inueterasset, nullamque me- C lioris frugis spem afferret, nam cum illi secundum Ostiensem *in cap. perpendimus de sentent. excomm.* etsi habitum & tonsuram gerat, priuilegium immunitatis & canonis concidat ac pereat, nihil est rationis quamobrem dici oporteat, eum à Laico iudice, aut alio, eius imperio puniri sine scelere non posse.

Sequitur tertio, Episcopo permissum non esse, manibus suis aliquem cædere, *ex cap non liceat dist.86.* quia est id, à personæ maiestate, D quam sustinet in Dei Ecclesia, perquam alienum, quare ad eam rem, Clerici opera vti debet, non alterius, incidunt tamen tempora, in quibus Laicum ad id adhibere ministerium, non sit malum, nec proinde censura dignum.

Primum est, cum Clericus inueniri nullus potest, qui id obire velit, aut ad illud sit idoneus, Graphius *lib.2.decision.cap.48 num.* 39. Nauar. *cap. 27. num. 86.* Enimuero cum Clericos non deceat: impunè dicere ac facere, quæcunque libet, coerceri autem, reprimique eorum ad malum impetus E ab Episcopo inflictione iustæ pœnæ nequeant, quis non videt è re tum esse communi, Laici manu frænos eorum licentiæ inici, suppliciaque peccatis imponi authoritate Episcopi? Sylu. *verbo excommunicatio 6. num.6. num. 11.* Reginaldus *lib. 1. cap. 17. num.* 220.

Secundum est, cum consuetudo longo corroborata vsu in Diœcesi inualuit torqueri Clericos ac puniri per Laicum, Graphius supra, cum enim hæc legis vim habeat, sa

pœna

pœna subeundæ excommunicationis tam Episcopum, tormenta ac supplicia imperantem, quam Laicum, ea Clerico imponentem excusabit, non autem à culpa, iubentem Episcopum vt his verbis scripsit Nauar. *cap.* 27. *num.* 87. *Ecclesiasticus qui consuetudinem secutus, torquet, aut cadit Clericum per Laicum, non est excommunicatus, licet peccet, quia consuetudo etsi non excusat à culpa, excusat tamen à pœna ordinaria, iuxta glossam in cap. venerabilis de consuetud.*

Quæritur vndecimo, *An censendus sit aliquis grauiter esse percussus in ordine ad excommunicationem incurrendam qui calcibus fuit appetitus in platea.*

Affirmat Sairus *de censur, lib.* 3. *cap.* 28. *nu.* 6. quia percussio ratione loci publici, quæ alioqui leuis esset, fit enormis: ita ille cum aliis apud Maceratensem variarum *resol. lib.* 11. *num* 10. Addo ego non parum eo opere, ac simili, Clericorum dignitatem ac nomen lædi, nam quid ad eorum contemptum esse potentius potest, quam vnum eorum quempiam calcibus peti in oculis omnium?

Opinio contraria defenditur à Diana *tract.* 16. *res.* 23. Reginaldo *lib.* 1. *cap.* 19. *sect.* 1. *num.* 240 Nauar. *cap* 27. *num.* 92. quia vt percussio censeatur esse grauis, quæ est in publico facta debet duo habere, primo quod sit notabilis, secundo quod generet scandalum. Primũ deest (inquit Diana) percussioni dicti Clerici qui calce est in platea impetitus, quare existimat cum aliis, quod percutiens, ab Episcopo absolui poterit ab excommunicatione incursa ob iniuriam sic Clerico illatã.

Hæc sententia non est probabilis, quid enim Clerico magis esse probrosum, turpeque potest, quam spectãte vrbe, infra seruos poni, cum maiore dedecore ignominiaque plecti, quam qui sunt sceleratissimi, nec enim hi, aut illi, si quid peccent in platea vapulant, aut si ibi imprudentiæ suæ pœnas pendunt, non eam calcibus sed virgis luunt, quare prima mihi sententia vt probabilior sequenda videtur in praxi.

Quæritur duodecimo, *An Monialis quæ potione aut vena sectione aborsum intendit sit excommunicata.*

Respondit Ludouicus Molina de iustitia *to.* 4. *tract.* 3. *disp.* 51. *num.* 4. non esse, quia hæc non est violenta manuũ iniectio in seipsum, iniuriosa, violenta & contumeliosa: quod tamen canon exigit, violentam non esse hac ratione probatur, scienti & volenti non fit proprie iniuria, nec est etiã percussio sui iniuriosa statui Ecclesiastico: nã ad eum Monialis non pertinet, status enim Ecclesiastici est eorum proprie qui tonsuram habẽt &

A per eam aggregantur Ecclesiæ.

Quæritur decimo tertio, *An voluntariè percutiens seipsum sit excommunicatus.*

Affirmatiuam docent Carolus de Grassis de effectibus Clericorum effectu 9. *num.* 82. *tract.* 5. *par.* 2. *ca.* 5. *num.* 5. Molina *tom.* 4 *de iustitia tract.* 3 *disp.* 51. Raynerius in catalogo censurarum *cap.* 9. *exceptione* 1. Regin. *lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 209.

Contrariam tuentur Turrian. *de censur. lib.* 3. *disp.* 29. *dub.* 2 Barbosa *to.* 4. *part.* 2. *decreti ca.* 17. *q.* 4. *n.* 38. Diana 3. *par. tr.* 5. *resol.* 81. quam vt priori probabiliorẽ tenẽdam in praxi cẽseo.

B Primo, quia *canon si quis* manifeste loquitur de persona distincta à percutiente, indicant hæc verba: *Si quis suadente diabolo in Clericum violentas manus iniecerit.*

Secundo, quia Innoc. II. in eo *can.* exigit ad effectum incurrendæ excommunicationis, vt violentia inferatur Clerico qui percutitur, at etsi Clericus se percutiens, Ordini Clericorum iniuriam faciat, vt habet canon contingit 36. *de sententia*, non tamen violentiam sibi vllam affert, cum id volens & sciẽs agat vt significat Innoc. *in decretali citata* his

C verbis: *Respõdeo quod huiusmodi manus iniectio etsi non violenta, tamen iniuriosa videtur, cum ille canon non tam in fauorem Clerici ordinati, quam in fauorem ordinis Clericalis fuerit promulgatus.*

Tertio, quia in canone citato de sententia, Innocent. III. non dicit, eos qui hactenus Clericos percusserunt, eorum precibus inducti, excommunicationem incurrisse, quod tamen tacendum non fuerat, si res ita se habuisset, nam hoc erat in quæstione, sed prohibendos ne id in posterum faciant.

D Quarto, quia in eodem *can.* dicitur, quod Clericus qui post prohibitionem consentit in huiusmodi percussionem, sit tantum excommunicandus, non autem quod sit excommunicatus ipso facto, vt fuisset necesse, si percussioni Clerici, factæ eius voluntate, ipso facto esset excommunicatio adiuncta, nam tunc vt habetur *in cap. quante* 47. *de sent. excom* tam Clericus quam qui eius voluntate ac imperio eum verberibus afficeret, pro excommunicato habendus esset, *cum facientes, & consentientes, pari pœna plectendos,*

E *Catholica condemnet authoritas*, Innoc. III. *ca. quantum de sententia excomm.*

Quæritur decimo quarto, *An qui Clericum notorie percussit, vitari debeat.*

Affirmatiua nonnullis placet, ideo quod Constantiense Concil. expresse habeat, publicum Clerici percussorem vitandum esse.

Contraria tamen sententia defenditur à Couar. *in cap. alma mater parte* 1. *paragra.* 2.

num. 2. Sayro *de censuris lib.* 2. *ca.* 11. Rebusso *in concordata rubrica de exco. non vitãdis sentit.* idem Fagundez *parte* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 12. Diana 3. *parte tract.* 5. *resol.* 14. negant enim hi authores percussorem Clerici vitandum esse, nisi postquam constiterit, eum iustam causam nullam habuisse eum percutiendi, quare licet percussio sit notoria & patens multis, si tamen non sit illis, qui eius percussionis sunt conscij notum, percussorem excusandi sui legitimam nullam habere causam à qua in eo facto excusetur à peccato, non est eorum opinione vitandus; vnde cum de eo constare nequeat, nisi per facti notorietatem, aut sententiam iudicis, ante eam non dicetur notorius Clerici percussor ac vitandus, Diana loco ante citato.

Quot autem testes requirantur, vt factum dicatur notorium, in Clerici percussione, satis non constat. Quinque ad id non sufficere, tradit Arragon. 22. *qu.* 10. *art.* 4. imò neque sex, nisi maiorem partem congregationis componant, dixit Reginal. *lib.* 1. *prax. cap.* 10. *num.* 121.

Septem minimum de communitate exigi vt facti notorietatem inducant, scripsere Marius Antonin. *resolut. lib.* 13. *resolut.* 11. Adrianus *in tractatu* 4. *de Sacramento Euchar. decem postulat.*

Communis est opinio id iudicio committendum esse prudentis viri qui ex variis circunstantiis, qualitate actus, loci, & temporis, arbitrabitur quod nam factum dicatur notorium: ita Bonacina *de censuris disp.* 2. *qu.* 2. Sayrus *de censuris lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 2. sed de ea re antea.

Dixisse hoc loco sufficiat, per concordata inter Leonem & Franciscum primum, nominem in Gallia *à communicatione alicuius in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque diuinis, prætextu cuiuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis ab homine, vel iure generaliter promulgatæ, teneri abstinere vel aliquem vitare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit vel contra personam, collegium, &c. à iudice prolata publicata, & denunciata specialiter, & expresse, aut notoriè in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo iuris suffragio excusari,* Leo in Concordat *rubrica de excommunicatione non vitandis.* Quare non est euitandus in communi vita; congressuque, percussor Clerici, nisi cum est publicus ac notorius, pro tali autem non est habendus, nisi cum percussio nulla tergiuersatione celari, aut iuris remedio niti potest, iuris autem remedia sunt, Clericum ab ebrio percussum esse, aut à nesciente ac ignaro tali actioni censuram annexam esse, aut ad sui defensionem.

Quid? quod causari hic potest iniustè de percusso Clerico diem sibi dici, innocentem se esse, in vrbe cũ cædes aut iniuria Clerico est facta non fuisse? hæc ergo, aut eorum aliqua quandiu potest percussor culpæ suæ prætexere, publicus dici nequit & notorius esse, nec is consequenter, cuius colloquia, congressumque euitare oporteat: ad id est opus, *vt constet nullam habuisse causam percutiendi, non fecisse defendendi sui gratia, nam si potest probabiliter allegare aliquam veram causam, qua in eo facto à peccato excusetur, quandiu non constiterit non ita esse, non erit vitandus, hoc autem constare non potest nisi per iudicis sententiam, vel per facti notorietatem, quamobrem raro contingit percussionem Clerici, ita esse notoriam facto, vt non possit aliquo iuris remedio, probabilitate aliqua excusari.* Hæc Fagundez *in precept. primum libro secundo cap.* 5. *num.* 12.

QVÆSTIO III.

An semper & in omni casu ob percussionem Clerici, incurratur excommunicatio.

NEquaquam, ab ea enim excusat ignorantia inuincibilis, *vt si percutiens,* cum in quem fecit impetum, credebat Laicum, quod nulla in eo status ac ordinis monimenta, signaque cerneret sic Alexand. III. *in decretali si vero* 4. *de sentent. excommunicat.* quare *nec propter hoc* (id est in ectionem in eum violentam manuum) *Apostolico debet præsentari conspectui, nec etiam excommunicatione notari, vel si hoc dubium fuerit, propria manu duntaxat præstiterit iuramentum, quod eum esse Clericum ignorasset.*

Dixi *inuincibilem* nã ad excusandum à censura, vincibilis ignorantia nõ sufficit, eo quod in ea virtute sit volita talis percussio, ex culpa autem sua fructum reportare neminem cõueniat: Assertionis autẽ est hæc causa, quod pœna canonis, hos duntaxat feriri oporteat, qui in Clerico feriendo culpam admisere mortalem, eamque sacrilegii, at cum ignorantia inuincibili circumstantiæ sacræ, quæ est in persona percussa, stare malitia sacrilegii quî potest? cum vt sic non sit voluntarium. Præsumitur autem percutiens id ignorasse in duobus casibus.

Primus est, cum Clericum noctu reperit in loco remoto ab arbitris, infesto latrocinius, an frequente

infrequente ac obscuro, solum, ac sine comite, & cum armis eius generis, à quibus abstinere Clericos iura imperant.

Secundus est quando Laicorum more procedit in publicum, sine habitu & tonsura, nec aliunde scitur quod scit Clericus, aut de Christi familia religiosus, Auila 2. *parte cap. 5. disp. 3. dub.* 13. quibus de rebus est interrogandus pœnitens à confessario, ac si sibi illum nunquam visum, cognitum nunquam fuisse dixerit, sitque eius affirmatio dubia, id politico iudici cum adhibito iuramento confirmare iubebitur *cap. si vero* 4. *de sentent. excomm. si præstare autem noluerit iuramentum, quia violentas manus cum constat in Clericum iniecisse, ab illo sicut ab excommunicato conuenit abstinere.*

Secundo excusat percussionem Clerici à censura, necessitas, vt cum ei à percutiente vis infertur obtinendæ rei alicuius gratia, quæ est illi tunc, euadendæ morti, aut graui cuipiam necessitati opportuna.

Ratio est, quod eam vi tum extorquens Laicus, culpę argui nequeat, cum necessitas communia reddat omnia, proprium ac peculiare certo homini relinquat nihil. Nauar. *cap.* 27. *numer.* 84. Antonin. 3. *parte tit.* 24. *cap.* 1.

Ratio est, quia id non facit animo inferendi Clerico iniuriam, sed sibi subueniendi ac necessitati suæ.

Tertius casus, in quo non est percussio Clerici censuræ iuncta, est quando disciplinæ causa per Prælatum est facta, aut Ecclesiæ magistrum Alexand. *cap.* 1. *de sentent.* & *cap. ex tecore* 10. *eodem tit.* in priori enim negat ad Apostolicam sedem mittendum magistrum, *si scholarem Clericum intuitu disciplinæ, vel correctionis percusserit, quia non potest in ipso iniectio manuum violenta notari*, in posteriori autem, canoni vim ait fieri, & ita excommunicationem incurri, nisi qui manus violentas Clerico intulit, id fecerit, *se deffendendo, aut de mandato suorum prælatorum, vel nisi super eum prælationis ministerium, aut magisterium habeat, aut cum ipso in eadem Ecclesia socius habeatur.*

Neque modo impune Prælatis licet in Clericos peccantes animaduertere, sed & senioribus respectu iuniorum, amicis & propinquis respectu familiarium. Lubet Greg. IX. audire ea de re loquentem, *in cap. cum voluntate* 54. *de sentent. si qui vero ratione officij, quod in Ecclesia obtinent, aut etiam alij Clerici seniores, zelo deuotionis pueros, vel adolescentes, in minoribus ordinibus constitutos, turbantes diuinum officium, & si qui obtentu prælationis, vel magisterij, subditos & scholares, corre-*

A *ctionis causa leuiter forte percusserint, excommunicationis sententiam non incurrent, quod & de his dicendum est, qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum, simili modo vt cohibeantur à suis insolentiis, & scientia bonisque moribus informentur, duxerint corrigendos*, quare nec pater carnalis, nec frater, nec herus excommunicationem incurrunt, quando correctionis causa percutiunt, ille filium, alter fratrem, tertius famulum Clericum, aut senes Clerici, pueros & adolescentes in minoribus constitutos, minus pie, ac religiose

B se gerentes quàm oportet, dummodo percussio moderata sit non nimia.

Idem quoque sentiendum de casu, in quo iussu iudicis Laici, Clerici ex consuetudine vapulant ob enorme crimen, consuetudo enim præscripta vt Ecclesiæ legem abrogat, ita & pœnam, est hæc tamen magistris ac magistratibus in castigandis Clericis tenẽda cautio, ne eorum censura, iustæ moderationis ac pœnæ terminos excedat. Tabiena *verbo excommunicatio* 5. *num.* 7. nam

C qua parte egreditur æquitatis limites, maiorque est quàm admissa culpa, excommunicationem iudici Ecclesiastico, & Laico infert, pœnam maiorem quam sit æquum, imponentibus nocenti Clerico.

Scio quosdam secus credere, in eaque opinione esse vt existiment, peccare mortaliter tam iudicem Laicum, pœnam decernentem in Clericum, quam qui eius imperia in repetitione pœnæ commeritæ exequitur, in quibus est Reginald. *lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 219. his verbis: *Cum ita sit lege Ecclesiastica statu-*

D *tum (nempe ne Clericus vnquam puniatur per Laicum ex cap. vniuersitatis de sent. excomm.) fit vt si Iudex Laicus pœnam percussionis in Clericum statuat, & eam per se vel alium exequatur, tam ipse quam executor, incurrit excommunicationem, etiamsi reus fuerit dignus illa, ac etiam maiore pœna.* Hæc ille. quibus cùm consuetudo vniuersæ Galliæ, tùm ferè tribunalium omnium praxis reclamet, quam tamen nemo nisi parum prudenter, ob id peccati potest arcessere, non abeo à sententia proxime dicta, quam vt dixi antea, tuentur Nauar. & Graphius, impune nempè ac sine excom-

E municationis ideo subeundæ metu ac timore, Clericos à Laicis moderate plecti ob culpam posse.

Quarto, excusat ab hac pœna, causa percutiendi Clerici honesta ac rationabilis, vt si à voluntate tuendi sui vel alieni corporis, famæ, bonorum ac pudicitiæ, ortum habeat, aut à necessitate repellendæ iniuriæ ab eo illatæ, aut inferendæ, patet ex *cap. si vero* 3. *de sent. excomm.* vbi est his verbis: *Si Clericum*

vim sibi inferentem vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad sedem Apostol. transmitti.

Cum enim in hoc casu non sit percussio Clerici illicita, quandoquidem natura cuiq; vim vi repellere annuat, adiunctam pœnam nullam habet modo, ne notabiliter defensionis honestæ ac iustæ modus excedatur, moraque inter eam, & iniuriam acceptam magna non intercedat, ne habeat ea percussio vindictæ speciem, nam eatenus est sui defensio; quatenus durat aggressio, interrumpitur hæc vero spatio, moraque interiecti temporis, inter iniuriam illatam, aut inferendam à Clerico eiusque repulsam, quare cum de co'mittendo ad sedem Apost. quæreretur, qui vim vi repulerat, respondit Alexander *cap. si vero* 3. *de sentent. excom.* id non esse necesse, si appetitus *incontinenti vim vi repulit.*

Patet hinc primo, Clericum deprehensum in flagranti delicto, capi à Laico, & ab eodem teneri, ac in carcerem compingi posse, vt Episcopo suo dedatur pœna plectendus debita, Nauar. *cap.*27. *num.* 83. & Suar. *disp.*22. *sect.* 1. *nu.* 37. maxime si timetur ne aufugiat, quia tum maxime, ratio tuendi sui suaque valet; abstinendum tamen ab iniuria, nam si permittenti se sponte capi, ac quietè, capiens de industria pugnos impingit, calcibus petit, aut mittit in carcerem eũ, qui offert fideiussionem præsentandi se, in censuram incidit Nauar. *cap.*27. *num.* 83.

Patet secundo, licere fœminæ de stupro sollicitatæ à Clerico cum à se pugnis, & verberibus, sine metu censuræ abigere, non autem si prece, tantũ ac verbis, nam tunc verbis similiter repelli potest, si tamẽ excuti, ac dimoueri à proposito aliter quam fuste aut verbere nõ posset, adhibere vtrumq; foret sine crimine, metuque pœnæ, Laym. *lib.* 1. *tract.*5. *parte* 2. *cap.* 5. *num.*8. Auila 2. *par. cap.*5. *disp.*3. *dub.*13 Ægid. *disp.*14. *num.*194.

Quintus casus, in quo excusat à censura Clerici percussio, est cum hic sua priuilegia perdidit, puta quia factus est miles, Clem. III. *in decret. in audientia* 25. *de sententent. excom.* vel quia secularibus se actibus immiscuit, vt loquuntur, & tertio monitus abstinere noluit, Honor. III. *in cap. final. de vita & honestate Clericorum*, sic enim ibi: *Monemus quatenus si tales tertio à te commoniti ab huiusmodi non resipuerint, sed prætermissis diuinis officiis, negotiationibus institerint, cum facto abiciant priuilegium Clericale, &c.*

Sextus est cum à Laico turpiter agens cum vxore, matre, filia, vel sorore, est oppressus *cap si vero* 7. *de sententia.*

Causa est, quod ob dolorem de recepta iniuria, violatione matris, vxoris, aut filiæ,

A ad talem casum, Papæ non placuit pœnam canonis extendere, & ita cogi non deberab. solutionis causa ad sedem Apostolicam ire, qui in Clericum, cum vxore, matre, sorore vel filia turpiter agentem, manus iniecit violentas, *Cæterum si in stupro vel adulterio, quod committit cum ea, quæ ipsum in proxima consanguinitatis linea non contingit, in eum violentas manus iniecerit, non erit à sententia excommunicationis immunis.*

Ex quo patet primo, non ob actum copulæ carnalis tantum, sed etiam ob amplexus,

B oscula, & alia id genus signa propinqua, operis nefarii expleti, vel explendi cum vxore matre &c. percuti Clericũ posse sine crimine, & excommunicatione, quia his rebus operam dare, est turpiter ac fœde facere.

Secundo, matris, vxoris, & filiæ nomina, propriè sumenda esse; nec extendenda ad sponsam de futuro, auiam, aut neptes, quia non sunt extendendæ pœnæ vltra id quod verba legis sonant, præsens est pœnalis, auia, mater non est, nec sponsa de futuro vxor: ergo &c.

Septimus est, cum Clericus degradatus

C aut depositus est verbaliter, Auila *parte* 4. *disp. vnica dub.* 1. vel cum ioco tantum, aut leuiter est verberatus Alexand. III. *in cap.* 1. *de sent.* Monaldus *in summa verbo excommunicatio parag. an prælatus*, nam *ex can. si quis suadente*, requiritur vt necessaria circunstantia huius percussionis, in ordine ad subeundam excommunicationem, quod inferatur suadente diabolo: at id proprie tantum accidit cum percussio est mortalis, qualis non est facta ioco, aut admodum leuiter, quare canonem citatum (si quis suadẽte) in-

D terpretantur Toletus *lib.*1. *cap.*3. Nauar. *cons.* 30. *de sentent. num.* 12. de percussione lethali asseritque idem in *cap.*27. *Enchir. num* 85. diserte ab hac excommunicatione excusare actionẽ, quæ tam leuis est, vt si vsurpata esset in Laicum, mortale peccatum non constitueret, quia hæc pœna ob violentam, & iniuriosam manuum iniectionem in Clericum imponitur, quæ sit peccatum mortale completum, cum à veniali, excommunicationi non sit sufficiens causa. ex *can. nemo Episcop.*

E 11. *q.*3.

Octauo, excusat actionis leuitas, nempe cum est Clerici percussio imperfecta quoad modum, proindeque non lethifera, quia non est plene deliberata, vt pote ex ira, & subito quodam motu animi, impetuque profecta, Caiet. *verbo excommunicatio cap.*10. *notabili* 6. *casu* 3. Antoninus 3. *parte tit.* 24. *cap.* 1. *parag.* 2. à Graphiis *lib.* 2. *decis. aurearum cap* 48. *nu.* 33. ac sine plena aduertentia ad id quod agitur, quæ si maior esse cœperit, tum enimue-

ro

ro, hic quem sic iracundia ad nocendum Clerico impellit, debet ab ea illico abstinere, nam si sciens & volens pergat ei molestus esse, ac grauis, censura innodabitur.

Idem est, si quis casu fortuito, præter intentionem Clericum lædat aut vulneret, nam etsi tum forte peccet in eo mortaliter, non adhibendo debitam diligentiam, non est tamen excommunicatus, quia deest contumacia ad censuram necessaria, deest etiam violenta manuum iniectio vt habet Tolet. *lib. 1. cap. 31.*

CIRCA dicta proponuntur aliqua dubia.

Primum, *An Pater animaduertens in Sacerdotem filium, reus sit violatæ legis Ecclesiasticæ, de non verberando Clerico.*

Nequaquam: quia Patri quoad correctionem sui subsunt liberi, Sacerdos filius est, nec à charactere ius sibi prætexere vllum potest, vi cuius à patria potestate sit liber, nam quis credat filium hoc ipso quo Sacerdotio fit insignis, sic iuris sui fieri, vt in eum, patris authoritas omnis sit perempta? Episcopos quidem scimus, vt est in canone *20. distinct. 54 sui iuris esse, Ius enim patriæ potestatis soluit Episcopalis dignitas*, filios autem sacrorum beneficio ordinum, ab ea immunes esse non legimus quare si quid Sacerdos in vita, moribusque, sacra indignum persona quam sustinet, peccauerit, à patre emendari, quamuis sit Sacerdos quin possit: non ambigit de Graph. *lib. 2. cap. 48. num. 36. Hoc autem intellige*, inquit, *etiamsi in percussione aliquis fuerit excessus, cum non possint verbera semper suspendi in statera*, eandem sententiam sequuntur, Syluest. *excommunicatio 6. casu 8.* Auila *parte 2. cap. 5. disp. 13.*

Secundum, *An Clericus maiorum ordinum, qualis est Diaconus, corrigi absque excommunicatione à magistro possit ac puniri.*

De Prælato Ecclesiastico, & magistro habetur expresse *in cap. 1. de sentent. & in cap. ex tenore 10. eod tit.* nam in priori absolute de Clericis omnibus nullo discrimine, in altero de Subdiacono expressa ab Alexand. III. fit mentio, quos omnes à magistro corrigi, ac pro culpæ qualitate ac modo, plecti posse tradit, nihilominus perspicuitatis maioris causa.

Dico primò, *Constitutos in sacris ordinibus, cum delinquunt, posse sine culpa, ac censuræ pœna vlla, à magistris suis conuenienti aliquo supplicio affici*: Ita Nauar. *cap. 27 num. 81.* Reginald. *lib. 1. cap. 17. num. 231.* Suarez *disp. 22. sect. 1. num. 48.* Laym. *lib. 1. tract. 5. parte 2. cap. 5. n. 8. causa 5.*

Primo, quia magistris absolutè, ac sine restrictione fit potestas à Pontif. *in cap. 1. de sen-*

A *tent.* percutiendi scholares Clericos, correctionis & disciplinæ gratiâ, at sacrorum ordinum Clerici, discipuli esse possunt, & Laici eorum magistri, ergo ab his illi cum id disciplina scholastica exiget, emendari poterunt, iustaque plecti pœna.

Secundo, quia potestate pater, eadem quoque in liberos suos cum scholas discendi causa frequentes obeunt, eorundem voluntate magistri sunt prædití, sed pater de filio delinquente, vt est dictum antea, repetere pœnas potest impune, ac sine excommunicatione, ergo & magistri tàm Laici, quàm

B Presbyteri.

Dico secundò, *Non decere tamen maiorum ordinum Clericos, ei subiici correctioni, qua mos est in pueros animaduerti.*

Res ipsa de se clara, explanatione non indiget, nam quis ferat grandi iam natu homines, verberari publice, plagasque nudo recipere corpore?

Equidem nulla *nonnunquam accidunt, quæ in Sacerdotalibus sunt reprehendēda personis, plus*

C *tamen erga corrigendos agere debet beneuolentia, quàm temeritas, plus adhortatio, quàm comminatio, plus charitas quam potestas*, Leo Papa *epist. 82. ad Anastas. Thessalon. Episcop. cap. 1.* quare *non est dignum vt prælatus honorabiliora membra sua prout voluerit, & ei placuerit, verberibus subiiciat & dolori, ne dum incaute subdita percutit membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reuerentiam subtrahat* Concil. *Bracar. 3. can. 6.* Hæc me causa impellit vt credam, cum de castigandis in schola maiorum ordinum Clericis agitur, receptæ consuetudini

D standum esse in foro Ecclesiæ, verbisque communiter plus dandum esse, quam plagis, qui odio ac maleuolentia eos ad pœnam, suppliciaque commerita vocat, pœnam in se canonis, censuramque aduocat, vt est apud Nauar. *cap. 27. num 81.* Caiet. *verbo excom. cap 10. notab. 6.* quæ etsi ferendæ tantum sententiæ olim esset, vt ex his verbis constat quæ sunt ex Concil. Braccarens. 2. *deprompta can. 6. Si quis aliter, quam dictum est prædictos honorabiles subditos, licentia præceptæ potestatis elatus, malitia animi tantum crediderit verberandos, iuxta modum verberum, quæ intulerit,*

E *excommunicationis pariter & exilii sententiam sustinebit*, est hæc tamen censura latæ sententiæ, factoque ipso incurrendæ hoc tempore.

Tertium, *An qui Clericum tumultuantem, è templo cum ignominia eiicit, peccet in canonem.*

Neutiquam, modo ne ex ira odioque faciat, dixere hanc sententiam Pontifices duo Gregor. IX. *in cap. cum voluntate 54. de sent. excom.* Clemens III. in *cap. veniens 36. eiusd.*

tit. interrogatus enim hic cum esset de facto eiusdem Presbyteri, qui monialem Ecclesia egredi vi adhibita compulerat quod ludendo cum Clerico, impedimento ei esset quo minus Deo obsequium religiose ac attente (vt par erat) exhiberet, respondit eum sibi excommunicatum non videri. Idem est de eo iudicium, qui Clericum nolentem carcerem ingredi, quo propter crimen ab Episcopo iubetur duci, vi trahit, eoque cum impetu cogit. Innocent. III. *in cap. Vt famæ 35. de sentent. excomm.* his verbis: *Laici verò citra excommunicationis sententiam capere Clericos, & adiudicium trahere possunt, si oporteat, etiam violenter dum tamen id de mandato faciant prælatorum, quorum illi sunt iurisdictioni subiecti, & quorum est corrigere criminosos, cum hoc non ipsi, sed illi, quorum auctoritate id faciunt, facere videantur, dum tamen non amplius eorum violentia se extendat, quam defensio, vel rebellio exigat Clericorum*, quare si euntem in carcerem, si quietè progredientem ad vincula, fori ministri petulanter impetant, si calcibus aut pugnis feriant, in excommunicationem incurrent, non item si considerata personæ qualitate, aut aliis circunstantiis, ea fieri circa illum esset necesse, quæ pudor ac religio extra necessitatis tempus, in reis vulgaribus geri non patitur, cuiusmodi sunt, vestibus trahi, vi ad præeundum aut sequendũ adigi, manibus nexus ac cõpedes, ne noceat, iniici. Enimuero cum est quidpiam permissum lege naturæ, fori, aut Ecclesiæ, ea quoque sine quibus esse illud, ac subsistere non potest, licere est certum, sed Clericum authoritate Episcopi, aut alterius prælati cui subest, in carcerem compingi per Laicum posse, notius est, quam vt de eo ambigi cum ratione, causaque iura sinant, ergo & ea ab illo adhiberi omnia, sine quibus eius frangi contumacia, prælatique de eo in vinculis continendo, sentẽtia exequutioni dari nequit, etsi vt habet Innoc. III. *in cap. Vt famæ 35. de sentent. excomm.* violentia esset ad id opus, *dum hæc tamen non amplius se extendat, quam defensio vel rebellio exigat Clericorum.*

Quartum, *An Laico ius interdum comprehendendi Clerici, ante consensum Prælati sui, sine excommunicatione competat.*

De dependentibus à Prælatorum iurisdictione agunt Chopp. *lib. 2. de sacra polit.* & Bleyanus *in Theoria de simplicibus & duplicibus beneficiis num. 5. & in signo A. ad marginem.* & quanquam eo conspirent ambo, vt asserant, sic habere Prelatos, iudicesque Ecclesiasticos vocationem in ius, seu Clerici qui reus est citandi puniendique potestatem, vt Laico non modo sit eius interdicta castiga-

A tio, sine Prælati consensu ac consilio, sed & comprehensio, nisi in casu, quo depositus, Curiæque sæculari traditus esset.

Tempora tamen incidunt aliqua, in quibus eum sine Prælati mandato, etiam vi adhibita si est opus, Laico capere licet, in carcerem detrudere, ibi eum retinere dum Episcopo suo sistatur.

Primum est, cum alieno oppressus ære, à quo se eximere, contractaque dissoluere nomina non potest, fugam meditatur, ab ea enim illum qui retrahit, domique, aut in custodia fideliter seruat, donec Episcopo visum erit, aut ei iudicandus offeratur, is à censura est liber, Caietan. *in summa verbo excommunicatio cap. 10. notab. 6.* quia vis Clerico illata censuræ non est causa, nisi cum est sacrilega, ista non est huiusmodi, *nõ quidem ex natura facti, quia non ad iniuriam Clerici, sed ad iustitiam tendit, nec ex iure positiuo, cum non sit prohibitio*, Caiet. proxime citat. ideo enim detinetur in vinculis, vt Episcopo suo præsentatus, cogatur eius authoritate ac imperio, soluere debitum.

B

C Secundum est, cum in peccato deprehenditur, nam qui tùm eum comprehendit Episcopo offerendum, vt ab eo puniatur, in excommunicationem non incidit, secundum Reginal. *lib. 1. cap. 17. n. 228.* rationes eædem quæ prioris enunciati, prima, quod ea cõprehensio non ad iniuriam tendat, sed iustitiam, secunda quod per eum non vsurpetur Ecclesiastica iurisdictio, sed potius ministretur iudici Ecclesiastico.

Quintum, *An Clerici percussio facta sine intentione inferendæ ei iniuriæ, pœnam canonis habeat.*

D

Nequaquam, ratio est quod quæ percussio legibus est Ecclesiæ prohibita sub censura, sit eiusdem Ecclesiæ voluntate sacrilega, at quæ est seiuncta ab iniuria, sacrilegii non est macula, labeque respersa.

Probatur, est sacrilegium, *rei sacræ violatio, seu iniuria, & irreuerentia quæ fit Deo, indigna tractatione rei sacræ*, Lessius *lib. 2. cap. 45. dub. 2. num. 6.* ergo si non habet Clerici percussio, eiusdem iniuriam ac violationem, non erit hæc sacrilega.

E Confirmatur, nõ est patris in filium Clericum, aut Prelati in religiosum animaduersio sacrilega, nec censuræ iuncta, vt est superius ostensum: at huius rei causa non alia, quam quod sit hæc sine vlla eius iniuria: ergo &c.

Confirmatur secundo, à subeunda excommunicatione ob percussum Clericum excusat actus imperfectio. At percussioni Clerici sua deest perfectio in ratione sacrilegii cum deficit eius forma, quæ est intentio quia

scilicet

quia scilicet per se non intenditur siue quia violentia non intenditur, vt cum quis in castigando filio modum ex imprudentia egreditur, siue quia non intenditur quod sit in Clericum, vt cum ex ignorantia Clericus percutitur aut capitur Caiet. *in summa verbo absolutio cap.* 10. *num.* 13. vera est ergo responsio.

Sextum, *An & quando ab hac censura liberet Episcopus.*

Liberare iure communi Episcopum, cum est Clerici percussio leuis, dixit Clemens tertius *in cap. peruenit* 17. *de sent. excommunic.* Ex quo consequitur, præter eam, dari & alias, eam tripertitam iuris interpretes faciunt, leuem, enormem, mediam, leuis est quæ maculam nullam, nullam carnis lacerationem, aut dentium euulsionem habet: Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 5. *n.* 10. qualis est vt loquitur à Graph. *lib.* 2. *c.* 48. *n.* 47. quæ fit manu, pugno, colapho, pede, baculo, aut lapide, sine macula vlla, contusione carnis, dentium effractione, auulsione crinium, &c,

Dicunt alij, leuem dici, quæ collata cæteris, nec grauis est, nec media, de quo Episcopi, aut prudentis est confessarii iudicare, Nauar. authore *ca.* 27. *num.* 92. quod iudicium ex variis circunstantiis facti, personæ læsæ, vel lædentis, loci vel temporis formare conuenit: Facti quidem, vt si percussio sit leuis cũ modica sanguinis effusione è naso, Personæ, si non sit vlla virtute spectabilis, aut stirpe, Loci, si remotis arbitris, ac nullo conscio,

Erit enormis ex facto, si Clerico membrum amputabitur, si manus, si auricula, si cicatrix, si macula, ex percussione impressa vultui appareat, si membrum iteratione verberum, ita contundi accidat, vt ad solita sua munera sit inutile, si ex vulnere sanguis effluat copiosus ac abundans, modo ne ex naribus. Ex his, aut venula manans, percussionem grauem non efficit Nauar. loco citato, Regin. *n.* 240. & Graphio *n.* 49. testibus.

Erit atrox ex circunstantia personæ lædentis ac læsæ, si plebeius homo ex fœce, & luto factus, principem verberet, magistratum lędat, si superiorem inferior, ciuis aliquis Sacerdotẽ. A loco habet percussio vt sit grauis, si corã & in multorũ fiat oculis, vt in platea, in tẽplo frequenti concione hominũ, si spectante prælato aut iudice. A tempore autem si in die festo ratione cuius scandalum creet populo, Graph. *supra n.* 51. Regin. *n.* 240.

Inter iniurias atroces in hoc genere ponit Ioann. Papa XXII. quod dens frangatur, quod euellantur multi capilli, quod in carne liuor, ex percussione membrorum, contusio remaneat.

A Quæ autem nihil habet eiusmodi, nec tamen penitus est leuis, inter mediocres locari debet, quæ est dubia, pro graui est existimanda iuxta Nau. *c.* 27. *n.* 92. Graph. *lib.* 2. *ca.* 48, *n.* 49.

Iam ergo ad quæstionem, absoluere ab hac cẽsura quibus est permissum à iure? Episcopo, si est percussio leuis, Romano, si enormis, Prælato regulari respectu sui Monachi, si item est leuis, aut mediocris, *cap. Monachi de sent. excomm.* in eo enim est canone quod tam illi *quam regulares canonici, quocũque modo* B *se in claustro percusserint, non sint ad Apostolicam sedem mittendi; sed secundum prouidentiam, sui Abbatis disciplinæ subdendi* quod cum de enormi capi non debeat, eo quod tum *ad Ecclesiam Romanam recursus sit habendus*: ita decernente Honor. III. *in ca.* 50. *de sent. excom.* & Innoc. III *in decretali cum illorum* 32. de leui erit ac mediocri intelligendum, quare *cum excessus regularium extiterit difficilis, ac enormis, vt pote si ad mutilationem membri, vel effusionem sanguinis est processum, aut in Episcopum aut Abbatem, violenta manus iniecta, cum excessus tales & similes, nequeant sine scanda-* C *lo præteriri, cap. cum illorum* 32. super eorum est relaxatione, ac remissa, consulenda sancta sedes. *Si vero claustralis aliquis, in religiosam personam alterius claustri, manus iniecerit violentas, per Abbatẽ proprium, & eius, qui passus est iniuriam, absoluatur: quod si Clericum percusserit secularem. non nisi per Apost. sedem (vt scandalum euitetur) absolutionis gratiam poterit promereri*, hæc Innoc. *in decret. cum illorũ citata*, ab vtroque autem Prælato tam lædentis, quã læsi absoluetur, si qui læso præsidet aduocetur ab alio, vt factam religioso suo iniu- D ria remittat, proque ea pœnam in satisfactionem lædenti imperet, vel imperatam accepter, aut verò, vices suas, si adesse nolit, cõmittat superiori lædentis, vt eum iuxta suum arbitrium absoluat, Panorm. *in cap. cum illorum de sent. nu.* 13. Molina *tract.* 3. *disp.* 5. Laym. *supra num.* 10. *notab.* 3.

Septimum, *Sunt ne tempora aliqua, seu casus, in quibus de percusso Clerico haberi ab alio possit absolutio, quam Papa Romano.*

Omnino, primus est *mors*, seu eius periculum Trid. *sess.* 14. *c.* 7. in id quisquis fato suo, E culpaue venit, à quolibet absolui posse scripsere Pontifices Innoc. II. & Clem, III. ille *in c. si quis suadente, hic in c. quod de his* 26.

Secundus est *sexus* qua voce significatur, mulieribus iter in vrbem suscipiendum non videri, de quo est Alex. III. *decr. numero sexta in tit. de sent. exco.* his verbis: *Mulieres, vel aliæ personæ, quæ sui iuris non sunt, ab Episcopo Diœcesano absolui possunt, si manus in Clericum iniecerint violentas.*

Tertius est, *infirmitas*, à qua habent ægri, corporeq; debiles, id est mẽbri alicuius vsu destituti, senes aut pueri, vt ab Episcopo recõciliari Ecclesiæ possint, etsi iniuria per eos facta Clerico grauis foret: iuxta caput *quod de his 26. cap. ea noscitur 13. de sent. excom.* in quo sic Clem. III. *Consultationi tuæ duximus respondendum, quod mulieres, senes, & valetudinarii, seu membrorum destitutionibus impediti, licet ad sedem Apost. non veniant, ab Episcopis valeant communioni fidelium restitui, satisfacto iuxta facultates, his quibus per eos constiterit iniurias irrogatas.*

Quartus est *inopia*, eaque tanta, vt excommunicato facultatem adimat commeatus necessarii, ad consulendum sedem Apostolicam, aut Legatum super obtinenda absolutione censuræ, Nauar. *cap. 27. num.* 88. Sylvester *absolutio 4. num. 3. casu* 8.

Ratio est, quod non sit probabile, Ecclesiam ea seueritate agere velle cum paupere, vt mendicato Romam absolutionis causa eat, aut domi suæ vxorem, liberosque, quos labore suo, ac manuum exercitio alebat, squallore luctuque misere confectos relinquat: ergo ab itinere Romano, aut ad Legatum, excusantur hi pauperes, qui vel mẽdicato viuunt, vel ex artificio quod norunt, ac factitant, à quo tamen exercendo eos itinera reuocãt ac impediunt: vnde accidit, familiam, id est vxorem liberos, magnis premi rei familiaris incommodis, quæ quandiu durabunt, illos lex canonica ad sui obseruationem obstrictos non habebit, consequenter nec ad iter suscipiendum in vrbem, aut Legatum.

A Quintus est eorum proprius qui iuris non sunt sui, sed alieni: vt enim viuũt hi sub potestate alterius, ita eo repugnante, aut non consulto, vix se Romanæ committere non debent, quare ne se prodant, culpamque suam, ab Episcopo absolui poterunt: ita in c. *mulieres de sent. excom.* decernente Alex. III. sic enim ibi, *mulieres*, inquit, *vel aliæ personæ, quæ sui iuris non sunt, ab Episcopo Diœcesano absolui possunt, si manus violentas in Clericum iniecerint*, quemadmodũ & pueri, Clericiq; collegialiter viuẽtes id est sub eodẽ tecto, etsi

B sint plenæ ætatis, dummodo non odio vel inuidia, vel indignatione, sed leuitate iocosa, se inuicem percusserint: *cap. super eo primo de sent. excom.* Libet audire ea de re loquentem Graphiium loco proxime cit. n. 93.

Sextus, *nota quod plures sunt manuum iniectiones ab hac excommunicatione exemptæ, quarum prima, est manus iocosa*, Glossa *in cap. 1. de sent. excom. etiam grauis intra fines tamen ludi,*

C *quod idem intelligo de percutiente, vt cum percussus à Clerico ludente, statim etiam sine deliberatione repercutit, quia hæc est conditio ludi, & quidem naturaliter impulsus, & grauiter percussus, etiam vt repercutiat, ne videatur inferior, & generaliter dicit*, Richard. *in 4. dist. 18. quod percutiens non ex deliberatione, quamuis turbatus, non incidit, & idem est si ludens percutit deliberate, modo iocosa leuitate, & sine dolo.*



TRACTATVS

TRACTATVS QVINTVS.

DISPVTATIO SEXTA DE EXCOMMVNICATIONE minore.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit excommunicatio minor, & quis eius effectus.



EST minor excommunicatio censura Ecclesiastica, quæ vsu Sacramentorum passiuo, seu eorum perceptione, ac beneficiorum Ecclesiasticorum participatione priuat, ob conuersationem cum excommunicato, Gregor. IX. *in vlt. cap. de Clerico excommunicato ministrante.*

Eius effectus præcipui tres, primus, isque directus, ac per se, ius passiuum Sacramentorum adimere.

Secundus, electione passiua ad beneficium excludere, in quantum, facta de excommunicato hoc excommunicationis genere, est irritanda.

Tertius in culpam tradere eum, qui Sacramenta confert cum hac censura, quos effectus Gregor. IX. *in cap. si celebrat. de excommunicato ministrante*: expressit his verbis: *Si tamen scienter talis electus fuerit eius electio est irritanda pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à sanctis Patribus est priuatus*, Gregorium sequuti sunt Couar. *in can. alma mater parte 1. parag. 8. num. 2.* Auila 2. *parte disput. 12. dub. 2.*

Qua in materia occurrit hoc primo quærere, quam culpam admittat, qui cum hac censura Sacramenta recipit, mortalem an

A venialem? Mortalem agnoscunt Sylu. *excomm. 4. num. 1.* Tabiensis *eodem 8. num. 1.* in hanc mentem veniunt inducti hac maxime ratione, quod sit hæc receptio contra præceptum Ecclesiæ in re graui, quo excommunicatis hoc excommunicationis genere, ius adimit percipiendi Sacramenta, quam sententiam quoque sunt amplexi Caiet. *in verbo excommunicatio cap. vltimo sub finem*, Reginaldus *lib. 32. cap. 17. num. 141.* cui vis est, ac pondus ab authoritate Greg. Papæ noni *in decretali si celebrat. 10. de Clerico excom. ministrante*, ibi enim eum qui minori est

B excommunicatione ligatus, *grauiter* peccare ait, cum celebrat, cuius rei causa haud dubie non est alia, quam quia sacrificando Sacramentum recipit, est ergo eius susceptio in excommunicato excommunicatione huius generis lethalis, cum qui peccat grauiter, mortaliter quoque delinquere sit cēsendus.

Leuius peccare, qui hac censura nexus, Sacramenta ministrat nec eum culpæ grauioris, quam quæ duntaxat est venialis, re-

C prehendi posse, dixere hi Theologi: Sotus *in 4. dist. 22.* Couarr. *in cap. alma mater par. 1. parag. 8.* Ægid. *disp. 14. dub. 17.* Suar. *disp. 24. sect. 2. num. 11.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 3.* Layman. *lib. 1. tract. 5. parte 1. cap. 4. num. 4.* Suarez *de censur. disput. 24. sect. 2. num. 9. & 12.*

Opinionis huius sunt hæc firmamenta. Primum quod excommunicatus excommunicatione minore, *tantum à Sacramentorū participatione sit remotus*, Cœlest. 3. *in cap. à nobis 2. de exceptionibus*, ergo ea conferendo non facit contra præceptum Ecclesiæ, ergo nec

peccare est credendus.

Dixit eandem sententiam Gregor. Papa nonus *in cap. vltimo de Clerico excommunicato ministrante, peccat,* inquit, *conferendo Ecclesiastica Sacramenta sed ab eo collata virtutis non carent effectu, cum non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorũ, quæ in sola consistit perceptione, remotus*: ergo nisi conferens Sacramenta in minori excommunicatione, ea quoque recipiat, extra culpam mortalem erit.

Secundum, causa cur excommunicato minore excommunicatione, vitiosa sit Sacramenti collatio, est in eo, quod à ratione, & Sacramentorum dignitate, nimium quantum videatur alienum, vt qui à recipiendis excluditur, eadem administret, at est hæc irreuerentia leuis, cum culpæ non dicatur lethiferæ conscius, qui animum ad conferenda Sacramenta appellit, ergo ex eo opere, nasci vlla talis non potest, quam in sententiam iuit Nauar. *cap. 26. summæ num.* 24. his verbis: *Potest & ministrare Sacramenta, si dando non recipiat, quia missus ad communicandum alios non peccat, qua parte dat, sed quia sumit.*

Quod si potest, ergo & valide ea ministrat ac confert, neque enim ab vllo actu ordinis, aut iurisdictionis hoc ipso est suspensus, vt sentiunt Couarr. *parag.* 8. *nu.*1. Henriq. *lib.*13. *cap.*3. Vgolin. *tabula* 3. *cap.* 8. *num.*13. Peccat tamen id agendo, vt dictum est antea, venialiter, negari enim non potest irreuerentiam committi erga Sacramenta, cum ea magis tractet, qui dat, quàm qui recipit, ergo cum hic peccet, peccabit & alter, quod est contra Nauar. *in cap. summæ 27. num.* 24. vbi conferentem cum hoc vinculo, ab omni excusat peccato, sicut & Graphius *lib.* 14. *ca.* 10. *n* 3 nisi conferendo, ea quoque recipiat.

Sed his aduersatur Gregor. IX. *in cap. si celebrat. citato*, cum conferentem, absolutè ac vniuersè peccare asserat, quod ab eo dici non debuisset, si tantum in vno id casu, eoque accidentario faceret, ex accidẽte enim est, quod is qui ea confert, sibi recipiat, sicut non rectè dicitur quis simpliciter peccare, dando eleemosynam, quia interdum accidit, vt dando aliis, de ea aliquid sibi retineat, ac seruet.

Secundo, in præsenti materia quæritur, an electio excommunicati minore excommunicatione, sit ipso iure valida,

Iure nullam esse, cum est scienter facta, tradit Sylu. *excomm.* 4. *num.* 4. Petrus Soto *de excommunicatione lect. vltima*, Comitol. *lib.* 6. *respons. q.* 28. *num.* 4. Panormitan. *in ca. extremum de Clerico excommunicato ministrante*, Ostiensis ibid. explanans enim verbum

A illud *irritanda*, idem valere tradit ac *irrita nuncianda est*.

Idem persuasum est Ioanni Andr. explicanti *caput extremum de Clerico excommunicato ministrante*. Idem visum Butrio in explanatione eiusdem capitis.

Aliorum humanior est opinio, nam aiunt eam tantum irritandam esse, cum est facta scienter: valere autem ratamque esse, cum est facta ignoranter: ita Felinus *ad can. dilecti ex exceptionibus nu.* 3. Richardus *in* 4. *dist.* 18.

B *art.* 7. *qu.* 4. Suar. *to.* 5. *disput.* 224. *q.* 2. *num.* 21. Eius fundamentum vnicum est Gregor. IX. authoritas *in cap. finali si celebrat de Clerico excommunicato ministrante*, vbi electionem excommunicati minoris, non irritam, sed irritandam dixit, *si celebrat*, inquit, *minori excommunicatione ligatus, licet grauiter peccet, nullius tamen irregularitatis notam incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea quæ ratione iurisdictionis sibi competunt exercere, si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda.* Hæc Pontifex, ratio esse potest quod beneficium Ecclesiasticum ordinatur, ad Ordines sacros, & Mis-

C sam, sed ab his repellitur qui excommunicatione minore est ligatus, ab illis quidem quia sunt Sacramenta, ab ista autem, in quantum per eam Sacramentum recipitur. ergo, &c.

Irritam tamen (inquies) dixit Innoc. III. *in ca. postulastis de Clerico exco. ministrante*, Clericis (inquit) excommunicationis vinculo innodatis, Ecclesiastica beneficia conferri non possunt, non est ergo solum irritanda collatio, sed etiam est irrita.

Sed respondendum, ibi loqui Innocent. de

D excommunicato excommunicatione maiore, argumento est, quod Innocent. causam incapacitatis quæ est in excommunicato ad beneficia, ad Ecclesiæ leges referat, vetantis fideles cum excommunicatis communicare, quod in excommunicato eo excommunicationis genere de quo præsens est sermo, locum non habet, vt patet.

Ad partem alteram quod attinet, quæ est de ignorantia.

Dicendum est, electionem irritandam non secus, quia ignorantia non facit ex in-

E habili habilem, sed tantum excusat à culpa. Cætera quæ maior excommunicatio excommunicato adimit, tam in diuinis quam humanis, excommunicatio minor non tollit, vt sunt ius Ecclesiasticæ sepulturæ, suffragiorum Ecclesiæ, iurisdictio Ecclesiastica, & ciuilis in iudiciis beneficiorum collatio, ac ad ea actiua electio.

Huic autem censuræ nomen est *excommunicatio minor*, non quod parua re priuet, nam quid esse Sacramentis vtilius, maiusque potest? horum tamen vsu, fructuque eum interdicit

terdicit, quem nectit, vincitque, quid est ergo causæ, quamobrem vocetur à scriptoribus hoc nomine? eius nomenclaturæ ratio non est vna, sed multiplex.

Prima, quod ob minus peccatum quam maior infligi soleat.

Secunda, quod pauciores quam ista effectus habeat.

Tertia, quod opinione hominum, qui omnia sensu magis metiuntur, quam iudicio, longe sit acerbius, duriusque à communi seiungi consortio, congressuque hominum, quam Sacramentis, quæ quia frequentantur à paucis, raro tanti ab his, promiscuaque plebe fiunt, quanti ea, ob ingentia diuinaque quæ hominum generi commoda progenerant, æstimari est necesse.

QVÆSTIO II.

Excommunicationis minoris quæ sint causæ.

MAterialis remota, est Christianus, proxima quoad Deum, quoduis peccatum mortiferum etiam occultum, propter quod peccatori non licet Sacramenta recipere in conscientia, imo neque dare. Sylu. *verbo excommunicatio 4. nu. 2. Dupliciter enim traditur homo de Ecclesia, in potestatem diaboli, vno modo, cum delictum eius manifestum fit Ecclesiæ, & per Sacerdotes de Ecclesia pellitur, vt notatus ab omnibus erubescat, & conuerso conueniat quod sequitur, vt spiritus saluus fiat. Alio modo quis traditur diabolo, cum peccatũ eius manifestũ nõ fit hominibus, Deus autem qui videt in occulto prospiciens eius mortem, vitiis & passionibus seruientem, & in corde eius non se diligi, sed iactantiam, aut auaritiam, aut libidinem, istum talem ipse Dominus tradit satanæ* Hieronym, *in libr. Iud. homil. 2.* & refertur 11. *qu.* 3. *can.* 2.

Quoad homines similiter causa excommunicationis est peccatum nam olim cuilibet si notorium esset, annexam fuisse censuram, Henriq. narrat *in lib. 13. cap. 3. nu. 4.* imo & infamiã, si Gratiano est fides *in can. illi qui tertio causæ sextæ q. 1.* qui est ex epist. Fabiani Papæ secunda ad Orientales depromptus, nam ibi habetur peccatores cauendos, & ad emendationem, si voluntariè noluerint, compellendos, *quia infamię maculis sunt aspersi*, & paulo post excommunicatos vitari idem Papa præcipit, *quia infamia sunt notati, antequam Sacerdotali authoritate sanentur, & in gratiam sanctæ matris Ecclesiæ redintegrentur, quia qui extra nos sunt, nobiscum communicare non possunt.*

A Dixi *cuilibet*, nã auaros, fornicarios, raptores, maledicos in communi congressu, colloquioque, adhibere ad solatium consiliumque, Paulus vetat 1. ad Corinth. 5. *Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.* Quod est argumento, à peccatis cæteris, quæ fœditate, memorata ab Apostolo æquant aut superant, censuram abiunctam non esse.

B Vt vt sit de prioris æui more, sane constat, hoc tempore huius excommunicationis materiam esse conuersationem cum excommunicato quæ nonnunquam est mortalis, maximè quãdo ea est in diuinis, à quibus, directe & per se Ecclesia prohibet, venialis autem si hæc in humano duntaxat conuictu fiat, Henriqu. *lib. 13. cap. 3. num. 4.* Et hæc de censuræ huius dispositiua, ac materiali causa dicta sunto.

Efficiens est duplex ius, & homo, ius quidem, quatenus ob conuersationem cum excommunicatis, hæc ab eo latæ sententiæ in-

C fligitur in canone. Ab homine est autẽ cũ in pœnã culpæ imponitur sicut posse, quemadmodũ & aliam, quæ maior dicitur, scripsere D. Anton. 3. *parte tit. 25. cap. 2. §. 1.* à Graphiis *lib. 4. cap. 10. num. 4.* Couarr. *parag. 8. num. 3.* Syluest. *excomm. 4. num. 2. versu 10.*

Et quanquam ferat vsus hoc tempore, vt istiusmodi censurâ Episcopus aut alius neminem feriant de nomine, posse tamen Gregorii factum indicat, à quo Ianuarii horta-

D tores, ac ad flagitiũ comites, excõmunicatos hoc excommunicationis genere, modoque, hęc eius oratio petita ex Gregor. *lib. 7. indict. 2. epist. 3. (ad eundem Ianuarium)* indicat: *Eos quorum consilio hæc egisti, in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus, ita tamen, vt si quid eis intra duorum mensium spatium humanitus aduenerit, benedictione viatici non priuentur*, quam hęc quoque ratio confirmat, ac stabilit.

Iurisdictione externi fori quisquis in Dei Ecclesia fruitur, ac gaudet, iusta nocentes pœna, meritâque si reuincat, non peccat: at

E est minor excommunicatio pœna peccati nõ vltima, ergo eiusmodi, quam reo irrogari ab Ecclesiastico iudice, ei sit in laude, nullo modo in crimine.

QVÆSTIO III.

In quibus casibus contrahatur minor excommunicatio.

OCto recensuit Innoc. *in cap. primum de sentent. excomm.* quinque Diu. Thom. *in 4. dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. qui omnes, suam ab earundem communione rerum, cum excommunicato, excommunicatione maiore, ducunt originem, non secus ac illa ipsa participatio, seu communio quæ est in vitio, ab harum rerum aliqua, quæ continentur hoc carmine.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Quibus verbis significatur, excommunicatos vitandos in omnibus, quæ communicationem cuiusquemodi cum illis habent, & primo quidem in sermone, ac signis beneuolentiæ, quomodocunque hæc se prodat, tam per nutum, verba, missas literas, quam amplexus, oscula, & munera Ægid. & Suar. multis locis, Auila 2. *parte disp.* 9. *cap.* 6. *dub.* 3. qui omnes aiunt id hac voce, *Os*, intelligi, ac proinde præcisos denunciatos, semper & vbique fugiendos, nisi se forte vltro ingererent, nam cum facile per leges humanitatis vitari tùm nequeant, quis prudenter ac iustè existimet, Ecclesiam in eo casu fideles punire velle hac pœna? eam autem pertinere ad singulos qui sine causa vlla iusta cum excommunicatis communicant, habes ex Concilio Antioch. *can.* 2. his verbis: *Si quis de Episcopis Presbyteris vel Diaconis, vel quilibet ex Clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, iste priuetur communione, tanquam qui regulam confundat Ecclesiæ.*

Secundo, fugiendi sunt excommunicati in precibus, ac communi vsu suffragiorum Ecclesiæ, quo nomine, preces Ecclesiæ publicas, probi authores intelligunt, quales sunt, quæ ab eius ministris panduntur suo nomine, quo de genere sunt officia, precesque, quas Missale continet, Breuiarium & Pontificale, & ad Sacramentorum, Sacramentaliumque vsum adhibentur, hocque significat particula *Orare.*

Per quam intelligi quoque Nauar. *cap.* 27. *manual. num.* 20. ait *participationem Sacramentorum, diuinorum officiorum, & quarumlibet precum in Ecclesia, intra, vel extra eam, cum aliis dicendarum*, quam ego opinionem probabilem existimo.

Tertio, quoniam prohibet Apostolus, Dei hostibus & Ecclesiæ, salutem dici. *Ne aue quidem ei dixeritis*, in hoc quoque sunt ex- A communicati non tolerati fugiendi, quod vox, *Vale*, proxime sequens indicat, qualis autem esse debeat hæc salutatio interdicta fidelibus, non est æque omnibus certum.

Suarez *de excommunicatione maiore disp.* 15. *sect.* 2. Sylu. *verbo excommun.* 5. *num.* 3. Nau. *cap.* 27. *num.* 20. aiunt nihil referre, nutune fiat, an verbis, aut detectione capitis, cum his omnibus modis præceptum violetur Ecclesiæ.

Quare eos Paludanus *in* 4. *sentent. disp.* 18. *q.* 6. *art.* 2. in legem committere Ecclesię ait, qui excommunicato assurgunt, aut eum alio B honorifico aliquo gestu prosequuntur, quod istis rebus magis, plus sibi venerationis ac obsequii deferri homines existiment, quam verbali aliqua, simplicique apprecatione salutis, vt vulgo fit inter propinquos, aut eiusdem ciuitatis accolas.

Quid? quod caritas, qua Deum prosequi quisque debet, eius hostes, homines scilicet summa ignominia, infamiaque notatos non ferat, in Ecclesiæ eos execrantis dedecus, ac probrum suspici, in honore haberi ac coli? C quod tamen efficit, qui transeuntibus assurgit, caput detegit, genua, corpusque reuerentiæ causa inflectit, sunt hæc ergo, animi erga excommunicatum, si minus bene affecti, at certe de eo non male sentientis argumenta, lege Ecclesiæ vetita.

Contra pugnant Tabiena *verbo excommunicatio* 8. *num.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q* 1 *art.* 4. *conclus.* 2. Angelus *verbo excommunicatio* 8. *num.* 4. Anton. 3. *parte tit.* 25. *cap.* 2. Sa correctus *verbo excommunicatio*, qui omnes, salutem quæ hic est prohibita, eiusque modum, D ad eam restringunt quæ fit verbis, ac voce.

Primo, quia cum aliquem nostro nomine saluere iubemus, non signa muta & inania, sed verba ab eo, cui prouinciam hanc committimus, quibus id ei significet, exigimus.

Secundo ætate, opibus, ac scientia, nobis non dispares, imo etiam inferiores salutamus, quibus tamen signa honoris, ac reuerentiæ nulla exhibemus.

Tertio, quia præter verba, signum nullum est natura suâ ad salutandum institutum, nec mos communis hominum, habet vllum pro- E prium, sed tantum ex accommodatione vsu, hęc est causa cur cum tantis, ac tam excellentibus viris, excommunicationem minorem incurrere non putem, qui reuerentiam excommunicato exhibent, cumque resalutant, assurgendo, caput aperiendo, genua flectendo & id genus obsequia, vltro ac sponte, citra sermonem, & alloquium deferendo.

Existimat Auila *parte* 2. *cap.* 6 *disp.* 9. *dub.* 9. *dicto* 2. non excommunicari qui excommunicatum,

municatum, à quo scit se salute donari, honore & ipse afficit, non quidem animo cum resalutandi, alioqui excommunicationem minorem incurreret, sed ne inurbanus sit, ac audiat, quam in rem citat Nauar. *Enchir. ca. 27. num. 20.* sed de ea re ne verbum quidem ibi habet, sed tantum ea signa quoad forum conscientiæ, posse fieri sine intentione resalutandi, dicendo intra se, *Deus te conuertat.*

Penultima particula (*communio*) interdicitur omnimoda conuersatio in Sacramentis, orationibus etiam inter duos priuatis extra Ecclesiam, colloquiis, contractibus, quos fieri, & iniri sine collocutione mutua non posse, norunt qui voces exprimendis animi notionibus adinuentas sciunt, hasque nisi fideli commissas auri, inutiles vanasque esse, quod ne accidat, coram, ac sibi præsentes eos esse oportere, qui rem negotiaque habent, quibus transigendis vox sit necessaria, nemo est qui non intelligit.

Pacta ergo, conuentaque hominum inter se reciproca, ad conuersationem referuntur sicut *mensa* ad cohabitationem, eiusdemque domicilii consortium, eiusdem mensæ, ac thalami vsum, quem ex prędictis antea, non excommunicato cuilibet, sed nominatim, & publice denuntiato, aut notorio percussori Clerici interdictum, docet cum Henriqu. *lib. 10. cap. 5.* omnis Theologorum natio.

Notat tamen Auila *2. parte cap. 6. disput. 9.* cum de habitatione agitur, quæ fideli cum excommunicato sit prohibita, non aliam eo nomine intelligi, quam quę est in eadem domo, pro eodem negotio, nam pro diuersis, vti licere eodem tecto, ac etiam cubiculo cum excommunicato, ibidem asserit, modo ne cum illo fidelis comedat, in eodem lecto dormiat, cum illo loquatur, sermonesque misceat, quam in opinionem trahit Angelum *verbo excommunicatio 8. num. 4.* Sylu. *eodem verbo 5. num. 3.* Armilla *in eodem num. 42.* proque eis est hæc ratio, quod cum pœnæ leniendæ sint, quemadmodum & odia, lex pœnalis proprie, ac verborum quibus constat, potestati consentaneè intelligi debet. At tam mensæ, quam communionis nomina, ad domicilium, ac habitationem in eadem domo, cubiculoque, pro diuersis negotiis, quis deriuet? si sermo non interuenit eiusdemque mensæ ac lecti communio? ergo &c.

Nota secundo, ne quidem vi canonis, excommunicati congressum fideli prohibentis, isti eiusdem cubiculi cum illo vsum interdici ad potum & somnum, modo mensa & lectus, non sint eadem, nec sint inuitati ambo ad idem prandium, quia cum non est idem prandium, idem lectus, &c. inter eos

A nulla est communio, quæ ratio locum cum habeat, quando eidem quidem mensæ assident, sed vt locis, ita disiuncti quoque sunt animis, inferūt aliqui ab excom. præsentia, nihil fidelem vitii trahere, quod in hac materia, non tam mensæ materialis vnitas spectari debeat, quam moralis, seu eiusdem prandii participatio, qualis hic nulla accidit, cum & diuersę apponantur fideli, & excommunicato epulæ, nec ab eodem inuitati sint ambo, aut alter ab altero. Cuius oppositum

B est dicendum, cum moraliter eadem est mensa, iidem cibi, suntque ad idem conuiuium inuitati ambo, nam tūc mensarum diuisio, aut cubiculorum, excommunicationem non impedit, cum moraliter inter se in epulis, conuiuioque communicent.

QVÆSTIO IV.

An in nullo casu, liceat cum excommunicato nominatim, aut notorio Clerici percussore communicare.

C

LIcet in omnibus, quos complexus est Gregor. VII. *lib. 1. regesti* & post eum Gratianus *in can centesimo tertio quoniam multos causa 13. q. 5.* notanturque memoriæ causa hoc versu.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Vtile, indicat communicare cum excommunicato posse aliquem, in eius vtilitatem ac commodum, Nauarr. *cap. 27. num. 26.* Henriqu. *lib. 13. cap. 22. & 23.* est autem

D hæc vtilitas duplex spiritualis vna, eaque tam excommunicati quam nostra, id est communicantis propria, alia est temporalis. A spiritali habet excommunicatus, vt Confessario peccata explicare sua, ei deponere conscientiam valeat, hic autem, vt eum admonere de officio, ad saniora illum consilia adhortari eaq; gratiâ salutem eidem dicere, illi scribere, in illius se amicitiam insinuare impunè possit, ac cum laude, colligitur *ex ca. cum voluntate 54. de sentent. excom.* in quo est cum excommunicationis sententiam nō incurrere *qui cum excommunicato in his quæ ad*

E *absolutionem aut alias ad animæ salutem pertinēt in locutione participat, etsi incidēter alia verba interponat*, quibus & aliis id genus officiis humanitatis, ad bonam frugem reuocari facilius queat, idemque est de aliis, quæ eatenus in fauorem excommunicati sunt licita, quatenus per ea speratur emendandus, aliter vsurpari nequeunt, ex Henriq. loco citato.

Causa est, quod fidem omnem superet, Ecclesiam matrem scilicet pientissimam tanta cum excommunicatis, alumnis vtique

suis in seueritate agere velle, vt eis, cõgressũ, non excommunicati, vtilem ac necessariũ sibi ad salutem animæ interdicat Rebuff. *in explicatione concord. tit. de non vitandis excommunicatis.*

Ita licet à Parocho excommunicato, occulto tamen, aut tolerato, vt tomo primo probauimus, confessionem petere, aut Sacramenta, si non est alius, qui æque id possit facile, ac commode, quia eius defectus ac inopia necessitati tribuitur, à qua lex habet vt non violetur, *de regulis iuris regula* 4 similiter potest excommunicatus in re dubia consuli, subsidium ab eo temporale aut spiritale exigi, quando qui tribuat, alius non est super, aut certe non tam commode. Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 16. simili ratione non excommunicato permittitur *in cap. responso de sentent.* coram non tolerato in Ecclesia verba facere, eidem quæ saluti eius conueniunt spirituali, consulere, quóque facilius in eius se animum insinuet, ea adhibere licet omnia, quæ humanitatẽ olent, ac sapiunt: Nauar. *cap.* 27. *num.* 26. vice versa concessum est fidelibus, ab excommunicato non tolerato *petere spirituale consilium pro se, aut pro aliis, & etiam temporale valde necessarium, quando non occurrit alius similis à quo petatur,* Nauar. *num.* 25. Auila 2. *par. disp.* 10. *cap.* 6. *dub.* 2. *Item licitum est exhibere ei aliqua signa exteriora beneuolẽtiæ vt eum salutare, detegere caput, & si mittat ei consilium in scriptis potest in principio epistolæ ponere solitam salutationem,* Auila *supra dub.* 2. Angelus *verbo excommunicatio* 8. *num.* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 4. dicti huius vnica est ratio nempe quod concesso fine, etiam media ad illum sint permissa, ex quo argumento sequitur, eatenus tantum signa huius beneuolentiæ licita esse, quatenus sperantur excõmunicato profutura, ea adhibere cum profectus spes est nulla, est excommunicationi minori, quæ tali communicatione incurritur, subesse velle, Sylu. *verbo exco.* 5. *n.* 4.

Ab excommunicato tamen non tolerato, repetere debitum, aut subsidium corporale, non est fideli illicitum: Nauar. *cap.* 27. *num.* 27. Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *parte* 2 *cap.* 2. *nu.* 16. temporalis enim vtilitas pro obiecto temporale habet commodum, quo de genere sunt debitum, ac stipendia, &c. hæc ergo à denuntiato excommunicato petere non est illicitum, nec vice versa huic, à debitore. Quanquã tempora se offerunt, præque cæteris vnum, in quo hic non necessario tenetur petenti satisfacere, nempe, si est eius debitum ex liberali promissione, quanquam iurata ortum: est hæc enim facta cum hac hypothesi tacita, si res in eodem statu perseuerent, nisi valde immutentur, quod

A hic tamen accidit vt apparet, cùm creditor ex non excommunicato factus sit præcisus Lessius *de causis excusantibus à restitutione dub.* 19. *num.* 8. quod non placet Stephano de Auila, eo quod ex promissione libera, & voluntaria; debita non minus sint debita, etsi obligatione non tam stricta, quam quæ ex contractu emptionis aut mutui sunt orta, vt patet, cum pacta conuenta præstari oporteat sub culpa *de pactis cap.* 1. non alia tamen quam veniali, eo quod fidelitas, ad quam ea implere pertinet, strictius non obliget.

B Secundo, à lege Ecclesiæ prohibentis communicationem excommunicati denuntiati & publici, seu notorii percussoris Clerici: *lex* excusat coniugii, à qua lege habent maritus, & vxor, vt vna versari, & debitum sibi coniugale mutuo reddere possint, etsi eorum alter sit excommunicatus *11. q. 3. canone quoniam* 53. Nauar. *cap.* 27. *num.* 27. à quo tamen eis abstinendum foret, si excommunicati essent ob contractum matrimonium, puta quia est initum cum impedimento ab eorum altero cognito Sylu. *verbo excomm.* 5. *num.* 4.

C Nec est modo debiti petitio ab vxore, excommunicato permissa, sed quælibet etiam communicatio alia, in gubernatione familiæ, ac domus, quare inuicem colloqui, mensa eadem vti queunt, &c. Caiet. *verbo excommunicatio cap.* 81 *parag. illicita.*

Dicti huius est hæc causa, quod excommunicato repetere à suo debitore debitum pecuniariũ liceat, ergo & coniugale: Quod autem communicare inter se, quantum familiare obsequiũ & auxiliũ exigit, impune possint, dixit Innoc. III. *in c. inter alia* 31. *de* D *sent. excom.* clarissime autẽ Greg. VII. *in can. quoniã* 103. *causæ* 11. *q.* 3. cũ enim serui & fœminæ, ab obsequio quod exhibere ante incursã censurã tenebantur, fœmina quidẽ viro, serui hero, non sint per excomm. exempti secundum Innoc. in canone proxime citato, *ad familiare obligãntur obsequium, & iis per consequens ad communionem, sine qua illud nequeunt exhibere cap. inter alia citato,* ad quod obsequiũ diuina cũ non pertineant, nulla in eo rerum genere, esse communicatio potest E cum excommunicato, quia hoc esset cum præciso communicare in re ad salutem eius non necessaria, quod est prohibitum, *sicuti in his pro quibus eædem personæ sunt excommunicatione notatæ, vt in criminibus, in quibus communicare non debent, sed ab eis penitus abstinere de sentent. excommunic. cap. inter cetera.*

Ab hac lege excipiendi sunt casus sequentes. Primus est, cũ domi præter maritum est alius, eodem excommunicationis vinculo irretitus, nam tunc non modo fœminæ, le-

gelt

ge est Ecclesiastica prohibitum eo vti, sed & marito domi suæ illum retinere, contra ius commune Ecclesiæ, quare ab vtroque si officio, suæque conscientiæ vult fœmina consultum esse, diuertere debet aliò, nec cum marito suo, ac altero, qui denunciatus supponitur, communicare in re politica, ciuili ac diuina.

Casus alter, in quo fœminæ cum marito, nihil esse commune potest, est cum periculum assentiendi culpæ mariti imminet, aut participandi in ea, nam etsi fœminæ cum viro, cæteris autem qui certis hominibus arctiori obnoxietate astricti hærent, cum iis congredi, ac in communi victu versari liceat, in his tamen pro quibus sunt excommunicatione notati, vt in criminibus, communicare non debent, sed ab iis abstinere: secundum Innoc. III. *in cap.31. de sentent. excomm.*

Tertius casus est, cum excommunicatio lata est propter defectum in matrimonio, petitum ex impedimento naturali, aut Ecclesiastico, ratione cuius validum esse nequit, Henriq. *lib. 13. cap. 22. §. 2.*

Nam cum tunc, vir & vxor simul cohabitare sine animæ periculo nequeant, inflicta est hæc pœna, vt separentur ab inuicem, donec finem lis intentata habeat, ergo ei non parere peccatum est, tam contra obedientiam, quàm charitatem, quæ læditur per scandalum, quod est tali cohabitationi coniunctum, porro nomine *mariti & vxoris* non includuntur *sponsus & sponsa* quia reuera non sunt coniuges, nec tenentur cohabitare, sed domo cubiculoque ab inuicem seiuncti viuere, cum vt est in Trid. *sess. 24 cap. 1. ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam*, in eadē domo cohabitare non debeant.

Humilitatis nomine ea intelligenda sunt obsequia, quæ à seruis, ancillis, ergastulariis, mancipiis, rusticis, & colonis suis sunt debita dominis, patri autem à filio Nauar. *cap. 27. num. 27.* quæ tam his præstare sine culpa est permissum, quā illis ista exigere, decreto Gregor. VII. *in can. quoniam multos* 103. *causæ* 11. *q.* 3. in quo est his verbis: *Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet vxores, liberos, seruos, ancillas, seu mancipia, nec-non rusticos seruientes, & omnes alios qui non adeo curiales sunt, vt eorum consilio scelera perpetrentur, & eos qui ignoranter excommunicatis communicant.* quare *si paterfamilias domus, excommunicationis sententiæ fuerit innodatus, à participatione illius familia excusatur* Innocent. III. in decretali *si verè 34. de sentent. excomm.* similiter & qui debitum repetunt tam pecuniarium, quam humanitatis, officii, aut charitatis, quia si ali-

A ter fieret, viderentur creditores damnum ex liberalitate, excommunicati autem præmium ex cōtumacia reportare, cum ad hoc debitum exoluendum, ipsi illis maneant obligati, & ab excommunicatis exigi posse, & recipi, quod debetur *cap. 34. citato.*

Filiorum autem nomine, comprehendi promiscue omnes, qui hoc nomine censentur in iure. communis est Doctorum opinio, tales sunt legitimi, spurii, adoptiui, nepotes, priuigni, & emancipati, nam cum manumissione (nos emancipationem dicimus) filius non desinat esse obligatus parentibus, ad
B obsequia illis præstanda debita hoc nomine comprehendi omnes, qui possunt esse filii, vt asseram, ipsa quæ semper per sese multum valuit, ratio conuincit.

Placet tamen aduertere, primo filiorum nomine spirituales non intelligi, nempe qui occasione Baptismi, aut Confirmationis sunt tales, respectu eorum, qui hæc ipsis Sacramenta tribuerunt, aut eos in illis susceperunt, Vgolinus *cap. 23. parag. 7. num. 11.*

C Secundo notare lubet, rusticos hic dici non quoslibet, sed proprios ipsius excommunicati colonos, vinitores, agricolas videlicet, qui ei in villis excolendis, opereque rustico procurando, ante excommunicationem operam dabant, nam ea iam promulgata, illi se dedere, aut in eius domo, aut suburbano prædio, negotia eius procurare, nefas.

Tertio, iuuat & hoc addere, in hunc numerum includi tam aulicos, qui sunt de familia Principis excōmunicati, quàm Clericos, Episcopi denuntiati domesticos, & re-
D ligiosos, respectu sui superioris, causa est quod hi tam in spiritualibus, quàm temporalibus Superiori suo subsint, Medina *Cod. de restit*, ergo quod Ecclesia tolerat in seruis, nisi contrarium exprimat, non damnat in religiosis respectu sui Superioris.

Quarto notandū est, hoc titulo nō excusari Aulicos, & Clericos, qui ad familiam Episcopi, aut Principis excommunicati non pertinent, nisi eos excuset vtilitas, cuiusmodi esset, si seiunctione sui ab excommunicato Episcopo, vel Principe, facturi essent iactu-
E ram stipendii gratuiti, ac liberalis, quod ob delatam vtrique operam expectabant, amborum beneficentia.

Notandum quinto, concessionem hanc intelligendam esse reciprocè, vt etiam pater cum filiis, dominus cum seruis excommunicatis non toleratis, sine violatione Ecclesiasticæ legis communicare possit: docent, Nauar. *cap. 27. num. 27.* Laym. supra Auila *2. parte cap. 6. disp. 9 dub 6.*

Nec in humanis modo, sed diuinis quo-

que, est hæc communicatio serui cum domino, filii cum patre, & contra, patris cum filio licita, quia in correlatis, quod statuitur de vno, censetur etiam de altero statutum, quando eadem est vtriusque ratio: vt habet Laym. *lib. 1. tract. 5. parte 2. cap. 2. nu. 16.* nam ius seruos excipit, respectu domini ad euitandum animarum periculum, vt est in canone *quoniam multos 11. qu. 3.* quod idem similiter locum habet in domino respectu serui, patre respectu filii, &c.

Necessitatis nomen de qua fit mentio in versu, significat quod omnes qui ratione contractus, sunt obligati alicui personæ excommunicatæ, non impediuntur ab eius censura, quominus possint cum ea agere, in his, quæ ad præstationem dictorum contractuum pertinent, colligitur ex *cap. inter alia 31. de sentent. excommi.* vbi Innoc. III. declarat quod hi qui ante excommunicationem tenebantur obsequi alteri, aut eius familiæ adhærere, occasione contractus alicuius cum eo initi, cum adhuc debitum duret, non esse per excommunicationem suam, aut eorum cum quibus ante contraxerant, à priore obnoxietate solutos sed *ad familiare teneri obsequium, & per consequens, ad communicationem sine qua illud exhiberi non potest.*

Quare creditor qui excommunicatus non est, à debitore excommunicato debitum exigere, & cum eo communicare super hac re potest: ita Pontifex Innoc. *in cap. si verè de sent. excom.*

Ratio est, quod cum excommunicatis non toleratis licita sit communicatio, quoties ea sine magno incommodo vitari nequit, ob quam causam sine culpa ab excommunicatis stipendia petere, & eorum mensæ accumbere, singulos posse communis est sensus, quia vt habet *regula 4. iuris quod non est in lege licitum nec ssitas licitum facit.*

Verùm quid dicendum, inquies, de his qui cum excommunicato non tolerato contrahunt? etiamne iis licet sine culpa, cum eo res negotiaque habere, eaque præstare officia, ad quæ vi contractus se obligant.

Respondendum est posse, quia canone *quoniam multos 303. causæ 11. qu. 3.* absolutè serui & ancillæ, ab anathematis vinculo subtrahuntur, cum debita obsequia dominis suis exhibent, eo quod *non ita sint Curiales,* inquit Gregor. VII. *vt eorum consilio scelera perpetrentur.* causa ergo iusta est nulla, eos eximendi ab hac lege, quæ ad eos duntaxat pertinet, qui mala fide, cum excommunicatis non toleratis contrahunt, cum vbi iura distinctionem nullam adhibent, nec à nobis afferri vlla debeat.

QVÆSTIO V.

An omnis communicatio cum præciso non tolerato extra tempora allata quæstione præcedenti & iure permissa, lethale sit crimen, an veniale tantum.

TRactatur hæc quæstio à Diu. Thoma *in 4. sentent. dist. 8. q. 2. art. 4. ad quæstiunculam 3. & quodl. 11. q. 8. art. 9.* Adriano *in 4. q. de clauibus exceptione 8.* Gabr. *in 4. dist. 18. q. 3. art. 1. & 2.* qui tres, & alii complures aiunt.

Certum esse primo, peccare eum mortaliter, qui in crimine communicat, propter quod Ecclesia excommunicatum sacrosuo ense perculit, seu causa excommunicationis D. Tho. supra.

Secundo certum esse asserunt peccare plusquam venialiter, qui communicat cum eo, quem Romanus Pontifex per censuram, à fidelium Christianorum cœtu submouit, & excommunicatum denunciauit, sic *in cap. significauit de sentent. excommunic.* Clem. III. Denunciat autem Pontifex per se, vel alios.

Primo scripto, quod locis publicis affixum, rem vniuersam singulis edisserat, Papæque mentem.

Secundo declaratione peccati publici, ab Ecclesiaste sacro, de superiori loco, inter Missarum solemnia, aut præcone in compitis colligere id cuique facile ex actis conciliabuli Ephesini contra Cyrillum & Memnonem *to. 2.* Conciliorum vbi Comes Candidianus narrat à se refixú, προτεθὲν χειρόγραμμα τὸ καθαιρετικὸν μεθ᾽ ὀλίγον δὲ καὶ κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀκηκοέναι δημοκήρυκας περιιόντας τὴν καθαίρεσιν τοῦ Νεστορίου ἐκπομπεύοντας, id est, *Post paucos quoque dies audiisse præcones depositionem Nestorij, cum pompa buccinantes.*

Tertio est communicatio cum non tolerato lethalis, cum similiter in illos, qui cum eo rem habent, dicta est excommunicationis sententia, simulque in omnes participantes, Sotus *in 4. distinct. 22. qu. 1. art. 4.* Comitol. *lib. 6. respons. q. 26.* sic Episcopi Orientales asserunt in epistola ad Rufinum Episcopum τοὺς κοινωνοῦντας Νεστορίῳ παντελῶς ἐξωθεῖσθαι τῆς ἐκκλησίας, *communicantes Nestorio ab Ecclesia expelli,* Concil. Ephesinum in actis conciliabuli. Participant autem in crimine criminoso (vt loquuntur) qui excommunicato in eodem crimine fauent ope aut consilio Nauarr. *cap. 27. num. 32.*

Certum quarto, communicare cum excommunicatis, per se culpam esse mortiferam quando cum iis communicatur in diuinis D. Tho. *in 4. dist. 18. q. 2. art. 4.*

Quinto

Quinto, in contemptum Ecclesiæ, ad quos casus adiungendi sunt & ij, ex quibus scandalum nascitur, vt cum communicans exemplo suo cæteris ad contemnendam censurã præit, vel cũ infirmæ plebi conquerendi de superiore, aut eius negligendi ansam tribuit vel illi molestiam, clamoribus suis inobedientiaque parit, cum contra prælati imperium, mandatumque facit, cum perinde cum excommunicato versatur, vt cum cæteris, quos censura non afficit.

Dicunt alii, in communicando cum excommunicato, culpam mortalem suscipi, maximè vero Durandus *in 4. dist. 18. q. 5.* Almainus *in eandem distinct. q. 1. art 3.* cum pertinaciter, & effrenate id fit, secus quando timide, quando verecũde, & cum animi ægritudine, obiter, & in paucis: causa prioris partis est, quod talis communicatio haud dubium Ecclesiæ contemptum habeat.

Posterior autem nititur, hoc communi Theologorum axiomate, quod in præceptis Ecclesiæ, à mortali culpa excuset materia leuitas, qualis est, leuis aliqua, ac moderata collocutio cum excõmunicato, obiter & in paucis.

Victoria *in tract. de excom. q. 10.* duos casus nominat, quibus iure diuino à communione cum excõmun. declinare singulos oportet.

Primus est, cum excommunicatio fidem & mores lædit, fidem quidem, quando communicãs, in suspicionem apud populum veniet, quod Ecclesiæ, eiusque potestati fidem non habeat.

Secundus est, cum excommunicatus communicatione sua cum non excommunicato, opem, ac subsidium, sibi ad delicti sui defensionem comparat, putà, quia hic opibus, potentiaque cum præstet, animos excommunicato dat ad audaciam, & contumaciam, absistendo scilicet mandatis Ecclesiæ, eius abnuendo imperia, aut quæ læso facta est iniuria, verbis ac opere minime deprecando.

Quinto constat actiones quæ excommunicatis sunt prohibitæ, ad tria omnes reduci capita.

Primum est, earum rerum, quæ solis sunt concessæ fidelibus, vt sunt auditio Missæ, Sacramentorum perceptio.

Secundum, eas actiones respicit, quæ Christianorum quidem sunt, sed non omnium, vti beneficia conferre, ad ea nominare aut eligere, munus iudicis Ecclesiastici, vicedomini aut Aduocati facere.

Tertium est earum, quæ nobis cum ethnicis sunt communes, vt contrahere, testari, iudicare in foro externo: suntque ciuiles ac politicæ.

A Dico ergo primò, *Semper esse mortale ex genere suo, communicare cum præciso non tolerato in rebus primi generis, id est diuinis, & sacris.*

Quia talis communicatio grauis est materia, quæque directe, per se primo, excommunicato prohibetur ab Ecclesia, magnam enim habet, ac sacrorum dignitati repugnantem indecentiam, quæ censuræ vim omnem infringit, quod vt Ecclesiæ vera soboles, membraque admittuntur ad Sacramenta, sic excommunicatus qui est eiusdem Ecclesiæ authoritate à suo abscissus sinu, repulsusque vti solent alienigenæ, eisdem Sacramentis perinde ac fideles cæteri, fruatur ac gaudeat, dicitur enim Matth. 18. *Sit tibi sicut Ethnicus.*

B

Casum ab hac assertione vnum excipiunt Auila *2. par. c. 6. & 8. dub. 3. concl. 1.* Ægid. *disp. 14. dub. 14. cap. 146.* nimirũ in quo ea cõmunicatio exigua breuisque foret, vt cum tantillo quis tempore in templo hæret, dũ vnus quispiam Psalmus mediocriter longus legitur, aut quando priuatim cum præciso horas quis aliquoties citra tamen contemptum Ecclesiæ recitat, de quo nos antea.

C Dico secundò, *Peccare item mortaliter ex genere suo, qui in gratiam excommunicati, actiones secundi generis exercet:* Ita Ægidius *nu. 146. & 7.* Comitol. *lib. 6. resp. q. 29.*

Causa est quod actio, quæ notabiliter præcepto repugnat, eiusque fini, sit mortalis, at hæ de quibus hic est quæstio, sunt tales.

Maior est certa cum ex notabili repugnantia operis cum fine præcepti, petatur materiæ grauitas, contra quam facere, omnium consensu est mortale.

D Minor probatur, finis Ecclesiastici præcepti, de vitando excommunicato, est frangere eius contumaciam, fideles continere in officio, & reuerentia aduersus Deum, & Ecclesiam, cum ab ea vident excommunicatum abiici, & arceri à beneficiis vt indignum, at repugnant huic fini actiones secundi generis, nempe electio excommunicati ad beneficia, tam actiua quàm passiua, eorum facta eidem collatio, nam cum iis actionibus, aut potius rebus, ad quas terminantur, augeatur excommunicati supra cæteros potentia, crescat eius cum opibus vis, & authoritas, nihil est rationis, cur non existiment fideles: ita secum actum iri, ac agi vident cum præciso, vnde sequitur in illis authoritatis Ecclesiasticæ censuratumq; neglectus, quo nihil accidere potest Ecclesiæ funestius, Episcopis autem luctuosius.

E

Dico tertiò, *Communicare cum non tolerato in rebus tertij generis, hoc est politicis ac ciuicis quæque nobis cum infidelibus sunt communes, non*

esse communiter nisi veniale.

Quia non sunt hæc nisi quid leue nec proinde cum contemptu coniunctæ clauium, aut Ecclesiæ, Paludan. *in* 4. *dist.*18.*q.* 6 *art.*3. Adrian. *in* 3. *q. de clauibus excep.* 8. thesaurus *in parte* 2. *praxis Ecclesiæ cap.*4.

Quam sententiam Sotus *in* 4. *dist.* 22.*q.*1. *art.*4. assignat cunctis Theologis, quos asserere ait in communione ciuili, inesse tantum leuem culpam, extra tempora ante patefacta, pro qua opinione sunt hæc argumenta.

Primum, quod veri speciem nullam habeat, velle Ecclesiam matrem vtique sapientissimam, æternis aliquem addici flammis, ob colloquia, verbaque aliquot, temere cum excommunicato habita, id enim nec communis boni ratio, nec lex caritatis permittit,

Quid? quod eius pœnæ nulla extent in canone vestigia? quod nonnisi grauia crimina, quæque mortifera, turpique animum macula inquinant, plecti hac pœna sint solita? cuiusmodi vocem esse aliquam consulte non satis prolatam, quis dicet?

Sane cum tam sint homines ad loquendum procliues, non decuit iis ab Ecclesia peccandi causam obiici, non eorum conscientiis laqueum iniici, non ob solita humanitatis inter se officia, hominisque vnius cuiuspiã salutationẽ, multos æternę dãnationis, mortiferęque noxæ periculo obiicere, quod tamen faceret, si communionem cum excommunicato in re temporaria, ac ciuili, fidelibus lethalem esse vellet.

Obiiciunt aduersæ partis defensores ac patroni, quod præcepti cuiuslibet Ecclesiastici violatio, crimen habeat, quo proinde cauere non posse asserunt, qui legem de excommunicato vitando, eiusque congressu, collocutione, & consuetudine, non seruant.

Respondendum, non omnia Ecclesiæ præcepta, eaque præcipue, quæ pœna nocentes afficiunt, obligare ad mortale, sicut nec cuncta diuina, vt est præceptum de vitanda communione excommunicati in humanis, cui qui non paret, peccatum quidem contrahit, sed non lethale ob leuitatem materiæ.

Respondendum secundo, cum Diu. Tho. *in* 4. *sentent. dist.* 18 *q.*2 *art.* 4 *quæstiuncula* 3. *in resp onsi ad* 2. agere contra præceptum eum, qui communicat in diuinis cum excommunicato, præter præceptũ autem, cum aliis in rebus cõmunicat & *quodl.* 12.*q* 8 *ar.* 9. scribit per cõmunionem cum excõmunicato in humanis, non contemni præceptum Ecclesiæ, aut contra illud fieri directe, ac per se, sed tantum indirecte, ac per accidens, in quan- A tum præceptum Ecclesiæ, fideles à communione in diuinis secernit directe, ac per se, à communione hominum per accidens.

Ex dictis sequitur peccatum esse mortale, audire Missam cum non tolerato etiamsi ad id se ingerat: ita Nauar. *cap.* 27. *num* 19. Sotus *en* 4. *dist.*22.*q.*1.*art.* 4. Auila *dub.* 7. *disp.*9. *pa.te* 2.*cap.*6.

Causa est, non quod proprie fidelis & denuntiatus inter se communicent, nam quæ inter eos communicatio esse potest? cum vnus alium non audiat, nec cum eo B loquatur, aut illi ministret, sed quod pietas vtriusque ac religio, tacita sit, patensque professio vnionis, quæ vtrique est in eodem Ecclesiæ corpore, à quo tamen est excommunicatus vti membrum putens, ac fætidum, resectus Ecclesiæ gladio, quæ coniunctionis species, cum præciso fugienda est fideli, ex vi censuræ, Suaris testimonio *tomo* 5. *de censuris disp.* 12. *sect.* 1. *num.* 16. qui addit, eum, & cæteros fideles obligari ad egrediendum illico è templo, ac in il- C lud subire excommunicatum animaduerterint.

Aliorum est opinio orandum esse vt egrediatur, etsi parere nolit, esse eiiciendum, implorato si opus est, seculari brachio, vt loquuntur, citra tamen sanguinis effusionem, aut verberationem; ac si Missa nondum erit inchoata, Sacerdoti redeundum illico esse ad Sacristiam, quia ante oblationem non incipit sacrificium quod si consecrauerit, aiunt cætera absolui debere, vsque ad sacrificij consummationem, qua peracta, iterum mo- D nendum excommunicatum esse, vt discedat, temploque exeat; quod si obstinate in sententia perseuerauerit, in eoque permanere induxerit animum aiunt quę de Missa supersunt vel omittenda, vel priuatim clam excommunicato, dicenda esse in sacristia, quia obligatio eum vitandi, maior est quam complendæ Missæ, adiectione partis non necessarię, iuxta Nauar. *de orat. notabili* 16. quod si contra facere Sacerdos præsumpserit, præter excommunicationem suspensus erit ab Ecclesia, *cap. Episcoporum de priuilegiis in* 6. qua suspensione durante, si intra E Ecclesiam celebrauerit, fiet irregularis, *cap. is qui de sent. excom. in* 6. non alibi ex Nauar. *cap.* 27. *Enchir. num.* 101. Comitolo *lib.* 6. *q.* 6. *num.* 3.

Patet secunda, nec communicare reo excommunicato esse permissum cum fidelibus in foro, citra necessitatem, ad cuius assertionis intelligentiam notandum est, reorum duo esse genera, quidam enim sunt voluntarii, necessarii alii, illi sic dicuntur quod vltro in forum sua sponte, ac non coacti ve-

niant, cum isti alieno imperio, non sua voluntate illud subeant. Iam ergo dico voluntariis forum debere esse clausum, cum non in alienum commodum, sed suum tantum illud frequentent, quia non est Ecclesiæ Concilium illis prodesse, sed prohibitione rerum quæ aliis sunt permissę, eos in bonam frugem reuocare. Dico ergo necessarios in iudiciis versari posse, causa est, quod de malitia reportare commodum non debeant, iuxta Alexand. III. *in cap. intelleximus de iudiciis*, quare eis permittitur se defendere, non tamen per se, sed per alium, vt ante est dictum, & consequenter executiones tam dilatorias contra omnes aduersarios suos subiicere, quibus causas proferant, quas habent eos recusandi, quam peremptorias, vt præscriptionem, solutionem &c. Vt patet ex *ca. cum inter de exceptionibus*, qui autem pro eis agent, sine peccato cum illis communicabunt, modo eis de iniustitia causæ non constet, tunc enim peccarent & excommunicationem minorem incurrerent, vide Henriquez *lib. 13. cap. 7. §. 5.* & Vgolinum *cap. 16.*

An autem tam Ecclesiastica hæc communicatio quam ciuilis, excommunicato sit prohibita cum fidelibus sub mortali, in alia materia quam auditione Missæ, disputant authores.

Caietanus *verbo excommunicatio cap. 81.* Nauar. *cap. 29 nu. 28.* putant venialem tantum esse, quod Ægidio *disp. 14. dubio 14. num. 147.* vniuerse dictum non placet, quia electio & præsentatio ad beneficium, tam actiua, quam passiua, actiones sunt valde honorificæ, quas non est credibile Ecclesiam velle, permissas excommunicatis, quos decuit priuatos esse omnibus functionibus, quas est indecens ab iis fieri, idem esse de iudice tam ciuili, quam Ecclesiastico, docent Lessius *lib. 2. cap. 29. num. 39.* & Henriqu. *lib. 13. cap. 7. nu. 6.* quę cum censura, excommunicatis in foro vtroque, ius dicere non expedit, quod tale munus, & illi honorificum, & aliis quibus datur sit vtile, quod munusciusque exercitium, cum fine Ecclesiæ in infligendis censuris valde pugnat.

Existimat tamen Lessius vbi supra, probabile esse, talem excommunicationem iudicis excommunicati cum fideli in iudicando, non esse nisi venialem, multo magis aduocati, testis, procuratoris, & actoris cum iudice, reo, ministris fori, & aliis. Sane constat eos qui communicant cum excommunicato in politicis, & mere ciuilibus negotiis, vt sunt humana commercia, conuictus quotidiani, in eo non peccare nisi venialiter, quia talis communicatio est res leuis, nec primo & per se repugnans fini cen-

A surarum, qui est communicatio in rebus Ecclesiasticis & spiritualibus, non autem in politicis, nisi indirecte ac secundario.

Quare (quod est corollarium tertium) sequitur, cum est necesse fas, cuique esse ab excommunicato quantumuis denuntiato, in mortis articulo, baptismi Sacramentum petere, & accipere, consilium cum rerum exitus incerti sunt ac dubii, pro sua, alteriusue salute quærere, si nemo præter eum dandi sit capax, quin etiam corpori suo necessaria ab eo quemque recipere, pro victu vestituque, ab eodem emere, aut mendi-

B cato postulare posse, quicquid ratio tempusque exigunt: ita Gregor. VII. vt refertur 11. *q. 3. can. quoniam* 103. his verbis: *Quicunque orator siue peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum deuenerit, vbi non possit emere, vel non habeat vnde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis non in sustentationem superbiæ, sed humanitatis causa, dare aliquid voluerit, non prohibemus.*

Atenim pręstatne mendicare quam ab iis

C emere?

Meum non est sed Vgolini responsum, eam necessitatem quæ eum ad mendicandum adigit, cuius conditio ac dignitas mendicitatem non tolerat, excusare vt impune possit ab excommunicatis emere, quin etiam licet (inquit) non magno quisque labore, transeundo per loca infecta hęresi, necessaria circumferre possit, licite tamen potest non circunferre, ibique emere: In morbo item tam suo quam suorum, denuntiati medici opera, si nō sit alius qui ei sit eruditio-

D ne similis, vti non est in vitio, quemadmodum nec cum fortunæ famaque in discrimen vocantur excōmunicatos adhibere ad cōsilium, ab iis auxilium collabēti rei suæ, deficiētibus aliis petere. Itaque excommunicato peregrè eunti Romā, absolutionis maximè gratia hospitium, sed seorsim, & solitarium dare, molitori frumentum eius molere, pistori panem, coquo cibum parare licitum; Addo amplius posse singulos eum defendere, ne iniuste, & non iuridice capiatur, percutiatur, vel occidatur, eius item bona, quæ

E iniquè non detinet ipsumq; adeò, contra inimicos bello defēdere, similiter & in iudicio. Primum, patet ex *can.* Iulianus 94. *causa 11. q. 3.* alterum ex *cap. intelleximus 7. de iudiciis*, in priori hæc habet ex Ambrosio, Gratian. *Iulianus Imperator quamuis esset Apostata, habuit tamen sub se Christianos milites, quibus cum diceba producite aciem pro defensione reipubl. obediebant ei*, in altero, ad petita Paduani Episcopi sic respondet. Quia *postulasti à nobis, vtrum excommunicatus in iudicio stare possit:*

Respondemus quod conueniri potest, & debet per alium respondere.

QVÆSTIO VI.

Denturne in iure casus aliqui, qui excommunicatione maiore afficiant communicantem cum excommunicato

DAntur, iique si scriptoribus fides, numero tres.

Primus est, inquit, Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. art. 4.* cum communicatur in crimine propter quod Ecclesia in excommunicatum distrinxit anathematis gladium, participatur autem in eo crimine, cum communicans, consilio, ope, gratiaque reum adiuuat, Nau. *cap. 27. nu.* 32. consilio quidem si eum doceat de modo, quo se contra authorem censuræ defendat, Ope, ac gratia, si amicorum potentia, aut sua abutatur ad eum tuendum, contra superiorem, eiusque sententiam. *Nam cum talis communicet crimini, & participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis, videatur in eum delinquere qui damnauit, ab eo, vel eius superiore, merito delicti tunc erit absolutio requirenda, cum facientem & consentientem par pœna constringat*, Innoc. III, *in cap. nuper 29. de sent. excomm.* Ad subeundam tamen hanc censuram debet excommunicatus, cum quo participatur, esse nominatim excommunicatus, ac denuntiatus, Nauar. *cap. 27. num.* 112. quia post extrauag. Constantiensis Cōcilii, denuntiationis scientia est necessaria, secundum Comitol. *lib. 6. q. 29. num. 4.* & Nauar. ibi, qua qui est instructus, & nihilominus cum excommunicato criminis societatem coit, toties excommunicationem contrahit, quoties cum eodem in crimine participat idem ibid.

Secunda conditio, ad hanc censuram subeundam necessaria, est, vt hæc sit iam ob crimen incursa Nauar. *cap. 27. nu.* 112. incurrenda non sufficit idem ibid.

Secundus casus, in quo maior excommunicatio similem inducit ei quæ est reo inflicta; est cum in illum dicta est sentētia, ac sub ea pœna talis participatio est interdicta, & hoc communicanti non est incognitum; nam tunc ob contumaciam, id est inobedientiam, ac superioris id vetantis contemptum, iusta est, eidem causa talis pœnæ irrogandæ homini sic affecto.

Tertius est, quando in diuinis, hoc est Sacramentis excommunicato denuntiato conferendis, iisdem ab illo recipiendis, aut eius sacro audiendo, vel coram eo faciendo, scienter & sponte ei communicatur, dummodo tamen cum Papa à fidelium cœtu remouerit, non alius, Clem. III. *in cap. significauit de sent. excom.*

Censura hæc tamen vt subeatur, quinque sunt in canonistarum sententia, conditiones necessariæ, quas à Clemente III. designatas video *in cap. significauit 18. de sentent. excommunic.*

Primum, vt participantes sint Clerici.

Secundum, vt scienter id agant.

Tertium, vt sponte.

Quartum, vt in diuinis participent.

Quintum, vt cum excōmunicatis à Papa, iuuat hic optimi Pontfic. verba ponere, et quibus de re, vti diximus vniuersa, iudicium fiat. *Clericos* (inquit) *qui scienter & sponte participauerunt excommunicatis à nobis, & ipsos in officiis receperunt, eadem sententia excommunicationis cum ipsis, non dubitamus inuolui, quos etiam pro beneficio absolutionis habendo, ad nos volumus cum literarum tuarum insinuatione remitti.*

QVÆSTIO VII.

A minore excommunicatione absoluere quis possit.

DE hac re opiniones sunt duæ.

Prima D. Tho. *in 4. dist. 18.* Monaldi *in sum. c. de exco. minore §. Item licettā à maiore*, eam à Sacerdote quolibet remitti posse.

Subscribit hanc sententiam, Nauar. *in summa cap. 27. numero* 39. *excommunicatum*, inquit, *minore excommunicatione potest absoluere quilibet Sacerdos, qui potest absoluere à peccatis, quamuis non sit eius Parochus, si non habet nisi venialia.* & *num. 25. eiusdem cap. Quilibet Sacerdos simplex, etsi non sit Parochus, sicut potest absoluere à venialibus, non habentem mortalia, secundum Caiet. id constanter affirmantem, ita potest eundem absoluere à veniali.*

Ratione hac inductus est in eā mentē maximè, Nau quod Presbyteros oēs existimet recipere habitualem iurisdictionem cum ordinibus, sed inefficacem, quæ tamen fit actualis & efficax, per legitimam rei subiectionem, qui quoniam habet tantum venialia, potest quem vult assumere, ex tacita legislatoris sententia. Hæc ille, sed sine fundamento, supponit enim per Ordines, dari Sacerdotibus in habitu iurisdictionem tollendi censuras, sicut & peccata, quod probandum erat.

Equidem cum sit minor excommunicatio, sententia quædam à canone lata, aut iudice, iurisdictionem in eo exigit à quo remittitur, non item venialia. At hac caret Sacerdos simplex

simplex, aut si ea est, ex tacito Ecclesiæ consensu instructus, vt dicunt hi authores, proferatur locus aliquis ex quo id probari possit.

Quare ad eorum opinionem accedo; qui ius relaxandę excommunicationis quam minorem vocant alii cōpetere negant quàm qui mortalia in sacro tribunali conscientiæ potest remittere.

Hi sunt Caiet. *verbo excom. minor sub finem.* Couar, *parag.12.num.6.* Graphius *lib.14.cap.15.num.80.& 81.* Henriq. *lib.13.cap.3.num.2. litera P. & cap. 28.num.5.litera O.* Soto *in 4. sentent.dist.22.q.2.art 3.conclus.1.* Petr. Soto *lectione 4. de excom.* Sylu. *verbo absolutio 1.n.3.* Coninch. *disp.14.dub.17.concl.1.n.264.*

Probatur hæc assertio primò Innoc. III. testimonio *in cap.nuper 29. de sentent. excom.* ibi enim rogatus, an in Presbyteri simplicis potestate foret, excommunicatum soluere, de eo tacuit, Parochum autem, ac Sacerdotem proprium, qualis vulgo existimatur qui in mortalia ius habet, excommunicationem quam sibi non reseruauit conditor canonis, laxare posse respōdit, quod his ergo Innoc. concessit, Sacerdoti simplici negatum voluit.

Secundo, sine iurisdictione fori externi

A esse nequit censuræ absolutio, cum sit datæ sententiæ à canone, aut iudice dissolutio. At nullam habet Sacerdos simplex, cum ab Ecclesia, dari alteri non soleat, quam qui mortalia remittit in Sacramento secundum Henriq. locis proxime citatis, aut cui à iure, aut homine, talis potestas sit commissa, Laym. *lib.1.par.2.cap.4.*

Nec est ratio eadem venialium, quæ censurarum, cum non sint illa, Sacramentalis absolutionis materia necessaria, sicut est excommunicatio, quā minorem dicunt potestatis iuridicæ ac externæ. Quare est eius absolutio, à simplici Sacerdote collata, si nō

B est ad confessiones audiendas admissus ab Ecclesia, omni iure irrita, estque præterea decreto Clement. V. *in Clement. 1. de priuileg.* excommunicatione Papę reseruata innexus, Vgolini iudicio ac sensu *tab.5.cap.4.parag.4.* Sylu. *verbo excom.9.nu.37.* cum qui audiendæ confessionis ius non habet, ideo quod authoritate Præsulum, commeatu ad id munus necessario careat, iurisdictionem sibi duplicem contra ius, fasque arroget, culpæ in primis remittendæ in foro conscientiæ, & postmodum censuræ.



TRACTATVS SEXTVS.

DISPVTATIO SEPTIMA DE EFFECTIBVS EXCOMMVNICATIONIS maioris.

QVÆSTIO PRIMA.

An excommunicatus excommunicatione maiore recipere Sacramenta poßit, & si faciat an peccet.



EXCOMMVNICATI excommunicatione maiore pœnæ sunt multę, præcipuas complexi sunt Patres Concilii apud Palatium Vernis sub Pipino *can.* 9. *Et vt sciatis qualis sit modus excommunicationis in Ecclesiam non debet intrare, nec cum vllo Christiano cibum vel potum sumere, nec eius munera accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se iungere nec salutare antequam ab Episcopo suo fuerit reconciliatus.*

Habet his consentanea propeque similia Calixtus *in epist.* 2. *ad Gallos*, *excommunicatos*, inquit, *à Sacerdotibus tribus, nullus recipiat, ante vtriusque partis examinationem, nec cum eis in oratione, potu, cibo. aut osculo communicet, nec aue eis dicat, quia quicunque in iis vel aliis prohibitis, excommunicatis scienter communicauerit ipse simili excommunicationi subiacebit.* Communicatur autem in diuinis cum excommunicato varie. Primo, cum oblatione, secundo sine ea, vt colligitur ex Concilii Ancyra. *can. septimo*, vbi est his verbis, *Vtrum vero cum oblatione recipiendi sint, an ad solam communionem admitti debeant. Vnusquisque Episcoporum examinet & can.* 9.

Per aliud sexennium pœnitentiæ recipiant locum, alio vero anno id est decimò communionem sine oblatione recipiant, est autem communicare sine oblatione, idem ac communicare in oratione, à precibus non excludi, communicare cum oblatione seu vt loquitur canon prædicti Concilii nonus *perfectione frui* seu *ad perfectionis gratiam peruenire*, vt est *in* 6. canone reconciliari Sacramentis, participem corporis & sanguinis Christi fieri, quod auctore Baron. ad ann. Christi 314. Sylu. primum, *perfectionis gratia dicebatur: sine plena communio, eo quod pœnitens nihil minus tum à reliquis haberet Christianis.*

Erant olim & alii inter fideles communicandi modi diuersi duo, scilicet per fermentum & formatas, fuere formatæ, Epistolæ Canonicæ, notatæ Græcis elementis π.υ.α. quæ octogenarium & quadringentesimum primum numerum significant, Petri quoque Apostoli prima littera addebatur id est π. Deinde eius qui scribebat Epistolam litera I. eius cui scribitur secunda, accipientis tertia, ciuitatis quoque de qua scribebatur quarta, & indictionis (quæcunque ea tandem erat) postremo nonagenarius & nonus numerus cum particula ἀμήν.

Non fuit tamen harum vocum vis eadem ac necessitas in formatis, nam quatuor primæ nunquam erant mutandæ nempe π.υ.α. π. id est Pater, Filius, Spiritus sanctus, & quod adiiciebatur in fine ἀμήν: reliquæ quibus indicabantur nomina scribentis offerentis, recipientis, temporis quo scripta & loci ex quo data formata erat, mutabantur pro occasione diuersa personarum, locorum & temporum,

Fuit

Fuit fermentum idem quod oblatio, à populo offerri, vel à Presbytero subministrari, de proprio, ab eodemque benedici, atque in singulos diuidi solita, de qua est canon Pii Papæ I. inscriptus his verbis in tomo primo Conciliorum. *Vt de oblationibus quę offeruntur à populo, & consecrationibus quæ supersunt, vel de panibus quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis, Presbyter conuenienter partes incisas habeat in vase nitido, & conuenienti, vt post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, omni die Dominico, & in diebus Festis Eulogias accipiant, quas cum benedictione prius faciat*, has porro fermenti nomine appellari consueſſe, demonstrant hæc verba in Melchiade, hic fecit vt oblationes consecratæ per Ecclesias, ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum, quamobrem, vero id fieret, indicat hæc Innoc. I. oratio *in epist. 1. ad Decentium cap. 5. quia Ecclesiarum Presbyteri propter plebem sibi creditam, nobiscum conuenire non possunt, idcirco fermentum à nobis confectum per Acolytum accipiunt, vt se à vestra communione illa die non iudicent separatos*, significabant ergo fideles hoc symbolo communicationis accepto, se fide & charitate cum Episcopo qui miserat, coniunctos esse, prohibiti fuere propterea in Concil. Laod, *can.* 32. ne ab hæreticis eulogias acciperent, *quia sunt maledictiones potius quam benedictiones*, excommunicato certe dare Sanctus Albinus noluit, vt est in eius actis, apud Surium die prima Martii, quemadmodum nec formatas antiqui Patres, vlli cuius fides, ac religio anceps illis foret, ac dubia, nam qui dabat, eum qui ferebat, de fide recte sentire, sicque vt Catholicum, inter Catholicos, Catholica communicatione oportere recipi, indicabat.

In temporalibus esse quoque potest communicatio cum excommunicato, eaque quadruplex, in re iudiciaria, contractibus, vltimis voluntatibus, & quotidiano congressu de quibus sigillatim nobis agere necesse, facto tamen prius à Sacramentis initio.

Prima assertio, *Excommunicati excommunicatione maiori, de qua tantum hic loquimur, denuntiati, aut notorii percussoris Clerici, prima pœna est prohibitum esse à Sacramentorum perceptione passiua.*

Habetur *in decret. illud Dominus 5. de Clerico excom. ministrante cap. cum illorum 32. de sent. excomm.* vbi Innocent. III. excommunicatos à susceptis ordinibus in perpetuum deponendos ait, eos, ergo suscipere nequeunt, nec pro inde Sacramentū aliud, vt est *in can. 13. Concil. Valentini sub Lothario an.* 855. & colligitur *ex ca. si quem 59. de sent. excom.* ibi enim habetur excommunicatum à communione

A fidelium priuatum esse, ergo & potestate conferendi Sacramenta, ac recipiendi, cum in eo maxime communicetur cum fidelibus.

Conciliis & decretis Pontificum fauet ipsa ratio, quæ est duplex.

Prima quod peruicacem, ac statutis Ecclesiæ reluctantem, non deceat ad earum rerum possessionem admitti, quæ piæ sunt, beneque erga matrem animatæ soboli, eique per omnia morigeræ debitæ, qua laude excommunicatum non præstare, longe

B est certissimum: ergo nec Sacramentis dignandum fidelium,

Secunda, est Sacramentorum passiua priuatio, pœna excommunicationis minoris, vt est *in decretali Gregor. IX. si celebrat. vltima de Clerico excommunicato ministrante, & in cap. si quem 59. de sentent. excomm.* ergo & maioris, cum hæc illa longe sit grauior], quare qui ordines cum excommunicatione recipit, fit irregularis, Sacramentum tamen ei collatum est validum.

Secunda assertio, *Qui excommunicationi maiore irretitus, antequam sit ab ea absolutus,*

C *Sacramenta administrat, aut recipit, peccat mortaliter*, Nauar. *cap. 27. num.* 18. Sairus *lib. 2. thesauri cap. 1. n. 2.*

Primo, quia Ecclesiæ non obedit, secundum Caiet. *verbo absolutionis impedimentum*, Nauar. *in can. fratres de pœnit. dist. 5. num. 38.* Auila 2. *parte disp. 12. dub. 2.* quæ excommunicatos pœnis additis, Sacramētorum vsu prohibet, & communicatione cum fidelibus in re sacra, ac diuinis officiis, quæ solemniter celebrare, aut eorum se celebrationi ingerere vetatur in *cap. illud Dominus 5. de Cle-*

D *rico excommunicato ministrante*, quo cum nihil sit grauius, quandoquidem ea actione Sacramenta indirectè tractantur, quin eius author vere mortaliter peccet, eam exercendo non potest ambigi.

Secundo animum ad Sacramenta appellere cum culpæ lethalis conscientia, est lethale, at est omnis excommunicatio maior, culpæ lethalis admissæ iusta pœna, cum ob venialem infligi non debeat 11. *q. 3. can. nemo Episcoporum*, quæ culpa habitu tandiu rema-

E net, quandiu excommunicatio, quæ eius est causa, non tollitur, & licet per pœnitentiam internam, culpæ macula deleta esset, remanet tamen in plebe scandali iusta causa cum præcisum administrandis Sacramentis operam dare videt, aut recipiendis contra Ecclesiæ præceptum, quare cum culpa nunquam vacet, qui plebi causa est scandali, nec ab ea liber excommunicatus est futurus, qui Sacramenta recipiet, aut conferet censuræ impeditus nexibus.

Excipiendus est casus, grauis necessitatis cuiusmodi esset, si periculum mortis immineret, si infamiæ, mutilationis, aut iacturæ bonorum, nisi excommunicatus ea reciperet, aut conferret, quia Ecclesia cum tanta seueritate non obligat, vt leges suas seruari velit, cum vitæ aut honoris sui discrimine.

Tertia assertio, *Tale peccatum ad speciem sacrilegij pertinet*, quia moralis Sacramenti profanatio, sacrilega est at Sacramento participare cum mortali, quale est excommunicati, Sacramenta frequentantis cum censura, est illud ipsum moraliter profanare, tollit enim reuerentiam quæ est illi debita in quo rationem sacrilegii constituit, Diu. Th. *2.2.q.99.art.1.*

Sunt tamen duo quæ ab hoc peccato excusant. Primum, est ignorantia inuincibilis tam iuris quam facti, facti quidem, vt quod reus sit excommunicatus, iuris autem quod ei cum censura ad Sacramenta accedere non liceat, Suar. *tomo 5. disp. 10. sectione 10. num. 4.* Palud. *in 4. dist. 14. q. 4.* quia peccatum nullum est nisi voluntarium, at ignorantia maxime inuincibilis & probabilis, notitiam adimit, sine qua esse actio voluntaria nequit, ergo nec vitiosa.

Secundum est grauis necessitas, qualis est eius, cui mors intentatur aut infamia, nisi celebret, aut communicet, nam hic ad euitandum mortis periculum, infamiam, scandalum, aut aliquod tale malum, Sacramentum impune potest ac sine scelere recipere, quia lex de euitando eiusmodi periculo, cum sit naturalis, præualet Ecclesiasticæ, quare cum horum alterutrum accidit, non modo excommunicatus non peccat, administratione Sacramentorum passiua, sed & eorum gratiam recipit, quod Reginaldus erudite adnotauit *tomo 2. lib. 32. cap. 1. num. 2.* nam ei non apponit obicem, vt pote de admissis dolens ex animo, Deique causa, vt supponimus, retinensque cum eo dolore, habilitatem ad Sacramenta, non obstante excommunicatione, cum hic eius effectus, voluntate Ecclesiæ, in postremo euentu, scilicet scandali, & mortis quæ timetur, cesset, in priori autem re ipsa, ac naturæ iure.

Confirmatur Sacramenta non ponentibus obicem, conferunt gratiam, certò ac infallibiliter, cum sint agentia naturalia, quæ necessariò agunt cum sunt, quem effectum impedire non potest Ecclesia, cum ex institutione Christi sequatur.

Quarta assertio, *Spectat hæc pœna non tantum ad excommunicatos denuntiatos, & manifestos Clerici percussores, sed etiam ad occultos.*

Causa est, prima quod Ecclesia per *Extrauagantem ad euitanda*, patrocinari excommu-

A nicatis nolit, faueret autem si qui iure antiquo remouebatur à Sacramentis, ad ea admitteretur per ius nouum istius extrauagantis.

Secundo, quia sic censuræ Ecclesiasticæ futuræ sunt in maiori reuerentia, si illico, ac id est admissum, cuius causa incurruntur, & vbique, vim suam expromant in quoslibet nocentes, non expectata eius denuntiatione, aut denuntiatoria criminis sententia.

B

QVÆSTIO II.

An Sacramenta ab excommunicato recepta sint valida.

SErmo mihi hic nullus de iure, *verum ea scilicet exigere excommunicatus possit*, extra necessitatem licite, nam de eo postea, in præsenti tantũ agitur an recepta valeant.

Et certum est, cum peccare mortaliter, qui insoluto vinculo excommunicationis, quo tenetur, Sacramentum aliquod recipit.

C Causa est, quod vsurpatio rei sacræ in mortali, ob indecentiam, maximamque, quæ in eam admittitur irreuerentiam, lethifera sit & mortalis, ob eam causam *non pœnitentibus chrisma infundi non potest, quia genus est Sacramenti, reliquaque iis Sacramenta negantur, similiter*, Innoc. ad Decentium *epist. 1. cap. vlt.* & refertur, *in can. illud 2. dist. 95.* at Sacramenta sunt res quædam sacræ, & excommunicato interdictæ sub mortali, *cap. cum illorum 32. de sentent. excomm* vbi in pœnam
D violatæ legis canonicæ, *qui scienter in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ, cum excommunicatione ordinari se fecerint, ab executione suscepti ordinis & officii, iubentur manere suspensi.*

Sanè est sacrilegium authore Diu. Thom. *2.2.q.99.art.3.* rei cœlestis ac sacræ violatio, quæ non potest, non esse Deo grauis, & ingrata, vt pote eius offensæ, tacitoque coniuncta contemptui, ob quam causam, cum diuinæ assidere mensæ mens est homini iniecta cœlitus, iubetur 1. *ad Corinth.* 11. se probare, & sic edere de pane vitæ, ne exitium inde sibi miser accersat, vnde ei certo
E sacris cumulata bonis vita expectanda erat. At qui animo, fœdis suis corrupto actibus, pascit se Sacramentis, reficique patitur, ea fœde non sine auctoris iniuria, hominum non male de pietate sentientium iudicio, commaculat, ergo & se quoque sacrilegii turpi nota infamat. *Is enim qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum grauiter peccat, si se ingerat irreuerenter ad Sacramentum, de celebrat. Missarum cap. de homine 7.*

An autẽ similiter operã ludat, ac Sacram

tum

inane recipiat, nullarumque virium iam est videndum.

Pro affirmante faciunt hæc argumenta.

Primum, quod excommunicatio hominem Sacramentorum vsu priuet, tam actiuo, quam passiuo vt est *in cap. si celebrat. de Clerico excommunicato ministrante*, ei ergo collata, non sunt valida.

Secundum data ab excommunicato peccatorum absolutio, momentum non habet, eo quod dicta sine iurisdictione sententia viribus careat, quæ tamen omni est excommunicato lege Ecclesiæ adempta *in cap. ad probandum de re iudiciis, & cap. Veritatis de dolo & contumacia*, sed à censura non minus Sacramenti receptio impeditur, quam eius collatio, ergo vt excommunicatus absoluere validè, ita nec pœnitentiæ sacramentum recipere fructuose potest.

Sunt huius opinionis defensores ac patroni, Palud. *in 4. dist.17.q. 6. conclus.2.* Armilla *Verbo absolutio num.* 5. Sylu. *Verbo Confessor. 3. q.8.* postremi sunt hæc verba. ***Siue quis sit excommunicatus iustè, siue iniustè, dum tamen excommunicatio teneat, siue stet per eum, quod non est ab excommunicatione absolutus, siue non, absolui non potest à Sacerdote, vel ab homine à peccatis, excommunicatione manente, etiamsi esset minor.***

Opposita sententia Angelo placuit *Verbo Confessio* 5. *parag.*10. quam confirmat Ludouic. de Beia *parte responsion. 3. casu* 4. cui & ipse assentior, rem declarant assertiones sequentes.

Prima assertio, *Sacramenta Confirmationis, Eucharistiæ, Ordinis, Vnctionis extremæ, & Matrimonij, à præciso, hoc est excõmunicato & denuntiato; aut Clerici percussore notorio capiuntur valide.* Ita Couar. *in can. alma mater par.*1. *§. 6. num 6.* Nauar. *cap. 27. num. 67.* Suarez *disp.*10. *de censuris sect.*3. de Graphiis *decis. lib. 1. cap.*18.

Primo, vt hæc Sacramenta rata sint ac valida, hoc vnum duntaxat exigitur, vt debitæ materiæ applicetur forma, cum intentione in ministro, & recipiente necessaria, at hæc in Sacramentis excommunicato collatis reperiri possunt omnia, sunt hæc ergo rata.

Quid si à sciente recipiantur sponte, malaque fide?

Etsi illicite, recipiuntur tamen valide, quia cum Sacramentorum natura, virtusque, à Christi institutione dependeat, impediri iure Ecclesiæ non potest.

Deinde, cum excommunicatio hominem Sacramentorum incapacem, & gratiæ non efficiat, non erunt hæc in illo nulla, nisi quia ita placet Ecclesiæ hoc vetanti, qua de vo-

A luntate constet per canonem; At nec talis est vllus, & si esset, inanis foret, nullarumq; virium, cum Sacramenta à Deo pendeant, ab Ecclesia non item: quam constat matrimonium directe, & immediate prohibere non posse, sed mediate tantum, faciendo scilicet, vt ambo coniuges, contrahendi cum impedimento, sine Parocho nempe & testibus, non sint capaces, quod potest, cum ad eam vt pote Rempublicam perfectam spectet, formam, modumque statuere, quem in contrahendo à suis vult seruari, ne eorum pacta, commentaque sint cassa & ir-

B rita.

Probatur tertio, inductione facta per Sacramenta omnia, vere enim excommunicatus consecrat, vt habent canones sequentes, *canon intra, septuagesimus septimus causæ 1. q.*1. quamuis celebrans sit irregularis vt dicitur *cap. 1. de sent. excommunicationis in 6. intra Catholicam enim Ecclesiam, in mysterio corporis & sanguinis Domini, nihil à malo minus perficitur Sacerdote, quia non in merito con-*

C *secrantis, sed in Verbo perficitur Creatoris, & Virtute Spiritus sancti, 1. qu. 1. can.* 77. ergo cum celebrans Sacramentum recipiat quod confecit, excommunicatum pane cœlesti refici non est ambiguum. Baptizat item excommunicatus ad fructum efficaciter & valide: *can. nunc autem can. cum autem* 46. *can. tunc Valere* 42. *de consecrat. dist.*4. *can. si inter* 25. *can. Baptismus* 26. *& sequenti eiusdem distinct.*

Sacramentum quoque Ordinis, ratum esse ab eo receptum, ex eo conficitur, quod Ordinato imprimatur character, cuius tamen

D vsus impeditur, *can. præter parag. Verum distinct. 32. cap. 1. Versiculo irritus &, cap. 2. de schismaticis cap. cum illorum de sententia excommunicationis cap. 1. de eo qui furtiue Sacramentum recipit.*

Matrimonium item est validum ab excommunicato contractum *cap. significasti de eo qui duxit in matrimonium quam polluit*, nec est qui Sacramentum Confirmationis iteratò ei conferendum existimet, qui excommunicatus cum esset, sacro est perunctus chrismate ab Episcopo *cap. 1. de eo qui furtiue ordin. suscepit*, nec data infirmo Extrema vnctio

E reiteratur in eodem morbo vt tradunt DD. *in* 4. *distinct.* 23. Vera est ergo Assertio, *Credendum est enim quod in Verbis Christi Sacramenta conficiantur, cuius prius creantur imperio, eius vtique Verbo recreantur ad melius 1. q. 1. can.* 77.

Confirmatur, vt Ordo Confirmatioque valeant, satis est per ea Sacramenta characterem imprimi, accidit id verò, tam quando sunt ab excommunicato collata, quam recepta, pendet enim hic effectus, à valore

Sacramenti, eiusque substantia, nullo modo à dispositione recipientis aut conferentis.

Secunda assertio, *Certum item, pœnitentiæ Sacramentum impertitum excommunicato ratũ esse, ab eo bona fide, vel in necessitate susceptũ, aut cum probabili censuræ ignorantia, qua ligatur.*

Nobis patrocinantur hi authores Richardus *in 4. dist.* 18. *art.* 10. *q.* 4. Angelus *Confessio 5. parag.* 20. *& confessio 1. parag.* 20. Caiet. *in summa verbo absolutionis impedimentum* Nauar. *Enchirid. cap. 9. num.* 4. Ægid. *disp.* 14. *dub.* 5. Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 1. Anglez *in 4. sentent. Vbi de excommunicatione art.* 13. *difficultate* 1. *conclusione* 1. Couar. *in can. alma mater parte* 1. *parag.* 6.

primo, quia confertur à ministro legitimo, cum intentione absoluendi, ac debita forma, applicata suæ materiæ, & ei confertur, qui cum sit attritus, & in bona fide, non ponit obicem gratiæ, valet ergo ad fructum, gratiæque effectum, quem excommunicatio non impedit, vt patet in eo, qui conteritur, antequam à sua censura absoluatur.

Secundo, si Sacramentum pœnitentiæ datum excommunicato est nullum, id sane fit ideo, quod Ecclesia præcisum reddat incapacem, tam huius, quàm aliorum Sacramentorum, vel quia aufert iurisdictionem à Sacerdotibus in illum, non primum, quia Ecclesia non potest immediate reddere aliquem incapacem Baptismi, aut Ordinis, ergo nec Pœnitentiæ, cum Sacramentorum omnium eadem sit ratio.

Secundo, quia si se excommunicatus subiiceret Episcopo, aut Papæ, quibus est sua excommunicatio reseruata, eamque cum aliis confiteretur, hi autem ex ignorantia iuris, vel facti, de illa eum directe non absoluerent: non desineret tamen esse verè absolutus, à peccatis quidem directè, à censura autem indirectè, ergo per censuram non redditur homo ad Sacramenta inhabilis, alioqui data ei absolutio in hoc casu, irrita esset, ac nulla, quod est falsum, Ægidius *disp.* 14. *dub.* 5. *n.* 28.

Nec secundum, quia si à Confessario tolleretur hæc potestas, excommunicatum absoluere non posset, ne quidem in casu ignorantiæ inuincibilis, cum qua penitus ad eum accederet, quod est falsum.

Probatur, ignorantia non dat iurisdictionem alteri, sed eum tantum à peccato excusat. Ita autem esse ostenditur, qui per ignorantiam confitetur alteri peccatum reseruatum, de quo iste, non potest absoluere, ab eo vere non remittitur, sed tenetur pœnitens, illud postea subiicere habenti potestatem, ad quod tamen nulla esset obligatio, si ignorantia iurisdictionem daret, vera est erA go consequentia.

Quid? quod per excommunicationem homo non priuetur iurisdictione passiuà, id est ea quam in ipsum alii habent, semper enim est subditus, sed tãtum priuatur actiua, quam exercere poterat in alios.

His argumentis suffragatur, & hæc ratio, cuius Caiet auctor, quod nullo in canone sit cautum, absolutionem Sacramentalem esse nullam, deinde quod nulla efficax ratio persuadeat, Sacramenta cætera vera esse, ac B rata, cum excommunicato sunt collata, cassum autem esse solius pœnitentiæ, bona fide, aut cum ignorantia suæ censuræ receptum.

Deinde (quæ est Nauar. argumentatio *cap. Enchirid, 9. num. 4) excommunicatio non inducit defectum substantialem absolutionis à peccatis, quamuis excommunicatus qui dat & accipit eam scienter, sacrilegium committat, & maxime prædicta excommunicatio valet, quando excommunicatus nesciebat, vel non aduertebat se esse excommunicatum.* Hæc ille.

Secus quam nos vt dixi sentit Palud. *in 4.* C *distinct.* 17. *q.* 6. *art.* 3. *dist.* 22. addi debent Sotus *in 4. q. 1. art.* 1. Sylu. *in verbo Confessio 1. parag.* 5. Tabiena *in verbo Confessio q. 1. num.* 16. volunt enim hi omnes, Sacramentum pœnitentiæ ei inane esse, qui tenetur maiore excommunicatione, sed nostra sententia est tenenda.

Dixi in assertione bona fide, *vt ostenderem* ab hac assertione excipiendum casum esse, in quo pœnitens, cum conscientia excommunicationis quam incurrit, aut eius ignorantia culpabili, peccata sua Sacerdoti D exponeret, puta, quia non scit, quod eum tamen latere non debebat, excommunicatum se esse, aut cum excommunicatione absolui non posse, tunc enim quia gratiæ ponit obicem, nec Sacramentum recipit, nec eius fructum, non Sacramentum, quia esse istud nequit, cum destituitur parte aliqua, quæ ad essentiam suam sit necessaria. At hoc in casu præsenti accidit, nam confessioni vis est nulla, nisi sit integra, at qui sui vinculi, est conscius, supponitur illud non confiteri, nec excommunicationem qua vinctus hæret, & E ita Sacramentum non fieri integrum, aut si exponit, ei exponere cui extra necessitaté, remittere illam non est licitum, quod quia fit contra præceptum Ecclesiæ, declaratum *in cap. si quem 59. de sententia excomm.* non vacat scelere, enimuerò ibi scribitur, excommunicationem maiorem separare à communione fidelium, quæ oratio si est vera, dicta est causa, ab solutio à censura extra necessitatem, datur cum culpa.

Est & aliunde excommunicati confessio tunc nulla, eo quod illam hic obit, sine proposito

posito nam qui Sacramentum cum excommunicatione cognita recipit, voluntatem contaminandi Sacramenti virtualem habet ac tacitam, absolutionem ab eo exigendo qui illam dare nequit, quod non licet, & ita ponit obicem gratiæ.

Quid? quod in censuræ ignorantia vincibili, implicite est volita culpa, quæ admittitur ab eo, qui confitetur in mortali contra præceptum Ecclesiæ, de non communicando in diuinis cum aliis, quandiu durat eius excommunicatio, & præterea de non petenda absolutione sui vinculi ab eo, qui illam nequit tribuere, nam explicite voluntaria, & implicite eiusdem sunt malitiæ, vt colligitur, *ex cap. si culpa de iniuriis*. At Confessio instituta, cum conscientia mortalis culpæ, mortalis est, ergo & ea quę fit ab excommunicato sciente vere suum impedimentum, aut si illud ignorat, non nisi vitiose ac cum culpa,

Quanquam verum est, defectum hunc non oriri præcise ab excommunicatione, sed à defectu dispositionis in suscipiente, de Graphiis *lib. decis.* 1. *cap.* 18. *num.* 5. *&* 6. quare quod scripsere Paludanus *in* 4. *dist.* 7. *q.* 6. *art.* 3. Diu. Antoninus *in* 3. *parte tit.* 14. *cap.* 19. §. 4. *casu quinto de iteranda confessione*. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1. Sacramentum pœnitentiæ ei esse inutile, qui est irretitus excommunicatione, de qua certi tamen nihil habet, aut si est ei aliqua eius rei iniecta cogitatio, eiusmodi tamen, quæ homini non suadeat, Sacramentum cum ea susceptum, nullum esse, est hoc (inquam) falsum vt docte probat, Nauar. *in can. fratres dist.* 5. *de pœnitent. num.* 45. *& in Enchirid. cap.* 9. *num.* 3. quia *rem, quæ culpa caret in damnum vocari non conuenit. cap.* 2. *de const. & can. sine culpa de regulis iuris in* 6. *regula* 23.

Deinde quod est argumentum Regin, *lib.* 6 *cap. vltimo num.* 172. ignorantia probabilis censuræ, qua quis tenetur, eum ab omni culpa sacrilegii liberat, non ergo per eiusmodi ignorantiā à consequendo fructu Sacramēti impeditur, cum eo tantum hi priuentur, qui per peccatum mortale, cuius sunt conscii, gratiæ in se effectum impediunt.

Patet ex dictis primo, Confessionem factam ab excommunicato qui ignorabat suum vinculū, aut qui bona fide illam obiit, putans se posse, iterādam non esse, vbi quod à se gestum erit, resciuerit, quia tunc tantum repetenda est confessio, cum fuit irrita ac sine fructu, at Sacramentum pœnitentiæ bona fide susceptum, tale non fuit: iura enim excommunicatum à Sacramentorum participatione excludentia, verba non habent irritantia, sed tantum prohibentia, patet *ex*

A *cap. significasti de eo qui duxit*, vbi matrimonium iniri quidem ab excommunicato prohibetur, sed non irritatur, at quæ istius, eadem quoque aliorum Sacramentorum est ratio.

Patet secundo, ordinem collatum excommunicato valere, & cum irritus dicitur ac cassus à S. Greg. *lib.* 7. *epist.* 20. *& nona q.* 1. *can.* 1. id hunc sensum habere, quod cum excommunicatione eo vti ordinato non liceat, sine dispensatione, ac facultate superioris Episcopi, illum rehabilitantis, *can. præter hoc*
B *dist.* 32 quod perinde est quoad vsum, ac eo ordine initiatum non esse.

Patet tertio, quod si suscipiens Sacramentum, peccet mortaliter, Sacramentum fore inualidum, ac nullum, non ratione excommunicationis præcise, sed ob defectum dispositionis necessariæ.

Patet quarto, cum excommunicatione, vel peccato reseruato, & alia non reseruata ei exponenda esse, cui absoluendi à reseruatis facultas nulla suppetit, nam si præter reseruata, aut peccatum, cui adiuncta est excommunicatio, pœnitens Sacerdoti aliud
C non explicet, Sacramentum erit inualidum, defectu iurisdictionis in confessario ad absoluendum necessariæ.

Argumentis allatis pro sententia opposita respondendum. Priori quidem, in quo dicebatur per excommunicationem, vsu Sacramentorum passiuo, priuari hominem, id sic intelligi oportere, vt sit sermo, non de priuatione absoluta, sed licita tantum, peccat ergo excommunicatus grauissime, si sciens Sacramenta percipit, sed non quod iure sint nulla, & irrita præ-
D ter pœnitentiam, quæ quoniam sine dolore, & proposito vitæ melioris stare nequit, quo tamen carere excommunicatum est necesse, qui se sciens Sacerdoti absoluendum à peccatis offert peccat, concessaque ab isto peccatorum remissio est verè nulla.

Ad secundum respondendum, ex Anteced. consequentiam non sequi, quia cum Sacramentorum, dispēsatio sit quid iuris humani, Ecclesia circa eā sic sancire potuit, vt nulla esset absolutio quæ ab excommuni-
E cato denunciato, vel notorio Clerici percussore daretur, eo quod ad illam iurisdictio sit necessaria, quam vtrique tamen adimit *in ca. ad probandum de re iudicata*, quod non fecit respectu excommunicati, bona fide peccata sua confitentis, ei quem censura excommunicatione non ligat.

QVÆSTIO III.

An liceat à peccatis absoluere, antequam ab excommunicatione, & an data tunc absolutio valeat.

DIco primò, *Peccare contra religionem mortaliter, qui excommunicatum prius à peccatis, quam censura liberat,* quia ad Sacramenta admittit, quem his priuari Ecclesia præcipit *in cap. si celebrat de Clerico excommun. ministrante,* in quo religionem lædi, & sacrilegium concipi, scribit Diu. Thom. 2. 2. *qu.* 99. *art.* 3. cum sacrilegium in hoc consistere ait, *quod aliquis irreuerenter se habeat ad rem sacram, inter quas res*, inquit, *summum locum obtinent Sacramenta.*

Secundo sacris interesse ac diuinis, non est excommunicato denuntiato licitum *cap. sacris de vi,* nec similiter fas est ad illa cum admittere, *cap.* 3. *de priuilegiis*, id qui facit tàm, regularis, quam sæcularis quantumcunque exemptus, vltra alias pœnas, incurrit interdictum ab Ecclesiæ ingressu, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserat, satisfaciat competenter, *Thesaurus parte* 2. *c.* 7. *num.* 2. sed inter res sacras, primo loco numerare Sacramenta conuenit, ergo hæc dari excommunicato non expedit.

Dico secundò, *Data absolutio à peccatis, & nõ à censuris, absolute est, & ex natura rei valida.*

Probatur, omnium opinione, ac sensu, possunt Sacerdotes, cum ad eos pœnitentes adeunt, casibus reseruatis impediti, qui excommunicationem annexam habent, vrgetque necessitas absoluendi, nec tamen est facilis ad reseruatorem, aut eum qui excommunicauit aditus, possunt (inquã) à peccatis absolutionẽ impertiri, & eos pro relaxatione censuræ, ad Superiorem conscientiæ iudicem remittere, quam absoluendi rationem, in more Ecclesiæ positam esse, affirmãt Maior *in* 4. *dist.* 17. *q.* 5. *propos.* 3. Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. Gerson *alphabeto* 41. dicit idem S. Anton. *in* 3. *parte tit.* 14. *cap.* 19. *parag.* 6. Viguerius *in institut. Theologicis cap.* 16. *parag.* 4. *versu* 17. verum est ergo ab excommunicatione, aut censura qualibet alia, per se, & directe, Sacramenti vim ac effectum non impediri.

Confirm. sunt Sacramenta alia præciso data, valida, vt probatum est antea authoritate canonum, ergo & pœnitentiæ, nisi vim eius euertat ac dissipet, peruersa recipientis affectio.

Confirm. secundo, si est absolutio præciso impensa iure irrita, eius effectus extare A monumenta aliqua in canone est necesse, cum non decuerit rem tantam, quæque tanti, ad bonum publicum, animæque progressum interest, silentio prætermitti, at proferri tale nullum est facile, quo clare pateat: absolutionem ab eo datam, qui scit à pœnitente suo excommunicationem contractam esse, cuius hic tamen inter confitendum non meminit, inane esse ac nullum.

Sequitur ex dictis iterandam ab eo confessionem non esse, qui conscientiam suam Sacerdoti quidem explicuit, sed non B excommunicationem in quam se lapsum nesciebat, aut si sciebat, præterlapsa est confitentis memoriam, cum ad eius genua vt pœnitentes solent, admotus esset, sed sufficere, si censuram cum hæc redibit in memoriam, eidem absoluendam proponat.

Ratio est, quod hæc non sit repetẽda confessio, nisi cum fuit nulla, ex defectu doloris, integritatis, aut iurisdictionis, at instituta à pœnitente, eo quo diximus modo, nihil horum deficit, vt supponimus, fuit ergo hæc eiusmodi, quam arcessere culpæ nemo C queat, illam ergo iterandi cum erit excommunicatio cognita, necessitas est nulla.

Sequitur secundò, nec confessionem iterato faciendam esse, cum pœnitens excommunicationem quidem suam est confessus, sed ei, quem errore iuris aut facti, putabat ad eius absolutionem conferendam idoneum, & ita ab illo, est à peccatis absolutus, prius quam à censura, per confessarii obliuionem, aut ignorantiam crassam, sed satis esse si ab eo qui potest, eius cum licebit, absolutionem obtineat.

D Ratio est, quod culpa nulla confessarii Sacramentum reddit irritum, nisi quæ defectum in eo habet iurisdictionis in pœnitentem, aut intentionis illum absoluendi, cuiusmodi tamen non est præsens vt patet.

Dico tertiò, *Cum est excommunicatio iniusta, à peccatis absolui excommunicatum posse prius quam ab excommunicatione.*

Ratio est, quod non entis nullus sit effectus, proprietas nulla, at excommunicatio, quæ est pro non crimine inflicta, verè & simpliciter non est excommunicatio. sed tan- E tũ in foro exerno non est eius ergo pro foro conscientię, quærenda absolutio, ei ergo quæ est à peccatis, postponi hæc sine peccato poterit, quæ est à censuris.

Dico quartò, *In iure non esse Pontificum, nec Ecclesiæ, primò per se, & directè, sic à passiuo Sacramentorum vsu arcere, vt hæc sint inualida, cum suscipiuntur.*

Causa est, quod eorum valor à materia, forma, eorumque applicatione cum intentione debita pendeat, at hæc Ecclesiæ, & Pontifi-

Pontifici cum diuini ſint iuris, non ſubſunt ergo directè, & per ſe primo, facere nequeunt, ne ſuſcepta operentur in anima, id cuius cauſa, ſunt à Deo inſtituta.

Per accidens tamen vſum illum impediunt, cum occaſione peccati, quod cenſura plectitur, iuriſdictionem actualem excommunicato adimunt, ſine qua, pœnitentiæ vis ad productionem gratiæ, eſt nulla.

QVÆSTIO IV.

An excommunicatus priuetur actiua administratione Sacramentorum.

SEnſus eſt, ecquid excommunicato per Eccleſiam, liceat Sacramenta dare poſtulantibus, & an miniſtrata valeant, ad cuius queſtionis notitiam ſupponendum.

In excommunicatis quoſdam tolerari ab Eccleſia, alios minime, tolerantur quos à ſacris altaribus Eccleſia non arcet, vt ſunt qui excommunicati non ſunt nominatim, nec denuntiati, aut percuſſores Clericorum notorii, non tolerantur, quibus cum ſacris miniſteriis, Eccleſia nil vult eſſe commune extra neceſſitatem, vt ſunt proxime nominati, *nos autem à communione nullum ſuſpendimus niſi accuſatum publice, atque conuictum, vel ſponte confeſſum ſimiliter publice,* Iuo Carnot. *epiſt.* 81.

Prima aſſertio, *Extra caſum neceſſitatis moralis, excommunicatus denuntiatus, aut notorius percuſſor Clerici, licite ſacrificare nequit, aut Sacramentum conferre, præterquam Baptiſmi, ac Pœnitentiæ in mortis articulo.*

Ita ſentiendi cauſa mihi à decreto Antiocheni Concil. *can.* 4. *Si quis Epiſcopus à Synodo depoſitus, vel Presbyter, vel Diaconus à proprio Epiſcopo aliquid de miniſterio ſacro attingere auſus fuerit, nullã amplius ſpem reſtitutionis in alia Synodo, neque defenſionis locum ei habere liceat, ſed & omnes, qui ei communicant, ex Eccleſia eiiciantur* loco huius vocis *miniſterio ſacro*, eſt in Græco λειτουργία quo nomine *non ſacrorum celebratio, incruentique ſacrificii oblatio ſolum* (inquit in eum canonẽ Zonaras) *ſed omnes præterea ſummi Sacerdotii functiones intelliguntur, præter Baptiſmum.*

Quid ſi ſint præter eum alii, cenſuræ immunes, qui hæc Sacramenta miniſtrare valeant?

Reſpondend. ab eo Baptiſmum præberi non poſſe, vt hęc, quæ ſequuntur argumenta probant.

Primum, quod non faciat ad Dei gloriam, ſit autem contra honorem Sacramento debitum, illud à præciſo, quem omnibus talem eſſe conſtat, culpæque proinde mortalis reum, conferri in oculis Eccleſiæ.

Secundum, quod cum ſunt ad manum, qui puerum eo impertiant, non deceat in eius manu, ac poteſtate eſſe bona Eccleſiæ, communicanda mortalibus, qui eam, eiuſque imperia negligit.

Quare dicendum eſt eis non præcipiendo ſed conſulendo, vt ſeipſos ab officiis Eccleſiaſticis ſuſpendant, vel à Sacramentorum communione abſtineant, quia tali humilitate & pœnitentia verius agitur, & ſalus reparata tutius munitur. Sacramenta tamen à talibus tractata per indignitatem eorum non ſunt deteriora, ſicut propter dignitatem meliorum non ſunt meliora, ſed apud quoſcunque ſunt, ſecundum B. Auguſtin. eadem ipſa ſunt, *Iuo Carn. ep.* 81. *ad Laurent. Priorem caricatis.*

Aſſertio ſecunda, *Cum extra neceſſitatem excommunicatus abſoluit, facit id irrite ac inaniter,* Indicat hæc oratio Gelaſii primi Conciliorum tomo 2. pagina 442. his verbis: *Nec præuaricatoria abſolutione rei, reum ſoluere potuerunt, & depulſis vndique Pontificibus Catholicis hæreticiſque ſuppoſitis, participem ſuum tàm abſoluere nequiuerunt, quàm ipſi non erant abſoluti*: ad hoc teſtimoninm accedit ratio.

Rata eſſe abſolutio non poteſt ſine iuriſdictione, at hæc per Eccleſiam eſt adempta excommunicato non tolerato, quem conſtat, à collatione & participatione Sacramẽtorum, remotum eſſe, per canones, præterquam in mortis articulo, quo tempore Sacerdotes omnes iure diuino habere iuriſdictionem abſoluendi quoſlibet, ſcripſit Paludan. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 2. S. Antonin. *in* 3. *parte titulo* 14. *cap.* 19. Caietanus *in verbo abſolutio.*

Eandem ſententiam tuetur Sotus *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *art.* 4. Tabiena *verbo abſolutio* 1. *nu.* 32. & plerique alii magnæ authoritatis Theologi, teſtimonio victi concilii Trident. *in ſeſſ.* 14. *cap.* 7. quod eſt de reſeruatione caſuum vbi eſt, quemlibet à quolibet Sacerdote abſolui poſſe, in articulo, ſeu diſcrimine aperto mortis, cum tamen extra illa tempora, abſolutioni à peccatis, cenſurę remiſſionem præmitti oporteat, ne in re ſacra Sacerdos cum excommunicato communicet, quod ei non eſt licitum, niſi cum ægri ſalus agitur, vt in periculo mortis, quo tempore Deo id & Eccleſia concedentibus, cuique facultas eſt abſoluendi quemlibet, à culpa qualibet, quam tum non poſſe ab humana authoritate adimi Sacerdotibus, dixit Victoria *in libello de Sacram. qu.* 159. idque meo ſenſu veriſſime, eſt enim hæc facultas fundata in charactere Sacerdotali, ergo vt hic

perire ac deleri nequit: ita nec illa emori, suspendi quidem potest ac ligari, vt de facto cœrcetur in præciso denuntiato, sed dissolui ac laxari quoque potest, vt accidit, cum mortis necessitas imminet, cuius rei sunt hæc indicia,

Primum, quod necessitas legi humanæ non sit subiecta, *de regulis iuris regula quod non est, quarta.*

Secundum Doctorum sensus communis.

Tertium Concilii authoritas.

Quartum Martini Papæ III. imperium *in can. quicunque 22. de consecrat. distinct. 4.* nam ibi pro authoritate, Presbyteris singulis præcipit, ni deponi velint, vt infirmos morti proximos, Ecclesiæ per Baptismum adiungant.

Quanquam vt verum fatear, satius foret, à Laicis eos baptizari, quam ab illis, cum sunt excommunicati.

Causa est, quod sit credibile, Ecclesiam tacitâ quadam interpretatione voluntatis suæ, malle impedimentum minus, quam maius tollere, at minus est impedimentum, quod ex defectu iurisdictionis ad Baptismum in Laico, præsente Parocho aut Sacerdote oritur, quam quod ex censura nascitur.

Secundo, honeste non potest ac prudenter excommunicatus obire, nedum sibi authoritate propria vindicare hoc ministerium, nisi in quantum est ad salutem Baptizati necessarium, tale non est, cum alterius habetur copia, quam excommunicati ac præcisi.

Dixi (extra casum necessitatis moralis) hæc enim cum adest, siue sit intrinseca ratione scandali, aut infamiæ, quam sibi excommunicatus apud plebem metuit nisi celebret (maxime si in eo loco degat, vbi eius excommunicatio non est nota, nam vbi est cognita, infamia iuste timeri nequit) siue extrinseca, occasione mortis, quæ ei proponitur nisi pareat, iusta est illi causa, Sacramenta non negandi postulanti ita Suarez *disp. 6. sect. 3. num. 7.* Ægidius *disp. 13 num. 103.* Layman. *lib. 1. tract. 5. cap. 2. n. 5.*

Causa est, quod non videatur Ecclesia, seueritate tanta imperare suarum legum custodiam, vt has seruari velit cum periculo infamiæ, scandali, aut capitis.

Huic necessitati addendus est casus, in quo interueniret error communis, cum titulo præsumpto, hæc enim duo cum iurisdictionem tribuant, ab iis habet Sacramentum pœnitentiæ collatum ab excommunicato vt sit validum.

Assertio secunda, *Toleratum licite conferre Sacramenta, quoties aut ipsius grauis necessitas, aut notabilis proximi vtilitas exigit indubitati est iuris,* quia censuræ occultæ, nisi promul-

A gatæ populo fuerint, valorem actus qui ratione publici officii exercetur, non impediunt, vt tradunt Doctores *in leg. Barbarius digest. de offic. Proconsulis,* de Beia *respons. parte 3. casu 4.* Nauar. *Enchir. cap. 9. num. 9.* his verbis: *Valida est confessio, & absolutio illi pœnitenti concessa, qui præ ignorantia confessus est Sacerdoti, vinculo excommunicationis, vel suspensionis irretito, qui quidem non est publice denuntiatus, sed solum est excommunicatus vel suspensus, per sententiam à iure, ab homine, vel statuto latam.*

B Alterum assertionis huius fundamentum, nempe quod natura, vis, valor, ac substantia Sacramentorum, ab applicatione formæ ad materiam cum intentione debita, secundum Christi institutionem pendeat, quæ veritas ab Eugen. IV. in Concil Florentino definite sancita, tradita est his verbis: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, quorum si aliquid desit non perficitur Sacramentum.* Flo-

C rentin, *de Sacram.* sed hæc omnia in Sacramentis, quæ ad validam sui collationem iurisdictionem, in conferente non exigunt, sed solam ordinis potestatem, præstare toleratus potest, ergo & Sacramentum conferre valide, etsi non licitè, quia cum Ecclesia mutare nequeat quæ sunt Sacramẽtis essentialia, cuiusmodi tria hæc duntaxat esse, nemo est opinor qui neget, non potest hæc impedire, quin à tolerato collata, sint valida.

D Similiter offerre potest non toleratus sacrificium valide, quia in eo remanet potestas ordinis, à qua habet vt sacrificare valeat, quinetiam in eius est arbitrio, fructum sacrificii applicare cui volet.

Primo, quia talis applicatio est interna, in quam Ecclesia nihil potest.

Secundo, quia ei permissum est Christi merit, ac eiusdem benignitate attribuere cui vult in Missa.

QVÆSTIO V.

E *Quæ sit pœna suscipientis Sacramentum ab excommunicato.*

PRima assertio, *Qui ab excommunicato suscipit ordines, ad eorum est executionem vsumque inhabilis:* ita intelligendi sunt, canon *ordinationes quintus can. nos consecrationem primus can. excommunicati illicite secundus, causa nonæ q. 1.* vbi hæc ex Gregorio *epistolarum lib. 3. epistola 20.* referuntur. *Nos consecrationem* quæ

quæ ab excommunicatis hominibus celebrata est, dicere nullo modo possumus, item excommunicati illicite manus imponunt, quia potestatem ordinandi non habent, Vbi autem est illicita manus impositio, ibi vulnus infligitur, Vnde reiteretur necesse est quod non probatur esse collatum, nempe quia in hæresis, ac aliorum criminum odiū, ob quæ ab Ecclesia tūm præcisi erant Episcopi hæretici non pauci, vult Gregor. gesta ab iis in ordinatione Clericorum, irrita esse ac nulla, non quoad characterem, sed executionem, *Schismaticorum enim & hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt, iuxta sanctorum Patrum Traditiones, formam Sacramentorum, non autem virtutis effectum habent, can. præter hoc 6. dist. 32.* enimuerò si à Schismatico collatus Ordo Sacramentum est, ergo non est inanis ac nullus, non habet tamen virtutis effectum, *quia agentibus, & suscipientibus contra instituta Pontificum obsunt, cum talibus & ordinationum, & Sacramentorum confectio, & aliter quam permissum est, scienter susceptio, à canonibus prohibeantur can. præter citato dist 32.*

Secundo, *non habent virtutis effectum*, quia redigi in actum nequeunt, eo quod ab eorum sit vsu suspensus qui se ab horum aliquo quos Ecclesia è sinu suo, gremioque repulit, initiari est passus, sic enim de Maximo in Constantinop. Synodo sub Damaso *can. 6. Propter eius totius indisciplinationis doctrinam, quæ Constantinopoli orta est, statutum est, ne Maximus fuisset aut esse putetur Episcopus, neque his qui ab eo ordinati, qualemcunque gradum Clericatus obtineant, ab omnibus scilicet, quæ circa eum, vel ab eo gesta sunt, in irritum reuocatis.*

Tenent tamen ordines sic suscepti.

Primo, quia iterari nequeunt.

Secundo, quia sublato per superiorem impedimento, hi qui iis sunt instructi, iisdem possunt vti libere.

Tertio, ordinatio pendet tantum à potestate ordinantis, & debita applicatione formæ ad materiam, cum intentione tam conferentis quam suscipientis, at est in Episcopo præciso, ordinandi potestas plenissima, cum sit effectus characteris, qui est in eo indelebilis, potestque afferre omnia ad Sacramentum necessaria, conferens tamen est irregularis *cap. is qui 20. de sentent. in 6.* vbi Bonifac. VIII. ait eum irregularem effici, qui *contra interdictum* (& idem est de censura qualibet alia) *diuinis se ingerit in suo agens officio sicut prius.*

Quarto, Sacramenta nulla prætterquam pœnitentiæ, ab interna recipientium dispositione pendent, sed tantum ab applicatione materiæ, & formæ, quam ab excommunicato, hoc est tam præciso quam non præciso applicari cuilibet posse, & quidem valide, sed non licite dixere Patres & Concilia vt patet ex causa 1. q. 1. *fere per totam.*

Equidem vult Innocentius tertius *cap. cum illorum de sententia 32.* excommunicatos, qui scientes se excommunicationis vinculo irretitos, ordines tamen accipere non sunt veriti, *ab iis susceptis in perpetuum deponendos*, vel vt habet idem canon sub finem *ab executione suscepti ordinis & officij manere suspensos*, sed deponi ab ordine, & ab eius suspendi vsu, quî possunt, si hic non est iis collatus vnquam? tam ergo ab Episcopo, quam excommunicato quolibet, cuilibet præberi posse Papæ Innocent. testimonio est certum.

Secunda assertio, *Qui cum excōmunicatione matrimonium contrahit, peccat*, quia communicat in Sacramentis, cum vxore futura, quod ei est prohibitū, non vitiat tamen eius excōmunicatio matrimonium ex dictis antea, sed tātū priuatur eius vsu, eò quod nō sit hic ei lege Concilii permissus, nisi post acceptam benedictionem à Sacerdote, ex formula rituque Ecclesiæ, hæc vero fieri quî potest, quandiu durat excommunicatio? cum sit spiritualis quædam communicatio, Ecclesiæque peculiare suffragium, quibus rebus priuari excommunicatum, voluntate Ecclesiæ cui non est cognitum?

Tertia assertio, *Si nihilominus coniuges matrimonio suo vtantur ante Parochi benedictionem, aut alterius de eius licentia, non peccant mortaliter*, quia Trid. *sess. 24. cap. 1.* eam non præcipit, sed consulit, *præterea hortatur sancta Synodus, vt coniuges ante benedictionem Sacerdotalem, in eadem domo non cohabitent.*

Secundo, argui culpæ coniuges nequeūt, si post contractum matrimonium procreandis liberis vacāt, positi in excommunicatione ab eorum altero, aut ambobus, ob peccatum incursa, ergo nec si hæc coniugium præcesserit, eius vsum impediet.

Quarta assertio, *Excommunicato suscipienti Sacramenta diuersa ab ordine, nulla iure ipso statuta est pœna*, quia nusquam talis vlla extat, ergo cum in pœnis pars sit amplectenda mitior, magis autem ad humanitatem accedat, nullam sine certo, patentique iure inducere, pœna haud dubie nulla mulctari conuenit, qui Sacramenta ab ordine diuersa, conferri sibi expostulant aut sinunt.

Peccat tamen mortaliter, quisquis ab excommunicato vitando, Sacramenta recipit, quia communicatio omnis in diuinis, cum eo est lethalis, venialis autem cum est in humanis tantum: Toletus *lib. 1. cap. 11. parag. tertius effectus* Suarez *disput. 15. de censuris*

sect. 2. Thesaurus *praxis Eccles. parte* 2. *cap.*4.

QVÆSTIO VI.

An Sacramenta ab excommunicatis toleratis recipere ac petere liceat.

NOn licere, nisi in graui necessitate dixere multi, eo quod toleratus non vacat culpa, ministrando Sacramenta, sine necessitate aut vtilitate magna petentium, maximè si alius, æquè ac ille idoneus habeatur ad manum, id qui facere possit, ac velit, cum à ratione abhorreat, prudentiaque, administrādis Sacramentis eum intendere, cui id est prohibitum à iure.

Quod si eà dare tolerati nequeunt sine scelero, nec nos illa sane possumus eorum opera industriaque recipere, hoc ipsum enim, quid est aliud quam cum iis communicare? quam sacrarum rerum societatem cum iis coire? quod sacra Pontificum decreta vetant, ratioque ipsa, quæ cum recta est prudensque, cooperari alienæ culpæ, aut eius authorem esse dissuadet homini, quam notam tamen non effugit, qui conferendo sibi Sacramento, excommunicatum adhibet. Hæc authores illi.

Pugnant contra Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 9. *num.* 8. de Graff. *decision. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 21. Laym *lib* 1. *Theol. tract.* 5. *parte* 2. *cap.* 5. *num.* 4. Viuald. *in candel. de excomm. num.* 78. & 79. quid iudicii de ea quæst. habeam, exponam sequentibus assertionibus. Si prius in memoriam lectori reuocauero, toleratos dici hos tantum, qui non sunt notorii Clericorum percussores, nec sunt nominatim excommunicati, ac denuntiati, sit iam ergo.

Prima assertio, *Communicare cum excommunicatis in rebus ciuilibus, eodem modo nunc licet, ac si excommunicati non essent*, quia id concedit Concilium. Dices concedere quidem sed iustam ei concessioni subesse oportere causam, alioqui inanem hanc ac nullam fore.

Respondendum gratis id dici, quia de eo nulla fit à Concilio mentio.

Secundo, cum multa in horas, ac momenta fere singula incidant, quæ fidelem cogant, cum tolerato versari ac agere, ei non satis consultum fuisset à Concilio, si absque causa, eaque iusta, nullum voluisset ei cum tolerato negotium intercedere, quia an talis aliqua, hic & nunc suppetat communicandi cum eo, dubitandi semper est honesta occasio, ex qua ingentes ac acres animi anxietates ac morsus, nasci necesse est, quam

A sententiam scriptis suis inseruit, Iuo Carnot. *epist.* 81. his verbis: *de excommunicatis communi sententia, non tamen nominatis, siue in Capitulo, siue in Concilio facta sit illa excommunicatio, siue sint Simoniaci, siue Presbyteri Vxorati idem consilium est, quod est de aliis criminosis, quia non sunt à communione suspendendi, nisi publice confessi: quia & Dominus Iudam furem sciebat, & ita excommunicatum, vt etiam diabolum nominaret, tamen quia non fuit accusatus, donec seipsum Dominum prodendo manifestauerit, minime eum abiecit.* B *De subiectis quoque idem sentimus, quia non debent deferere Prelatos suos, nisi prius eos viderint publice damnatos, aut nominatim excommunicatos.* Hæc ille.

Assertio secunda, *Licet etiam communicare cum tolerato, ad illud opus parato quod ab eo suscipitur & petitur.*

Probatur, si est ea communicatio vitiosa, sane illam oportet à prohibitione Ecclesiæ, vitium trahere, aut à cooperatione communicantis in peccato cum illo, non primum, quia eam communicationem permittit Ecclesia, in Constantiensi Concil. C Non secundum, primo, quia alienæ culpæ nemo se socium præbet ac comitem, cum eius non est causa, resque est eiusmodi, quam peccans obire possit honeste, ac licite, at in sacris cum tolerato communicans, causa non est peccati, quod ille est facturus administrando Sacramentum.

Primo, quia non postulat vt peccet, sed vt Sacramentum det, quod piè potest ac laudabiliter facere, resipiscendo à peccato,

Secundo, culpa quisque in eo vacat opere, D in quo iure se occupat, quæ enim iure fiunt, prudenter fiunt, quæ prudenter ac cum ratione geruntur, hæc scelus non habent, sed qui cum tolerato in re sacra communicat, se sponte ad eam offerente, facit pro suo iure, Ecclesia id ei in Constant. Concilio permittente: ab eo ergo Christi mysteria possunt recipi, *Nec enim potest aliquis*, inquit Nicolaus Papa, *ad consulta Bulgaror. cap.* 71. *quantuncunque pollutus sit Sacramenta diuina polluere, quæ purgatoria cunctarum contagionum existūt, nec potest solis radius per cloacas & latrinas transiens, aliquid exinde contaminationis attra*E*here, proinde qualiscunque Sacerdos sit, eius, vsquequo Episcoporum iudicio reprobetur, communio percipienda est.*

Tertia assertio, *Existente graui causa, potest induci toleratus etiam non Parochus, ad collationem Sacramentorum omnium, quorum conferendorum est capax, si præter eum, non sit alius, à quo, ea pœnitens similiter recipere valeat*, Suarez *disp.* 11 *sect.* 4. *num* 10. Ægid. *disp.* 13 *dub.* 1 *conclus.* 4. Talis autem causa, hoc est grauis petendi Sacramenta à tolerato existeret, si quis aliter

aliter sine cōfessione efflaturus esset animā.

Primo, quia grauis necessitas, aut causa quæpiam alia similis, irreuerentiam omnem, si quæ est forte in exigendo Sacramento, ab excommunicato tolerato, abstergit & emaculat.

Secundo, quia ad hoc quoque ius habet, quo non est priuandus sine causa, eaque iusta Suarez *disp.* 11. *sect.* 4. *num.* 15. Coninch. *disp.* 13. *dub.* 3.

Tertio, potest creditor ab excommunicato sine culpa petere, vt pecuniam sibi debitam persoluat, ergo vt Sacramentum sibi quoque præbeat.

Quarto malum non est ad Sacramenta sibi conferenda, excommunicatum adhibere non tamen vitandum, quia est toleratus, nisi quia Ecclesia eius vsum prohibet, aut quia est hic tacita eiusdem ad peccatum inductio, non primum, enimuerò Ecclesia à temporibus Constantiensis Concil. communicare in diuinis cum excommunicato tolerato non prohibet, argumento est, quod eius interesse sacro, nemini interdictum esse velit, vt hæc ex extrauaganti petita verba indicant, *ad euitanda scandala, indulsit sacra Synodus, vt nemo deinceps à communione alicuius, in Sacramentorum administratione prætextu alicuius censuræ abstineat*, ex quibus sic argumentandi sese offert occasio.

Sacramentum ab excommunicato tolerato petere, est cum eo communicare haud dubie, at per Concilium omnis est cuique, cum excommunicato tolerato in Sacramentorum administratione communicatio licita, non est hæc ergo eius ad Sacramentum conferendum inductio, nec similiter inducti opera vitiosa inducenti ac mala, non illi, primo, quia res ab eo vtiliter fieri potest ac bene, nam quid eum prohibet de peccatis Dei causa dolere, aut exactę vitæ acta arguere? de illa instituenda in posterum religio se ac piè, consilia capere?

Secundo, cum est aliqua iusta causa petendi Sacramenti à tolerato, non peccat hic illud conferendo, id ergo ab eo postulare, non est illum ad culpam inducere.

Antecedens probatur, cum actus aliquis permittitur, etiam cętera sine quibus hic esse licitus nequit, concessa censentur, at petendi ab excommunicato tolerato Sacramenti, cuique ius est ac potestas, ergo & isti administrandi, ac proinde sine peccato, nec modo tunc, sed quoties & quam sæpe, cum fideli communicare est necesse, sacras actiones obeundo, dummodo non se hic ingerat, & prius conteratur quam eas exerceat, vt dicetur postea.

A Dixi in assertione *non Parochus*, quia vt fideles, Parochi sui operam, in administrando Sacramento aliquo exhiberi sibi iustè postulent, longe minor in iis causa exigitur, quia ad id ius habent, & ille ratione sibi demandatæ prouinciæ, obligationem non negandi Sacramenti, nec quidlibet aliud quod promouendæ eorum saluti est necesse, aut vtile, vt notarunt Auila, Suarez, & Ægidius locis ante citatis.

Minor item causa requiritur, vt à parato conferre Sacramenta, aut Missam celebra-

B re, tam hanc quàm illa sibi ab eo expetant, quam à non exposito, & imparato.

Ratio est, quod minus illi, quam isti causa ac existant eiusmodi actionis Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 2. *cap. num.* 5.

Quarta assertio, *Peccat excommunicatus vltro se sacris ingerendo ministeriis, ac sine eorum necessitate graui, quorum causa ea obit.*

Ratio est, quod Ecclesia per extrauagantem *ad euitanda*, excommunicatis fauere directe nolit, aut iis quidpiam concedere, quod illis ante non liceret, quare nec hi Sacramenta conferre, nec sacro Missæ of-

C ficio operam dare possunt, nisi quatenus est hoc postulantibus vtile, aut necesse, proindeque si præsto erit alius non excommunicatus, qui æquè vtiliter ea ministrare possit, hæc ab illo postulanda erunt, excommunicato prætérito.

Ratio est, quod excommunicatus non sit à culpa liber, cum Sacramentis conferendis animum sine necessitate applicat, at cum alterius æque ad ea impertienda idonei, copia suppetit, nihil est, quod esse necesse suadeat, ad eorum vsum adhiberi præcisum.

D Quid? quod Dei hostem, quod inimicum quod ab eius sacris extorrem hominem, prophana tractare manu instrumenta gratiæ, pacis organa, diuina mysteria reconciliandis Christi fidelibus instituta cælitus non deceat? cum non desunt qui ad eorum bonum, ea ministeria religiose obeant: quare qui tum hæc sibi ab illis suppeditari vult, ac tribui, peccat: quia eos ad culpam tali prece incitat, Auila 2. *par. cap.* 6. *disp.* 8. *dub.* 2. Coninch. *disp.* 14. *de excom dub.* 3. Suar. *disp.* 11. *sect.* 4. *n.* 17.

E *Directe* dixi, quia per accidens, ex consequenti seu indirecte, extrauagans citata excōmunicatis prodest. Enimuerò ne facta fidelibus potestas cōmunicādi cum illis, vana sit & inutilis, dicendum est, illis quoque ad communicationem legitime prouocatis permissum esse communicare, imo etiam ad id teneri, vt si sint Parochi, Sacramentum autem qui postulant, sint Parochiani, nec per

excommunicatos stet quominus ante communicationem absoluantur.

Ratio est, quod facultas data fidelibus cum eis communicandi, ad actum redigi nequeat, nisi istis quoque sit impune, cum illis versari ac agere, Couar. *in comment. alma par. 1. parag. 7. num. 9.* Suar. *disp. 11. sect. 4. num. 9.* Auila *loco ante citato.*

Sequitur ex dictis non peccare quidem fideles contra legem, communicationem cum excommunicatis prohibentem, quãdiu eam nulla necessitas, aut causa iusta suadent, nec proinde excommunicationem minorem ob id eos incurrere, sicuti notarunt, Auila 2. *par. cap. 6. disp. 8. dub. 1.* Laym. *tractatu 5. par 2 cap. 5.* Ægid. *disp. 14. dub. 3. conc. 6.* sed tantum contra naturalem charitatem, si eos intelligant quos ad Sacramenta sibi largienda inducunt, ob eam communicationem contumaciores fore, quam antea, aut in peccato mortali, eiusque conscientia administraturos Sacramenta scienter ac voluntarie, quia caritatis est, beneque informatæ rationis, non tantum alienis peccatis occurrere, cum impediri possunt, sed multo maxime, ad ea detestanda conscios impellere, ac eorum vitandorum modum, formamque præscribere.

Sequitur secundo, quod etsi fas sit cuilibet, cum tolerato agere, ab eo tamen, tam priuatim, quam publice, eiusque congressione abstinere quemque posse, dummodo eius excommunicatio publice sit nota, vel sufficienter probari possit, quia quod commercia cum præciso, tolerato tamen, sint fideli permissa, fauor est ac gratia, qua quisque si volet, cedere potest, eique non insistere. Itaque contra actorem excommunicatum, isto excommunicationis genere, excipere reus potest, item contra testem, & iudicem, &c. sicuti de iure antiquo tradunt Doctores *in 4. dist. 18.* & Laym. *loco citato num. 4.*

Sequitur tertio, etsi cum excommunicatis toleratis, id est non denuntiatis & percussoribus Clericorum notoriis, sit cuique fidelium liberum, communicare in sacris ac prophanis actionibus, ad id eos tamen non cogi.

Primo, *quia quod ob gratiam alicuius conceditur non est in eius dispendium retorquendum de regul. iuris in 6. reg. 61.*

Secundo, quia priuilegio vti suo, nemo debet necessario, argumento est, quod priuilegiatus ei renuntiare valeat, vt enim dicitur *in cap. si de terra 6. de priuilegiis liberum est vnicuique suo renuntiare priuilegio.*

Quinta assertio, *Citra inductionem postulantis, etiam potest excommunicatus toleratus non Parochus, conferre Sacramenta licite, quoties id communis, aut priuata alicuius necessitas, etiam*

A *vulgari non maior exigit,* Suar. *de censuris disp. 11.* multo magis, cum est grauis, aut agitur particularis alicuius vtilitas, est authorum omnium, quorum in assert. 3. nominare censuimus, quia hoc ipso, quod quis toleratur ab Ecclesia, eadem est potestate præditus, qua prius, ad necessaria, vtiliaque plebi ministeria obeunda, instructus erat: *Licite ergo*, inquit, *Hildemens. Synodus anni 1526. can. 1. à quocunque Sacerdote ab Ecclesia tolerato, diuina mysteria audiuntur, & alia recipiuntur Ecclesiastica Sacramenta.*

B Dixi cum est necesse, aut vtile proximo, quia excommunicato tolerato eatenus est Sacramentorũ permissa administratio, quatenus est hæc in fauorem postulantium, at id accidit tùm maximè, cum hæc ei sunt ad salutem necessaria, aut valde opportuna.

Sexta assertio, *Ne excommunicatus quem Ecclesia tolerat, peccet in administrando Sacramento, quod quis ab eo sibi petit vt vtile, aut necessarium, debet prius conteri, & si per tempus licet, confiteri, & absolui*, causa est in promptu.

C Est enim id cuique laborandum, ne rem sacram in malo statu, id est peccati exerceat, oportet itaque vt conscientiam emaculet, antequam ei se operi accingat.

Secundo, si est alius, præter eum non excommunicatus, qui indigentis Sacramento, postulata facere valeat, erit eius officii ac muneris, hunc ad illum remittere, sibique ab eo adiuuando per collationem Sacramenti quod postulat, missionem petere, seque excusare.

D Primo, quia excommunicato, quem Ecclesia tolerat, Sacramenta administrare non licet nisi cum est necesse, quod non accidit cum adest alterius, quam excommunicati copia,

Secundo, excommunicatus non denuntiatus, perinde tenetur lege Ecclesiastica de fidelibus vitandis, ac non toleratus, cum ei Constantiense Concil. fauere noluerit, extra tempora præcedenti assertione notata, necessitatis aut vtilitatis proximi: ergo si erit præter excommunicatum alius, à quo Sacramenta possint recipi, vt hæc à tolerato non

E erunt danda, ita nec communiter ab eo postulanda.

Excipiendus est ab assertione Parochus, cui si suus Parochianus confiteri velit non alteri, tenetur hic ex officio morem ei gerere, quia creditori cum licet, & exigit, debitum illud negari non potest nec debet at est Parochianus creditor, cum ideo Parocho stipendia numeret, vt se Sacramentis impertiat, ergo &c.

Vltima assertio, *Etsi toleratus Sacramenta administrans*

administrans cum conscientia peccati, nempe quia A *non est contritus, aut à censura absolutus peccet mortaliter, non fit tamen irregularis, si se ante absolui curauerit*, quia, vt irregularitas ex administratione illicita Sacramenti contrahatur, debet id administranti esse per Ecclesiam prohibitum sub tali pœna, id est irregularitate, contra quam hic peccet, dum Sacramentum tribuit, at neutrum hic accidit, cum defectus contritionis ius tantum naturale diuinum respiciat, nec tolerato sit prohibitum, cum hac pœna ministrare Sacramentum ei qui indiget, Ægidio teste supra *num.* 19.

Quod autem toleratus peccet, præbendo Sacramenta sine necessitate, & non contritus, cum alius est ad manum æque idoneus non excommunicatus, qui æque vtiliter ea administret, fit ex eo planum, quod sit indecẽs, publica Ecclesiæ ministeria ab eo obiri, qui ab ea est culpa sua, præcisus, peccat ergo contra Sacramenti reuerentiam, qui ad illud tribuendum se accingit, vltro ac sine necessitate, & non rogatus. Dicendũ enim est eiusmodi hominum generi, *Vt seipsos ab officiis Ecclesiasticis suspendant, & à Sacramentorum communione abstineant, quia tali humilitate, & pœnitentia verius agitur, & salus reparata tutius munitur*, Iuo Carnot. *epist.* 81. *ad Laurent. Priorem Monasterii caritatis.*

Et hinc facilis se ad argumenta initio posita respondendi ratio aperit,

Primum enim est verissimum, ob causam tam hic quam assertione quarta allatam.

Secundum item, vt habet Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. quamuis non sit improbabile tam fidelem postulantem, quam toleratum Sacramentum ministrantem sine causa, vacare culpa, quæ est opinio Thomæ Sanchez *lib.* 7. *de matrimon. disp.* 9. *num.* 8. Sotus *in* 4. *distinct.* 22. *q.* 1. *art.* 4. *conclus.* 1. quia cum Concil. Constant. absolute concessam facultatẽ fidelibus esse voluerit, communicandi cum præcisis, tam in sacris quam politicis, consequenter & his integrum, ac impunè esse voluit, Sacramenta dare, in eoque non peccare, si ea rogati administrarent & non ad id ministerium vltro ac volentes venirent.

QVÆSTIO VII.

Quæ sint pœnæ conferentis Sacramentum cum excommunicatione.

DIco primò, *Vsum eius actiuum excommunicato excommunicatione maiore interdictum esse*, colligitur ex *cap. Vlt. de Clerico excommunicato minist.*

Secundo probatur hac ratione, quia non B decet Ecclesiam bonorum suorum administrationem ac vsum, committere homini sibi parere nolenti, valent tamen (vt ante est dictum) ab eo collata ex causa aliquâ necessaria ac vtili, præterquam Pœnitentia quæ est Sacramentum.

Addunt Nauar. insuper *cap.* 22. *num.* 4. Suar. *disp.* 11. *sect.* 1. Auila *parte* 2. *cap.* 6. *disp.* 3. *dub.* 3. *conclus.* 4 & alii, etiam à non tolerato Eucharistiam & sacram vnctionem morituris dari posse, quando eis recipiendi alterius Sacramenti facultas nulla se offert, eo quod Ecclesia quæ nullius hominis quamlibet fa- C cinorosi æternum vult interitum, sed salutem eius sempiternam, nolit quemquã in eo articulo, necessario vitæ beatæ consequendæ instrumento carere, ergo cum paucorum sit admodum contritio caritate formata, eius autem vicem Sacramenta quælibet attritioni iuncta suppleant, credibile est velle eam, hæc iis à quouis Sacerdote, quocunque tandem is scelere, & quacunque sit censura obstrictus, suppeditari.

Dico secundò, *Excommunicatum non toleratum, Sacramenta conferentem illicite, excepto* D *Baptismo non solemni, irregularem fieri*, quia omnis excommunicatus exercens actum ordinis sacri, fit irregularis vt dicetur postea.

Dico tertiò, *Qui Sacramenta excommunicatis largiuntur nõ toleratis, sunt ab ingressu Ecclesiæ interdicti*, vt dicetur *in cap. cum Episcoporum de priuil. in* 6. si autem dicti non tolerati sunt excõmunicati à Papa, is qui eis confert Sacramenta, aut cum iis communicat in diuinis officiis, est excommunicatus excom- E municatione Papæ reseruata *cap. significauit de sent. excomm.* quem adiri tamen absolutionis obtinendæ causa vt sit necesse requiritur vt participans sit Clericus. Secundo vt scienter hoc faciat. Tertio, vt sponte.

QVÆSTIO VIII.

An excommunicatus in vna Diœcesi, vitari debeat in alia, & carere Sacramentis.

ESse id necesse perhibent canones, vt quintus Concil. Nicæni 1. his verbis: *De his qui communione priuantur, seu ex Clero, seu ex Laico ordine, ab Episcopis per vnamquamque prouinciam sententia regularis obtineat, vt hi qui abiiciuntur ab aliis non recipiantur*, consentientia Nicæno habet canon 2. Concilii Triburiensis sub Arnulpho Imperat. anno 895. Metensis sub Rotberto Episc. canon 6. Lateranensis sub Alex. III. *can.* 9. his verbis: *Excommunicatos & nominatim interdictos, tam ab illis, quam ab omnibus aliis, iuxta Episcoporum sententiã statuimus euitandos.* Elegans est, & ad hãc rem in primis pertinẽs, canon Valentini Concil. sub Lothario Imperatore anno 855. in hæc verba: *Si ab vna Ecclesia fuerint excommunicati, in nulla alia, falso & furtiue communicandi inueniant facultatem*, eodem pertinet *can.* 13. Apostolorum: *Si quis Clericus aut Laicus, à communione suspensus, ad aliam properet ciuitatem, & suscipiatur præter commendatitias literas, & qui susceperunt, & qui susceptus est, communione priuentur.* Similia loquuntur ac habent Metense Concil. sub Arnulpho *can.* 8. & Tribur. an. 895. sub eod. Imper. *can.* 2.

Quare queritur Iuo, quod Adeliciam puteacensem Dominam, Hugonem filium eius, & Paganum à se excommunicatos Ecclesiastice, & Apostolica authoritate, exigentibus culpis suis, in infamiam pulsos, Fulco Parisiensis Decanus recepisset in communionem Epist. 141. in quo eum contra veterum statuta Patrum, ac Gallicanæ Ecclesię morem peccasse, indicant quæ ipse Daimberto Senonensium Archiepiscopo scribit, *epist.* 130. *Sic enim*, inquit, *antiquitus est institutum, & nuper in Aruernensi Concilio, omnium Episcoporum qui aderant consensu confirmatum, vt ab vno Episcopo, quemlibet pro iniuriis excõmunicatum, vicini quoque Episcopi excommunicent*, Idem legibus Francicis statutum video *lib.* 1. *tit.* 1. maxime autem vt qui ab vno Episcopo, est excommunicatus, excommunicetur quoque ab aliis, nec ab iis in communionem recipiatur, quo spectat *canon si quis causæ* 11. *q.* 3. sic Iuo de Ioanne Aurelian. Episcopo queritur *epist.* 137. quod Paganum à se excommunicatum authoritate ipse sua non reprimeret, sed in Diœcesi sua impune morari ac hærere sineret, quo vitio laborasse quoque Hugon. Archiepiscopum Lugdunensem, &

A sanctæ sedis Legatum scribit *epist.* 65. *sacrilegos*, enim, *quosdam à me & Coepiscopis meis communione priuatos, me, nesciente communioni reddidistis, ac per hoc scelerum suorum impunitate, ad perpetranda maiora sacrilegia relaxastis*, quod fieri non debuisse ex eo probat quod, *iusta vincula non soluit nisi vera pœnitentia*, firmata superioris, aut eius qui excommunicauit, absolutionis indulgentia.

Quanquam hic, vt alibi, distinctioni est locus, aut enim de excommunicatione agitur, cuius cognitio est habita in Sacramen- B to Confessionis, aut extra, item de conuictu, congressuque priuato, & occulto cum excommunicato, vel publico.

Si primum, certum est nec publice, nec priuatim eius esse vitanda commercia, quem ipsius solius confessione in Sacramento, constat esse submotum ab Ecclesia.

Causa est, quod ea fugienda sunt in communi vita, Presbytero tamen ante cæteros, quę odium ingenerant inuidiamque Sacramento inurunt, cuiusmodi omnium iudicio esse potest, Sacerdotis ab excommuni- C cato discessio, ex qua haud dubie Sacramentum Confessionis odium suscipit.

Quod si contra, de excommunicati censura est certum alieno testimonio, vel fama communi, ac publica, vel quia meipsum eius non fallentis notitiæ testem habeo.

Dico similiter esse fugiendum in conuictu, Sacramentis, ac precibus, quia lex Ecclesiæ, quæ non toleratum vbique à fidelibus vitari præcipit, loco nullo restringitur. quàm late patet orbis, tam potestatem suam vimque fusè exerit, Concilium Antioche- D num 1. *can.* 6. & *can.* 2. ergo non in loco tantum vbi Ecclesia censura excommunicatum perculit, ibi est declinandus, sed & in alio, ad quem transit, si ad eum fama vinculi, quo tenetur penetrauerit, *In quo si mihi acquiescere non vultis authoritati saltem Patrum obtemperate, quę Parochianos alterius Ecclesiæ ab alia Ecclesia recipi non debere testatur*, Iuo *epist.* 10. ad Hugonem Ecclesiæ Aurelian. Episcopum legitur enim in Concilio Meldensi *can.* 9. *de illis autem qui intra Parochiam beneficium* E *aut hæreditatem habent, & alterius Episcopi Parochiani sunt, placuit vt excommunicentur, nec ante ex Parochia exeant, quam quæ perpetrarunt digne emendent.*

Quod si de eo non sit rumor, sed pauci duntaxat, atque adeo solus ipse scit, qui hanc communicationem, sibi licita sit, necne ambigit, quid iuris?

Dico secundò, *Si in ea vrbe in qua excommunicatus versatur, nemo sit censuræ eius qua tenetur, conscius, præter vnum aut paucos, & ita non sit eius excommunicatio, aut denuntiatio cognita.*

gnita. Dico inquam hunc ei non esse vitandum, sic Antoninus *in 3. parte tit. 25. cap. 1. parag. 1.* Sylu. *excommunicatio 5. num. 26.* Armilla *eodem verbo num. 61.* Fagundez *lib. 8. in praecepta cap. 28. nu. 12.* ita asserendi causam hanc habeo, quod homini cuius dubia non est probitas, nefas sit creare infamiam, creatur vero, cum qui communi est opinione hominum non malus, euitatur vt improbus, quid enim plebi in animum tùm venire aliud poterit, quam eum esse Ecclesiæ exosum, ab eoque excommunicatum, à cuius se consortio alius subiungit? A

Dices eum esse alibi denuntiatum, idque probari posse testibus, in ea ciuitate vbi non est natus, proindeq; eum ibi vitandum esse.

Neganda est conseq. nam non ideo præcise, quod quis testibus probari possit excommunicatus esse, est alibi: V. C. in hac ciuitate, vbi non est cognitus, vitandus vt excommunicatus non toleratus, vitari tamen debet in occulto, quia est vere excommunicatus vt supponitur, & non toleratur, & ego scio, ergo ab eius congressione etiam clandestina arceor, iuxta *ca. cum non ab homine de sentent. excommunicationis*, vbi definitur, quod publice excommunicatus, sit vitandus publice, occultus occulte.

Quidam & horum magnus est cuneus, à publico quoque mihi abstinendum esse excommunicati consortio decernunt, horum Princeps est Innoc. *in cap. inquisitioni de sent. excomm.* consentiunt Innocentio Panormit. *in cap. cum non ab homine de sentent.* Couar. *in can. alma mater lib. 6. par. 2. parag. 1.* Nauar. *in can. inter verba 11. q. 3* & alii: in eam eos mentem impellunt quæ sequuntur.

Primum, quod lex Ecclesiæ non toleratum vbique vitari præcipit, ergo in omni loco tam priuato, quam publico.

Secundum, quod ex quinque casibus hoc hexametro cóclusis, *vtile lex, humile, res ignorata necesse*, nullus mihi suffragetur vt possim ad colloquia & congressionem publicam aspirare excommunicati, quem esse talem, nullus sermo publicus, aut litera ad vrbem detulit, vbi ille, & ego versamur.

Respond. ad conseq. vitandum quidem excommunicatum in omni loco, sed eo modo qui sit proportionatus ac conformis notitiæ, de excommunicatione excommunicati habitæ, sic vt si hæc sit publica publicè, si priuata & clandestina, clam, priuatim ac occulte euitetur.

QVÆSTIO IX.

An excommunicatus sacris Ecclesiæ officiis vacare possit.

EFfectus excommunicationis secundus, est, priuare excommunicatum actuali celebratione diuinorum officiorum, ac auditione eorundem.

Sit argumento, primò, quod à Memnone
B Ephesiorum Episcopo Candidianus domesticorum Comes in actis conciliabuli queritur Nestorio Constantinopolitano excommunicato, & aliis Episcopis clausas fuisse sacras ædes, τάτε ἅγια μαρτύρια καὶ τὸ ἅγιον ἀποστόλιον ἀπέκλεισε μὴ συγχωρήσας, μηδὲ τὴν ἁγίαν πεντηκοστὴν παρὰ τῶν ἐπισκόπων ἐπιτελεσθῆναι, idest *Sanctas Martyrum ædes conclusas ac sancti Apostoli basilicam & ne sacrum quidem Pentecostes diem Episcopis celebrare permissum esse.*

Sunt autem diuina officia sacræ functio-
C nes quæ ab Ecclesia publice fiunt, ac solemniter, vt sunt Missæ sacrificium, preces canonicæ. omnis publica oratio, processio, benedictio, consecratio, aut similes cæremoniæ, quæ à ministris ex institutione Christi, aut Ecclesiæ fiunt solemniter.

Prima assertio, *Celebrare diuina publice, aut ea audire est excommunicato denuntiato prohibitum sub mortali.*

Assertioni fides est à decretis Pontificum Clem. III. *in cap. significauit 18.* Innoc. *in cap. nuper 20. c. responso 42. de sent. exc.* in eorum
D enim primo, vult Clemens, *Clericos qui scienter & sponte participauerunt excommunicatis à se, & ipsos in officiis receperunt, eadem excommunicationis sententia cum ipsis inuolui.*

In tertio, vult Innocentius, ne quidem illis diebus, quibus tempore interdicti licet publice diuina facere, excommunicatis id esse liberum, aut iis interesse, *cap. autem Episcoporum octauo de priuilegiis in 6.* illis interdicitur qui ad sacra eos mysteria admittunt, ingressu Ecclesiæ, in quem pedem inferre
E excommunicato prohibitum video, in Concil. apud Palatium Vernis sub Pipino anno 755. *can. 9.* his verbis, & vt *sciatis qualis sit modus istius excommunicationis, in Ecclesiam non debet intrare nec in oratione se adiungere.* Apertius de re præsenti Bonifac. VIII. *cap. Episcoporum citato, statuendum duximus ne aliqui sæculares, aut regulares, scienter celebrent, vel faciant celebrari diuina in ciuitatibus, castris, &c. aut excommunicatos publice, vel interdictos, ad diuina officia seu Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam ad-*

mittant, qui vero contra præsumpserint, ingressum Ecclesiæ sibi nouerint interdictum.

Quare excommunicato operari sacris non licet, litare, offerre, preces canere in Ecclesia, quæ Sacerdotum propria sunt munera, nec ad illam eum admittere, cum hæc fiunt. In admittentē pœnā dicta est excommunicationis à Concil. Alemanniæ habito anno 1225. Conrado Cardinali Portuensi præside, iussu Honor. III. *Statuimus*, inquiunt ibi Episcopi, *vt postquam tales excommunicati fuerint in vicinis locis publice denunciati, Sacerdos qui coram eis celebrauerit, simili pœna puniatur*, in celebrantem autē irregularitas est lata.

Dixi *cum fiunt*, vt indicarem excommunicatis non esse prohibitum priuatim orare in Ecclesia, concionis causa ei se præsentes sistere, eam post absoluta diuina officia subire, sicuti docet Henriq. *lib. 13. cap. 7. num. 2.* Suar. *disp. 12 sect. 2.*

Equidem est excommunicato omnis cum fidelibus interdicta communicatio, *can. nihil can. Engeltrudam* 11. *q.* 3 at maior esse vix vlla potest, quam cum diuina agitantur mysteria, celebrantur, aut audiuntur, quare graui se culpa excommunicatus impiat, cum diuinis officiis se obtrudit, facit enim contra præceptum Ecclesiæ de re graui, ac momenti maximi, ei à sacris Pontificibus impositum, *cap. illud de excommunicato ministrante*, & *cap. is qui de sentent. in 6.* Enimuero nihil est subsidii allatum excommunicatis per *Extrauag. ad euitanda*: Ergo vt ante, sic & modo, diuina eos mysteria vitare, nec ea celebrare est necesse.

Secunda assertio, *Si excommunicatus diuinis officiis vacet, quo more obiri solent in Ecclesia id est solemniter, aut coram se eo modo fieri imperet, est irregularis.* Ita Nauar. *cap. 27 num.* 244. Suar. *de censuris disp. 12. sect. 1. num. 8.* Patet ex toto titulo de *Clerico excommunicato ministrante*, & *cap. primo de sententia & re iudicata in 6.* vbi hæc habentur, *sciturus quod suspensione durante, si damnabiliter se ingesserit diuinis, irregularitatis laqueo se inuoluet, secundum canonicas sanctiones.* Ita Innoc. IV. probaturque assertio ex *cap. illud de Clerico excommunicato ministrante*, vbi dicitur irregularis esse qui celebrationi diuinorum in excommunicatione se ingerit, at actu se ingerit qui Missam celebrat. ergo, &c.

In huius rei fidem est ad manum ea de re Alexand. III. decretum in Lateran. Concilio, *parte* 10. *cap.* 51. rogatus enim à quibusdam, sibi vt deprecantibus culpam in celebrando sacræ Missæ officio admissam eius veniā pro paterna sua caritate annueret hoc nomine præ cæteris, quod eiusdem criminis socios haberent non paucos, rem ad Tole- A tanum Archiep. remittendam credidit sed ea lege, *vt rei veritate diligenter inquisita, si* 40. *solummodò vel pauciores in his deliquisse constaret, omnes in perpetuum ab officio Sacerdotali deponeret. Si verò multitudinem magnam in hoc peccasse cognosceret, eos perpetua depositione condemnaret.*

Dixi (ex more) quia non prohibet Ecclesia absolute, & simpliciter diuina officia, ab excommunicato denuntiato fieri, sed ex officio, quomodo eo exercere cognoscitur.

Primo, si talia sint, vt repugnet ea ab aliis fieri quam Clericis, vt est in Episcopo, con- B firmare, in Sacerdote sacrum facere, confessiones audire.

Secundo, si fiant cum solemnitate, cæremoniis, & testibus, iis defungi, *vt solent* Laici, etsi sit malum, non tamen eiusmodi, vt ei actioni cōiuncta sit irregularitas, Suar. *disp. 12. sect. 2.* Causa non est alia quā voluntas Ecclesiæ, quæ cæremonias adhiberi à ministris suis solitas prohibet vsurpari à præciso, in functione publica sui ministerii, pœna irregularitatis non parenti addita, vt ex to- C to titulo de Clerico excommunicato ministrante, licet colligere.

Ex more dixi, vt innuerem ab hac esse pœna liberum, qui domi suæ preces Canonicas decurrit, aut alibi, priuatim tamen ac solus, nam publice operam his nauare nō est tutū.

Neque excommunicato prohibitum est modo, diuina obire officia, sed & audire, quare neque in loco sacro eis interesse potest, neque profano, nec extra Ecclesiam, hærendo in eo spatio, vnde audiri queant, vt vel hinc patet, quod interdicti tempore D fieri diuina submissa voce iubeantur, ne ea excommunicati aut interdicti percipiant, *cap. quod in te de pœnit. & remiss.* ibi enim ianuæ iubentur esse clausæ, non solum ne hi templū ingrediātur ac subeant, sed etiam ne quæ ibi fiunt, ipsi percipiāt, vt notauit Vgol. *tabula 2. cap. 8. parag. 3.* ac ne quidem, si excommunicatos, *cæcos aut surdos esse, vi morbi cōtingeret*, sacris sine culpa officiis interesse possent quia eiusmodi priuationibus & dānis non restituuntur Ecclesiæ. Quid autē Sacerdoti præstare sit necesse cum excommuni- E catus diuinis se ingerit dicetur postea.

Interim nosse conuenit primo, excommunicato prohibitum non esse, preces priuatim decurrere, imo ad id eum teneri, si beneficium habeat, aut ordinem sacrum, ne ex iniquitate sua commodum reportet, secundum Nauar. *cap. 25. num.* 102. Suar *disp. 12. sect. 2. num. 13.* qui addunt, idem dici oportere, etsi fructibus sui beneficii priuetur, eo quod officium in excommunicatione, facere suā nequeat quia culpa sua accidit, perq; cum

illas,

ſtat tantùm, quod fructus non percipiat, *Damnum autem quod quis culpa ſua ſentit, imputare debet ſibi, non aliis, reg. 86. in 6.*

Secundo, meminiſiſſe conuenit, Clerico excõmunicato non tolerato, quando horas canonicas priuatim cum alio recitat, vetitum eſſe dicere, *Dominus vobiſcum*, quia eſſet quædam communicatio cum aliis, ſed loco eius precis, dici hanc poſſe, *Domine exaudi orationem meam.* Addunt aliqui, Sacerdotem pronunciatione dictæ precis, irregularem fieri, quia in excommunicatione exercet actum ordinis, negant alii, niſi cum publicè ac ſolemni ritu pronunciatur, & non priuatim, quia tunc non exercetur actus ordinis, cum à Subdiacono priuatim orante dici poſſit. Deinde irregularitas quæ in pœnam infligitur, non ſubitur niſi ob mortale, cuiuſmodi eſſe duarum harum vocum prolationem, *Dominus vobiſcum* quis dicat? non eſt ergo hæc culpa in excommunicato pluſquam venialis Laym. *lib. 1. tract. 5. par. 2. cap. 2. num. 6.*

Tertio, nec hoc eſt prætereundum, cum nomine diuini officii, non intelligatur concio, permiſſum eſſe excommunicato non tolerato, eam audire in templo, quo tempore diuina officia in eo non celebrantur, non autem his intereſſe, aut cum fidelibus cum fiunt agere.

Secus qui facit, peccat mortaliter, niſi eum neceſſitas excuſet aut ignorantia Ægid. *diſp. 14. dub. 7. num. 50.* quia præceptum in re graui violat, omnis enim participatio in diuinis, materia cenſetur grauis, quia & per ſe eſt talis, & directa, ac primaria intentione, prohibetur ab Eccleſia, vnde peccat excommunicatus mortaliter, Sacramenta recipiendo, aut adminiſtrando, &c. vt dictum eſt antea, at in his duabus vocibus *Dominus vobiſcum*, materiam reperiri ad mortale idoneam nemo eſt tam parum cogitans, dicere qui velit, & auſit, venialis eſt ergo duntaxat, Ægid. ſupra, *num. 54.* fugienda tamen, nulla autem in audienda cathecheſi, aut concione, nam haberi hæc poteſt licite ab Eccleſiaſte, vt eſt in decretali *reſponſo 43. de ſentent. excomm.* interrogatus enim Pontifex à Ferrarienſi Epiſcopo, an ad populum ſententiis excõmunicat. & interdicti ligatum, quot hebdomadibus dicere ipſe poſſet, reſpondit *ſine ſcrupulo conſcientiæ, hoc eum facere poſſe, cum viderit expedire, dummodo contra formam interdicti nullum ei diuinum officium celebretur,* hinc enim ſequitur, audiri quoque concionem ab excommunicatis impunè poſſe, ac ſine crimine, equidem cum ſalus publica aut priuata aliquorum agitur, omnis eſt honeſta ratio agendi cum non tolera-

A to, at habet pro fine concio, bonum eorum ſpirituale qui illam audiunt, ergo vt illam habere ob eam cauſam, ita & audire licitum.

QVÆSTIO X.

An coram excommunicato Miſſa dici queat, aut à fidelibus cum eo audiri.

Dico primò, *Diuina myſteria coram excommunicato celebrari non poſſe.* Ita Con-

B *cilium Alemanniæ ſub Conrado Cardin. can. 6.* Bonif. *in c. alma mater de ſent. exco. in 6.* quia excõmunicatis rem negotiaque habere cum fidelibus non licet, *can Engeltrudam 11. qu. 3.* at cum excommunicato vere communicat in diuinis, qui Miſſam coram eo celebrat, nam qui Miſſæ intereſt, eam Sacerdotis opera, miniſterioque Deo offert, viciſſimque iſte, pro ſe ſuam oblationem numini repræſentat, itaque eſt id iſti ſpecialiter prohi-

C bitum *in cap. is qui 18. de ſent. excomm. in 6.* in quo Bonifacius VIII. *ait eum qui præſentibus maiori excommunicatione nodatis celebrat, temere agere, irregularitatis tamen, cum id iure non ſit expreſſum, laqueum non incurrere*, in Concilio autem citato initio *can. 7.* is qui coram illis ſacrificat iubetur excommunicari & quidem excommunicatione ſimili, hoc eſt maiori *in cap. autem Epiſcoporum de priuilegiis in 6.* iis, qui tales ad diuina officia præſumunt admittere, ingreſſu Eccleſiæ interdicitur, quod eſt argumentum, in hac re communicare cũ

D præciſo licere nemini, ſine mortali peccato.

Præciſi porro nomine non alii intelligendi, quam denunciati, & Clericorum percuſſores notorii, quia poſt Conſtantienſe Concilium, licitum eſt fideli cum tolerato agere, tam domi in priuatis colloquiis, quam in templis, eum adhibere vitæ ſuæ, ac pietatis ſocium, & quanquam hic peccet acquieſcẽdo fideli non excommunicato, cum quo, per leges Eccleſiæ non debet verſari, extra neceſſitatẽ non tamen fidelis, niſi in caſu quo illum ad id induceret, ſine cauſa.

Dico ſecundò, *Huic culpæ irregularitatem*

E *nullam coniunctam eſſe*, quia eius nulla eſt in ſacris canonibus mentio; ergo cum nulla ſit inuehenda in Eccleſiam, quam non Pontifex ſtatuerit, aut Concilium, vt eſt in *cap. is qui 18. de ſententia excom.* non eſt Miſſæ celebratio, coram denuntiato, aut non tolerato, citra caſum in priori aſſertione declaratum, irregularitate plectenda.

At enim (inquies) eſt in Concil. Alemanniæ ſub Cardin. Portuenſi anno 1224. *cap. 6.* eos qui ſcienter ante excommunicatos

celebrant, infames esse, at qui sine re, nomi- neque sunt in Republ. hi quoque sunt irregulares ergo &c.

Respondend. concilium hoc prouinciale esse, ab eo proinde fieri leges non posse, quæ vbique obligent.

QVÆSTIO XI.

An excommunicatus priuetur sepultura & quæ sit pœna eam illi concedentium.

QVia ad diuina officia pertinet procuratio sepulturæ per sacros homines est hic eius adiungenda tractatio, in qua tria considerabimus, corpus sepeliendum, personas quæ sepeliunt, & locum sepulturæ, pro prioris intelligentia sit

Prima assertio, *Non potest infirmus excomunicatus petere, vt in hoc vel illo loco sacro sepeliatur.*

Primo, quia sic, diuinis ingerere, se vellet quod est malum.

Secundo, abire velle à lege Ecclesiæ, ac eniti vt violetur ab alio, aut à se, nulli potest accidere sine scelere, at est excommunicati mortui in tumulum illatio, prohibita sacris Pontificum legibus: Clementis tertii *in cap. sacris 12. de sepulturis*, Alexand. III. *in cap. 2. de hæret. in 6.* Innoc. III. *in cap. consuluisti de consecratione Ecclesiæ vel altaris*, nam hic cœmeteria in quibus excommunicatorum corpora tumulantur, vt eorum attactu polluta, reconcilianda esse ait, *aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consueuit*, vult autem Alexand. eos, *qui hæreticos vel fautores eorum scienter præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, vsque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ subiacere*, cum enim *sacris sit canonibus institutum, vt quibus non communicauimus viuis, non communicemus defunctis, & vt careant sepultura qui prius erant ab Ecclesiastica vnitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint, de sepultur. cap. 2.* quis non videt æquitatis rem esse plenissimam, vt qui Ecclesiæ decreta violat, eiusdem authoritate iustam audaciæ suæ ac temeritatis pœnam ferat? est ergo sepulturæ Ecclesiasticæ pro excommunicato postulatio, illicita.

Tertio, est communicatio in diuinis cum fideli excommunicato denuntiato prohibita, ergo & eius petitio, sed sepultura ad res diuinas pertinet, maxime si fiat in loco sacro.

Primo, quia ius ad illam habent soli fideles iique Ecclesiæ obedientes.

Secundo, quia nec emi, nec vendi potest sine simonia, vt dicitur in Concilio Valensi

A *tomo 2.* Concil. *can. vltimo*, & refertur 13. q. 2. *can. præcipiendum*, quod indicat ius sepulturæ spiritale esse, ergo mortui tumulatio in loco sacro, quædam est in diuinis cum eo communicatio, in quantum corpus ad animam refertur, & est honor eiusmodi qui ei defertur, indicium vnionis, quæ cum Ecclesia viuenti intercessit, qualis tamen ob censuram qua est ictus, ei nulla extitit, sed communicare mortuo non licet, cum quo dum viueret commune nil nobis in conuictu esse potuit, Leo Papa ad Rusticum Narbonn.

B *epist. 92. cap. 6.* & refertur 24. q. 2. *can. 1. & 11. q 3. can. quicunque*, dictum est ergo verissimum, nec posse excommunicatum petere ius sepulturæ in loco sacro, nec hoc ei concedi posse.

Secunda assertio, *Si eam non petit, & eius excommunicatio est occulta, aut certe non est ager denunciatus, vel notorius Clerici percussor, in loco religioso sicut cæteri sepeliri poterit.*

Probatur non prohibetur sepeliens participare in diuinis cum defuncto, cum quo

C dum superstes erat participare libere poterat, vt dicitur *in cap. ex parte 11. de sepult.* quod refert Nau. *Enchir. ca. 27. n. 36. & 137. verbo 3.* at etsi denuntiato per Ecclesiæ voluntatē, eiusque leges libera non sit communicatio cum quolibet, tamen est cuilibet concessa cum illo, igitur hi soli excommunicati loco sacro sepeliri non poterunt, qui denuntiati erunt, aut notorii Clericorum percussores, per quorum sepulturam locus polluitur quē reconciliari oportebit aspersione aquæ solemniter benedictæ secundum Innoc. *in ca.*

D *consuluisti de consecrat. Ecclesiæ*, quod quandiu non fiet, nec diuina inibi fieri officia, testimonio Suar. *tom 3. disp. 81. sect. 4.* nec fideles sepeliri poterunt Bonifacii VIII. decreto *in cap. vnico de consecrat Ecclesiæ vel altaris in 6.*

Confirm. cuique per Constant. Concil. est licitum absolute communicare in sacris & prophanis cum tolerato, ergo & in sepultura cum nullibi excipiatur.

Quid si sit hæreticus? Respond. hæreticos quoad hoc peiori non esse conditione cæteris, quare quandiu non sunt denunciati, non prohibentur præcisè, & vt sic, sepeliri, in-

E dicio est, quod *in cap. quicunque de hæreticis in 6.* Papa loquatur de hæreticis damnatis per sententiam, quales non sunt tolerati, vt notant Ægid. *disput. 14. dub. 8.* Suarez *disput. 12. sect. 4.*

Tertia assertio, *Locus in quo præcisos sepelire vetitum est non nisi sacer est.*

Primo, quia Clemen I. *de sepulturis & ca. sacris 12. extra eod. tit.* fit mentio cœmeterii quod ex forma Ecclesiæ rituque benedici est in more.

Secundo

Secundo, excommunicati eo loco ſepeliri prohibentur, in quo illis aliqua nobiſcum poſt mortem eſſe poteſt communio, at nulla eſt niſi in ſacro, cum ad illum tantum fidelium aſportentur cadauera, ibi autem eos ſepeliri prohibet Alexand. III. *in Concil. Lateran. parte 31. cap. 5. de excommunicatis*, intelleximus inquit ibi Pontifex, *quod hoſpitalarij nominatim excommunicatos contra prohibitionem Eccleſiaſticam præſumunt tradere humanæ Chriſtianæ ſepulturæ, non cogitantes quā graue ſit cū illis in morte cōmunicare, quos dum viuerent, Eccleſia pro ſuis exceſſibus, à ſinu ſuo ſegregauit, vnde quoniam huiuſmodi præſumptionem nolumus, nec debemus aliquatenus tolerare, diſcretioni tuæ*, &c.

Quarta aſſertio, *Excōmunicato denūciato ſine abſolutione & conſritione defuncto neganda eſt Eccleſiaſtica ſepultura*, ita enim *ſacris eſt canonibus conſtitutum, vt quibus non communicamus viuis, nec communicemus defunctis, & vt careāt Eccleſiaſtica ſepultura, qui prius erāt ab Eccleſiaſtica vnitate præciſi, nec in articulo mortis recōciliati fuerint*, Clem. III. *in c. ſacris 12. de ſepultur.*

Pœnæ ſecus facientis ſunt duæ, prima excommunicatio latæ ſententiæ, *à qua nullatenus ſunt abſoluendi, niſi prius ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi, eis quibus per præmiſſa, iniuria fuerit irrogata, ſatisfactionem exhibuerint competentem*, Clem. V. *in Clement. prima de ſepulturis.*

Ab ea tamen excuſant primo, ignorantia tam iuris quam facti, ſecundo bona fides, illa quidem, quia vt incurratur excōmunicatio vult Papa excommunicatos, ſcienter & cum præſumptione mandari terræ cui notitiæ aduerſatur ignorātia, ſicut bonæ fidei temeritas & audacia: hæ enim cū contēptu clauiū, quem in ſepelientibus vt cenſuræ ſubiaceāt, Pontifex exigit, ſtare cum illa nequeunt.

Tertio, excuſat ab hac cenſura locus, qui ſi ſacer non erit, hæc ſepelientem non afficiet, in ſacris autem habentur templum, & cœmeterium, vt pote communi vſu Eccleſiæ, ſepulturæ deputata defunctorū, Cœmeterii ſane meminere duo Pontifices Clemens III. *in cap. ſacris citato de ſepulturis*, & Alexand. III. *in Concil. Lateran. parte 31. cap. 5.* Templi autem Ægid. *diſp. 14. de excom. dub. 8. num. 6.*

Pœna altera ſepelientium præciſum denunciatum, contra ſtatutum Eccleſiæ, eſt obligatio eius exhumandi, *Diſcretioni tuæ mandamus*, inquit Alexand. III. *in cap. citato Concil. Later. quatenus prædictos fratres moneas, & horteris, & ex noſtra parte præcipias, vt ſi quos in excommunicatione defunctos in cœmeteriis ſepelierint, extra cœmeteria eos penitus eiiciant.*

A Clarius Clemens III. *in cap. ſacris. Si ab aliorum corporibus diſcerni poterunt, exhumari debent, & procul ab Eccleſiaſtica ſepultura iactari.* Idem ab Alex. III. *in cap. quicunque 2. de hæreticis in 6.* ſancitū in hæreticos reperio, nam hic non contentus cenſura ſtrinxiſſe, qui illos, eorum credentes, fautores, defenſores, Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ ſciēter præſumunt, eos quoque abſolui negat oportere, *niſi propriis manibus publice extumulēt, & proiiciant huiuſmodi corpora damnatorum.* Si tamen diſcerni ab aliis non poſſunt, exhumari ea non oportet, ne per imprudentiam defunctis, eorumque corporibus irrogetur iniuria.

B Quod ſi defunctus ante mortem contritionis ſigna dederit, licet abſolutus non fuerit, exhumandus tamē non erit, ſed abſoluēdus ab eo, à quo viuus debuiſſet, *cap. à nobis 28. de ſentent. excommunicat.* multoque magis, ſi antequam efflaret animam, eſſet per Sacerdotem à cenſuræ ſuæ nexu ſolutus, iuramento tamen ante præſtito facturum ſe parti latæ ſatis, hoc vt putem ſuadet Alexand. III. *reſponſum in Lateran. Concil. parte 50. cap. 52.* conſultus enim à Lucenſi Epiſcopo ecquid eorum propinquis fieret, qui pro excommunicatis ſub finem vitæ, vades ſe præbebant, reſpondit, eos monendos eſſe, vt fidem promiſſi faciant, proque iis ſatisfactionem exhibeant, *quod ſi fecerint, qui laborans in extremis, præſtito iuramēto per Presbyterum, obtinuerit ab excommunicationis ſententia relaxari, in cœmeterio ſepeliri poterit, ſi autē propinqui monitis acquieſcere cōtradixerint, quia iam non eſt peccatum purgatum, defuncto Eccleſiaſtica ſepultura neganda erit.*

C Dix *denunciato*, quia toleratus etſi nō abſolutus, modo ſigna pœnitentiæ dederit, tamen in loco ſacro ſepelitur licite, quia nullo id iure poſitiuo, naturali, aut diuino prohibetur, honeſteque ei ſuffragia applicantur Eccleſiæ. Idem dicendum, quando dubitatur, an contritus deceſſerit, quia ſemper pars melior eſt præſumenda, & ſi negarentur ei tùm ſuffragia Eccleſiæ, ac ſepultura, infamis fieret, eiuſque propinqui omnes, quod vita re caritas præcipit Ægid. ſupra *num. 66.*

D E Quæſtio fuit altera, quinam ad hanc pœnam incurrendam, dicendi ſint excommunicatum humo ac ſepulturæ tradere? an hi tantum qui cadauer tumulo condunt, in foſſam inferunt, an etiam qui ei ſe honoris cauſa, comites addunt, ſepulturæ locum tribuūt, aut vltro accipi ſinūt, pſalmos occinunt, ære campano de precibus pro defuncto faciendis populum commonefaciunt, cruces, cereos, aliaue ad funus ſpectantia gerunt.

Henriquez *lib. 13. cap. 11. num. 3* priores tan-

tum, hoc est qui cadauer fossæ imponūt, eam incurrere pœnam ait, quia hi soli proprie dicūtur sepelire, quare cum verba in proprio, & rigoroso sensu capi debeant, legis maximè quæ pœnam infert, hi soli (inquit) violatæ censuræ futuri sunt rei: quæ opinio est etiam Caiet. *verbo excomm. cap.* 46. Nau. *Enchirid. cap.* 27. *num.* 137. Declaratio quinta (inquit) quod solùm qui sepeliunt, & collocant corpus in sepulchro, incurrunt hanc censuram, & non qui efferunt, vel prosequuntur, aut diuina officia peragunt, quamuis solus baiulus sepeliret. Hæc ille,

Censet Vgolinus *tabula* 2. *cap.* 8. *parag.* 6. *num.* 3. eos omnes in excommunicationem incidere, qui eas operas ad sepeliendum præstant, sine quibus non sepeliretur mortuus, cuiusmodi sunt, qui corpus deferunt, tumulum effodiunt, in eo defunctum ponunt, eum humo operiunt, qui cum prohibere possint, & debeant ne sepeliatur, non prohibent, sed ad sepulturam admittunt, quod disertè vetat Bonifac. VIII. sub pœna interdicti ingressus in Ecclesiam *cap. Episc. de priuil. in* 6.

Item qui sepeliendum mandant, qui procurant, qui præsentiam suam accommodant ne quis impediat, quo minus sepultura donetur, quia in hos proprie conuenit (inquit Ægid. *disp.* 14. *dub.* 8 *num.* 68.) tale quid audacia temeraria facere, & in contemptum clauium; quæ est etiam Suarii opinio *disp.* 12. *sect.* 4. *num.* 10. si tamen crederent eum absolutum, aut dedisse cautionem iustam, aut id ab Ecclesia, sub eo pœnæ genere nescirent esse vetitum, ab ea pœna forent liberi, quia Clemens V. *in Clement.* 1. *de sepultur.* præsumptionem & scientiam in sepeliente, ad eam pœnam incurrendam, exigit.

Similiter & hi mihi à censura eximendi videntur, qui eam operam adhibent, sine qua tamen, solita in mortuo sepeliendo, redderentur humanitatis officia, maximè si hæc bona illi fide præstent, vt qui honoris causa, prosequuntur funus, aut rogati Ecclesiæ laudabili instituto ac ritu, psalmos canunt, sic enim multitudini parcitur, & legi, interpretatione ridicula ac fallaci vis non infertur.

Obiicies, Qui se eorum exhibent comites, qui cadauer efferunt, aut tumulo condunt, his quos censura ligat, communicant, in minorem ergo excommunicationem sunt lapsi.

Anteced. est falsum, nam illi censuram subire non sunt censendi, aut ea vincti esse, nisi sepulto mortuo, reque, quod aiunt, perfecta, & integra, at tunc eis vltra non communicant, vt res loquitur.

Ad locum quod attinet, (quæ fuit tertio loco proposita quæstio,) Dicendum videtur non alium quam sacrum esse sepeliendo excommunicato prohibitum, scio *in Clem.* 1. *de sepult. & cap. sacris de sepulturis canone consuluisti de consecration. altaris*, solius cœmeterii mentionem fieri, Ecclesiam tamen etiam non consecratam intelligi loci sacri nomine negare quis ausit? Gregorio nono maximè asserente *in decretali nona de immunitate Ecclesiæ*, quod *Ecclesiæ in qua diuina mysteria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, nullo iure priuilegium immunitatis adimi, queat quia obsequiis diuinis dedicata, nullius est temeritatis ausibus profananda.*

Quare si in ea tumuletur excommunicatus, tam ipsa, quam cœmeterium ei contiguum censetur esse pollutum, nec debet antequam reconciliatum fuerit, in eo aliquis sepeliri, polluto tamen cœmeterio, per huiusmodi sepulturam, licet Ecclesiæ contiguo, non debet Ecclesia polluta reputari, ne minus dignum, maius, aut accessorium principale ad se trahere videatur vt dicitur *in cap. vnico de consecrat. Ecclesiar. in* 6.

Et quoniam vnumquodque tollitur eo modo, quo est inductum, ideo reconciliata Ecclesia, & cœmeterium quod ob Ecclesiam pollutum erat, censeri debet reconciliatum docet Vgol. *tab.* 2. *cap.* 8. *parag.* 5. posse tamen excommunicatum sepeliri in loco profano, licet cōtiguo loci sacri, tradit Glossa in *Clement. citat.* Imo si cœmeterium est auctum, sine auctoritate Episcopi, in ea parte, qua est auctum, nondum tamen cōsecratum, sepeliri, eum posse scribunt, Vgolin. *parag.* 5. *nu.* 1. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 11. *num.* 3. *litera M.*

QVÆSTIO XII.

Quomodo excommunicatus communibus Ecclesiæ suffragiis priuetur.

EST hic excommunicationis effectus alter, quod qui ea est notatus communibus priuetur Ecclesiæ suffragiis, id est auxiliis cuiusquemodi, maximè vero spiritualibus, quæ ex publicis ministrorum officiis ac sacrificiis, deriuari ad fideles solent, est enim Ecclesia, mysticum quoddam corpus, fideles autem eius membra, partesque, Paulo teste, *Vos autem estis corpus Christi & membra de membro, prima ad Corinth.* 12. quare quæ membrorum est inter se coniunctio, qui nexus, ac societas, eadem esse debet fidelium inter se. & vt cuiusque membri opera, in totius corporis, membrorumque cedunt commodum, ita sibi ope mutua Christiani [illegible] æternæ vitæ ac immortalis præmia conf[illegible] eo spectant quæ à Dauide sunt scripta

ſcripta, in communionem venire ſe bonorum omnium, quæ vbique ad principis Dei gloriam geruntur ac fiunt, *Particeps ſum omnium timentium te Domine, & cuſtodientium mandata tua*. Eodem quoque pertinent, quæ à Paulo commendantur omnibus, vt viciſſim ſua ſibi onera communicent, *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

Habent ergo Chriſtiani, Dei & Eccleſiæ ſingulari caritate, ius ac poteſtatem communibus his bonis communicandi per ſacrificia, Sacramenta, indulgentias, quibus vt eorum eſt domina, aut certe diſpenſatrix Eccleſia, excommunicatos, vt contumaces, vt Dei inimicos ac hoſtes, vt tantis indignos bonis, ad terrorem nocentium, eorumque priuatum bonum ſpoliat, vt hoc ſuo percuſſi malo, ſapere tandem, ac ad bonam redire mentem diſcant.

Ita Doctores, ex quorum ego ſcriptis atque ſententiis, quę valde diſtractæ videntur, delibare quædam ſtatui. Quæ magis neceſſariam cognitionem habent, hæc in certas, minimeque dubias notitias conferre placet, ex quibus, fiet exinde ad quæſtionis in titulo poſitæ explicationem progreſſio.

Prima, eaque apud Catholicos certa eſt, opera bona vim habere ſatis faciendi ac merendi, hoc ipſo quod fiunt, quo in genere ſunt, quæ ex Chriſti inſtitutione fiunt in Eccleſia, vt Sacramentorum adminiſtratio, & hæc proſunt ex opere operato (vt aiunt) quia propriam gratiam rite ſuſcipientibus conferunt, quocunque tandem in ſtatu ſit miniſter, vt docetur, 1. q. 1. *can. nonne Sodomitæ can. remiſſionem verſu ſi ergo Sacramenta.*

Alia vim habent ex opere operantis ſolum, proptereaque tantum valent, quanta eſt eius probitas, ac charitas, vt priuatæ cuiuſq; preces. Habent alia vim ex vtroque capite, vt Sacramenta adminiſtrata à viro probo, Miſſæ ſacrificium Deo oblatum ab homine non malo, quod non tantum vim operis operati habet, vt Sacramẽtum, ſed etiam vt ſacrificium, & vt tale, à Chriſto Domino eſt inſtitutum, Sotus *lib. 9. de iuſtit. quæſt. 2. art. 2.*

Notitia ſecunda, operis cuiuſlibet boni, valor eſt triplex, generalis qui omnibus conuenit, qui Sanctorum communione continentur, ſpecialis, qui eius eſt proprius, pro quo quis orat, ieiunat, celebrat, tertius operantis proprius, quem Scotus quodlibeto 20. ſpecialiſſimum nominat, eique conuenit, qui exiſtens in gratia, bene operatur, nec ab eo tolli poteſt, ſicut nec ipſa actio, eiuſue bonitas, poteſt non eius eſſe, qui eam elicit & exercet.

Notitia tertia, Peccatori poteſt quiſquis eſt

A in Dei gratia, iuſtitiam, bonaque inferioris ordinis, ex Dei liberalitate impetrare. Veritatem hanc, ſcriptura & ratio loquuntur, prior quidem Matth. 9. cum ait Paralytico eius culpas remiſſas fuiſſe omnes, propter fidem illorum qui eum illi obtulerant.

Quid? quod Eccleſia per Sanctorum merita, preceſque, gratiam & veniam dari mortalibus poſtulet? quod oranti Stephano, Pauli ad Deum conuerſio ſit conceſſa? Auguſt. *ſerm. 4. de Stephano* quod Sodomitis locus apud eum indulgentiæ, veniæque extitiſſet, ſi iuſtos decem, quos eius iræ furoriq;

B placando opponeret, habuiſſet ad manum.

Equidem Deũ decet, pro cætera ſua in homines charitate, aures ad eorum vota, preceſque apertas gerere, maximè ſi de eorum ſunt numero, qui eius amicitia ac gratia, poſteriora habent omnia, nam cur eorum preces, deſideriaque reſpueret, aut infecta vellet, in omnibus, ac per omnia, ſanctiſſimæ eius voluntati obſecundant? & ſi voluntatem timentium ſe facit, & deprecationem eorum exaudit, in rebus quæ ad ſalutem ſuam, aut ſuorum, parum aut nihil

C conferunt, eam nempe vt inanem nullamque negliget, cum agitur vnius cuiuſpiam aut plurium incolumitas?

De cæteris donis res eſt clara, nam ſi gratiam hoſti ſuo, ad iuſti preces impertit, ſi cum ea amorem, virtuteſque cæteras, quæ quoniam in bene præparatum pectus influunt, infuſæ dicuntur, cur non præberet cætera, quæ vt ſunt momenti ab beatam immortalitatem nullius, aut exigui; hoſtibus plena ſæpe manu largiri ſolet? Loquuntur ſanè hiſtoriæ, Beatiſſimæ Virginis

D ac Sanctorum precibus, multis ſcientiam, non paucis bonam mentem, plurimis de admiſſis dolorem vehementem ac acrem, ad diuina concitatum impetum, ad vitam, vireſque longa vi morbi tantum non conſumptas reditum aliaque non pauca conceſſa eſſe, quæ ſi ſunt vera, cuiuſmodi eſſe nemo ſanæ mentis, fideique ambigit, dicta eſt cauſa, ad multa, eaque diuiniſſima munera, Sanctorum merita, mortalium ſunt generi perquam vtilia.

E Notitia quarta, poteſt Eccleſia hæc aliaque id genus beneficia, per miniſtros ſuos, bonos iuxtà ac malos, impetrare à Deo, peccatoribus ac impiis.

Sic enim argumentamur, ſi vnus id poteſt cur non multi? ſi hic & ille, gratia tantum apud Deum valent, cur non iuſti omnes? ſi è populi turba, homo aliquis, inter homines ſtirpe ſua vilis ac inops, peccatori dona cœlitus impetrat, cur non iuſti omnes qui ſunt

in Ecclesia? quorum ea nomine postulantur à Deo, illa ipsa ab eo non sunt habituri, pro sua reuerentia?

Facit hæc argumentatio, palam vt sit omnibus, publicas preces, Ecclesiæque factas nomine, plus valere, quam priuatas, vix enim est credibile, esse nunc in viuis sanctum vllum in Ecclesia, qui par sit meritis apud Deum, Sanctis omnibus aliis collectim sumptis.

Dixi *per ministros iustos, iniustosque*, quia sicut quod fit in Christi persona, eius institutione ac imperio, summi est meriti, etsi qui id obit ministerium vitiis scateat, ita quod in persona sponsæ Christi geritur, ex eius institutione, vel iussione, magni est hoc ipso meriti: quo in numero, sunt horæ canonicæ, letaniæ, ieiunia, supplicationes, licet qui his vacat, in peccato hæreat: ita Couar. *parag.5.num.6.* Gabriel. & Gerson apud ipsum, quæ ergo Ecclesiæ nomine offeruntur ab Ecclesię ministris, vim semper habent ex opere operantis, cum Ecclesia sit sancta sæpe etiam operato, cum ipsa opera à Christo sint instituta. Imo Henriq. *lib.* 13. *cap.* 11. ait horas canonicas, & Sacramentalia quæ ab Ecclesia, potestate sibi data diuinitus instituta sunt, habere vim ex quadam ratione operis operati, quamuis à peccatore & excommunicato exhibeantur, quæ est multorum sententia.

Iam ad quæstionem, estne excommunicatus cõmunibus Ecclesiæ priuatus suffragiis?

Est suffragium vt hoc loco sumitur, cum commune est, communis totius Ecclesiæ oratio, per quam fideli impetratur ab Ecclesia auxilium spiritale, quo iuuetur in spiritu, qualis oratio est Missa, horæ canonicæ, cæteræque preces, quæ in Ecclesia fieri publice sunt solitæ, vt matutinæ, vesperæ &c.

Nisi malis suffragii nomine intelligere auxilium, quod alicui conferimus, ei meritum operis communicando, siue vt pro eo satisfiat, quod ad iustitiam commutatiuam attinet, siue vt ei aliquid impetretur, quod est iustitię distributiuæ.

Quod si suffragium priuatum erit, priuati hominis erit oratio, in qua solus, priuatimque Deo preces nuncupat, quam ad rem, etsi admodum expressa orantis intentio sit vtilis, virtualis tamen sufficit, quæ est in eo, vt precum, quas Deo fundimus, fructum manare aliquem ad eos velimus, qui communibus charitatis nobiscũ deuincti sũt vinculis, nam hoc ipso tacite nostra illis applicamus merita, vt eorum intuitu Deus eos adiuuet: Priuari ergo communibus Ecclesiæ suffragiis, est carere fructu, qui ex cõmunibus ministrorũ Ecclesiæ sacrificiis, & oratio-

A nibus, ad fideles abundanti deriuatur copia.

Sunt autem præter hæc communia suffragia, & alia particularia, personarum particularium, quibus, notis sibi hominibus, aut aliis, dona quædam ac beneficia, à Deo impetrant, inter quæ hoc est discrimen.

Primo, quod illa vim ac valorem ex intentione habeant.

primo quidem Ecclesiæ,

Secundo, personæ offerentis.

Tertio, à Christi institutione, vt salutare Missæ sacrificium.

Differunt communia Ecclesiæ suffragia,
B à priuatis priuatorum, primo fructu.

Secundo, differunt, quod priuata priuatorum hominum, eis non prosint nec aliis, nisi facta in gratia, cum illa, id est communia, à dignitate offerentis non pendeant, quare in mortali obita, ad satisfactionem valent, aliaque spiritalia commoda, quia offeruntur Ecclesiæ nomine quæ est Deo quam gratissima, Auila 4. *parte cap.6.disp.4. dub.*11. quod de Missæ sacrificio verissime ante alia dicitur, cum ab institutione Chri-
C sti, vim ad satisfaciendum hauriat, qua vi priuari improbitate ministri non potest, cum ab eo non pendeat sed à Deo solo.

Tertio, differunt, quod priuata, vniuscuiuspiam hominis sint opera, communia vero, opera sint quidem, sed multorum, quæ à pluribus, vnius eiusdemque corporis facta membris, in cæterorum redundant commodum, ideoque huc iustorum omnium opera pertinent, nec eorum modo, qui communi nobiscum fruuntur aura, sed qui eam etiam à primis orbis cõditi cunabulis hause-
D re cum spiritu, Noë, Abel, Abraham, Isaac, &c. Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, quorum ex operibus, thesaurus constituitur Ecclesiæ, quatenus sunt meritoria, impetratoria, satisfactoria, habet enim opus quodlibet bonum viatoris, vim triplicem, merendi, impetrandi, satisfaciendi, sed diuersimodè, nam solius Christi opera, potuere mereri aliis de condigno, proque iis satisfacere ex rigore iustitiæ efficacissimè, iisque impetrare quidlibet, tam vi dignitatis infinitę, qua præstabant quam pacti, cum Deo
E Patre initi, Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum* cũ nostra, cæterorumque hominũ opera, non nisi imperfecte, id est ex congruitate quadam, decentiaque id agant, facitq; hæc congruitas, tale vt meritum in impetrationem incidat, nititur hæc autem in liberali ac benefica donantis voluntate, meritum autem in persoluentis debito tantum: Enimuero cum quæ operamur, cogitamus, ac dicimus, mercedem merito suo non imparem præstolentur

in

in cœlis & quidem supra condignum, nihil est, quod iis respectu aliorum, nisi ex congruitate, decentiaque sit debitum.

Est insuper in Dei benignitate magnum contra Dęmones præsidium, infinitum prope ad salutem, peccatique odium adiumentum, hoc porro, aliaque id genus beneficia, genere ipso diuersa, fructu præcipua, pro solita sua in homines munificentia, peccatori Deus in eorum gratiam, quos in amicorum, ac charorum numero habet, largiri sæpe est solitus, fidem eius rei faciunt quæ sequuntur ex scriptura petita testimonia, Gen. 30. *Experimento didici, quod benedixerit mihi Deus propter te* Gen. 39. *Benedixit Dominus domui Ægyptij, propter Ioseph, & multiplicauit tàm in ædibus, quàm in agris, cunctam eius substantiam.*

Addenda his auxiliis, singularis quædam, at præcipua Principis Dei beneuolentia, quâ singulos etiam immerentes, ac indignos, non tam suâ, quàm amicorum causa prosequitur, mala quibus possunt opprimi, auertendo aliò ne noceant, bona, quibus eorum ornari animus, virtusque si qua eius forte habent semina, augeri possit ac crescere, vbere eis manu ac fœcunda largiendo, quæ diuini in hominem amoris argumenta, testimoniaque, vtrum cum triplici illo bonorum genere, quę sunt in impetratione merito & satisfactione posita, excommunicato tolli possint ab Ecclesia, iam est videndum.

Prima assertio, *Potest Ecclesia priuare, ac de facto priuat excommunicatum denuntiatum spiritalibus his suffragiorum commodis*, habetur *in cap. sacris* 38. *& c. à nobis* 28. de sententia excommunicationis, in quibus vetat Pontifex ne pro eo oretur, aut ad illum pars bonorum Ecclesiæ aliqua deriuetur.

Accedit ratio, est Ecclesia bonorum suorum domina, seu Christi nomine, meritorum eius dispensatrix, ergo vt ea applicare dignis, ita & hæc negare indignis potest.

Secundo, Paulus 2. *ad Corinth.* 5. excommunicatum Sathanæ tradit qui iuxta Christiani seruatoris verbà, *Matth.* 18 eiiciendus est ab Ecclesia, at extrudi ab Ecclesia, nō est quoad effectum aliud, quam eius priuari bonis, in quibus haud dubie sunt suffragia.

Tertio, non possunt Ecclesiæ merita iis esse vtilia, quibus non applicantur, at Ecclesia ea excommunicatis non applicat, imo eos his excludit: ergo.

Maior probatur, non potest alienum meum fieri, sine eius voluntate cuius est, ita autē se res habet in bonis Ecclesię respectu peccatorum, & excommunicatorū non autem respectu iustorum, nam vnius ex illis opera, non sunt aliena alteri, quia amicorum Dei, omnia sunt communia, quare nec requiritur intentio formalis & expressa ad ea communicanda aliis.

Secunda assertio, *De facto Ecclesiasticis legibus, nil Spiritalis commodi ad excommunicatum denuntiatum ex communibus Ecclesiæ suffragiis prouenit.*

Causa eius rei potissima, est eiusdem Ecclesiæ voluntas expressa, in binis canonibus, *vigesimo octauo de sent. excom. &* 38. in quibus ambobus, Papæ placuit, excommunicato nobiscum nil esse commune, vt in vita & congressu, ita & in suffragiis & orationibus communibus, quare peccat mortaliter qui pro eo publice orat ex Nauar. *de horis cap.* 19. *num.* 67. quia facit contra præceptum Ecclesiæ in re graui Henriquez *lib.* 9. *cap.* 15. *parag* 13. *litera P.* Sairus *lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 15. pertinet enim ad maiestatem Ecclesiæ vt eius bona, non communicentur ingratis ac immorigeris ea repugnante, nec sine ratione.

Tertia assertio, *Non modo peccat Sacerdos orando publice pro excommunicato denuntiato, sed eius insuper preces sunt irritæ, ac nullæ, si eas Deo offert vt publicus Ecclesiæ minister.* Ita Adrianus *in tract.* 4. *de clauibus dub.* 3. Sairus *loco proxime citato.*

Probatur Oeconomus, non modo peccat dispensando bona domini contra rationabilem eius voluntatem, sed si facit, vane facit ac sine effectu, cum eius acta vim habeant nullam, nisi vt à Domino approbantur, eiusque fiunt voluntate: at Sacerdos, Oeconomus est Ecclesiæ iuxta Paulum, *Sic nos existimet homo vt ministros Christi & dispensatores*: ergo si ea contra voluntatem Ecclesiæ applicet alicui, applicabit sine fructu.

Confirmatur, fructus ex hac oratione sperari nullus potest, si ei repugnat esse meritoriam, repugnat autem, nam non est Ecclesiæ voluntate talis, cum eam arguat, cum fieri prohibeat, suoque nomine, Deo pro denunciato offerri nō cupiat. Nec est etiam ex merito operantis Deo grata, aut ei cuius fit gratia, fructuosa ac vtilis, enimuero cum sit hæc eius actio vitiosa, vt pote præcepto contraria, obedientiæ autem quam à Christianis exigit Ecclesia, aduersa, ecquem amabo ex illius virtute meritoque fructum traheret?

Quarta assertio, *Priuatim tamen, menteque & animo, cuique Deo pro excommunicato, supplicare est licitum, vt in Memento,* ita Diu. Th. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 1. *art* 1. Hostiensis *in summa lib.* 5. *de sentent. excommunicat. num.* 17. Sylu. *verbo excomm.* 1. *num.* 2. *& verbo Missa* 1. *parag.* 4. Sairus *lib.* 2. *thesauri cap.* 4.

Primo, quia mentalis oratio, interna est actio, sicut & Christi meritorum applicatio, sed potestatem in actus internos Ecclesia

nullam habet: ergo, &c.

Secundo, non vetat hæc nisi vota publica, qualibus tantum suffragii publici nomen datur, at meritorum Christi à priuato applicatio, publica censeri non potest oratio, quare nec valet nisi ex opere operantis vt ait Couar. *parag. 6. conclus. 6. & 7.* Henriquez *lib. 13. cap. 12. nu. 3. litera Q.* cum Ecclesiæ preces tanto plus valeant, etiam ex opere operantis, quam priuati, quanto est maior gratia & sanctitas in tota Ecclesia, quam in vno quopiam homine.

Quarta assertio, *Non modo mente, sed & ore, fidelibus licet priuatim, pro excommunicato, Deo preces fundere.*

Est hæc assertio omnium communis, quam & defendunt Soto *in 4. dist. 22. q. 1. art. 4.* Stephanus de Auila 2. *parte cap. 6. dub. 4. conclus. 1. & 2.* in hæc verba: *Excommunicatus etiam non toleratus, ex vi excommunicationis non manet priuatus particularibus Ecclesiæ suffragiis, nec fructu ab illis proueniente*, hinc enim sic argumentamur.

Priuata suffragia, sunt ea quæ personæ priuatæ faciunt, non vt ministri Ecclesiæ, quo de numero, sunt orationes, eleemosynæ, ieiunia, quæ propria animi inductione, aut afflatu sancti Spiritus fideles suscipiunt, at in orationibus, aliqua est vocalis, eleemosynæ autem, & ieiunia sentiuntur, non ergo mente solum, sed & ore, preces priuatim pro excommunicato concipere est licitum.

Pro hæreticis sane, eorum bona fruge, ac ad fidem conuersione, orare in die Parasceues, solemne est Ecclesiæ, ad cuius exemplum, sibi quoque pro illis, propitiãdum cœleste numen, viri Sancti existimant, nec sine merito, ac caritatis in illos commendatione, Henriq. *lib. 13. c. 11. Ægid. disp. 14. dub. 6.*

Secundo, non videtur Ecclesia, priuare posse præcisum aliis suffragiis, quam quæ ei subsunt, quàm in classem cogendæ sunt orationes publicæ, processiones, indulgentiæ, horæ canonicæ, & Missa, at quis preces, quas priuatim Deo religiose facimus, subesse putet alteri quam homini? bona autem alia in quæ fideles, Christianè incumbunt ac cum laude pendere quis existimet ab Ecclesia? non vero à virtute, meritoque supplicantis? ergo &c.

Tertio, Potest priuatus quisque, modo ne prohibeatur ab Ecclesia, merita sua pro quolibet offerre Deo, & pro eo, quod petierit impetrare, at id Ecclesia non vetuit, poterit ergo quilibet, priuatim preces & quælibet alia opera offerre Deo pro excommunicatis, modo ne, vt pro membris Ecclesiæ. Minor est certa, Maior probatur, sacrarum literarum testimonio ecquid enim Matth. 9. A remissa sunt peccata paralytico propter fidem illorum, quorum adiutus manu, operaque ad Christum obrepserat?

Ecquid Stephani votis ac precibus ad Deum, Paulus donatus est Ecclesiæ? August. teste sermone 4. de S. Stephano, Equidem vt est in Genesi, Sodomitas Deus recepisset in gratiam, si decem apud eos iustiuiuenti essent, quà nos eius freti facilitate animi, ac indole facta ad misericordiam, gratiam, & de admissis veniam, dari nobis in Litaniis cum Ecclesia postulamus, Sanctorum B precibus, ac meritis.

Neque obstat quod *Hierem. 15.* videatur his verbis innui contrarium, *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*, indicat enim hæc oratio, rem ex Dei pendere beneficentia, ex iustitia autem (vt loquuntur) debitam non esse.

Patet hinc primò, quam sit deterioris conditionis excommunicatus, præ eo, qui est in peccato mortali, cum applicatione bonorum operum totius Ecclesiæ, fructuque, tam qui ex opere operantis, quam ope- C rato aut indulgẽtiis sperari potest, quæ cum sint bona publica, ea Ecclesia non vult excommunicatis diuidi, aliisque quos excidisse à gratia sua culpa, nec ad eam, pœnitentia veróque de peccatis dolore, rediisse constat: vt docet Nauar. *de Iubilæo notabili 17. num. 1. & sequentib.*

Patet secundo, ex dictis, excommunicatum carere speciali prouidentia, qua Deus Ecclesiæ filios, id est sua membra licet ægra, custodit, carere insuper Christi meritis, quæ D fidelibus per Sacramenta, quibus ipse caret, communicantur, præterea longe magis patere Dęmonum tẽtationibus, quam cæteros, cum eis reliquorum membrorum virtus faueat, proq; iis resistat acriter, vt ait Couar. initio *relect. partis prioris nu. 5. & 6.* propterea enim tradi satanæ dicitur, vt tyrannidem in eum parem exerceat, quam olim exercebat in corpora, qua de re Vgol. *cap. 9. parag. 8.* itaque de excommunicato dicamus licet, tentatur validius, defenditur parcius, peccat crebrius, illustratur rarius, surgit tardius, viuit formidolosus, desperat promp- E tius, damnatur facilius, torquetur vehementius, contra quàm dixerat Diu. Bernardus de homine Religioso, *in hom. super verbis Domini. Simile est regnum cœlorum*, nisi adsit Dei specialis misericordia, quę aliquando secũdum abyssum prouidentiæ suę, peccatis, quasi beneficiis prouocata, miserum efficaciter è limo profundi extrahit videndus Caietan. *tract. 17. cap. 13.* Vgolinus *cap. 9. parag. 9.*

Patet tertio, pro excommunicatis vt membra sunt Ecclesię, neque Missæ

sacrificium

sacrificium, neque preces offerre, nec legibus Ecclesiæ fas esse, quicquam oblationis nomine in eum finem ab iis aut aliis, earum nomine accipere: ita Innocentio III. *in decretali sacris 38. de sentent. excomm.* prohibere visum, ita Augustino, quem Clericis interdixisse constat, ne Bonifacii excommunicati, oblationes ac munera susciperent *can. miror 17. qu. 4.* & quanquam sine vllo orandi pacto dentur, magno tamen animo respui debent, vel hoc solo nomine, quod est perquã turpe auersari hominem, nõ eius dona, Equidẽ qui Cain oderat, eiusque scelera, ad eius non respexit munera, quare *tancrectè incedit Christiana religio, cum aut ea facit quæ Christus fecit, aut euitat quæ Christum euitasse cognoscit. Donationes, & concessiones excommunicatorum, quibus nec dicendum est Aue, propter infirmos, vitandas esse consulimus: non quod Dei creatura, ex eis munda, immunda fiat, quia Domini est terra, sed ne simplicium ex hoc infirmetur conscientia, cum talibus coniecturis existimant, bonis eorum malefacta placere, vel quæ prius abhorrebant mala non esse*, Iuo Carnoti *Laurentio religioso Monasterij Caritatis ep. 81.* Si quid tamen ab excommunicato deberetur Ecclesię, exigi id ab eo posset, & hic ad soluendum etiam excommunicatione adhibita compelli: patet *ex can. oblationes & sequent. 13. q. 2.* Quid si idẽ eleemosynam offerat? quid si misericors largitione stipis esse appetat, eamque verè porrigat?

Respondendum, recusandam videri, nec nisi in necessitate posse capi *11. qu. 2. can. excellentissimus, & can. quoniam multos*, habet enim ea liberalitas communicationem cum fideli non excommunicato mutuam, eamque legibus canonicis vetitam, nisi in necessitate.

QVÆSTIO XIII.

An si excommunicatus non toleratus, sit contritus, communium suffragiorum Ecclesiæ possit esse particeps.

Certa, minimeque dubia responsio est, non posse, quæ est Soti *in 4. dist. 22. q. 1. art. 1.* Suar. *disp. 9. sect. 3. num. 2* Vgolini *tab. 2. cap. 9. parag. 1. num. 4. parag. 2. num. 3.*

Probatur, quandiu subsistit manetque in actu causa, tandiu quoque eius effectũ subsistere ac manere est necesse, sed excom. quã maiorem nominant, effectus proprius est suffragiorum Ecclesiæ communium priuatio, & hæc, id est excommunicatio, manet cum contritione. Nam si per eam tollitur, tolli sane est necesse dispositiue, vel formaA liter, aut efficienter, primum ad rem nihil facit, nam dispositiue censuram tolli, nihil est aliud, quam excommunicato iter sterni ad eius absolutionem, parari viam, modumque ei certum ostendi, quo ab ea se eximat. Non tertium, quia eiusdem est effectiuè censuram auferre, cuius est inferre, sed excommunicatio omnis est à iure, aut homine, ergo eorum erit eam tollere. Nec secundum; formalis enim formæ ablatio, est à forma sibi contraria, censuræ autem esse pœnitentiam oppositam formaliter, quis dicat? ergo &c.

B Secundo, *in decretali à nobis 28. de sentent.* vult Innocentius III. excommunicatum cum contritione mortuum, à censura sua absolui, cuius rei alia nulla esse causa potest quam ne communibus Ecclesiæ suffragiis priuatus maneat, quæ eius causa, ac in ipsius commodũ offerri canones prohibent, eo quod, vt est *in cap. desideres 15. & cap. à nobis 28. de sentẽtia excomm.* per pœnitentiam tollatur quidem culpa contumaciæ, non autem C vis censuræ, at pro eo, quem excommunicatio publica astrictum habet, orare nefas, cum ex dictis antea, priuetur communibus Ecclesię suffragiis, hoc est potestate passiua, vt pro eo sacrificium, precesque Deo offerantur.

Lubet audire Innoc. III. ea de re sic loquentem. *Quantacunque pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen morte præuentus, absolutionis beneficium non potuit obtinere, quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus. Potest ta-* D *men & debet, ei Ecclesiæ beneficio subueniri, vt si de ipsius viuentis pœnitentia, per euidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur vt autem in vno pariter & eodem negocio, & rigorem seruemus, & mansuetudinem ostendamus, statuimus vt illius mortui absolutio à sede Apost. requiratur, qui cum viueret, ab ea fuerat absoluendus, aliorum autem absolutionem ex præmissa causa cæteris indulgemus, à quibus dum viuerent fuerant absoluendi.* Hæc ille, *extra cap. à nobis 28. de sentent. excommunicationis.*

Contraria sententia habet hos authores, E pro patronis Anton. *3. parte tit. 25. cap. 76.* Nauar. *cap. 27. num. 18. de Iubilæo notab. 18.* de Auila *2. parti cap. 6. disp. 4. dub. 2.* & alios apud illum, nititurque his argumentis.

Primo, cessante contumacia, cessat quoque excommunicatio, cum istius imponendæ illa sit causa, sed contritio tollit contumaciam.

Deinde, qui per verum dolorem emaculat, culpasque suas lauat, amplius non est sceleris vllius reus, fecit enim, & facit, quod

est in se positum,

Quid? quod hæc videatur esse Ecclesię intentio?

Secundo est contritus, per verum dolorem animi, membrum Christi viuum, ergo & Ecclesiæ, sed membra Ecclesiæ, cœlesti animata spiritu, in communionem bonorum eius veniunt, cuius aguntur motu, impelluntur halitu ac spiramine, qui est Christus Dominus, eiusque Ecclesia, ad eos ergo amborum bona si non omnia, at certe pertinent aliqua.

Sed hæc solutionem habent expeditam & facilem, nam ad primum dici debet, contumaciam tolli quidem per pœnitentiam quoad affectum, non autem quoad rem ipsam, & effectum, effectus enim veræ pœnitentiæ, est subiici Ecclesiæ, eius parere legibus, quod tamen contritio præcise ac proprie quà talis, est, non efficit, nam officii præstatio, mandatorum Dei, & Ecclesiæ executio, actus est obedientiæ, non amoris.

Quid? quod hoc ipso, quo quis peccata sua retractat animo, Ecclesiæ, proximoque per suam contumaciam læso, non satisfacit, non est ergo contritio, talis contumaciæ ablatio.

Tertio, etsi deposita culpa & contumacia, remitti censura debeat, non tamen ex priuato aliquo indicio, sed publico, cuiusmodi non est contritio.

Ad secundum respondendum, hominem verum Christi membrum per pœnitentiam fieri, sed non Ecclesiæ, nam cum hæc corpus sit mysticum, idque visibile, ad eam priuatim ac propriè non pertinent, nisi qui inuicem colligantur visibili aliquo vinculo, cuiusmodi est eorundem Sacramentorum participatio publica, quæ cum excommunicato denuntiato sit interdicta, patet aliquem esse posse Christi membrum per amorem, & non Ecclesię.

Secundo responderi potest negatione postremæ consequentiæ, nam vt demus iustificatum per amorem, viuum esse membrum Ecclesię, negamus tamen eum esse participẽ suffragiorum, ac precum, quas illa per ministros suos, nomine cõmuni fidelium fundit, cum ad eos tantum earum fructum aliquem deriuari velit, qui sunt cum ea recõciliati, Regin. *lib.31. cap.3. nu.10.* & Laym. *lib.1. tract.5. parte 2. cap. 2. num.5.* addunt excommunicatum etiam non absolutum per pœnitentiam, fieri idoneum ad participandum bonis, quę mutuo influxu, membra Ecclesiæ censentur sibi inuicem communicare hoc nomine, quod iusti, eo quod iusti sint facilius impetrent, & citius exaudiantur à Deo propter alios, cum quibus charitate A sunt coniuncti, non tamen participare influxum eius spiritalis auxilii, qui ex publicis atque ab Ecclesiæ intentione dependentibus suffragiis prouenit, cum eorum priuatio, pars sit quædam pœnæ, aut certe effectus censurę, à qua necdum est excommunicatus factus liber.

Quod de intentione Ecclesiæ dicitur, est falsum, nam vt dicit Clem. III. *in cap. cum desideres 15.* citato cum constet reum *excommunicatum esse, non tamen absolutum, nec Episcopus nec alii debent communicare eidem, nisi fue-* B *rit secundum formam Ecclesiæ absolutus.*

QVÆSTIO XIV.

An excommunicatus orare possit.

NOn quærimus an sacro interesse possit, ac debeat, quia certum est, id ei lege Ecclesiæ non licere, secundum Nauar. *cap. 24. num. 3.* Armilla *verbo Missa num. 29.* culpæque expertem eum esse, cum ei statis se C diebus ac horis præsentem non exhibet, quia præceptum de audienda Missa, obligat tantum non impeditos, quorum in numerum referri excommunicatus non potest.

Petitur ergo tantum primo, an vi excommunicationis liberetur præcisus ab onere precum quas antequam censura vapularet, Deo fundere tenebatur ex officio.

Secundo, an ei dari vitio possit Missæ non auditio, cum est in petenda absolutione negligens.

Tertio, an alternatim cum alio, tam priua- D tim quam publice, horas canonicas possit legere.

Prima assertio, *Excommunicatus si est Clericus maiorum ordinum, aut beneficiarius, potest ac debet dicendis horis priuatim dare operam.* Ita Sylu. *verbo horæ num. 5* Nauar. *cap. 25. num. 102.*

Nam quis credat velle Ecclesiam, excommunicato, aliquo suo prodesse opere, nedum excommunicatione in eum lata? cum sit pœna quæ eum onerat, non exonerat, alias vtilis ei commodaque sua foret iniquitas, E quod repugnat. Nec refert quod priuetur beneficii sui fructibus, per *can. pastoralis de appellat.* & officium debeatur ob fructum.

Nam primo beneficii titulum, eiusque possessionem retinet.

Secundo, id eius solius est vitium, non Ecclesiæ, quod imputare sibi proinde debet non alteri, nõ secus ac secundũ, nempe quod culpa sua obuẽtionibus careat, quod fructus beneficii nõ percipiat, hoc enim tribuere sibi cũ debeat, eius occasione ab horarũ lectione

Liberari

liberari eum non decet, & sic soluta manet prima quæstio.

Secunda assertio, *Tam publice quam priuatim prohibitum est excommunicato denuntiato, horas cum sociis subsidii causa legere*: ita Couar. *in can. almæ parte 1. par. 3.* Suar. *tom. disput. 12. sect. 2.* Longus *in canon 12.* Apostolorum vbi hæc habentur, *Si quis*, inquit *can. citatus proxime, cum damnato & excomm. Clerico, veluti cũ Clerico simul orauerit, iste dãnetur*, quę verba vt sunt absoluta, ita absolute de cõmunicatione qualibet in precibus, debent intelligi.

Accedit ad hunc canonem ratio, Si omnis est excommunicato non tolerato per Ecclesiam prohibita communicatio cum fidelibus, cum his orare horasque legere non poterit: verum est prius, *ex can. Apostolorum 11. & 12. ex can. Concil. Sardic. 13. Antiocheni 49. Carthagin. 29.* Posterius autem *ex canone excommunicatos 17. causæ 11. q. 3. can. cum excommunicatos 8. eiusd. quæstionis & causæ.*

Non est tamen hæc eius præuaricatio, citra contemptum Ecclesiæ lethalis, in sententia Auilæ 2. *parte cap. 6.* quia in ratione communicationis interdictæ excommunicato, horarum cum aliquo recitatio, censenda est leuis, Auila ibidem.

Id ei tamen curandum est ante omnia, ne inter orandum vti illi accidat hac salute, *Dominus vobiscum*, quod hæc eorum tantum sit propria, qui ministros publicos agunt, quibus & sacram cum populo communicationem significant, qua prouincia defungi, excommunicati lege Ecclesiæ nequeunt.

Neque tamen assentior affirmantibus, habere vsum huius precis, in præstatione officii, maculam in Sacerdote lethiferã, eamque irregularitate puniendam, quia hæc Ecclesiæ supplicia, acerba illa sane & grauia, non cadunt in rem tam leuem, quam est salutis apprecatio priuata, remotisque arbitris, per duo verba, non est ergo lethalis.

Deinde quid in eo læditur Ecclesia, quid proximus, aut anima? si nõ ergo ex contemptu ea fiat oratio, culpam in ea includi maiorem veniali quis putet?

Feci autem in assertionis probatione mentionem communicationis cuiuslibet, vt indicarẽ preces nõ tantũ publicas, vt sunt eæ, quæ fiunt ex instituto Ecclesiæ, quales sunt horæ canonicæ, sed & voluntarias, vt est recitatio officii B. Virginis, communiter legi cum excommunicato denunciato non posse, quia non modo in necessariis, sed & liberis precibus, ei auxilio alterius non excommunicati, prohibitum est vti, quod omnis illi cum fideli, tam in conuictu, quam sermone communicatio sit Ecclesiæ lege interdicta, qualem tamen intercedere

A inter orantes cum alternatione, nemo negatum ibit, cum qui simul Deo laudes pangunt, per modum vnius coniunctique illas Deo offerant, & ita inter se communicant.

Deinde quinque tantum sunt casus excepti, qui cum excommunicato consuetudinem congressumque permittunt, quos isto hexametro concluserunt DD.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

quorum nullus, excommunicato non tolerato suffragatur in materia precum, non primus (cæteros enim remoueri aperte constat) nec enim est hoc recitanti propositum,

B voce sua, ac opera, salutem excommunicati quem adiuuat, prouehere, ei culpæ suæ odium imprimere, virtutis ac aduersus Ecclesiam, amoris ac reuerentiæ sensum dare, sed eum leuare parte laboris, quem habet priuata officii recitatiõ, qua tamen caritate ob contumaciam est indignus.

Quæstio explicanda superest extrema, nempe an excommunicatus mortalis sit culpæ reus, cum est in petenda absolutione censuræ, qua tenetur, negligens.

Et huius quidem controuersiæ diiudica-

C tio est, vt culpam admittat nullam, aut si aliquam non nisi leuem, contra charitatem sui, & obedientiam Ecclesiæ debitam, quæ cum per censuras ad subiectionem, ac reconciliationem cũ Deo intendit impellere, in quo deesse, culpa est citra contemptũ non nisi leuis vt patet, aut verius nulla, quia hæc nemini iniecta videtur necessitas sub peccato graui, consulendi sibi de mediis, ad perfectionem vitæ necessariis, vt est oratio, facta aut facienda Deo in sacrosancto Missæ sacrificio, aut disponendi se remotè, eius vt

D audiendi omni tempore sit capax, alioqui peccaret æger, qui pharmaca fortia respueret, quibus breui sanus esse potest, primæque suæ reddi valetudini, & ita Missæ interesse citius, quam si languidis tantum vtatur ac mitibus, peccaret similiter, qui è carcere, in quem est coniectus propter debita, quæ soluere potest, non conaretur illico egredi, ne missa careret, quod est absurdum.

Confessionis tamen ac Eucharistiæ eadem non est ratio.

E Primo, quia redire cum Deo in gratiam, magis est homini vtile, quam Missæ interesse, pasci pane vitæ magis necesse, quam sacrificanti commodare aures & oculos, peccat ergo contra charitatem sui grauius, qui vt Christo domino fruatur in Eucharistiæ Sacramento, non magis in absolutione petenda censuræ laborat, quam vt Missam audiat.

Secundo ratio est alia Confessionis, & Eucharistiæ frequentandæ in Paschate, quam

Missę quot hebdomadis audiendæ Dominico die, causa est, quod præceptum de obeundis eo tempore duobus illis Sacramenmentis, longe sit grauius, quam de Missa, in eo enim agitur de hominis ad Deum reditu, vnione eius cum eo, solutione item nexũ omnium quibus astrictus hæret, ad ea ergo amouẽda se vis istius præcepti porrigit ac effert, quæ eius præstationem impediunt, quo de numero est censura, eius ergo remissio, quærenda est excommunicato, alioqui abit ab officio, nec sine peccato.

QVÆSTIO XV.

An & quomodo excommunicatio excommunicatum priuet communicatione fidelium tam in humanis quam diuinis.

EFfectus est excõmunicationis alter, prohibere excommunicatos omni cõmunicatione fidelium ciuili, seu politica, sicuti habetur *cap. 2. de exceptionib. cap. nuper cap. si aliquando de sentent. excommun.* canone sicuti Apostoli *can. ad mensam 11. quæst. 3.* vbi fidelium nomine baptizatos omnes intellige quod eorum mentio fiat *in cap. penult. de sentent.* & quoniam de eorum numero sunt hæretici & excommunicati, iis quoque citra necessitatem aut vtilitatem, agere cum alio excommunicato est prohibitum: *Si quis,* inquit *can. 11. Apostolorum, cum excommunicato saltẽ in domo locutus fuerit, iste cõmunione priuetur,* idque colligere licitum cuique, ex epistola Ioannis Comitis Sacrensis ad Imperatorem, vbi narrat contendisse Ephesi congregatos Episcopos non modo audiente Nestorio, legendas non esse Iustini literas, sed nec quidem eius conspectum ferendum esse: Concil. Ephesinum in articulis conciliabuli & *can. 11.* Concilii Arausicani primi, hæc leguntur. *Placuit in reatum venire Episcopum, qui admonitus de excommunicatione cuiusque sine reconciliatione eius qui eum excommunicauit, ei communicare præsumpserit,* in Chalced. hæc habentur, *scientibus hoc omnibus qui postea colloquentur ei* (Euticheti scilicet) *& ad eum conuenerint, quoniam rei erunt & ipsi, pœnæ excommunicationis sicut qui non declinauerunt confabulationes eius:* ergo agere cum excommunicatis fideli est illicitum, quod quam sit graue, Monachorum ad Concil. Chalcedonense querelæ datæ indicant, Flauianum Constantinopolitanum accusantium, quod per Theodotum *& Abytesum* eos à congressu, colloquioque remouisset Eutichis præceptoris sui ac magistri, quo nil sibi accidere potuisse grauius, epistola *ad Concil. Ephesinum* A *secundum* data indicant, *in actione prima Chalcedonensis Concilii tomo concilior. 2.* quæ iterare placuit *in Turon. 2. Synodo can. 1. & 8.* in hæc verba: *Quicunque Episcopus illum quem alter Episcopus excommunicatum habet, postquam fuerit de ipsius excommunicatione admonitus præsumpserit communicare, vsque ad Synodum excommunicatus habeatur,* quæ pœna ad omnes pertinet etiam alienæ Diœcesis Turon. 2. *can. 1. nec ei ex alia prouincia vllus Episcopus interea communicare præsumat, ipse enim suæ diuisionis præparat instrumenta: qui cum suis fratribus in membris Ecclesiæ non concordat:* pœna au- B tem communicantis cum excommunicato, est excommunicatio Turon. Concil. 2. *can.* 25. *Si quis contra decreta nostra tali temeratori communicare præsumpserit, in se causam excommunicationis transformet, & cum eodem se à charitate omnium Sacerdotum cognoscat esse remotum,* quod insertum quoque est in Concil. Braccar. 1. *can. 33. & 72.* Concil. Chartag. 4. his verbis: *Qui communicauerit, vel orauerit cum excommunicato, siue Clericus siue Laicus excommunicetur, & in Antioch. 1. can. 2. Si quis* C *de Episcopis, Presbyteris, Diaconis seu quilibet ex Clero deprehensus fuerit cum excommunicatis communicare, etiam iste priuetur communione, tanquam qui regulam confundat Ecclesiæ.*

Nomine autem ciuilis communicationis, quæ est interdicta excommunicatis cum fidelibus.

Primo, intelligitur quæuis humana societas per verba, nutus, literas, munera, item per contractus, commercia, mensam communem, & iter, quæ tamen capi debent (inquiunt authores) sic vt formaliter, D dedita opera, ac ex certo consilio, vna iter illud faciant, aut in eadem mensa edant, & non tantum casu, ac fortuitò, & præter intentionem, nempe quia in eandem viam, hospitium, ac domum, præter expectationem ac incògitanter incidere, de qua re legendus Sylu. *verbo excommunicat. 5. num. 3.*

Secundo, est hoc certũ cõuersationis nomine cõprehendi amicitiæ signum quoduis, vt oscula, amplexus salutationes, quæ à Paulo & Ioanne excommunicatis exhiberi non finuntur ab illo quidem *1. ad Cor. 5. vetamur* E *cum illis cibum sumere,* ab isto autem *cap. 1. 2. canonicæ Aue eisdem dicere,* quamuis non desunt qui hanc salutem ad eam, quæ verbis fit, restringant, existimãtes proinde licitum esse excõmunicato, honoris causa assurgere, aut ei caput detegere, contrarium tamen vt probabilius, defendunt Sylu. *excommun. 5. num 3.* Suarez *disput. 15.*

Notandum 3. huic res negotiaque nobiscum esse posse, per constractum tam ante dictam in eum sententiam, quam post illam latam

latam, & de vtraque eius communicatione cum fidelibus, quæstionem hîc esse.

Notandum 4. Effectum hunc de quo agimus, in eo esse, quod excommunicatio excõmunicatum impediat, ne sit iudex, actor, procurator aut testis in causis etiã ciuilibus, vt patet, *ex cap. ad probandum de sententia & re iudicata.*

Prima assertio, *Cum excommunicato communicare est licitum in his quæ sunt necessaria ad præstationem contractus ante excommunicationem initi, eiusmodi sunt exactio debiti & eius solutio.*

Probatur primo, *ex cap. intelleximus de iudiciis*, vbi contra excommunicatum datur iudicialis actio: ergo multo magis extra iudicium, per literas & verba repetendo rem suam.

Secundo probatur, tam excommunicatus, quam non excommunicatus, per censuram dominio rerum suarum iure diuino aut Ecclesiastico non excidunt, ergo eas si sibi vendicent, aut à denuntiato, & nominatim excommunicato quasi debitas repetant, quis iure culpare audeat? in quo etsi aliqua intercurrat communicatio, eam tamen quemadmodum & irreuerentiam, quæ in Sacramentis ex dubia materia oritur, excusat alterutrius de contrahentibus, cum vtilitate coniuncta necessitas, ex Ægid. *disp.14.dub. 11.num.*101.

Secunda assertio, *Etsi contractus celebratus durante excommunicatione, per se valeat, eius tamen vsus suspenditur.*

Prima pars habetur *in cap. si vere 34. de sentent. excomm.* vbi Innoc. III. permittit D cruce signatis, Venetorum qui erant excommunicati, nauigia ingredi, prout inter eos conuenerat, eo quod *ad hoc debitum exoluendum, ipsi illis manebant obligati, & ab excommunicatis exigi potest & recipi quod debetur,* ibi.

Innocentii testimonio addenda ratio petita ab experientia, nam in primis, tenet matrimonium non præcisi cum præcisa *cap. significasti de eo qui duxit*, valet secundo solemniter in religione facta ab excommunicato professio, sacrorumque receptio ordinum, *cap. cum illorum 32. de sentent. excomm.* ergo E & alii contractus omnes, nec enim matrimonii, potior est ratio quàm professionis, ac voti castitatis in ordinum susceptione quæ duo, etsi imperfecti sint contractus respectu Dei, perfecti sunt tamen si comparẽtur Religiosus, & maiorum ordinum Clericus cũ religione, & Ecclesia, in qua profitentur.

Quod autem tales contractus suspendi debeant quoad effectum, quæ fuit pars altera assertionis ostenditur, communicare cum

A excommunicato non est permissum legibus Ecclesiæ, nisi excuset aliqua circunstantiarum ex allatis, at impleri contractus nequit, nisi contrahentes mutuo inter se vtrinque communicent, est ergo eius executio suspensa dum excommunicatus absoluatur.

Dixi (per se) quia in sequentibus casibus contractus excommunicati cum alio celebrati, sunt nulli.

Primus est, cum ille vt minister Ecclesiæ contrahit, quod facit, quando & quoties de re ad beneficium pertinente transigit, aut B ex vi muneris sibi ad id commissi, omnis enim pactio, transigentium potestate vacua, est iure nulla, at omni excommunicatus tum caret, respectu rei Ecclesiasticæ.

Secundus est, cum in fraudem communicationis per Ecclesiã prohibitæ, contrahentes pacti sunt, antequam ab eorum altero incurreretur excommunicatio, de negotio postea gerendo.

Causa est, quod omne pactum de re illicita, est nullum, *de regulis iuris in 6. reg.* 54. C vbi dicitur iuramentum contra bonos mores non esse obligatorium: at pactum de quo hîc agimus, est tale, nam est promissio de re mala, nempe de non seruando statuto Ecclesiæ.

Tertius est, cum contractus ab excommunicato initus, pendet ab aliqua eius actione, aut superioris, quæ iure Ecclesiastico est nulla, vt pluribus ostendunt, Nauar. *cap.27. & Summist.*

QVÆSTIO XVI.

An excommunicatus ad beneficium eligere possit & eligi.

INcommodum sextum quo excommunicatio quam maiorem vocant, excommunicatum afficit est priuatum esse vsu officii publici, hoc est vt Reginaldus explicat *lib. 31.cap.5. num.*25. potestate, quæ ipsi competit ratione officij, quod publicum gerit, tàm in Ecclesia, quàm extra. Enimuerò ratio priuationis in excommunicato, est ipsius segregatio à communione fidelium, & Christi corpore 3.*q.* 4.*can. Engeltrudam quarto*, ergo cum ei in ministeriis tam diuinis ac sacris, quàm sæcularibus & Laicis, cum illis versari, ac agere non liceat, nec erit ei quoque saluo iure conscientiæ liberum, suum, id est proprium obire ac præstare officium, quare consecrare calices, ac vestes, ad mysteria peragenda necessarias (quod esse sine iurisdictione externi fori potest) nec cœmeteria, virgines & Ecclesias, Episcopo licitum, mul-

tò minùs ordines conferre, à peccatis absoluere, cum Ecclesia excommunicatos reuocare in gratiam. An autem ad Ecclesiasticas dignitates dignos admouere, beneficia illis Ecclesiastica deferre, in partem vocare officij, excommunicato similiter sit vetitum, inquirere est operæ pretium.

Dico primò, *Non tolerato canonica interdictum esse lege, beneficium Ecclesiasticum vlli conferre*, Rebuffus *in concordata rubrica de excommun. non vitandis*, Ægid. *de excom. disp. 14. dub. 10. n.* 88.

Ratio est, quod excommunicatus omni sit potestate spirituali priuatus, sine qua tamen administrari Ecclesia, regique quî potest? eo tamen nomine intelligenda non est potestas spiritalis quælibet, sed iurisdictionis, causa est quod suspensus ab ordine tantum, ea facere possit omnia, quæ sunt iurisdictionis, secundum Piasec. *in praxi Episcop. par. 2. ca. 4. nu.* 11. cadit ergo hæc priuatio in eam, & non in ordinem, & proinde priuatus iurisdictione in spiritalibus, conferre non poterit, ergo nec excommunicatus *cap. vnico ne sede vacante in 6.*

Dico secundò, *Collatio beneficii facta à Vicario Episcopi non tolerati, similiter est nulla, etsi ille à censura immunis sit ac liber.*

Ratio est, quod Episcopi & Vicarii vna sit persona moraliter, ob quā causam ab Officiali ad Episcopum appellari non potest: *Ne ab eodē ad seipsum (cum idem sit auditoriū vtriusque) appellatio interposita videatur*, Secundum Bonifac. VIII. *cap 2. de consuet. in 6.* ergo cum Episcopi beneficia conferre valide nequeāt, cū non sunt tolerati, nec poterunt illorū Vicarii: cum eorum nomine tantum, acceptaq; ab iis auctoritate agant. Enimuero per excōmunicationem eius Præsulis, cuius vices obeunt ac sustinent, Vicarii *ita sunt suspensi, sicut si per mortem essent reuocati* Glossa *vltima in Clement. final de procurat.* & Panorm. *in ca. quoniam de offic. delegati*, citati à Rebuff. *in Concord. titulo de excom. non vitandis.*

Dico tertiò, *Excommunicatum denunciatum, nec validè eligere nec præsentare ad beneficium posse.*

Primo, quia electio & præsentatio collationis instar quoddam habent, ac speciem, sed hæc facta ab istiusmodi hominum genere, inanis est ac nulla, ergo & cum electione præsentatio.

Secundo, dant electio & præsentatio præsentato & electo, ius spirituale, cui iuri nomen est ius in rem, sed istiusmodi iuris conferēdi, non toleratus est incapax, vtpote cui omnis est auctoritate Ecclesiæ adempta iurisdictio, neutra ergo stat ac subsistit actio, cum præsentans, & eligens, non tolerati ambo, inualidè iurisdictionis actus exerceant. A

Dixi *præsentato à Clerico*, quia præsentato à Laico, ius per suam præsentationem nullum acquiritur ad beneficium, Ægid. *disp. 14. dub. 10. num.* 94. sed totum ab instituente pendet Rebuffus supra, verum quidem est, quod oblatus reiici, si dignus est ab instituente Episcopo non debeat, sed nego ius spirituale vllum ita oblato acquiri, cum eius conferendi potestate Laicus careat, Ægid supra.

Quid si eligentis aut præsentantis excommunicatio, occulta esset? quid si iniusta?

B Dico quartò, *Si quo tempore electio fit aut præsentatio, de censuræ nullitate certo constat, erunt hæ pro ratis habendæ ac validæ*, Ioann. Andr. *in cap. dilectis de appellationib.* Rebuff. *in Concord. de excomm. non vitandis.*

Ratio est, quod iurisdictionis Ecclesiasticæ, aut vsus eius priuatio, sit effectus excommunicationis duntaxat quæ sit vera, ac valida, nam non entis nulla est proprietas.

Confirm. effectus in actu, causam requirit in actu, sed iurisdictionis priuatio, est effectus in actu, ergo eius causa in actu esse de-
C bet, sed excommunicatio quæ iniusta est ac nulla, non est actu, ergo priuationis prædictę nō est causa, quandoquidē quod nihil est, causa esse alicuius rei nequeat, ergo &c.

Dixi si *de censuræ nullitate certo constet*, nam si erit hęc dubia, si anceps, pendebit ab euentu, tam electionis quam præsentationis factę validitas, *nam si nulla pronuncietur excommunicatio, valebit electio & collatio, alioqui secus*, Rebuff. *supra paragrapho primo fallit.*

Dixi secundo, si quo tempore fit præsen-
D tatio, aut collatio, *conferens & præsentans excommunicati forent*, nam si est excommunicatio præsentatione, & collatione posterior tempore, ab ea non sunt eæ conferentis, ac patroni actiones, tracturæ vitium, vt est *in cap. proposuit 8. de Clerico excom. ministr.* vbi declarat Innoc. III. collationem beneficii ei factam, qui prius quidem excommunicatus fuerat, sed collationis tempore erat absolutionis gratiam consequutus, valere ratamque esse.

Ratio est, quod excommunicatio non retrotrahitur, cum id nec natura, nec iuris
E positiui aut diuini ratio postulet.

Altera fuit quæstio de censura, quæ foret occulta, an ab ea nempe præsentationi vis omnis intercideret, aut collationi momentum deesset ac robur, si illam eo loco excommunicatus faceret, vbi non est eius censura, mortalium vlli cognita.

Et de ea diuersa diuersi sentiunt: Valere Ægid. asserit, *disp. 12. dub.* 10. *num.* 88. negat Rebuff. *supra paragr. collatio etiam facta.*

Distinctione facili, controuersia dirimi, com-

componique poteſt.

Dico ergo quintò, *Si neſcitur quod collator ſit excommunicatus*, quia in eo loco verſatur, vbi eius cenſura eſt occulta, valet collatio, non autem facta à patrono præſentatio.

Pars prima probatur, quę à perſona ratione officii publici, quod in republ. gerit, exercentur ac fiunt, ſunt hæc rata, cum non eſt eius vitium manifeſtum, eò quòd Eccleſia ob bonum publicum, illius defectum ſupplet, conferendo illi ad ſingulos actus iuriſdictionem actualem, vt Doctores docent *ex lege Barbarius de offic. Prætoris.*

At Epiſcopus, cæteriq; Collatores ordinarii, magiſtratum in Eccleſia publicum obeũt, habent ergo ab Eccleſia poteſtatis tantum, quantum eſt inſtituendis beneficiariis, aut aliis ad Eccleſiæ regimen adhibendis opportunum, ac vtile.

Pars altera quæ de præſentante fuit, probationem habet facilem, nam in his, quæ ratione priuati officii geruntur ac fiunt, non eſt differentia inter occultum & publicum, ſecundum Rebuff. *de excommunicat. non vitandis parag. collatio facta*: at patronus priuatum agit hominem, cum præſentat ad beneficium, & excommunicatus, qui eſt publicè & in omnium oculis renunciatus talis, poteſtatis inopia valide nihil in beneficiorum materia, Eccleſiæque regimine ac cura efficit. Vera eſt ergo aſſertio, præſentati per excommunicatum non toleratum, denunciatum tamen, actus eſſe inualidos.

Dico tamen ſextò, *Collationem ab Epiſcopo non impedito factam de beneficio, ad quod ei patronus non toleratus, dignum hominem obtulit, validam eſſe, ratamque.* Ita Suar. *diſp. 14. ſect. 2. num. 31.* Ægid. *diſp. 14. dub. 10. num. 95.*

Ratio eſt, quod tale beneficium datur ab eo qui poteſt non cuilibet, ſed digno, ac præſentato, iure non contradicente, alioqui de eo ius extaret aliquod, aut Apoſtolica conſtitutio.

Peccat tamen Epiſcopus, cum ſciens præſentantis defectũ, ei in collatione beneficii acquieſcit, ad quod tamen offert idoneum, quia ſic cum excommunicato communicat, nõ eſt tamen hæc culpa niſi venialis, in ſententia Suarii, nulla autem, ſi ratio, publicaque Eccleſiæ commoda, beneficium diu vacare non ſinerent.

Dico ſeptimo, *Excommunicatis fas non eſſe beneficia ſua inuicem permutare, aut non excommunicato, cum eorum aliquo.*

Probatur, eſt hoc excommunicationis proprium, vt dicetur poſtea, excommunicatum reddere inhabilem ad beneficium Eccleſiaſticum *cap. poſtulaſtis 7. de Clerico excommun. miniſtrante*, at permutatione acqui-

A ritur beneficium compermutantis, nouuſque titulus, vt cum Leſſio *de permutat. in tractatu beneficior.* ſcribit *Gloſſa Pragmaticæ in paragr. item inſuper in verbo diſponere de collationib.* facta ergo ab excommunicatis, aut eorum aliquo beneficii permutatio, inanis eſt ac nulla.

Nulla item electio, quia eſt hæc iuriſdictionis actio, cum nõ aliis, quã quibus ius ad eam faciendam competit, eligere ad magiſtratus Eccleſiæ ſit permiſſum, at eſt hęc in excommunicato nulla, aut certe impedita

B ac ſuſpenſa.

Vt autem eligere excommunicatus, ita nec eligi poteſt, cauſa eſt quod Sacerdotia, ac dignitates Eccleſiaſticas capere nequeat, qui animũ gerit vitioſum ac perditum: quod ad ea patere eiuſmodi hominum generi aditum iura prohibeant, Perſonatuum enim, Dignitatum, & Beneficiorum, quæ in Cathedralibus Eccleſiis, & Collegiatis reperiuntur, Trident. Concil. *ſeſſ. 24. cap. 18. & 22. cap. 4.* irritam prouiſionem eſſe decernit, *niſi dentur iis qui* (verba ſunt Concilii) *ætatem, & alias habilitates integre habere dignoſcuntur*, er-

C go cum in habilitatibus principatum teneat vitæ probitas, morumque innocentia, qua excom. non florere laude, explorati eſt iuris, facta de eo aut ab illo electio non tenet.

Secundo, publica crimina iter ad Sacerdotia Eccleſiaſtica obſtruunt, ſecundum Oſtienſ. & Archidiac. *in can. in ſcriptis ſiue in ſcripturis 8. q. 1.* at non niſi ob iſtiuſmodi crimen cenſura infligitur, excommunicationis ſententia in reum dicitur, crimen enim publicum hoc ab occulto differt, quod illud in iudicio conuinci queat, occultum non

D item, habet ergo excommunicatio cum eſt publicata in ſua cauſa, hoc eſt peccato, cuius puniendi cauſa irrogatur, ad firmitatem electionis, veritatemque tollendam, cauſam idoneam.

Quid ſi plures ad eam concurrunt non tamen excõmunicati omnes, ſed ex iis aliqui? Repellendos à concilio, cœtuq; ſuper futura electione habẽdo, ſuperioris, aut alterius ad quem eum cogere pertinet, authoritate, ſcribit Ægid. *diſp. 14. dub. 10. n. 95.* electionẽ

E tamen à non excommunicatis factam, valere non ſecus aſſerit, quia excommunicatorũ non maior (inquit) habenda tunc eſt ratio, quam ſi concioni in qua illa plurium eſt facta ſuffragiis, non inter fuiſſent, cum enim eorum acta ſint irrita, vt communiter Doctores colligunt ex *cap. inter Renerum 16. de electione*, vbi electio à ſuſpenſis, id eſt non toleratis facta, dicitur inualida, planum eſt eodem iſtos habendos loco, quo qui non ſunt, illorum autem ſuffragia, paris eſſe cum his

ponderis ac momenti, quorum vis est ad electionem nulla.

Rebuffi alia est opinio, nam in Concordatis loco à me citato antea, electionem ait inanem fore ac inualidam, si se suffragatoribus per censuram non impeditis, excommunicatus aliquis de denunciatorum numero comitem addat, nec eum illi à suo excludant cœtu, repellantque vt indignum, qui in illo sedem sibi habeat, secumque sententiam suffragando dicat, ita loquendi huic auctori causa vnica, Pontificis auctoritas *in ca. vltimo de procuratoribus*, vbi Gregor. eius nominis nonus ait procuratorem repellēdum, quem constituit communitas cum suis rectoribus, quos sciebat excommunicatos esse, sed hinc, hoc constat tantum, & nihil amplius, electionem cui excommunicatus denomine, & denunciatus interfuit irritari posse, irritam iure tamen non esse.

QVÆSTIO XVII.

An excommunicatus non toleratus iurisdictionem tam ciuilem quam Ecclesiasticam habeat.

SEnsus est an non toleratus excommunicare valeat, an actum exercere, qui vt sit ratus, iurisdictionem exigit.

Et communis est Doctorum opinio, primo, Clericum excommunicatum, & denunciatum, excommunicare non posse, quia vt est *in can. audiuimus 4. causa 24. q. 1.* actus iurisdictionis ab excommunicato exerciti, sunt nulli, sed excommunicatio, iurisdictionis est actio, cum punire nemo possit, ac debeat, nisi qui iuris dicendi potestatem habet, ex dictis antea.

An autem pertineat hæc pœna ad omnes excommunicatos, etiam non denunciatos, Doctorum omnium non idem est iudicium, non sensus.

Quidam ea toleratos comprehendi negant, asserunt alii, quia cum sint eiecti de Ecclesia, eiicere alios nequeunt, nec vincti ipsi, alios vincire: quare multorum est, magnæque auctoritatis in Ecclesia hominum opinio, latam ab excommunicato tolerato, excommunicationis sententiam, non valere, quæ est Diu. Thomæ *in 4. sentent. dist. 18. q. 2. art. 2. quæstiuncula 3. Palud. in 4. dist. 17. q. 6. art. 3.* vbi huius opinionis fundamentum constituit in lege Barbarius. Est præterea Glossæ *in can. audiuimus 24. q. 1.* & *in cap. 2. de ordinatis ab Episcopo qui &c.* Layman. *lib. 1. tract. 5. parte 2. cap. 5. num. 5.* Suar. *disp. 14. sect. 2. n. 15.*

Huius sententiæ firmamenta duo sunt

A præcipua.

Primum, quod excommunicatus excommunicare nequeat, vt est in responso Alexand. II. *causa 44. qu. 1. can. audiuimus 4.* quod cum sine adiectione pronuntiauerit, intelligere quiuis potest, ex natura huius censuræ manare, vt qui ei est obnoxius, eidem alterum subiicere nequeat.

Secundum, nullius est iurisdictionis capax mortuus, sed excommunicatus quoad spiritualia, habetur pro mortuo, secundum

B Baldum, qui ex Archidiacono *in can. nullus dist. 62.* ait excommunicatum titulum dignitatis spiritualem non recipere.

Plurium tamen maiorumque auctorum sententia est, actus iurisdictionis excommunicati tolerati, esse validos in vtroque foro, quandiu non repellitur, docet Nauar. *cap. 27. num. 7.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 1.* Henriq. *de excom. cap. 7.* Ægid. *disp. 14. dub. 10. nu. 89.* Lessius *lib. 2. cap. 29. dub. 7.*

Ratio est, quod per Ecclesiam in Constant. Concilio liceat fidelibus, libere agere

C cum excommunicatis toleratis, in omnibus rebus, tam humanis quam diuinis, tam spiritualibus quam politicis, ergo tacite quoque permittit, actus eorum esse validos.

Primo, quia alioqui sequeretur magna perturbatio.

Secundo, esset quoque eiusmodi concessio inutilis, quorsum enim concederet, vt ab iis ius ad beneficium exigere, præsentationem, & confirmationem possemus petere, si sunt hæc eorum acta inania, si irrita & nullarum virium? quare à Conciliitem-

D poribus, vis excommunicationis, qua omnis omnino communio cum fidelibus, interdicebatur excomunicato, sublata est aut suspensa in tolerato, qui Ecclesiæ indulgentia, quandiu non repellitur, potest omnia quæ non excommunicatus.

Dixi *quandiu non repellitur, quia vt iudices seculares, per censuram Ecclesiasticam, ab Ecclesiasticis iudicibus, (canonica monitione præmissa) repellere excommunicatos ab agendo, patrocinando, & testificando in suis curiis & iudiciis compelluntur*, ab Alexand. IV. in decretali.

E *Decernimus 8. de sentent. excomm. in 6.* ita & priuati quique, quos rerum suarum status cogit causam in eorum tribunali dicere, cōta iudices excommunicatos excipere possunt, censuram tamen quam obiiciunt, eius speciem, & auctorem probare debent intra octo dies: *Quod si non probauerint, iudex in causa procedere debet, reum in expensis, quas actor ob hos, diebus illis se fecisse docuerit præhabita laxatione condemnans*, Innoc. IV. *cap. 1. de exceptionib. in 6.*

Dico secundò, *Excommunicatum tolera-*

tum excommunicare valide, quandiu contra eum non excipitur.

Ratio est, quod iurisdictione ad id necessaria polleat, quid ita vero? quia quandiu contra eum non excipitur, habetur publice verus iudex, Ecclesia eum tolerante, ac supplente propter bonum commune defectum iurisdictionis, qua carent denuntiati, & quanquam ad omnes excommunicatos etiam toleratos, pertineret hæc pœna, eo quod canones vniuersè loquantur, ac generaliter, hunc tamen rigorem mitigare, placuit Ecclesiæ in Concil. Constantiensi, ac suspensionem iurisdictionis tollere, quam olim excommunicatio continebat, quod necessarium fuit, in hoc rerum statu, quo multi, succrescente malitia, Ecclesiæ fulmina, aut non audiunt, aut audita negligunt.

Confirm. excommunicati tolerati vsum iurisdictionis suæ retinent, ergo & potestatem excommunicandi.

Tertio, eorum acta publica valent vt colligitur *ex cap. ad probandum de sentent. & reiudicata*, ergo & ab iis lata excommunicatio.

Dixi *quandiu contra eum non excipitur*, quia etsi cum excommunicato tolerato, versari ac agere quemlibet, iura sinant, non tamen imperant.

Ratio est, quod facultas communicandi cum tolerato, fideles respicit, non illum, est enim hęc istorum causa data, non illius, ergo si illis ita visum erit, contra eum excipere poterunt, illum respuere, nec cum eo tractare.

Dico tertiò, *Excommunicatum cum id sibi assumit officium, peccare mortaliter, nisi excuset ignorantia, inconsideratio, aut coactio.*

Doctrinam hanc tradunt Less. *lib. 2. de iustit. cap. 29. dub. 7.* Ægid. *disp. 14. num. 89.* ex multis rationibus, quibus hoc effatum probari potest, satis erit seligere vnicam.

Quod in re graui, abire à præcepto Ecclesiæ, non modo homini fœdum sit ac turpe, sed etiam piaculare, at est excommunicato cuilibet, etiam tolerato, prohibita communicatio cum fidelibus 11. *q. 3. can. 15. can. 25. can. 28. can. excellentissimus* 102. & in *Concil. Carthagin. 2. can. 7.* in Synodo *apud Carisiacum habita cap. 13.* epistolæ eiusdem authoritate Synodi missæ ad Ludouicum Germaniæ Regem, quæ communicatio res est grauis, cum sit excommunicato criminosa, fidelibus autem vt plurimum exitiabilis: ergo &c.

Contrariam sententiam dixit Caiet. *in verbo excommunicatio*, eo quod humana excommunicati cum fideli communicatio, quidpiam sit leue, nam quid Ecclesiæ de maiestate sua, quid de salute, aut virtute, per A eam priuatis interit?

Sed dicendum est primo, eam excommunicato ipsi esse noxiam, vtpote contra debitam Ecclesiæ obedientiam.

Secundo communicationis nomen sumi late, non pro congressu modo colloquioque in communi vita cum fideli, sed etiam pro vsu, ac exercitio potestatis, quæ illi ratione officii conuenit, qui vsus, cum dignitatem quandam connotet, quæ tota quanta est, debetur Ecclesiæ vt causæ, non potest eius vsus contra eius interdictum, poni in rebus minimis, cum contemptum eiusdem oleat; B sibi culpis suis infensum hominem, bonis vti suis contra quàm præcipit.

Equidem vti toleratum potestate sibi olim ad excommunicandum concessa, est contra Ecclesiæ finem in ferendis censuris, qui est domare contumacem, eumque per censuras cogere, vt ad bonam mentem redeat.

Deinde est hoc non indecorum modò ac turpe, sed etiam alienum à ratione, & contra Extra. *ad euitāda* tantum audere ac posse excommunicatum toleratum, quantum non excommunicato iure est permissum.

C Quid? quod Ecclesia excommunicatis etiam toleratis *per Extrauag. ad euitanda* fauere nolint? quod eis conciliādi sibi honoris causas, ac semina, concessa per Martini quinti diploma Pontificium esse noluit? cuius tamen oppositum euenire est necesse, si excommunicandi ius ac potestatem tolerati retinent, quæro enim ecquid hoc eis non sit valde honorificum? secundo vtile ac fructuosum? & tamen nulla in re eis fauere Concilio fuit propositum, peccant ergo cum vltro, ac non rogati, suaque sponte tolerati D hoc sibi officium arrogant, sumuntque.

Excusant tamen, vt dixi ignorātia, ac necessitas, non absoluta, illa quidem, sed moralis, honestatis scilicet cuiusdam ac decentiæ, vt cum partes ius sibi reddi postulant, aut causa iusta aliqua est suborta, quāobrem oporteat Iudicem Ecclesiasticum, metu censuræ continere reum in officio, tunc enim hic non peccat, eo quod Concilium concedit, vt in aliorum commodum, tam ille quam Laicus munere suo fungi possint.

E Obiicies contra secundam assertionem, excommunicari non potest nisi contumax, sed appellari nequit hoc nomine qui excommunicato tolerato non obsequitur: ergo cū excōmunicari nequeat alius quam qui contumax, excomunicatus toleratus excommunicare neminem poterit.

Minor probatur, contumax esse is non potest, qui obsequi ei renuit, qui præcipere nequit, at est tolerati iurisdictio suspensa, redigi ergo in actum non potest aliquid impe-

rando, quod fieri sit necesse ab eo, cui iubetur, ne dicatur, & audiat contumax. A

Argumenti minor est neganda, Confirmationis autem consequentia est falsa, quia eodem modo, quoad exercitium actuum iudicialium, habet se excommunicatus toleratus, sicut se habebat olim excommunicatus occultus, hic enim habebat iurisdictionem suam impeditam, sicut ille, ergo sicut erant actus illius validi, Ecclesia defectum eius supplente, ita & erunt istius, insuper vt illi debebat reus obsequi, ac morem gerere, nisi contra eum exciperet: vt dicitur *in cap.1. de exceptionib. in 6.* ita & isti Ægid. *disp.14. dub.10. num.9.* Nauar. *cap.27. num.1.* Laym. *supra.* B

Obiicies secundo, nullum ius, nulla gratia excommunicatis conceditur, nisi quatenus tendit hæc in bonum fidelium, at excommunicatio non est de hoc genere.

Respondend. primo, prodesse excommunicationem cœtui fidelium, in quantum eius subeundæ metus eos à culpa cohibet.

Respondend. secundo, etsi excommunicatis toleratis in dicta Extrauag. nulla gratia directè sit facta, ideoque peccent, si communioni fidelium, seu in sacris, seu in politicis se ingerant, indirectè tamen & per consequentiam, multa eis concedi per Concil. & quidem, ne facta potestas fidelibus, ab iis Sacramenta petendi, si sunt Parochi, aut iustitiam, si sunt iudices, sit inutilis, frustratoria, ac vana, fatendum est eiusmodi toleratis, iurisdictionis suæ vsum ademptum non esse, sicuti notant apud Laym. loco præcitato, Suarez *disp.11. sect.4. num.4.* Auila *parte 2. cap.6. disp.3. dub.2. conclus.3.* quare nec mirum videri debet, si eam cum est necesse, in actum reuocare queant per censuram. C D

Obiicies 3. quæ ab excommunicatis toleratis fiunt, hæc ad petitionem fidelium, & ob eorum fauorem fieri oportet, at excommunicari ab Episcopo nemo petit, aut damnari à iudice, neutri ergo licet, eorum alterum, durante eorundem excommunicatione ac censura facere.

Respond. ad minor, petere quidem neminem vt excommunicetur, aut capite damnetur, peti id autem posse ab aliis, quorum interest, ad exemplum posterorum peccata non esse sine pœna. E

QVÆSTIO XVIII.

An excommunicatus beneficii sit capax.

EFfectus excommunicationis non minimus est, excommunicatum reddere ad beneficia Ecclesiastica inhabilem, cum ei conferri nullum debeat, sic decernente Innocent. III. *in cap. postulastis 7. de Clerico excomm. ministrante.*

Quid enim hac eius oratione clarius? *Clericis excommunicationis vinculo innodatis, Ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea retinere licite, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum, cum ea non fuerint canonicè consecuti*, nam si ea hi non assequuntur canonice, acquirunt inualide, & consequenter non sunt ad ea habiles, perspicuitatis tamen maioris causa, res est explicanda paulo diffusius.

Dico ergo primò, *Censura nulla, collationem quæ Papalis est, inanem reddit ac nullam.*

Ratio est, quod hæc absolutionem consequi eorum soleat, quibus ad beneficia obtinenda sit quis inhabilis, patet ex praxi, formaque communi, qua in conferendis beneficiis vti Papa est solitus, de qua Rebuff. *parte prima praxis, rubrica de tertia parte signaturæ, num.1.* & in rubrica *de noua forma prouisionis parag. nos tibi præmissorum*, quod enim excommunicato facta de beneficio collatio non valeat, *cap. postulastis 7. de Clerico excom. ministrante*, nec rescriptum, *cap.1. de rescript. in 6.* ideo ab ea, censurisque reliquis, si quibus forte irretitus tenetur Clericus, beneficii Ecclesiastici candidatus, à Papa benignè absoluitur, indicant hæc eius verba in Concordatis petita ex *forma mandati Apostolici parag. ac volentes præfato N. premissorum suorum meritorum intuitu, gratiam facere specialem, ipsumque à quibusuis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes & absolutum fore censentes, &c.*

Hæreticis tamen non prodest ea absolutio *cap. excommunicamus parag. credentes de hæreticis*, ne inde ansam captent contemnendæ Ecclesiæ, censuræque in eos latæ Rebuffus *prima parte praxis de forma & declaratione nouæ prouision. num.9.*

Ab ea similiter subsidium sibi nullum habent, qui intra anni spatium, à cēsura absolui negligunt, in eaque (vt loquuntur canones) insordescunt, quia per eam moram suspicionem

nem de se hæresis faciant, maléque in Ecclesia affectæ mentis *Glossa in cap. final. de pœnitent.*

Tertio, in eandem cogendi sunt classem, qui literis Apostolicis vim faciũt, earum adiectione rerum, aut sectione, quibus reddantur falsæ, Innocent. III. *in decretali ad falsariorum 7. de crimine falsi*, cum enim eos ibi excommunicatione feriat, omnibusque officiis, & beneficiis Ecclesiasticis in perpetuum exuat, hancque eis pœnam quotannis, in cœna Domini infligat, ac renouet Pontifex, à veri probab ilisque abhorret specie, velle eum, hanc absolutione maculam elui, quam prouisio, collatioque beneficii præfixam habet, quod Iulii eius nominis tertii Pontificia sanctio planum facit, his inchoata verbis. *Item volult, &c.*

Dico secundò, *Ab excommunicatione quam minorem vocant, aditum ad beneficia occludi nemini.*

Est hæc conclusio contra Canonistas aliquos à quibus stat quoque Azorius *to. 2. lib. 6. cap. 7. q. 7.* non item Suarez, vt videre est *in disp. 24. de censuris sect. 2. num. 19.*

Ratio est, quod Gregorii, noni testimonio minori excommunicatione ligatus, cum scienter est electus, *eius electio est irritanda, pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione est à sanctis Patribus priuatus*, non est ergo eius electio ipso facto inualida sed inualidanda à Iudice, non facit ergo minor excommunicatio, ne rata sit excommunicato eo excommunicationis genere facta beneficii collatio.

Dico tertiò, *Beneficium excommunicato maiori excommunicatione, ordinarie nõ conferri nisi inualide.*

Commendat hanc sententiam Innoc. *in cap. postulastis de Clerico excommunicato ministrante*, ipsaque ratio duplex, prima, quod excõmunicatus iuris sit spiritualis incapax.

Secunda, quod cum beneficium detur propter officium *de rescriptis cap. finali*, ei demandari nullum debet, qui pręstare nequit officium, ad hoc genus, excõmunicati prędicti pertinent, nec enim Deo litare, horas publicè legere, sacra frequentare, administrandis Sacramentis populo operam dare possunt sine scelere, ergo nec beneficiũ recipere, cum ei nequeant deseruire, *de Clerico excomm. ministrante cap. vltimo*, quæ cum in toleratis locum habeant, peræque ac cæteris, vt istis dari beneficia Ecclesiastica non debent, nec possunt, ita nec illis, quia *per Constant. Concil. in extrauag. ad euitanda*, non redduntur ad illa habiles, & si est ea Concilii Sanctio aliquibus vtilis, sane non excom-

Pars secunda.

A municatis, sed fidelibus tantùm, quibus impune cum illis communicare, ac versari vult esse liberum, non item toleratis.

Casus sunt tamen tres numero, in quibus facta excommunicato beneficii collatio est valida, primus est, cum illud triennio possedit quietè ac sine turbis.

Ratio est, quod qui beneficium cum titulo colorato triennio possidet, fiat illo elapso eius possessor verus ac legitimus, titulo qui coloratus est tantum, transeunte in verum vt post Gomesium *in can. si quando de rescriptis exceptione 10. num. 9.* scribit Nauar. sed

B cuiusuis ordinarii tolerati, & nondum depositi collatio, titulum coloratum efficit, docet Gomesius *q. 28. in regulam de triennali possessione pacifica num. 10.* Probus *in pragmatica sanctione titulo de pacific. possess. verbo coloratum num. 10.*

Tunc enim titulus est talis hoc est coloratus, vt est in regula Cancellariæ, quũ datur ab Episcopo, vel alio collatore ordinario, qui reseruatione iuris non impeditur, omnes autẽ in Dei Ecclesia reseruatos esse quis

C dicat? ergo cum exceptio in non exceptis firmet regulam in contrarium *lege nam cum liquidè digest. de pecun. legata, lege quæsitum 12. parag. si quis fundum digest. de fundo instructo*, si beneficium excommunicato datum, Papæ reseruatum non fuerit, ab ordinario collatum, coloratum ei tribuet titulum, debet hic tamen operam dare vt absoluatur, vt officio prout expedit, ac debet, fungi suo valeat.

Secundus casus, in quo beneficii collatio excommunicato facta, est valida, est cum

D eius censura est occulta, nam *canon ille postulastis*, de eo quem excommunicatum esse certò constat, non autem de occulto capi debet: est enim hoc Iurisperitorum axioma longè certissimum, quod quando in canone, aut lege, exprimitur eius ratio, quantumcunque sit hæc generalis, latéque patens, restringendam tamen hãc esse, iuxta rationẽ in ea expressam, ex quo sequi aiũt quod vbi isti nullus est locus, nullum quoque esse legi aut canoni, ita Nauar. *consil. 5. de testament.*

E Azorius *to. 1. lib. 5. cap. 16. qu. 9.* Age ergo, videamus quid rationis ac causæ Pontifici extitit, excommunicati à beneficiis excludẽdi? Nempe *quod cum excomm. cõmunicari non debeat cap. postulastis 7. de Clerico excom. ministr.* at non habet hæc ratio locum in occulto, cum vitari non debeat, sed nominatim excommunicatus, ac denuntiatus, vt est *in Concordat. titulo de excommunicatis non vitandis, & in Extrauag. ad euitanda.*

Casus tertius in quo beneficii collatio ex-

communicato facta est rata, est cum hic ignorabat talem se esse, ita Nauar. *in can. fratres de pœnitent. dist. 5. num 45.* cui aduersatur cum Suar. *disp. 13 de censur. sect. 2. num. 3.* Ægid. *disput. 14. dub. 9. num. 70.* eorum vnicum est præsidium quod ignorantia excusare quidem à peccato valeat, sed illum ad actū reddere habilem, qui alias eius est incapax, nequeat.

Conciliantur ambæ hæ sententiæ dicendo posteriori locum esse in foro externo, priori in conscientiæ: Enimuero est inhabilitas pœna maior ac acrior, quam irregularitas, eam ergo non nisi ob culpam infligi conuenit, eamque grauem. At qui ignorans aliquid agit, aut recipit, non peccat, collato ergo sibi beneficio non excidit, qui cum excommunicatum se nesciret, aut esse se talem oblitus esset, eo donari se est passus.

At peccauit (inquit Suar.) cum est in censuram lapsus. Omnino: & ideo pœnam tunc luit, quare cum bis pro eodem plecti crimine nemo debeat, ad excommunicationem qua tunc est ob culpam peccator castigatus adiici ad beneficia Ecclesiastica, inhabilitas non debet.

Ad id quod ex communi Theologor. effato est allatum, non facere ignorantiam actū ex irrito, ratum ac validum. Responderi debet, valere id in lege absoluta, non pœnali, nam cum eius sciscendæ causa, sit culpa, hac cessante, eius quoque effectum qui est pœna, cessare est necesse, *cap. cum cessante 60. de appellationib.* Ab ignorantia autem excusari singulos à pœna, quam qui scienter operantur, non effugiunt, exempla multa indicant.

QVÆSTIO XIX.

Explicantur dubia quædam in præsenti materia occurrentia.

PRimum, *An quando excommunicato collatum est beneficium, per eius absolutionem sic cualidetur facta ei collatio, vt alia noua nulla, ad eius possessionem validandam sit opus.*

Noua opus esse magnorum est Theologor. opinio Lessii, *lib. 2. de iustitia cap 34. dub. 22. num. 119.* Ægid. *disp. 14. dub. 9. num 73.* inter Canonistas Rebuff. *de excomm. non vitandis in Concordat. parag. Aduertendum,* Nauar. *cap. 27. num. 194.* Rationum momenta pro hac sententia, etiam me tacente, cuique mediocriter versato in Theologicis, occurrunt multa.

Primum quæ ab initio fuere nulla, hæc non conualescunt tempore, *non enim firma-*

A *tur tractu temporis quod de iure ab initio non subsistit de regulis iuris in 6. regula 18.* sed excommunicati ad Ecclesiæ dignitates, beneficiaque promotio, viribus est vacua, quicquid ei ergo aduenerit de nouo à consensu conferentis, non erit firmum.

Secundum excommunicatis *Ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea retinere licitè, nisi fuerit cum eis misericorditer dispensatum, cap. postulastis 7. de Clerico excom. ministrante.* Sed hæc dispensatio, nouæ collationis est instar, ergo si non fiat, beneficii primo collati retētio, vitiosa erit & inualida.

B Tertium, donatio incapaci facta non tenet, sine nouo donantis assensu, exemplum est in religioso professo, qui quoniam iuris acquirendi est incapax, non est satis vt donum fecisse suum censeri queat, quod per Pontificem postea ei facultas fiat illud acceptandi, donationem nouam ad priorem, quę nulla fuit, accedere oportet, cum vi eius nunquam res donata sufficienter à donatario acceptari potuerit.

C Causa est, quod vt donatio efficax fit ac firma, voluntatem in donante efficacem exigat, transferendæ rei suę in donatarium, qualem tamen habere nullam potest in professi gratiam, cum talis voluntatis obiectum non sit tunc idoneum & capax, ergo cum collatio, quædam sit veluti iuris in beneficium donatio, cuius est excommunicatus incapax, quandiu durat eius vinculum, vt hæc eo soluto valere incipiat, necessaria est noua eius collatio.

Contraria tamen opinio quam tuentur è canonici iuris interpretibus plurimi, non est D iudicio Thomæ Sanchez improbabilis, eius præsidia præcipua sunt duo quorum meminit *in lib. 8 de matrimon. disp 7. num. 12.* & post eum Less. & Aegid. Primū & potissimū est quod ex parte conferentis, verus fuit consensus, qui si efficax esse, ac sortiri effectum non potuit, causa soli fuit imputanda collatario, vt pote qui rei sibi tum collatæ erat incapax, ergo cum per absolutionē censuræ, qua tenebatur implicitus, impedimentum cessauerit esse, hic sola eius acceptatione beneficii possessor esse incipiet.

E Dubium secundum, *An excommunicatio, sicut & qualibet alia Ecclesiastica inhabilitas collationem beneficii reddat ipso facto irritam.*

Inhabilitas quoad rem præsentem omnino est duplex, à diuina lege ortum habet earum altera, ab Ecclesiastica alia, prioris exemplum suppeditat, quisquis est ad obeundum munus, à natura, eiusque bonis non satis idoneus, vt sunt mulieres, infantes, furiosi, & amentes. Ecclesiasticæ autem, Simoniaci, irregulares, suspensi, excomm. cæterique

terique id genus viri, qui partes explere quidem suas officiumque præstare possunt, sed ne faciant, impedit Ecclesia.

Est rursus inhabilitas Ecclesiastica duplex, prior, peccati vera est pœna, & quidem grauis, vt hæresis, simoniæ, homicidii, sodomiæ. Posterior non tàm est pœna, quàm conditio, seu qualitas quam in iis exigit Ecclesia, qui beneficium ambiunt, vt sunt ætas, tonsura, ex legitimo natum esse coniugio, nec censura vlla vinctum esse.

Dico primò, *Inhabilitatem ad officia, gradus dignitates & beneficia, quæ est pœna peccati nostri, aut parentum, eorum collationem non reddere ipso facto irritam.*

Ratio est, quod ea collatarius retinere licite valeat, quandiu iis per sententiam non priuatur, non est ergo eorum collatio inualida, ipso facto,

Anteced. probatur, ante sententiam declaratoriam incursi criminis, ac verò etiam executoriam, legi non necessario est parendum, quæ transgressori pœnam amissionis bonorum, beneficii seu rei possessæ imponit, Emman. Sa verbo pœna *num.* 1. Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 30. *num.* 1. Filliuc. *tract.* 44. Thesaurus *in praxi Eccles. parte* 1. *cap.* 28. Nauar, *in comment. de datis & promiss. notabili* 31. *num.* 44. Ludouic. Molina *to.* 1. *de iustitia tract.* 2. *disp.* 96. *parag. duo obserua.*

Dixi licitè, nam hæ pœnæ non obligant ante sententiam pro foro conscientiæ, sed tantum in externo, Azorii testimonio *to.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. 2. 3. & 4.

Dico secundò, *Inhabilitatem quæ à censuris & irregularitate oritur, factam beneficij collationem reddere ipso iure & facto irritam*, ita Thesaurus *parte* 1. *praxis Ecclesiast. cap.* 5.

Ratio est, quod lex Ecclesiastica, quæ beneficiarium vult à censuris immunem esse, ac liberum, pœnalis non sit, sed absoluta, ergo illico ac est, obligat in conscientia, ergo cum excommunicatos neget admittendos ad beneficia, erit eorum ad illa promotio, in conscientia inanis ac nulla.

Confirm. est conditio omnis non necessaria, contractui aut donationi adiecta, eius suspensiua quare hac non extante, donationem quoque præstare, ac implere non est necesse, cum eius defectus, absentiaque, ei vim omnem ad obligandum adimat, sed est beneficii collatio quasi donatio, cui ex intentione Ecclesiæ vt sit rata, est hæc apposita conditio, vt collatarius non sit censura vlla vinctus, eius ergo non remotio, collationis est irritatio.

Dubium tertium, *Peccat ne collator, si beneficium excommunicato scienter conferat.*

Omnino: primo, quia cum eo communi-

A cat contra quàm Ecclesia præcipit, quæ ratio etsi locum in tolerato non habeat, quod hæc libera cum eo colloquia, commerciaque, esse Christianis singulis patiatur, in Constant. Concil. aliunde tamen ad eius regimen, beneficiaque sine culpa vocari non posse, constat ex decretalib. Papæ Innocentii literis, Enimuero *in cap. postulastis* 7. *de Clerico excomm. ministrante*, eos ait qui talibus, *beneficia scienter conferunt, tandiu debere à beneficiorum collatione suspendi, donec super hoc*

B *veniam consequi mereantur, vt puniantur in hoc, in quo delinquere præsumpserunt.* Sed suspensio, sicut & censura quælibet alia, peccati certa est pœna, nec alterius in præsenti materia, quam beneficii indigno collati hoc est excommunicato aut interdicto, est ergo eorum ad beneficia Ecclesiastica promotio, culpæ in promouente admissio, in quam ne se Senonenses canonici tum temporis interdicti inducerent, *iisdem de solita benignitate concedit, vt sibi per postulationem, vel electionem canonicam de persona congrua consulerent:*

C *de postulatione prælator. cap.* 1.

Dubium quartum, *Ad quem pertineat dispensare cum excommunicato, vt post absolutionem suæ censuræ, beneficium retineat.*

Dico primò, *Id posse Pontificem cæterosque ad quos eius collatio pertinet.*

Ratio est, quod *talis dispensatio, nihil sit aliud, quam virtualis quædam ipsius beneficij secunda collatio*, Ægid. *supra num.* 73. ergo qui conferre illud non excommunicato potest, poterit & ei, qui in censuram est lapsus, post absolutionem eius habitam.

D Dico secundò, *Si censura occulta fuit, cum collatario vbi ab ea legitime erit absolutus, dispensare Episcopum posse vt beneficium in ea, sibi collatum retineat.* Ita Azor. *tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 7. *qu.* 2.

Ratio est, quia illi per Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. dispensare in conscientiæ foro permittitur, in irregularitatibus ex occulto peccato prouenientibus, sed irregularitatis nomine, inhabilitatem quoque ad officia, beneficia, & eorundem priuationes intelligi, scripsere Henriqu. *lib.* 13. *cap.* 56. *num.* 1. Sanch. *in decalog. lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 78. Bona-

E cina *de clausura q.* 1. *pun.* 5. *Inhabilitate*, inquit Sanchez citatus, *contracta, delictum occultum potest Episcopus dispensare cum sibi subditis, virtute Trid. sess.* 24. *de reform.* quam sententiam vti probabilem defendi posse habet Thesaurus *in praxi Eccles. parte* 1. *cap.* 23. *dicto* 6. *ampliat.* 2. etsi contrariã in praxi sequendam dicat, omnium ratio est, quod inhabilitas, partialis quædam sit irregularitas, ergo qui in hac dispensat, dispensabit & in alia.

Dubium quintum, *An inhabilitas excom-*

municati ad beneficia Ecclesiastica retinenda, quæ ei sunt in excommunicatione collata, tollatur per regulam de triennali possessione pacifica.

Tolli dummodo sit occulta, fit ex eo mihi probabile, quod à beneficio concesso, per regulam, excipi is non debeat, quem hæc ab eo vsu non excludit, sed ista eo alium non priuat, quam qui titulo colorato nullo nititur, quem tamen pro eo facere, cuius inhabilitas est occulta, Doctorū est opinio. Est enim titulus tunc coloratus, cum datur ab eo qui potest, & nihil impedit, at quandiu inhabilitas latet, non est impedimentum collationis cognitum, quia vt supponitur, dictæ inhabilitatis argumenta nulla suppetunt, signa nulla, quibus probari valeat, estq; beneficium ab eo, cui conferendi ius competit: excommunicato datum: ergo, &c.

Secundo, exceptio in non exceptis firmat regulam, vt Diu. August. ex scriptura colligit *li.1. de sermone Domini in monte cap.* 25. referturq; à Gratiano 32.*q.*7.canone Dominus 6. sed regula *de triennali possess. pacifica*, Simoniacos duntaxat & intrusos excludit, ergo non alios, ergo nec inhabiles, inhabilitate quam censura progenerat.

Tertio, iurisdictionis spiritualis actus omnes, quos exercet, qui occulte est inhabilis, rati sunt, firmi, ac validi, fieri id vero sine titulo colorato non potest, vt patet, traduntque Sanch. *lib.* 3. *de matr. disp.* 21.*num.*49. & alii apud illum, maneat ergo quod in responsione quæstionis est positum, inhabilem modo qui est occultus, hac regula comprehendi & iuuari: ita Gomesius *in hanc regulam q.*2.10.15.27. *&* 28. Sanch. *lib* 7. *de matrim. disp.* 42. *num.* 15. Nam qui palam, omniumque est conscientia inhabilis, triennio, nec quolibet alio ampliori spatio, quo beneficium possidet, tueri se posse, fit ex eo perspicuum, quod inhabilitate, quæ nulli non est cognita, quia est publica, tollatur color tituli, ergo & effectus regulæ, seu beneficium, quo eos frui Pontifici placuit, qui cum titulo in speciem vero, ac legitimo, qualis est coloratus annis tribus, aut pluribus, sine lite ac turbis, beneficium possedere pacifice.

Ab hac ergo (inquies) regula commodi nihil sperare sibi, nedum promittere toleratus poterit, cum eius censura ferè nunquam non sit mortalibus cognita, quod tamen negauimus antea.

Anteced. est falsum, nec enim quæ ex peccato, aut censura inhabilitas oritur, manifesta creditur, quantum ad præsens attinet negotium, effectumque impediendi colorati tituli, nisi sit declarata per sententiam iudicis, est res clara ex Constant. Concil. *Extrauag. ad euitanda & Concordatis titulo de excommunicat. non vitandis*, quam auctoritate sua corroborant firmantque Suar. *disp.*14. *de censur. sect.* 2. *num.* 3. Nauar. *Enchirid.* 27. *num.*35.

Dubium sextum, *An Ecclesiastica pensio excommunicato decerni queat.*

Disceptatur hæc quæstio à Suare *disp.* 15. *sect.*1.*num.*12. Stephano de Auila 2. *par. cap.* 6.*disp.*5.*dub.* 5.*conclus.*2. Ægid. *disp.*14.*dub.*9. *num.*85. eique ad hunc modum respond. Auila, *Loquendo de pensione spirituali, quæ fundatur in titulo spirituali, probabile est, quod collata excommunicato sit valida.*

Opinio opposita placet his auctoribus Couarr. *in can. alma mater* 1. *parte parag.*7. *num.*2. Giganti *de pensionib. q.* 14. Auilæ loco proxime citato, Layman. *lib.*1.*tract.*5.*par.* 2. *cap.*2. Thesauro *par.*1.*praxis Eccles. cap.*31. argumenta quibus in eam mentem veniunt sunt ista.

Primum, quod pensio pars sit beneficii.

Secundum, quod sit ius percipiendi fructus ex beneficio, & proinde spiritualis titulus, ita Thesaurus.

Tertium, quod Pontificiæ tabulæ, quibus pensionis ex alieno beneficio colligendæ ius alicui conceditur, absolutionem à censuris habeant ad cautelam, quod est argumento in ea esse opinione Pontificem, vt existimet, excommunicatum pensionis incapacem esse, ita Couar.

Mihi in eorum partes concedenti, qui pro pensionario faciūt, occurrit in primis Iurisperitorum axioma vulgare, cum de pœna agitur, verba legis quibus nocenti imponitur, vsurpanda propriè, hoc est in vero suo, germanoque sensu sumenda esse, at beneficii nomine, ac dignitatum Ecclesiæ, ad quas excommunicato Innoc. Papa tertius *in cap. postulastis* 7. *de Clerico excomm. ministrante, & in cap.* 1. *de postulatione Prælatorum*, aditus vult omnes occlusos esse, non intelligitur propriè pensio, cum ei ius sacræ functionis exercendæ non competat, quod tamen est essentiale beneficio, vt ostendetur *in tract. de benefic.*

Quid? quod ad beneficia soli admittantur Clerici, quod sint perpetua, quod diurni horarum, nocturnique pensi adiunctum onus habeant? quorum nihil pensionario incumbit ex officio, nam quid vetat, fructus ei pensionis nomine assignatos, certo definiri tempore vt anni, duorum aut trium? Possessiones quidem Ecclesiæ quas Papa Symmachus in epistola ad Cæsarium distrahi prohibet, dari posse ait, *Clericis bono[illegible] meritorum, aut Monasteriis, religionis intuitu, aut peregrinis*

regrinis, sic tamen vt hæc ipsa non perpetuo, sed temporaliter perfruantur 16. q. 1. *canone possessiones* 61. viden' vt Pontificis Symmachi opinione ac sensu, potest pensio non esse perpetua? eam quoque non Clericis concedi posse, praxis Romana indicat, quę est enim Pontificis erga Principes admiranda benignitas, is sæpe partem sacrorum prouētuum non infimam, pensionis loco ad necessaria vitæ subsidia indulget, sicut *in cap. finali de magistris*, suppeditari vult Academicis præceptoribus ab Episcopo, & Capitulo *si proprii redditus Ecclesiastici non sufficiunt*, & quanquam à Pensionario horas de Beata (vt aiunt) dici Pius quintus imperet, non sunt hæ tamen canonicæ, nec ab eo legendæ quotidie, cum obligatione mortalis culpæ, quæ omnia aliaque id genus non pauca indicant, pensioni, rem nomenque non conuenire beneficii.

Ad argumenta facilis responsio, primum enim & secundum negari debent, est enim beneficium ius spirituale, pensio quid temporale, nihil spiritualitatis annexum habens, vt ex Panormit. in *cap. ad audientiam* 2. *extra de rescriptis*, docet Bleyanus *in Theoria tract. de pensione beneficiali num.* 3.

Tertii neganda Minor, ideo enim in literis, quibus pensionem Pontifex postulanti annuit, absolutio à censuris ponitur, ne eius rescriptum per excommunicationem reddatur inualidum.

Dubium septimum, *An excommunicatus, sic beneficii sui fructibus sit priuatus, vt eos percipere conscientia salua nequeat.*

Grauis in primis est, nec vllo modo contemnenda hæc quæstio, quæ tractatur à Couar. *lib.* 3. *variar. cap.* 13. *num.* 8. *versu duodecimo*, Suar. *de censuris disp.* 13. *sect.* 2. Gutierr. *canonic. quæst. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 92. Vgolino *tab.* 2. *cap.* 12. Henriq. *lib.* 13 *cap.* 13 *&* 14. & aliis, quorum vt in rebus cæteris, sic non est in ista, idem sensus atque iudicium, excommunicatum enim ipso iure beneficii sui fructibus priuatum esse, docent Couarr. & Suar. locis citat. Garcias item *de benefic. par.* 7*4. cap.* 13. *num.* 90. quam sententiam probabilem esse Thesaurus innuit *par.* 1. *praxis Ecclesiæ cap.* 32. *parag. fallit tertio.*

His non assentiuntur Sanchez *li.* 3. *de matrim. disp.* 51. *num.* 12. Stephan. de Auila, *parte* 2. *cap.* 6. *disp.* 6. *dub.* 1. *conclus.* 2. Ægid. *disp.* 14. *dub.* 9. *num.* 81. Laym. *lib.* 1. *tract. de excom. cap.* 2. *num.* 9. docent enim hi omnes excommunicatum beneficii sui fructus percipere posse, dummodo ei per se aut alium inseruiat, quid iudicii super hoc quæstionis genere habeam, exponam conclusione duplici.

Dico primò, *Excommunicatum post denunciationem, licite priuari posse beneficij sui fructibus*, ita Innoc. III. *in cap.* 53. *de appellat. parag. verum*, his verbis; *illi prouentus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.*

A

Dico secundò, *Excommunicatum etiam occultum, Ecclesiastici beneficii fructibus, & administratione carere ipso iure*, ita ex Innoc. III. *can. proxime citato*, colligere est facile & probatur.

Ita excommunicato sui sunt beneficii subtracti fructus, sicut denegatur Ecclesiæ communio, sed hæc illi iure, factoque negatur ipso, trahit enim censura secum executionem, nec sententiam declaratoriam exigit, vt vim suam in nocentem exerat, cum hæc, in priuatione consistat, quæ excommunicati actionem positiuam nullam vt executioni mandetur, postulat.

B

Confirm. Ideo Innoc. testimonio ac sensu post appellationem denunciari excommunicatus potest, quia per hoc non amplius ligatur, atqui si non esset ipso facto priuatus fructibus, amplius ligaretur per eorum substractionem, quam si hi ei non auferrentur: ergo hæc priuatio excomm. ipso facto sequitur, & non tantū sententiam in reum latam.

C

Quod verum est quoque, licet se hic iniuste excommunicatum causetur, ideoque appellet, interim enim dum de appellationis interpositæ æquitate iudex sententiam dicat, prouentus ei subtrahentur Ecclesiastici, vt est in eo *cap.* in quo Pontifex subtractionem fructuum, in communionis Ecclesiasticæ denegatione fundatam esse ait, licet Glossa ibi, aliter sentiat, quam bene, nihil hic attinet dicere, cum à ratione abhorreat, vt qui officio non fungitur, fructibus gaudeat, qui eius causa dari solent, quare si percipit, ad eorum restitutionem in conscientiæ foro tenebitur, non minus, quam qui horas canonicas non recitat.

D

Verum enim (inquies) post absolutionem etiamne amissos fructus reddi hic sibi, postulare iuste potest?

Si erat excommunicatio iusta, hoc ei concedi æquitate illæsa non potest, nā absolutio, sublato cēsuræ vinculo, percipiendorū amodò fructuum, ius ei duntaxat, potestatemque tribuit, in quē est illata iniustè, quod rationi perquā est conforme, vt præteritorū iactura, resipiscendi à culpa occasio ei sit ac causa.

E

Si autem erit iniusta, aut nulla, eos vt postulare sibi reddi, ita restitutos retinere poterit, & quoniam distributiones censentur in fructibus, eas quoque qui iniuste excommunicatum se narrat, restitui sibi ab iis, qui illas occuparunt, iure quàm optimo poterit, nam cum quotidie sacris interesse officii solleret, ab iisque non nisi iniustè per censuram

inanem ac nullam sit abstractus, damni quod est sua passus absentia, ac priuatione prædictarum distributionum, excõmunicator haud dubiè causa per actionem iniquam extitit, vt supponitur, hoc illi ergo ab isto est præstandum integrè, aut his, qui inter se eas diuisere tanquam suas.

Contraria tamen sententia tam ob auctoritatem Doctorum, quam pondera rationum non est improbabilis, estque proinde tuta in conscientia, rationes sunt.

Prima, quod ex nullo probari canone queat, excommunicatum beneficii sui obuentionibus priuatum esse,

Secunda, quod suspensus ab officio, non sit similiter à beneficio, eiusque fructibus.

Sed ad primam dici debet, facere pro nobis contra aduersarios, canonem pastoralis citatum.

Ad secundam respondendum, supponi falsum, quia beneficium sic est cum officio connexum, vt separari vnum nequeat ab alio, est enim beneficium ius perpetuum colligendorum fructuum, propter spirituale officium, ergo si obiri non poterit, ius quoque obuentionum cessabit.

QVÆSTIO XX.

An excommunicatus priuetur communione fidelium in re iudiciaria.

PRima assertio, *Excommunicatio omni iudiciaria potestate excommunicatum priuat tam in foro externo quam Ecclesiastico*, ita Pontifices Innoc. III. in *cap. 24. ad probandum de sent. & re iudic. & can. audiuimus quarto causæ* 24. q. 1. In priori enim dicitur quod si vnus ex delegatis iudicibus, qui eandem sententiam protulerunt, excommunicationis vinculo esset innodatus publice, quando sententia lata fuit, hanc infirmandam videri, ita Alexand. secundus Valerianum Episcopum, bono esse animo iubet, nec Rauennatis Archiepisc. timere fulmina, *quod excommunicatus eum excommunicare non potuerit*. Equidem Cyrillus Alexandrinus epistola ad Cœlestinum Põtificem inserta, *Concilii Ephesini actis parte 2. actione* 5. significat, non potuisse valide, & cum effectu, moueri piorum numero à Nestorio, Ioanne Antiocheno, & aliis Episcopis conciliabuli, quod per excommunicationem, qua perculsi à Concilio fuerant, iudiciaria omni potestate carerent, sic enim ille, πῶς αὐτοὺς ἀκοινωνήτους ποιήσαντες, ἐ περιέλοντες αὐτῶν πᾶσαν ἐξουσίαν ἱερατικὴν ὥστε μὴ δύνασθαι βλάπτειν δι' οἰκείαν ἀπόφασιν, id est *interim illos excommunicationi sub-*

A *iicientes omnique Sacerdotali potestate exuentes ita vt nullum suis sententiis lædere queant*, similia sunt quæ in procemio canonum eiusdem Concilii *parte* 2. habentur οὓς πάντας δόγματι κοινῷ ἡ ἁγία σύνοδος πάσης ἐκκλησιαστικῆς κοινωνίας ἀλλοτρίους ἐποίησε πᾶσάν τε αὐτῶν ἐνέργειαν ἱερατικὴν περιεῖλε, δι' ἧς ἐδύναντο βλάπτειν ἢ ὠφελεῖν τινάς, quę Latinè reddita sic sonant *quos omnes* (puta Nestorio adhærentes) *sancta Synodus communi decreto ab omni Ecclesiastica communione alienos esse statuit, & omnem Sacerdotij efficaciam illis ademit, per quam aliquibus vel nocere, vel prodesse poterant*, his tam

B firmis Pontificum ac Conciliorum testimoniis accedunt argumenta sequentia.

Primum excommunicatus denunciatus per censuram, est suspensus ab omni officio suo, eiusque iurisdictione, seu vsu, indicio est quod 15. *q. 6. can. 4. nos Sanctorum* & finali eiusdem causæ & quæst. eximantur vasalli ab obsequio excommunicatis exhibendo, à iureiurando insuper, debitaque fidelitate, cum imperio, vt iis se nunquam morigeros præbeant, *Iuratos milites* (verba sunt Vrba-

C ni 2.) *Hugoni comitis, ne ipsi, quandiu excommunicatus est, seruiant prohibeto, nos autem*, inquit Greg. VII. in *can. nos 4. Sanctorum prædecessorum nostrorum statuta tenentes, eos qui excommunicatis, fidelitate, aut Sacramento constricti sunt Apostolica auctoritate à Sacramento absoluimus, & ne eis fidelitatẽ obseruẽt, omnibus modis prohibemus, ante quã ipsi ad satisfactionẽ veniãt*, quod est argumẽto, per hos canones priuari eos auctoritate Apostolica cum sunt excommunicati, & denuntiati, vsu suæ iu-

D risdictionis, & proinde quidquid agunt, agere frustra & sine effectu.

Confirm. excommunicatus quoad spiritualia, & alia opera, habetur pro mortuo, Baldi testimonio *in repetitione legis Barbarius nu.* 10. in cuius rei fidem citat Innoc. *in cap. nihil de elect.* at mortuus nullius est iurisdictionis capax: & *num.* 3. ex Archidiacono *dist. 62. can. nullus*, ait excommunicatum non recipere titulum dignitatis, at esse iudicem, eoque nomine, iuri dicendo præesse, titulus est, ac dignitas, ea ergo fungi excommunicatus non potest.

E Equidem causa 24. potestatẽ ligãdi & soluendi esse dũtaxat penes eos qui sunt in domo hoc est Ecclesia dixit Augustin. *lib. 7. de Bapt. cap.* 51. at excommunicati extra eam sunt, ergo si potestate ligandi carent, carent & iurisdictione, sine qua tamen actus iudicialis stare aut robur habere qui potest?

Secundum prius natura est, habere officiũ, quam iurisdictionem ac potestatem, quia ius ferẽdæ cẽsuræ eius est quidam effectus cum ab illo oriri soleat, sed qui per censuram excommunicati

eius ab Ecclesia sunt eiecti, iidem quoque ab officio sunt suspensi, secundum Nauar. *cap. 27. num. 21.* Vgolinum *lib. 2. cap. 11.* Caietan. *in verbo excommunicatio cap. vltimo*, cum illud exercere nequeant sine communicatione cum fidelibus, quæ ratione censuræ quæ illos vincit, iis est prohibita. Sunt ergo à iurisdictione sua suspensi, vt est *in cap. tanta 18 de excessib. prælator.* in quo Gregor. IX. *authoritate Dei omnipotentis omnem institutionem, destitutionem, collationem præbendarum, beneficiorum ac dignitatum præsumptas, per Episcopum* (qui censuram incurrerat eo quod interdictum violauerat) *decernit irritas & inanes.*

Dico secundò, *Iudicem Laicum, siue ordinarium, siue delegatum, siue supremum, siue subordinatum, quem ex publica denuntiatione constat esse excommunicatum, iurisdictionis vsu carere, & ita carere, vt quæ sententiæ, leges, decreta ab eo sint lata, irrita sint & inania,* patet *ex cap. ad probandum 24. de sententia & re iudicata,* inanis quoque eius est authoritas, ab eodem in aliquo interposita iudiciali actu, inanis iudicum ab eo delegatio, cum iurisdictionem sine qua nihil queunt, ab eo accipere nequeant, in odium tamen hæreseos, excommunicato fas esse dixit Alexand. III. quæstionem instituere de hæreticis, ac in eos exercere iudicium, sic enim ab eo statutum esse declarat hæc ex *ca. præsidentes 6. de hæreticis in 6.* deprompta oratio Præsidentes *regimini alicuius regni, prouinciæ (licet excommunicati vel de facto tantum & non de iure iurisdictionem habētes, ad requisitionem ordinariorum, possunt ac debent contra hæreticos iustitiam & suum officium exercere.*

Quid si supremus iudex V. G. Princeps sit excommunicatus & denuntiatus, nulla ne erit in subordinatis ei iudicibus potestas? iurisdictio nulla, sicut excommunicato Episcopo, nulla est Vicarii?

Respondend. illos iurisdictionem sibi à Principe collatam, antequam esset extra Ecclesiam retinere, non enim eorum & Principis, vnum est, idemque forum, sicut est Vicarii & Episcopi, eos tamen mutare principi, aut alios eis subrogare non licet, quia iurisdictione caret in priores, nec posterioribus communicare vllam potest.

Quæ porrò de iudice sunt hic dicta, de arbitro, & arbitratore, eorumque sententiis intelligenda sunt similiter, idque tam quoad exercendam iurisdictionem, quam acquirendam dignitatem, quæ illi est adiuncta, de qua re fusius Vgolin. *tabula 2. cap. 13. parag. 3.* Arbitrum porro eum Iurisperiti vocant, qui iudex est quidem, sed non à lege datur, aut principe, sed ex compromisso sumptus à

A litigatoribus *lege Pomponius digest. de arbitris,* proposita etiam pœna ligatori qui eius sententiæ stare noluerit, quæ si non est adiecta dicitur arbitrator, & illius sententia vulgo *laudum, & arbitrium*, huius autem arbitramentum.

Vgolin. *tab. 2. cap. 11. parag. 6. num. 3* putat arbitramentum ab excommunicato denuntiato iniuste quidem ferri, valide tamen, non autem arbitrium, eo quod arbitria ad iudiciorum formam redacta sint, non arbitramenta, quæ se habent sicut contractus, qui

B etsi non debeant ab excommunicato iniri, initi tamen non sunt irriti, at cum inter vtraque non sit discrimen, nisi adiectæ aut non adiectæ pœnæ, vt ait Spiglius in lexico iuris ex Alciato, cum hoc discrimen non sit essentiale, idem de vtrisque dicendum videtur.

Dixi *si est excommunicatus & denunciatus*, nam tolerati acta omnia sunt valida, Ecclesia eius defectum supplente, vt ex communi notat Auila, *2. par. cap. 6. disp. 7. dub. 1. conclus. 2. dub. 3. concl. 2. dub. 4. conclus. 2.* Potest quidem eū Iudex repellere si excommunicatio sit nota, non tamen ad id obligatur, ni-

C si pars aduersa de excommunicatione excipiat, eamque, intra octo dies, si non sit notoria, demonstret, Innoc. IV. *in cap. 1. de exceptionib. in 6.* his verbis: *Si quis excommunicationem opponit, speciem illius, & nomen excommunicatoris exprimat, sciturus eam rem se deferre debere in publicam notionem, quam intra octo dierum spatia, probare valeat apertissimis documentis.*

Dico tertiò, *Peccare mortaliter iudicem, qui in excommunicatione non tolerata iudicat, eligit, testes audit.*

D Assertionis hæc est causa, quod iudicando, alienum sibi vendicet ius ac potestatem alteri debitam occupet cum enim vti sua ei per censuram non liceat, vis ea iudicandi qua erat instructus, ad illum reuoluitur, à quo eam acceperat, proindeque illi iniuriam vsurpatione rei, quæ est eius, non sua, irrogat.

Idem est de aliis actionibus iudicium. Enimuero facit auditio testium merces illis vt sit à litigātibus, debita, ergo cum in foro, fori, eorum testimonium sit nullum, eis iu-

E stum operæ suæ stipendium numerantibus, iniuriam facit cum restitutionis de re accepta faciendæ obligatione.

De Aduocato, Tabellione, & cæteris fori ministris, nihil est necesse dicere, nam vt à primo (hoc est Aduocato) ordiar, certum est, cum est excommunicatus à iudiciis, Alexandri Papæ quarti decreto excludi, *in cap. decernimus 8. de sentent. excomm. in 6.* quemadmodum & cæteros sine quorum ministe-

rio, & opera, exerceri in prætorio iudicia nequeunt, pertinetque ad iudices seculares, eos cum sunt excommunicati excommunicatione maiore, *repellere ab agendo, patrocinando, & testificando in suis curiis*, quam ad rem *per censuram Ecclesiasticam ab Ecclesiasticis iudicibus sunt compellendi*, Alexand. *cap. decernimus citato*, facere id quoque reos posse, habet *Gregor. noni decretalis* 12. *de exceptionibus ne quisquam in periculum animæ suæ, excommunicato communicare cogatur*, quæ excommunicationis maioris publicæque, *exceptio in qualibet parte iudiciorum opposita, lites differt, repellit agentes, vt ex hoc magis Ecclesiastica censura timeatur, communionis periculum euitetur, contumaciæ vitium reprimatur, & excommunicati (dum à communibus actibus excluduntur) rubore suffusi, ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum, facilius inclinentur*, Innoc. IV. *de exceptionib. in 6. cap.* 1.

QVÆSTIO XXI.

An excommunicatus audiri possit & agere in foro.

ASsertio prima, *Excommunicatus siue à iure siue ab homine, licet non sit denuntiatus, dummodo tamen ita sit eius censura cognita, vt de ea testibus, eorumque voce, reuinci possit publice apud iudicem, siue is sit ordinarius, siue delegatus, siue Ecclesiasticus, siue Laicus agere non potest.*

Causa est, quod Extrauagans *ad euitanda*, excommunicatis non faueat, vt facere eam esset necesse, si illis eorumque querelis locus foret in iudicio.

Assertio secunda, *Non solum per se, sed neque per Procuratorem, qui ab eo authoritatem accipiat, excommunicato licitum est agere, etsi ei antequam in excommunicationem incideret, rerum suarum curam mandasset.*

Ratio est, quod hic ei ius agendi dare nequeat, quo caret, secus sentiendum si aliunde illud habeat, vt à lege, sicut Vicarius Capituli sede vacante, nam tunc etsi essent Canonici singuli excommunicati, modo ipse tamen ab eo vinculo sit liber agere poterit, quemadmodum & quo tempore hanc ei facultatem indulsisset excommudicati Superior, non quidem excommunicati nomine, nec proinde tutor pupilli, curator minoris, pater filii nomine, in propriis eorum bonis agent, sed quasi accepta auctoritate à lege, & à iure naturæ.

Quid si reus ipse, à quo actor exceptione apposita repellitur, sit excommunicatus?

Respondend. exceptionem valere non secus, quia actor non sit ad agendum idoneus ac habilis, per alterius vitium aut vinculum, sed per proprium, si tamen actor excommunicatus exclusus non fuit, quæ acta ab eo fuerint in iudicio, irrita non erunt, vt patet *ex cap.* 1. *de excep. in* 6. idque ad dirimendas lites, & vitandas expensas inutiles, nisi specialiter in eius actoris excommunicatione cautum esset, vana vt forent ac inutilia omnia quæ in iudicio faceret, Vgolinus *cap.* 15 *parag.* 1. *num.* 12. quæ cautio etsi omittatur, certum est tamen excommunicatum eo excommunicationis genere, de quo nos proxime, accusare non posse, lege Ecclesiæ in Suess. sancita Synodo sub Carolo Caluo, anno 853. actione 5. his verbis: *Licet ipsi accusatores & criminatores Episcoporũ, ad accusationẽ ipsorũ non essent idonei, sicut scriptum est in Africano can. 95. qui postquam excommunicatus fuit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, siue Clericus, siue Laicus, recusare voluerit, definimus eum ad accusationem non admitti*, & in Cõcilio Cõstantinop. *can. 6.* hæc habentur, *Si aliqui eorum ab Ecclesia, ob aliquas causas, prius condemnati, vel excommunicati fuerint, siue ex Clero, siue ex Laicorum ordine, statutum est*, μή τι τοῖς ἐξεῖναι κατηγορεῖν ἐπισκόπου πρὶν ἂν τὸ οἰκεῖον ἔγκλημα πρότερον ἀποδύσωνται, hoc est *non licere illis Episcopum accusare, priusquam proprium crimen absterserint.*

Verum enim (inquies) etiamne conueniri in causa tam ciuili quam criminali reus potest, si sit excommunicatus, & non toleratus?

Communis responsio est, posse, ne ex culpa ipse sua vtilitatem reportet, ac commodum, tunc tamen non per seipsum, sed per Aduocatum respondere debet, si idoneum reperire valeat, sitque causa ardua, vt DD. colligunt *ex cap. intelleximus de iudiciis*, ad quod tamen compelli non posse, si ipsemet sit paratus se defendere, speretque se facturũ quolibet alio melius, scripsere Ægid. *dub.* 11. Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 2. *cap* 2. *num.* 5. quorum opinioni ego quoque subscribo vt probabili.

Quanquam distinctione hîc opus, nempe reorum genera esse duo: quidam enim sunt voluntarii (vt loquũtur) necessarii alii: illi vel generatim cum plerisque aliis, in ius vocantur, aut nominatim, sub conditione, aut etiam quia vltro instant vt citentur, ac contra se agatur. Necessarii sunt iji non modo qui arguuntur, sed quorum de re purè ac simpliciter disceptatur. Illi ergo hoc est voluntarii excommunicati si fuerint, in iudicio esse nequeunt, quia ad illud suo commodo veniũt, at eis Ecclesia fauere non vult sed agitare potius ac vexare vt resipiscat, possent

tamen

tamen in alterius vtilitatem ac commodum iudicio se sistere, quia caritatis officia impedire non vult Ecclesia, qui autem in reorum est necessariorum numero, hic in ius venire compellitur, ne ei sua malitia sit vtilis ac commoda, vt ait Alexand. tertius *in cap. intelleximus de iudiciis*, eique se defendere non tamen per se, sed per alium permittitur, & consequenter exceptiones tam dilatorias, contra aduersarios suos obiicere, quibus recusandi eos, causas profert; quam peremptorias, vt solutionem præscriptionem, &c. vt patet *ex cap. cum inter de exceptionib.* qui autem eius partes tuebuntur ac agent, sine peccato communicare cum illo poterunt, modo eis de causæ suæ iniustitia non constet, enimuero tunc peccarent, minoremque excommunicationem incurrerent.

Iidem à sententia contra ipsum lata, appellabunt eius causa, quam appellationem prosequi ipsi quoque poterunt, nisi lata in eum excommunicatio clausulam denegationis, audientiæ, aut remotæ appellationis habeat, quæ à solis Romanis Pontificibus, qui Ecclesiasticum iudicem superiorem non habent, adhiberi potest. Vide Henriq. *lib.* 13. *cap.* 7. §. 5. & Vgol. *cap.* 16.

QVÆSTIO XXII.

An excommunicatus, testificari pro reo possit, aut alio quopiam in iudicio.

DIco primò, *Excommunicatum in iudicio fungi non posse testis munere*, ita Pontifex *in cap. decernimus de sententia excommunitionis in 6.* licet dicat censuram suam nullam, aut iniustam esse, nam prius absolui debet saltem ad cautelam, idque etsi probatio per alios haberi nequeat, & in alium excommunicatum, modo non sit hæreticus, testimonium dicendum foret, id enim conceditur in detestationem hæresis *cap. fidei de hæreticis in 6.* si tamen à nemine in iudicio reiectus fuerit, eius testimonium ratum erit, sicut acta excommunicati actoris non repudiati, vt dicitur *cap. 1. de exceptionib. in 6.* nec solum testis à iudicio, sed etiam contractibus & instrumentis, & præcipue à testamentis excluditur, iis confirmandis si adhibebitur, inania erunt ac nulla, nisi vulgo omnium opinione communi, habeatur pro non excommunicato, quin etiam si dicta quidem in eum est excommunicatio sed quæ promulgata tamen non fuit, hæc propter Extrauagantem ad euitanda, vim eorum non infringet, quia testium toleratorum acta sunt

Pars secunda.

A rata, quandiu contra eos non excipitur *cap. 1. de except.*

Possuntque post obtentam de censura absolutionem, testari de eo quod viderunt, eritque instrumentum quod sigillo suo manuque signabunt, ratum ac validum: denuntiati autem excommunicati, vt & fautoris hæreticorum, testimonium plane est nullum.

Reliquus est scriba publicus siue notarius, vel tabellio, cuius non tolerati acta scriptaque publica, ratione publici muneris quod gerit, inania sunt, ac sine robore, vt pa-

B tet *ex can. nullus tertia q. 4. & cap. decernimus de sent. excomm. in 6.* in eorum enim canone primo vetat Stephanus, *ne suscipiantur nec à quoquam credantur, quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur.*

Occulti tamen si erunt, vim sunt in gratiam populi habitura, cui fauere Ecclesia in extrauaganti ad euitanda voluit: quod autem *in cap. excommunicamus 1. parag. credentes de hæreticis in 6.* iudicibus, aduocatis, tabellionibus & cæteris excommunicatis, hæreticorumque fautoribus, annus datur, intra

C quem debeant resipiscere, & post quem sententiæ eorum, patrocinia, instrumenta, nullam obtineant firmitatem, de occultis intelligitur, quorum acta, ob extrauagantem etiam post annum illum non sunt irrita, donec publice ab his quorum interest, sint denunciati.

QVÆSTIO XXIII.

D *Quænam causæ excusant ab incurrenda excommunicatione.*

EXcusat primo, Culpæ leuitas 11. *q.* 3. *can. nemo Episcoporum* 41. Par enim non est æquumque, pœna grauissima qualis est excommunicatio, alium plecti, quam qui maximi criminis est reus, ita qui obiter tantum & cursim, pauca de hæretico libro legit, vt paginam, aut transcripsit, etsi animo hæretico, est à censura liber Vasquez *in 1. 2. disput.* 166. *c.* 5. *num.* 20.

E Secundo excusat, defectus contumaciæ Suar. *de censuris disp. 4 sect.* 5. cuius nos antea rationem attulimus: ita Cyrillus Alexandrinus in *epistola ad Clerum Constantinopolitanum inserta actis Ephesini Concilij* queritur iniuste se excommunicatum à Ioanne Antiocheno, quod citatus ab eo ad iudicium non fuerit, nec proinde pertinax.

Tertio excusat, non receptio canonis aut legis, eorumque non promulgatio, quia lex nunquam obligat, nisi recepta & promulga-

ta, nec intelligitur vnquam obligare cum fertur à legislatore, nisi cum hac conditione, si vsu recipiatur *dist.* 4. *can.* 3. *parag. leges*, refertque ac multis probat Azor. *tomo* 1. *lib.* 5 *cap.* 4. *q.* 5. Idem dicendum si consuetudine rationabili & præscripta contrarium in mores communes sit inuectum, *extra de consuetudine cap. fin.* quam vim habet etiam irrationabilis, ex multorum sententia, eaque probabili, dummodo sit præscripta, tempus autem ad præscribendum contra excommunicationem Papalem est 40. annorum contra Episcopalem decem, Azor. *loco citato cap.* 18. *q.* 10.

Quarto excusat defectus actus externi.

Causa est, quod Ecclesia internos non puniat Diu. Tho. 1. 2. *q.* 91. *art.* 4. *Caiet. q.* 11. *art.* 3. Graphius *decisionum lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 43.

Quinto excusat, similiter in præsentia externi actus, absentia, defectusque interni.

Causa est, quod sine interno consensu, voluntatis opera quæ incurrunt in sensus, non sint peccata.

Secundo, quia non sunt vera opera, sed tantum simulata, ob quam causam qui communicat cum hæreticis in speciem, lucri causa aut metus, sine animo renuntiandi fidei, non est hæreticus, nec incurrit excommunicationem ex sententia vera Nauar. *cap.* 11. *num.* 116. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 21. *num.* 1. etsi Caiet. contrarium existimet verum esse 2. 2. *q.* 94. *art.* 1. cum ait, consentientem in infidelitatis opus externum, etsi animo sit Catholicus, esse tamen hæreticum, ac vt talem excommunicatum, quæ fuit etiam opinio Nauar. vt de se, loco proxime citato fatetur.

Sexto, cum lex actum sub censura verbis prohibet, quæ effectum vltimum includunt, donec talis effectus consummetur, non incurretur excommunicatio, sit exemplum, vetat Episcopus sub pœna excommunicationis homicidium, antequam læsus diem suum obierit, lædens non est censendus excommunicatus, quia ex hypothesi actum absolutum, & non inchoatum tantum, punit Ecclesia, cum verba legis intelligenda sint proprie, maxime in odiosa materia, odia enim sunt restringenda, pœnæ mitigandæ, ita sunt à pœnis excusandi quibus monomachi à Trident. *sess.* 25. *cap.* 19. sunt affecti, qui in arenam quidem pugnaturi venerunt, effectu tamen irrito, quia ab amicis sunt prohibiti, item qui vim Ecclesiastico inferre est conatus, quam tamen errore manus, aut gladii, non potuit, Vgolinus *tab.* 1. *de censuris cap.* 9. *parag. vltimo*, quia re ipsa manus illi violentas non intulit, quod tamen prohibet *can. si quis suadente*, vt notauit Suarez *disp.* 4. *de censuris in genere sect.* 3. *n.*

A 4. Caietan. *verbo excommunicatio in principio.*

Idem dicendum de eo qui hosti plagam mortalem quidem intulit, sed à qua est arte, aut diuino beneficio sanatus, quia nunquam incurritur excommunicatio lata per legem prohibentem peccatum, sub nomine quod effectum includit, nisi sit consummatus, & perfectus, ergo si lex homicidium sub excommunicatione prohibeat, ab eis liber is erit, cuius actio tendens natura sua ad mortem, effectu caruit.

Simile de eo iudicium esse est necesse, B qui actionem quidem exercuit lege prohibitam, sed tamen insufficientem ad effectum.

Excusat etiam ab excommunicatione metus mortis, quia ad excommunicationem requiritur contumacia, & interpretatiuus contemptus, qui autem graui metu peccat, alioqui non peccaturus, non censetur contumax, nec delinquere ex contemptu Ecclesiasticæ potestatis, sed ex mera infirmitate naturæ Suar. *disp.* 4. *sect.* 3. Laym. *lib.* 1. *tr.* C 5. *parte* 1. *cap.* 5. *num.* 9. ergo qui ex metu graui præceptum violat, cui coniuncta est censura, eam non incurrit.

Confirmatur leges Ecclesiæ ordinariè non obligant, cum tanta seueritate, vt mors præeligi debeat earum transgressioni.

Casus vnicus est excipiendus *ab hac* regula: nempe cum actio, *prohibita per censuram*, ratione prohibitionis, ac circunstantiæ, est intrinsecè mala, tunc non licet eam facere propter metum. Sit exemplum si excom. metu mortis proposito, communicare D secum aliquem in diuinis cogeret in contemptum Ecclesiasticæ potestatis: nam in hoc casu, communicans contra legem Ecclesiasticam delinquit, & pœnam eius, puta censuram aut excomm. incurrit cuius causa lex est condita, modò actus sit cõsummatus exẽpli causa, vulnerauit quis alium contra canonem, qui homicidiũ vetat sub pœna excõmunicationis, sed nõ vulnere ad mortem inferendam idoneo, talis non est in excommunicatorum numerum referendus, quia lex non quamlibet actionem prohibet, E sed eam tantum, ex qua effectus aptus est sequi, enimuero hunc lex maxime vitatum cupit ab homine, & ideo illum sub excommunicatione prohibet, ergo si actio non sit eiusmodi, ex qua secuturus sit effectus, etsi per accidens eueniat Chirurgi vitio, aut aliter, non tamen excommunicationem operanti inferet.

Septimo excusat ignorantia inuincibilis tam facti, quam iuris, id est legis. quæ aliquid sub censura prohibet, etsi illud idem

iure

iure naturali, aut antiquo positiuo esset vetitum: vt si V. G. sciat aliquis duellum iure naturæ esse prohibitum, ignoret tamen inuincibiliter, id quoque Ecclesiastico interdictum esse, nouoque Trident. ac Bullarum Gregor. XIII, Clementis VIII. contra monomachos, habebit ignorantiam excommunicationis, quam proinde non incurret, in eas leges aliquid peccans: ita Nauar. *cap. vlt. Enchirid. num. 16. & 274. & lib. 3. consil. iuxta 2. editionem consil. 12. de voto,* Tolet. *lib. 1. cap. 8. num. 7.* Regin. *tomo 1. lib. 9. cap. 11. sect. 1. nu. 198.* Vgolinus *tab. 1. cap. 9. parag. 8. nu. 6.* Angelus *excommunicatio 7. casu vltimo,* Suar. *to. 5 disp. 4 sect. 8. num. 2.* Azor. *lib. 1. instit. cap. 15. q. 3.* Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32.*

Probatur *ex cap. si vero 2. de cleric. excomm.* vbi dicitur eum à quo Clericus est percussus, quem ignorabat esse talem, à sententia excommunicationis liberum esse, & *can. 9. Concil. Agath. qui refertur 82. distinct. can. 2.* & incipit, *Proposuisti expresse* significatur Clericos Ecclesiasticis pœnis contra reos à Siricio latis, ignorantes non teneri & *cap. 2. de Const. in 6.* habetur *quod sententiis per statuta Ordinariorum non ligantur ignorantes.*

Secundo excommunicari nemo potest sine culpa, eaque mortali, nam quantitas pœnæ respondere debet quantitati delicti, vt habetur *in cap. fœlicis de pœnis in 6.* at ignorantia inuincibilis tam iuris, quam facti, rationem omnem culpæ tollit, aufert enim voluntarium, quod consistit in eo, quod cognoscantur singula, quæ insunt actioni.

Tertio nemo proprie inobediens esse potest, cum ignoratione præcepti sui superioris, ergo cum excommunicatio pœna sit inobedientium, qualis non est, qui de superioris præcepto certi nihil habet, ab ea excusabit omnis ignorantia probabilis.

Omnem dixi, vt innuerem loqui me de ignorantia tam iuris particularis, quam communis, decernentis excommunicationem, propter factum, diuina aut naturali lege prohibitum, quale est homicidium, nam cum excommunicatio pœna sit contumacium in Ecclesiam, non est satis ad eam incurrendam, admisisse factum censura dignum, nisi qui admittit, nouerit Ecclesiam id factum prohibere sub ea pœna, & ita illud faciendo contra eius præceptum, fit contumax, at est huic notitiæ contraria ignorantia inuincibilis præcepti Ecclesiastici, tale factum inhibentis, sub ea pœna, cum si illud nosset, forte ab opere abstineret,

Deinde quæro, ecquid *canon vt animarum de constitutionibus in 6.* in quo dicitur per statuta ordinariorum, non comprehendi ignorantes, non sit vniuersalis, tamque late

A patens, quam patere possunt eorum leges? quare cum non ea modo, quæ humanis sunt legibus prohibita, vetare queant, patet in his quoque, cum sub excommunicatione inhibentur, excusationi locum esse, ab ignorantia inuincibili, qua tunc laborare quis est censendus, cum id quod ignorat, ad eius officium non pertinet, Vgol. *tab. 1. c. 9. §. 8. n. 6.* Angelus *in verbo excom. 7. casu vlt. num. 3.*

Vincibilis è contra est, quādo res ignorata partem efficit muneris, quod ignorans obit,
B aut obire tenetur: causa est quod ignoratio eius rei quam quis scire debet, non possit non esse culpabilis, vt dicitur *in cap. si culpa de iniuriis,* cum sit indirecte voluntaria, commissio enim hoc modo dicitur esse volita, cum homo potuit & debuit facere, quæ præterit, & non fecit, at hæc duo reperiuntur in ignorantia rerum sciendarum ex officio, nam tenetur quilibet, res nosse quas ei incumbit, facere ex propria ratione muneris quod gerit, vt supponimus, ergo etiam & potest.

Consequentia probatur, cum impossibi-
C lium nulla sit obligatio, ad ea obligari tantum quis potest, quæ in eius sunt potestate, ergo cum ignorans quæ sunt officii sui, ea cognoscere debeat, etiam poterit.

Vbi notandum est, vt ignorantia censeatur vincibilis & crassa, satis non esse, vt sit nescientia rerum pertinentium ad officium nisi ei non vulgaris adiuncta sit negligentia *cap. si culpa de iniur.* fieri enim potest vt quis ea quæ sui sunt muneris, nesciat inuincibiliter, ac sine culpa, quia etsi ad illorum notitiam comparandam, diligentiam adhibuerit, eam
D tamen acquirere sibi non potuerit, quem tamen in hoc casu iure ac honeste accusare quis potest de scelere? Adiungenda est, ergo ignorantiæ, cognoscendi negligentia, quam cum quis posset ac deberet deponere, negligit tamen: quæ causa est cur quidam ignorantiam inuincibilem definiant, nescientiam eius rei, quam quis non tenetur scire, vel si tenetur non potuit, quia ei in mentem nunquam hæc obligatio venit, aut si venit, nunquam potuit qualibet diligentia adhibita, talem notitiam assequi, ex quo apparet à sensu contrario, vincibilem eam di-
E ci, quæ superari potuit, & debuit, qualem esse si accidat, & ita sit crassa, aut supina quid iuris?

Prima sententia est Sanchez *lib. 9. de matrim. disp. 32. nu. 30.* & sequentibus, ignorantiam vincibilem iuris, vel facti, modo non sit crassa, excusare à pœnis, quæ constituuntur, tam Papæ, quam Episcoporum legibus, pro qua etiam citat Angelum, Syl. Tab. Ledesm. Henriq. *lib. 13. de excom. cap. 23.* & alios. Idem docent Ægid. *disp. 13 dub. 11.* Sotus *in 4.*

dist.28. qu.1. art. 2. Laym. *lib. 1. tract.5.cap.5. num.8.*

Secunda Suarii *disp. 4. de cens. in communi sect.* 10. ignorantiam iuris aut facti nunquam à pœnis censurarum eximere, nisi & à mortali liberet.

Ad quæstionis intelligentiam, notandum primò, ignorantiam crassam dici, quæ earum est rerum, quæ cuique etiam hebeti sunt notæ, & quæ obtineri modica adhibita diligentia cum potuisset, non est acquisita per ignorantis negligentiam, quare à culpa lata originem habet, alioqui mortalis non esset.

Aduertendum est tamen, ad hoc vt ignorantia sit crassa, oportere, vt is in quo est, cogitationem susceperit, aut in suspicionem venerit impositæ censuræ, & nulla, aut pene nulla veritatis indagine adhibita, opus prohibitum exequatur, non sine virtuali contumacia, contemptuque interpretatiuo.

Notandum secundo, ignorantiam affectatam eam esse, quæ quia captatur, & quæritur, dolo coniuncta esse præsumitur, *lege 2. parag. generaliter digestis de doli exceptionibus*, qualis est eorum, qui vt suæ libidini vacent, quæ agenda & fugienda sunt, nosse respuunt, quibus ita præsuppositis.

Dico primò, *Probabile esse ignorantiam vincibilem, & mortaliter malam facti, vel iuris imponentis censuras, excusare ab illis, modo non sit crassa, & supina*, Ita Sanch. loco citato probatur *ex can. 2. de constit. in 6.* vbi vniuersaliter dicitur, ab omnibus sententiis quorumcunque ordinariorum, excusare ignorantiam, quæ non est crassa & supina, quod ideo est statutum, vt periculis animarum occurratur, quod non minus in constitutionibus Pontificum locum habet, quam Episcoporum, at non omnis ignorantia ex probabili sententia, quæ mortaliter est culpabilis, supina quoque est, & crassa, sed ea dumtaxat quæ nata est ex eo, quod quis vel nullam, vel admodum exiguam diligentiam adhibuerit, vt sciret quæ nosse tenebatur.

Ex quo apparet ignorantiam vincibilem, in ratione culpæ, non vniusmodi omnem esse, & æqualem, etsi enim omnis quæ est vincibilis, sit mortalis, tamen intra latitudinem eiusdem speciei, vna maior est alia, nempe quę crassa est, & supina, ea quæ tantum est vincibilis pure ac simpliciter.

Dico Secundò, *Probabilius esse, nullam ignorantiam excusare à pœna, nisi quæ liberat à mortali culpa*, quia excommunicatio est effectus culpæ eius generis, cui ex voluntate Ecclesiæ cohęret, quę ergo ignorantia ab hac operantem non eximet, nec eundem ab eius effectu liberum reddet.

A Dico tertiò, *Ignorantiam concomitantem tam facti, quam qualitatis, ob quam imponitur pœna, si sit antecedens, excusare à censuris*, ita Suar. *sect.8. disp.4. num.* 8. Vasquez *tomo 1. in 1.2 q.76. art.3. disp* 126. *num.4.* & sequentibus Henriq. *lib.11. de matrim. cap.* 10. Sanchez *lib. 9. de matrim. disp.32. num.31.* quia pœnę præsertim censurarum, feruntur in peccata vera, eorumque qualitates, ergo si propter ignorātiam excuseris vel à peccato, vel eius qualitate, reus non es pœnæ, at qui quidpiā cū concomitante ignorantia efficit, etsi pec-

B cet ob prauum affectū quē habet, circa illud obiectum, actus tamen externus, eius culpa vacat, quia nec de se malus est, vt patet, nec à mala voluntate imperatur. Sit hoc exemplum, in prætereuntem hominem displodit quis bombardam, putans inuincibiliter eum esse feram, idem facturus si hostis suus, illac iter haberet, talis peccat quidem ob hanc voluntatem, non tamen displodendo bombardam, eaque displosione hominem interimens, quia vt sic non est ea actio voluntaria, cum destituta sit notitia, ad id necessa-

C ria, quare si quis cum ignorantia inuincibili qualitatis personæ, Clericum percutiat, quem Laicum existimat, sic affectus, vt eum nihilominus percuteret, si talem esse nosset, non incurrit excommunicationem. Quia licet hic, & istiusmodi alii, qui ignorantia concomitante laborant, quę sit antecedens, interno affectu peccent, opus tamen externum ab illo, saltem efficaciter non promanat, at ex dictis antea, Ecclesia excommunicatione, vel irregularitate plectit actus

D externos efficaces, in hoc vel illo genere peccati: à praua eiusdem generis voluntate manantes: Non euaderet tamen excommunicationem qui putans se hominem Clericum cedere, verberaret Paulum, item Clericum, quia error tantum hic est in persona, non in re prohibita, eiusque qualitate, nam Clerici percussio, est voluntaria, inuoluntaria autem in eo, quod sit eius hominis læsio, non alterius quem animo suo efformat, quanquam si quis lapidem proiiciat, quo Petrum Clericum illac transeuntem percutiat, eoque interim non hunc, sed alium casu tran-

E seuntem, & inuincibiliter improuisum percutiat, censura non innodabitur. Ratio diuersitatis horum casuum est, quod in priori, affectus & opus externum, sint omnino mala & efficacia, & Ecclesiæ lege sub excommunicatione prohibita: in posteriori vero solus sit affectus, cui si opus externum addatur, non aliud sane quam inefficax, quæ duo præcise punire non intendit Ecclesia, & sic licet existimes eum quem percutis esse Clericum, si tamen vere non sit talis, non es ipso facto excommunicatus.

excommunicatus.


Quid est ergo, (inquies) quamobrem à Confessario ad superiorem reiiciantur absolutionis causa, qui ex ignorantia incurrêre in Clericos, si hæc censuram omnem discutit.

Respondendum id fieri non tam quia est necesse, quam quia sedandis scrupulis Confessarii est vtile, qui in re conscientiæ tuta omnia sequi, non tam suâ, quam pœnitentis causâ debet, ne se, & illum in laqueum inducat, peccandique periculum, patet ex dictis multo minus excusari ab excommunicatione lata, aut ferenda, qui cum affectata ignorantia præceptum violant, quo aliquid sub excommunicatione fieri vetatur, quia ignorantia quæ est affectata, est directè volita, & malitiam seu dolum formalem in se includit Laym. supra.





DE BVLLA COENÆ EIVSQVE EXCOMMVNICATIONIBVS.



SVNT hæ omnium grauissimæ, non tamen tempore, ac antiquitate primæ, nam quantum meminisse licet, Martino V. non sunt priores, cuius, abrogato prius Ioanni XXIII & Benedicto XIII. Pontificatu, creatio in annum incidit 1417. Nouemb. 11. qui dies quoniam S. Martino est sacer, ex Odone Columnensi Martinus V. appellari voluit. Equidem D. Thomas, cum cæteris Scholasticis, sex tantum casus enumerat, quos religiose Pontifici reseruatos suo tempore fuisse narrat, eosque ab his quos Bulla Cœnæ Presbyteris communiter esse vult intactos ac sacros, nõ modicùm diuersos, quanquam vt quod res est eloquar, Diu. Thoma longe videtur esse cœnæ Bulla antiquior, eius enim meminisse videtur Clemens V. qui Benedicto Bonifacii VIII. successori, & Archiepiscopo Burdegalensi subrogatus est ac sublectus, anno 1305. cum ait *lib 2 de iudiciis cap. 1.* à Bonifac. VIII. constitutum, vt citationes de personis fierent, etiam *extra dies solemnes, in quibus Romani Pontific. processus facere consueuerunt generales*, vbi Glossa intelligit dies cœnæ Dominicæ, Ascensionis, & dedicationis basilicarum SS. Petri & Pauli. Vt vt sit sane constat, bullam de qua hic nos in præsenti, renouari quotannis, Romæque legi, neque est tamen de earum genere quæ sunt ab homine, vt putat Sotus *in 4. dist. 22. qu. 2 art. 3.* Sed à iure, quæ est opinio Nauar. *cap. 27. nu. 74* Fœliciani *de excomm. cap. 16.* Viualdi *in explicatione Bullæ cœnæ num. 129.*

Causa est, quod eius idem non sit ac Pontificis, à quo primum lucem vidit, interitus ac finis, quod censuræ, quod pœnæ, quas satis magno numero complectitur, vigere non desinant, desinente Pontifice in humanis esse, sed vim suam retineant, donec pro-

A mulgata noua alia bulla, abrogentur & cessent.

Notandum autem præsentes Bullæ casus omnes, viginti comprehensos numeris, ad aliquot capita, quæ quæstiones totidem, ac articulos componunt reduci posse.

Primum ad fidem pertinet. Secundum ad Ecclesiam Romanam. Tertium ad Ecclesiam vniuerse sumptam. Quartum communiter ad libertatem Christiani populi.

B

QVÆSTIO PRIMA.

Explicatur primum caput Bulle cœna Domini.

HOc caput personarum genera vndecim continet; priori loco recensentur hæretici, quos constat excommunicatione perculsos esse 24. q. 4. *canonibus Achatius & audiuimus* ibi enim dicitur, eum qui in hæresim semel damnatam labitur, *eius sedamnatione inuoluere, & extra de hereticis cap. ad abolendam, cap. excommunicamus, & de sentent. excommunic. cap. nouerit*, non erat hæc tamen C vlli reseruata, ante promulgatam cœnæ Bullam.

Est autem hæreticus, qui præter Ecclesiæ consensum, aliquam sibi sententiam, quam sequatur, eligit, quare hæreticum oportet, partem profiteri fidei, abnuere aliam, integram oppugnare, ac negare, Apostatarum D est, non hæretici.

Secundo debet ea negatio esse pertinax. Est in eo autem sita pertinacia, quod se Ecclesiæ, eiusque iudicio sic præferat, vt quamlibet pro comperto habeat, secus quam se, tam eam, quam viros doctrinâ iuxta ac religione nobiles sentire, errores tamen dediscere suos, vt veritatem, id est, Ecclesiæ, ac illorum verissimum sensum hauriat, animum inducere obstinatus nolit.

Patet

Patet hinc primo, pro hæreticis non habendos, ad quos, ab hæreticis vtique natos parentibus, de fide ac religione Catholica, inter hæreticos fama nulla est allapsa, similiter nec qui alia, ex simplicitate quadam aut ignorantia sentiunt, quam Ecclesia, parati cum de eius sensu eruditi fuerint, suo repudiato, id est proprio, ac malo, Ecclesiæ publicum verumque sequi. Sunt item hæretici Augustin. teste *lib. 18. de Ciuitate cap. 51. qui in Ecclesia Christi, morbidum prauumque quid sapiunt, si correcti vt sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt, hæretici sunt.*

Pro talibus ergo habendi (modo ne sint tantum mentales) qui cum baptisati sint, Christique doctrinam professi, ab aliquo fidei articulo pertinaciter dissentiunt, vel de eo deliberata voluntate dubitant, aut contrariæ fidei, hoc est doctrinæ, vel errori contra authoritatem Ecclesiæ Catholicæ secus docentis, assensum præbent.

Ad hanc autem pertinaciam, non est diuturnitas aliqua temporis aut mora necessaria, vt putat Syluester *verbo hæresis primo nu. 5.* sed voluntas sentiendi contra id quod credit Ecclesia Catholica; & si hæreticum non tam ex vno actu, quam ex pluribus, & ex habitu vocare nobis sit in more, quales describit August. *lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 51. qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid prauumque sapiunt, si correpti, & sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes, habentur in exercentibus inimicis*, refertur 24. *q. 3. can. 31. qui in Ecclesia.*

Qui autem inter hæreticos enutriti, cum ipsis ignorantia inuincibili, aut venialiter tantum culpabili, ac noxis sentiunt, non sunt hæretici, vnde August. *epist. 62.* initio, & habetur *24. qu. 3. can. dixit Apostolus*, sed qui sententiam suam, (inquit) quamuis *falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Hæc ibi quæ etiam à Castro citat, *libro primo cap. 17. de iusta hæreticorum punitione.*

Ex dictis fit planum, primo hæresim *errorem esse in fide*, Iuo Carnot. *epist. 138.*

Secundo bipertito eam diuidi, in mentalem & externam. Mentalis est in iudicio pertinaci, deliberato tamen, contra aliquid quod tanquam de fide, ab Ecclesia propo-
A nitur. *Hæresis*, inquit Hieronymus *in epist. ad Galat. cap. 1. Græce ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi vnusquisque disciplinam eligat, quam putat esse meliorem, quicunque igitur aliter scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, quo scripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.*

Externa in apertum prodit, idque verbo, aut signo aliquo quod sensum feriat, eaque cum interna, ad incurrendam excommunicationem est necessaria.

Ita secundo patet, ab hæresi interna sola, aut externa seorsum item sumpta, sine
B priore, feriri censura neminem, censetur is tamen hæreticus externus, qui ita pertinaciter adhæret alicui opinioni, vt quidquid in oppositum cēseat Ecclesia: tamē illā doceat tanquam de fide, Fernandez *in medulla par. 3. cap. 9. sect. 1. sicut enim fides cordis est ad iustitiam, cordis autem confessio ad salutem, ita hæresis error est ad impietatem, professio vero eiusdem erroris est ad perniciem*, Iuo *epist. 238.*

Secundo excommunicantur Apostatæ, id est qui à fide Catholica ad Iudæos, Saracenos, aliosue infideles transeunt, & in quo-
C rundam opinione Magi, qui æque infideles sunt ac hæretici, ac etiam aliquanto peiores, si quod illis esse solemne aiunt, baptismum eiurant, dæmonem adorant: quia tamen hic non nominantur, & pœnæ sunt restringendæ, Magia non est reseruata in hac bulla, nisi hæresim, vel apostasiam à fide habeat, Nauar. *cap. 27. nu. 56.*

Sunt autem hæreticorum, credentes vt est apud August. *initio libri de vtilitate credendi, qui imaginatione quadam veritatis, ac pietatis illusi, hæreticis falsas ac nouas opiniones vel*
D *gignentibus, vel sequentibus, credunt.*

Breuiter, credentes hæreticorum sunt, qui implicitè credunt, quod hæretici explicitè, pertinaciter tamē, nempe quia credunt verum esse, quod hæreticus credit, etsi nesciant, quid iste credat in specie, Nauar. *cap. 27. num. 55.* vel vt ait Caiet. *verbo excommunicatio cap. 45. qui deliberato consensu inhærent hæretico potius, quam Ecclesiæ.*

Cuiusmodi esse solere personas idiotas ac rudes, scribit à Graff. loco citato *cap. 1.* aut
E etiam doctas, quæ hæreticis implicitè, & sine inquisitione assentiuntur, & his opponuntur simpliciter Christiani, qui credunt quod ab Ecclesia creditur, & hoc ipso fideles sunt & Catholici, sicut illi hæretici: quod etiam notauit à Castro *lib. cit. cap. 17.* vbi plura de credentibus hæreticorum.

Ita patet, eorum vt loquuntur credentes, dupliciter accipi.

Primo, pro iis, qui illos existimant Deo gratos, in eoque quem profitentur errore,

iter ad beatam immortalitatem ingredi, & hi non excommunicantur in bulla,

Secundo, pro iis qui peruersis eorum dogmatis fidem habent, qui ea ab errore, eiusque suspicione remouent, iis credunt, non explicite quidem huic, aut illi in particulari, sed implicitè, credendo in confuso, quidquid hæretici credunt, & hos bullæ terminis, pœnisque teneri docent, Sanch. *to.1. Decal.lib.2. cap.10.num.1.* Nauar. *cap.27.num.55.* Toletus *in bulla cœnæ excom.1.num.17.*

Quia impliciti & expliciti, seu taciti & expressi vis eadem est ac virtus *lege 32.ff.de legat & lege qui ad certum, digest.locati,* Laym. *lib.1. tract.4.cap.12.num.7.* sed qui explicite cum pertinacia, vera esse credit quæ hæreticus asserit, hæreticus est & excommunicatus, ergo & qui fidem iis habet implicitam, & in confuso, credendo videlicet vera esse quæ ille credit & docet, Nauar. *cap.27.num.55.*

Ad receptatorem quod attinet, existimat Castro hoc nomine etiam intelligi, qui vel semel hæreticum, etiam patrem domi suæ receperit vel occultauerit, quæ est etiam sententia Archidiaconi apud Syluest. *verbo hæresis 1. num.10. versu receptatorem,* & ius ciuile non videtur distinguere receptatorem à receptore, vt patet ex *leg. congruit ff. de officio præsidis & leg.1 ff.de receptatorib.*

Suppono enim Ecclesiæ, ex qua legitima legum ipsius, est interpretatio petēda, mentē esse, quantum in se est, hæresim persequi, & exterminare, non solum verbis & edictis, sed etiam propriis certorum officialium, (quos fidei Inquisitores vocant) studiis, quorum industriæ cum receptatores hæreticorum obstent, paribus eos pœnis spiritalibus inuolui oportuit.

Itaque receptatores intelligentur, vbi hæretici latebras quærunt, vbi Iudicum diligentiam, & Ecclesiæ in hæretica peste auertēda sollicitudinem eludunt, non autem vbi ea solutis bacchatur habenis, & impudenter frontem meretricis ostentat, hoc posito.

Dico tres requiri conditiones, vt quis in censuram hanc, isto præcise nomine incidat.

Prima est, vt hæreticus non semel recipiatur, sed sæpius, est contra Tolet. *in summa in bulla casu 1. num.21.* Sanchez *to.1. Decal.lib.2. cap.10. num. 10.* Fagund. *lib. 1. Decal. cap.12. num.9.*

Causa est, quod receptio frequentiam connotat, vt vox ipsa indicat, & in pœnis benignior est interpretatio facienda.

Secunda, vt cognoscatur esse hæreticus, nam ignorantia excusat, & quidem pro modo suo.

Tertia, vt recipiatur quatenus hæreticus,

A non vt amicus aut consanguineus sicut receptator latronis est, qui furtorum est eius particeps, consiliorum autem eiusdem non est inscius: quoniam vt ait Caiet. *verbo absolutio cap.1.* termini formaliter ac propriè sunt capiendi, ac intelligendi à sapientibus ac peritis in qualibet facultate; cui assentitur Nauar. *cap.27. num.55.* Agraphiis *loco cit. verbo receptatores num. 34.* Viualdus *in explicatione bullæ num. 8.*

Ratio prima est, quod Ecclesia non probet, hæresi à quoquam faueri ac eius asseclis,
B aut magistris, non fauet autem, qui eos recipit, vt amicos, aut consanguineos formaliter non autem vt hæreticos, quare verba Bullæ hos duntaxat comprehendunt, *qui dant hæreticis receptaculum in fauorem sui criminis, ita vt nixi tali receptaculo, perseuerent in suis delictis vel ministros iustitiæ inuadentes, eosdem effugiant,* de Beia loco citato.

Secunda non stringit afficitque hęc bulla alios, quam peccati mortalis conscios vtpote cuius duntaxat maior excommunicatio iusta est pœna *can. nemo, can. nullus 12.q.3.* At quis culpæ eum lethalis arguat qui patri, qui
C amico, aut consanguineo latebras præbet, ne pereat? Caritatis est, prudentiæque, miseris opem ferre, ne infamiam subeant, aut notam, omni qua fas est homini virtutē facere, quam ergo non est simile verò, arcessi culpæ posse, qui hæreticum hominem, domi suæ excipit, non vt eius errori patrocinium prębeat, hæresi faueat, eum in tuto, contra vim ponat, sed vt ei tanquam amico consulat, vt propinquo in dubiis suis afflictisque temporibus auxilium afferat. Maneat ergo, quod qui hæreticum recipit vt ami-
D cum, vt consanguineum, vt pauperem, vt peregrinum, vt hospitem, vt dominum, in hanc Bullæ censuram non incidere, quia amici, cognati, hospitis, subditi mens non est intentioque, recipere hæreticum, sed amicum Dominum peregrinum, quibus accidit hęresi infectos esse, quod multo magis de filio recipiente patrem, & vxore maritum dici debet, quia vna persona quodammodo reputantur: & cognati affinesque, qui receptant latrones mitius quam alii puniri iubētur, *leg. vltima ff. de*
E *receptatoribus.* Viualdus *loco citato num. 9.* quia cum natura culpam hanc leniat, ab iis tantas, tamque graues repeti pœnas, bene informata ratio prohibet, quantas alienigena, si legi vim faceret, corpore suo lueret; Equidem naturam exuere iura eius omnia respuere, nisi inhumanus esse, ac audire quis velit, honestè non potest ac licite, deponit autē, quisquis patri, quisquis amico ac propinquo afflictis, humanitatis inter homines

mines officia solita denegat, vt eum facere est certum, qui patri hæretico, quæsito ad mortem, non vt tali præcise, sed vt pater est, latebras ac perfugium recusat ac abnuit. Sub ea ergo consideratione, opem ei quisquis laboranti adferet, excommunicationis labem, remque effugiet, saltem in foro interno, nam de externo res aliter habet, secundum Nau. *lib 5. concilior. concilio 14. tit. de hæreticis*, Fagundez *in 1. præcept. Decalogi lib. 1. cap. 12. n. 6. de hæreticis.*

De quorum fautoribus cum Castrensi *lib. 1. cap. 16. de iusta hæreticorum punitione*, hæc habeo dicere.

Primum, eo censeri nomine, quotquot gratia, fauore, opibus, aut alio quopiam modo, simili, illis eo præcise nomine quo sunt hæretici fauent, ne à fori Ecclesiastici ministris comprehendi, aut comprehensi plecti valeant, similiter qui iisdem opem in tuenda sua hæresi deferunt, hi eorum sunt, ac dicuntur, veri fautores, Sayrus *to. 1. lib. 3. cap. 5. num. 6.* Sanch. *to. 1. Decal. lib. 2. cap. 10. nu. 11.* Syluest. *Verbo hæresis num 10. q 7.*

Secundum, faueri hæreticis opere, ac voce, voce quidem eos laudando, vt probos sanctos, innocentes, solum quia sunt hæretici, vel consilium dando, vt iudicis manus euadant eludantq; aut docendo qua via, & quo modo id assequi valeant *23. q. 4 can. est iniusta*, fauent etiam hæreticis qui eorum hæresim defendunt, pro ea contendendo verbis, ac rationibus, quod qui facit, non solum est hæreseos in vtroque foro fautor, reusque excommunicationis reseruatę, sed etiam hæreticus, aut eo peior, vt habetur *in can. qui aliorum. 24. q. 2. & can. qui consentit 11. q. 3.*

Fauet secundo doctrinę hæreticæ, qui Hugonottos negat esse hæreticos, qui eos fideles, religionem autem reformatam veram esse, ait verba enim dicta seriò: accipienda sunt formaliter, at est Hugonottus ab Ecclesia damnatus vt hæreticus; in foro tamen interiori loquentis spectandus est animus, nam si id amore personæ, & non hæresis asserit, peccat quidem grauiter, non tamen in excommunicationem incidit, in foro tamen exteriori plectetur vt fautor hæresis, Pontificiaque absolutione indigebit.

Ad personam quod attinet. Dicendum est eum qui hæretico cognito tali fauet, eum amicitiæ causa mentiendo non esse hæreticũ, aut intercedit apud iudicem, vel principem spe emendationis, vt eum morti eripiat, aut ei dat consilium, vel auxilium ad elabendum indicendum inquã, eius esse: exteriori foro fautorem, etsi eius intercessione

A auxilio vel fauore mortem non euaserit: quia fauere, totum actum suum citra euentum habet, ob quem fauor præstabatur.

In foro autem conscientiæ, qui nullam fauendi hæresi intentionem habuit, in excõmunicationem nõ incidit, similiterqui pro hæretico nondum cognito tali, patrocinium suscipit, neutro in foro censuram, nec pœnas in bulla contentas incurrit *cap. si aduersus de hæreticis.*

Sequitur ex dictis primo, aliquem hæresis, ac hæreticorum fautorem, quantum ad excommunicationem incurrendam, duobus modis esse posse.

B Primo commissione, omissione altero, seu quod idem est, positiuè, & negatiuè.

Sequitur secundo, pœnam hanc non incurri protectione hæreticorum qualibet, sed ea tantum, quæ est intuitu hæresis, eiusque tuendæ causa, Fagund. *lib. 1. Decal. cap. 13.*

Sequitur tertio, non excommunicari modo, qui hæretica pollutos labe tuetur ac protegit, sed etiam de hæresi suspectum esse, *qui enim alios cum potest, ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat cap. qui alios 2. de hæreticis, & non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifestis criminibus desinit obuiare 23 q. 3. can. qui potest 8.*

C Sequitur quarto, Aduocatos, Notarios, similesque id genus viros, qui foro dãt operam, in excommunicatis habendos esse, cum facere officium contra hæreticos renuunt, est enim hæc omissio eorundem tacita quædam defensio.

Sequitur quinto, in eorum societatem ac classem minimè cogendos videri, qui amore illecti, misericordia, aut spe lucri capti, hæreticorum causæ fauent, Sylu. *Verbo hæresis 1. num. 10. q. 7.* Sayrus *to. 1. thesauri lib. 3 cap. 5. num. 7.* Sanctarell. *tract. de hæresi cap. 12. num. 17.*

D Causa est, quod legis verba in proprio suo veroq; capi significatu debeant, at non proprie tuetur hęresim, qui ea inquinatum alio fine, quam seruandę, propagandęque hæresis suæ defendit ac propugnat: ergo.

Sexto, Tabelliones ex opposito Notariosque, qui hæreticorum patrocinium suscipiunt, instrumenta conficiunt, testium dicta hæresis intuitu, in illorum defensionem excipiunt peccare contra Bullam, ac in admissi à se criminis pœnã, censuræ subiici Sanch *to. 1. Decal. lib. 2. cap. 1. num. 18.* Fagundez *lib. 1. in Decal. cap. 13. num. 17* non item si operam suam nauent in re ciuili, aut eum à vi, inferenda ab hoste eripiunt, quia hoc est proximum eximere discrimini, hoc caritati erga illum studere, ac amori, quod vt nulli potest esse in vitio, ita nec pœnę aut censu-

E

suræ iusta esse occasio: sunt ergo hæreticorum defensores in hac materia, Episcopi ac Prælati, cum eos eiicere, capere, aut punire possunt, non faciunt tamen, officiumque negligunt, Magistratus autem sęculares, cum sibi traditos ab Ecclesia non puniunt, vt patet ex *cap. ad abolendam, parag. statuimus de hæreticis, & cap. excommunicamus parag. moneantur ibidem,* vbi grauibus pœnis subiiciuntur, Caiet. *verbo excommunicatio cap. 2.* tales autem esse fautores patet, *ex can. qui potest.* 23.q.3. & apud Deum sunt rei malorum, quę ab hæreticis fiunt quibus fauent insuper ministri Iustitiæ, vt loquuntur qui eorum inquisitioni deputati, muneri suo notabiliter desunt, priuatæ vero personæ cum testimonium legitimè requisitum non proferant; vt autem agnitos denuntient, sub pœna censuræ huius Bullę non tenentur, sed tantum sub peccato mortali, vt aiunt Agraphiis *cap. 18. num. 24. lib. 4* Nauar. *lib. 5. concilior. de hæreticis concilio 3* qui viribus potentiaque pro hæresi pugnant, obsistuntque, quantum licet ne magistratus Ecclesiasticus, vel politicus, iustis in hæreticos pœnis, cuiusmodi homines grauius præcedentibus peccant, incidunt que in foro exteriori, in Bullam Cœnæ, non autem in interiori, si personam alio iusto titulo defendunt, non sunt tamen ab omni culpa vacui, quod taciti silentesque, patiantur hæresim bacchari in Ecclesiam, non sine certo animarum periculo.

Quod ad libros de hæresi attinet, sciendum est, eos prohibitos esse vel præcise vi indicis librorum quos Papa esse vult interdictos, vel vi Bullæ cœnæ; & omnium quidem vsum sub pœna excommunicationis esse vetitum, hoc tamen discrimine, quod excommunicatio quam iudex inuehit, seu potius Pauli IV. constitutio anno 1564. edita, & Clementis VIII. anno 1595. non sit reseruata, vt ex istis Bullis patet; & affirmat Agraphiis *lib. 4. cap. 18. num. 42. & 43.* sit autem inflicta per Bullam, quam cœnæ nominamus. Hoc posito.

Dico primò, *In excommunicationem Bullæ Cœnæ incidere, qui hæreticorũ libros, hæresim continentes, vel de religione tractantes, legunt, retinent, imprimunt, defendunt;* Assertio probatione non indiget, sed declaratione: itaque censuræ huius obiectum, duo sunt librorum genera, actio circa ea quadruplex.

Hæreticorum libros dixi, id est qui non solum sunt, sed etiam publicè cognoscuntur hæretici, eo quod eorum nomina in prima sint classe indicis, vel quod ab ordinariis, & inquisitoribus declarati sint tales; vt patet ex præfatione prædicti indicis; fortasse enim priuata alicuius hæretici cognitio, me ad vitandum eius librum non obligat, quemadmodum non teneor ipsummet authorem vitare nisi sit denuntiatus, nec satis est, cum de hæresi suspectum esse, quod notauit Agraphiis *loco cit. num* 43. sed est opus talem, à Catholicis haberi passim, quod Erasmo non conuenit, multo ergo minus erunt prohibiti Catholicorum libri, licet hæresim contineant; siue propriam, siue alienam, dummodo eam tantum refutandam adducant, sentit Nauar. *cap. 27. num. 56.*

Dixi *hæresim continentes*, quia libri hęreticorum qui hæresi carent, vt psalmi Bucanani; hebdomada prima du Bartas, hoc nomine non prohibentur.

Agraphiis *loco cit. num.* 42. addit, vt hæresim ex professo contineant, alioquin ad Bullam cœnæ non pertinent, licet *intermisceantur* in eis pleraque fidei non congruentia, vt in aliis eiusdem Bartasii libris, in thesauro Græco Henrici Stephani, emendatione temporum Scaligeri, commentariis linguæ Latinæ Doleti, Rhami operibus humanioribus, Apophtegmatis Lycosthenis, Beuslei, & Vuolfi commentariis, &c.

Multo autem minus Respublica aut Dæmonomania Bodini, Laurẽtii Vallæ, Donatio Constantini, Ludouici Viuis opera, Peregrinus & Philopatus Luciani, & cæteri, quorum authores non sunt hæretici, quos tamen omnes sine facultate legere *non licet*, donec expurgentur, *sub pœna excommunicationis non reseruatæ.*

Dixi *de religione tractantes*, idque ex instituto, quia qui liber obiter, & ex occasione, aliqua habet ad religionem pertinentia, non statim de religione tractare dici debet, sed qui versatur, V. G. circa scripturas sacras, aut vertendas, aut exponendas, tractatus omnes de fidei dogmatibus, aut Ecclesiæ potestate, non autem qui argumentum à scriptura sumptum explicat, & quo modo ab Homero, aut à prophano authore sumeretur, sine hæresi tamen, pro arbitrio tractat, vt Iudith & hebdomada Barțasii, aut qui vitas vitiaque Pontificum Romanorum, seu vera, seu falsa, etiam cum præiudicio religionis explicat. Ita patet vt prædicta incurratur excommunicatio conditiones quatuor exigi, primo vt libri sint hæreticorum.

Secundo, vt hęresim contineant, aut de religione tractent.

Tertio, vt scienter legantur, retineantur, imprimantur, defendantur.

Quarto, vt id sine debita licentia fiat.

Quare qui libros penes se infidelium habent, licet hęresi plenos, ab hac sunt tamen pœna immunes ac liberi, quia vere non sunt hæretici, ergo qui iis vtitur, qui hos in ma-

nus

nus capit vt legat, in legem non peccat, quia vt non sunt eiusmodi homines hæresis infecti tabe, ita nec sunt eorum libri, propriè loquendo, hæretici, nec proinde qui eos oculis ac manibus terunt, excommunicati, Vgolinus *de casib. Papæ reseruatis 2. parte cap. 1. verbo de eorum libris parag.* 1. Fagundez in primum præceptum decalogi *cap. 4. num. 5.*

Dixi *qui imprimunt*, qua voce continentur non solum omnes qui typagraphicæ arti dant operam ad talem librum scienter excudendum, sed etiam qui eius exemplaria euulganda describunt, istorum enim eadem est ratio ac aliorum,

Adieci qui *defendunt*, quia defendere librum hæreticum, nihil videtur esse aliud, quam defendere hæresim, nisi cum exceptione hæreseos defendatur, aut laudetur, quod videtur esse aliud quam defendere, sed in foro conscientiæ attendendus erit animus.

Dico secundò, *qui alicuius authoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata legerit, habueritue, ipso iure, in excommunicationis pœnam incidit, eamque ob causam, in eum tanquam de hæresi suspectum, inquiri & procedi potest*; ita Pius quartus *in Bulla, Dominici gregis*, & Clemens VIII. *in Bulla, sacrosanctum.*

Dicitur *cuiussuis authoris*, Id est non hæretici cogniti: tales enim pertinent ad Bullam cœnæ, sed suspecti de hæresi, Ethnici, Mahometani, Iudæi, vnde Erasmi colloquia, Luciani Peregrinus, Thalmud Rabinorum, Alcoranus Sarracenorum prohibentur.

Dicitur *scripta*, ad comprehendendum etiam breuia scholia, annotationes, præfationes, epistolas, apologias, indices, poemata, & cætera hæretica, vel suspecta de hæresi, quorum lectio, vel detentio, excommunicationem inuehit.

Dico tertiò, *Qui alios libros alia de causa prohibitos legerit, habueritue præter peccatum mortale, Episcoporum arbitrio seuerè puniendus est*: ita prædicti Pontifices ibidem; hi sunt qui ad infidelitatẽ viam muniunt, & bonos mores corrumpunt, in quibus sunt in primis Magici omnes libri, de quibus est regula 9. Indicis; & obscœni, de quibus regula 7. si ex professo lasciua tractent, idque quacumque lingua, exceptis antiquis, qui tamen pueris prælegi non possunt, neque forte vulgari lingua haberi, cum propter linguæ maternæ elegantiam tantum permittantur.

Dubium autem esse potest, an prognostici isti libelli, quos vulgus *Almanach* vocat, prohibiti censeantur.

Dico non videri; quia quæ dubitationem in Bulla cœnæ & Clem. VIII. afferre po-

A terant; ex Bulla Pauli V. sublata sunt, & quia cum prædicunt ea quæ ex humana voluntate pendent, non certò euentura affirmare audent, nec pro talibus etiam accipiuntur, sed vt probabilia tãtum, cum astris, Deum sapientesque dominari profiteantur, & experientia doceat, quæcumque huiusmodi affirmant, ferè semper mendaciter affirmari.

Dices, quid de Bibliis lingua vulgari approbatis, quid de libris controuersiarum etiam vulgaribus est tenendum?

B Respondeo ex regula 4. & 6. Indicis, non posse legi, sine licentia Episcopi, vel & Inquisitoris, scripto habita, qui eam dabunt, Confessario aut Parocho testificante, talem lectionem legẽti non nocituram, quod etiã in Scholasticis locũ habere videtur: Regulares autem à Prælatis licentiam habent, vt dicit *regula* 4. pœna autem est peccatum mortiferum, vt habet *regula* 10. *in fine.*

Respondeo secundo, videri mihi, saluo meliore iudicio, hanc lectionem interdictam tantum ineruditis, & qui Latina non C satis intelligunt, quia iis Ecclesia consulit qui periclitantur, & iis tantum licentia erit necessaria.

Reliqui sunt in hoc articulo Schismatici, qui ab Ecclesiæ vnitate se segregant, vel qui in Schismate nati, educatique, eis consentiunt & scienter adhærent, & tales videntur hæreticorum credentibus respondere.

Equidẽ sæpe Schismatici incidunt in hæresim, vt si quis aliquid credere vellet cum Ecclesia Germanica, quod à Romana dam-D naretur, qui autem in temporalibus, aut propter temporalia Papæ obedire respueret, non esset Schismaticus, vt docet Agraphiis *nu.* 53. & innuit Nauar. *cap. 27. num. 57.*

Explicatio capitis secundi & sequentium Bullæ Cœnæ.

AD hoc caput octo casus, tredecim numeris comprehensi pertinent, qui bipertito distinguuntur, in eos nempe, qui res spirituales, & temporales spectant.

E Primus ad eos spectat qui à sede Apostolica appellant ad futurum generale Concilium, eosque quorum auxilio, vel fauore appellatum erit, sicut Rebuffus ait appellasse vniuersitatem Parisiensem, cum Franciscus primus literas Leonis I. approbandas proposuit, ideoque incidunt in interdictum latæ sententiæ huius bullæ: Nauarrus tamen hac censura eum teneri negat, qui consuluit appellationem, effectu non secuto, *cap. 27. manual, n.* 110.

Iusta porro est hæc pœna, cum huiusmodi appellatio, & iniusta sit & periculosa: *iniusta* quidem, non secus ac filii, à patris sententia, ad reliquam familiam appellantis; *Inepta*, autem, qualis est eius, qui malit ouium Iudicium, quam Pastoris sequi; *Periculosa*, cum eiusmodi appellatione Schismati aperiatur ianua. Equidem est appellatio à minori ad maiorem prouocatio. At Papam esse supra Concilium fuse & eruditè docet Bell. *lib. 2. de Conciliis à cap. 13 ad finem libri,*

Casus secundus, habetur *num.* 3. in quo excommunicantur piratæ maris Mediterranei præsertim, qui loca sedi Apostolicæ subiecta, obnoxiaque, aut his vicina, latrociniis infesta habent

Vbi nota primo, in bulla Greg. XIII. quam exponit Nau. excommunicari piratas omnes & præcipuè istos; in bulla autem *Clementis VIII. anni 1595. & Pauli V. anni 1606.* piratas Oceani non includi.

Ad hanc ergo censuram subeundam, requiritur primò vt hi cęterique prædones, de quibus est hic sermo prædas agant non in flumine, sed mari, eoque Christianorum, nec quorumlibet, sed quod Italiæ imminet, estque in Papæ dominio, aut Principis alterius, cuius ex ditione, facilis sit ad proximum, quod Papæ subest, eiusque potestati, transitus,

Causa est, quod id Bulla exigat, vt hæc verba indicant. *Piratæ discurrentes mare nostrum à monte Argentario, vsque ad Terracinam.*

Secundo, exigitur vt qui mare nauigant, perque illud patentibus ac apertis vagantur velis, sint *piratæ*, in eoque deprædentur. Ita textus.

Sunt autem piratæ qui quasi ex officio piraticam exercent, & quidem si solum discurrant prædæ intenti, vt patet ex verbis Bullæ, multo autem magis si interficiant, si mutilent, si spolient, si seruituti subiiciant, quemadmodum erat in prædicta Bulla Gregorii, vt etiam aduertit Agraphiis, licet aliter Viuald. putet, sine ratione tamen; cum Pontifex discurrentes tantum posuerit; sicque mare infestum deprædationibus reddentes, qui finis est, ad quem tollendum, lex ista fertur.

Infertur hinc primo, eos qui vela in mari facientes datâ occasione piraticam exercēt, hoc est piratarum instar se gerunt, vt milites ad bellum profecti, mercatores ad negotiandum, inimici ad vlciscendas iniurias, in hanc bullam non committere, licet præter peccatum mortiferum, ad restitutionem teneantur.

Item putat Agraphiis de piratis, qui in

A alios sibi similes impetum faciunt, eorumque bona auertunt, quod paria delicta compensatione tollantur mutua, sed puto eum falli, quia qui spoliant, piratę sunt, & ex accidenti est, quod qui spoliantur, eandem artem factitent, quid? quod non suis bonis, sed alienis priuentur?

Ad rem autem non videtur facere Graphii ratio ex citato petita axiomate: nam ad eos duntaxat pertinet, qui cum sunt sibi mutuo obligati, ęquè suo vtrinque officio desunt, vt coniuges, quorum si vterque fidem B fallat, neuter ius habet alteri debitum negandi.

Non videntur autem remiges Christiani qui Turcarum sunt mancipia, in hanc censuram incurrere, quando mortis metu, scienter sub dominis suis piratis remigant, quia huiusmodi necessitati parcit Ecclesia, quia tamen cooperantur sceleri, & reuera piratæ sunt & ipsi, mortis metus aut verberum non facit quominus mortiferè peccent, vt dolenter fatetur Nauar. *cap. 27. n. 63. in fine*, & Agraphiis in hunc locum.

C Tertius habetur *nu. 6.* contra literarum Apostolicarum falsarios, de qua re Nauar. *num. 62.* Illud tantum moneo, hac bulla eos includi, qui supplicationes à bulla signatas, siue gratię, siue iustitiæ fuerint, falsificant.

Ad incurrendam autem hāc censuram tria exiguntur, primum *veritatis mutatio*, alterum dolus, postremum *tertii præiudicium*, quare falsarii quoad hunc textum dicuntur, qui dolo veritatem in literis Apostolicis immutarunt, in præiudicium tertii, *quorum si* D *vnum deficit, non dicitur falsum, vt incurratur in pœnas ciuiles vel canonicas*, Graphius *lib. 4. decisionum cap. 18.* Rebuff. *in praxi benefic. verbo anathematizamus falsarios.*

Quartus est in *num.* 8. contra eos qui annonam cęteraque, quę ad victum sunt necessaria, ne Romam deuehantur impediunt, idque animo lædendę Romanæ Curię, aut caritatis in vrbem inuehendæ, nam qui mercium exportationem prohibent metu proprię necessitatis, aut ad vitandam communicationem cum peste infestis, hanc pœ- E nam non incurrunt, licet inde caritas, aut fames vrbem vexet.

Quintus habetur *n. 9. & 10.* in eos qui vi dolo aut quouis alio modo eos vexāt, qui ad vrbē deuotionis causâ veniunt, & quandiu in ea manent, vel ab ipsa recedunt, sed in 9. includitur ea, quæ est 11. apud Nauar *num. 66.* de vsurpantibus sibi iurisdictionem in Romana Curia contra externos, *in 10.* vero extenditur excommunicatio in eos, qui auxilium, consilium vel fauorem dederint ad

peregrinos

peregrinos diuexandos.

Sextus cōtinetur in *n.12.13.& 14.* & fertur in eos qui sedi Apostolicæ, & Romanæ Curiæ circa lites causasque præiudicant, nam 12. *excommunicantur*, qui per se vel alios, damnum iis inferunt, qui ibi litigant, & quidem talium occasione causarum, nec aliter, qui autem eos iniuriis afficeret propter huiusmodi lites, vel libellis famosis traduceret, licet grauiter peccaret, in hanc tamen censuram non incideret, vt notat Viualdus in eundem *numer.* 13. excommunicantur qui prætexentes grauari se à Romana Curia, ad Laicam potestatem appellant.

Numerus autem 14. eodem refertur, in quo omnes Canonistæ aut tacent, aut sudant in excusandis principibus, quorum authoritate de causis Clericorum, aut beneficialibus, priuilegiorum prætextu, iudices in foro agere sunt soliti, quibus, etiam per viam contractus datis ac habitis, derogatur per hanc Bullam, vt indicant hæ voces *Non obstantibus priuilegiis.*

Verum dicat aliquis, cum hæc res sit ordinaria in omnibus Regnis & Monarchiis, nec tamen principes eiusmodi, vel eorum officiales à Papa tractentur, aut habeantur pro excommunicatis, videtur ipse in particulari excusare, quos in genere condemnat.

Sed responderi ex altera parte potest, hoc non satis esse, ne incidant in Bullam, neque vt absoluantur vbi inciderint, vt patet ex dictis *disp. 1. qu. 2. art. 1.* nec dissimulatio Pontificum satis ostendit eos illorum regnorum morem probare, quem quotannis iterata prohibitione damnāt, præsertim cum remedium adhibere non possit; Ego rem sapientioribus definiendam relinquo, Nauarrus certè *lib. 1. Concil. concilio 1 q. 5. & 6.* ait cum communi doctrina, legem non receptam non ligare, nulla enim alia ex causa ipsæ leges nos tenent, quam quod iudicio populi receptæ sint, vt habetur *l. de quib. ff. de legib.* At ista lex quatenus beneficia spectat, cum nunquam in Gallia vel recepta, vel seruata sit, non videtur obligare, nisi quatenus non derogat iis, quæ Leonem inter & Franciscum concordata sunt, vt scilicet Rex habeat nominationem eorum, quibus debeant à Pontificibus beneficia conferri, & vt causæ apud proximos iudices trāctentur, nec ad summum Pontificem immediatè deuoluantur, nisi maiores & in iure nominatæ, de quibus, vide causam *3. q. 6. tota.*

Septimus habetur *num. 20.* in occupantes bona immobilia Ecclesiæ Romanæ, nam de mobilibus aliud erat caput, quod à Sixto V. sublatum est, nec à Clemente VIII. aut Paulo V. repositum.

A

Explicatio capitis tertij Bullæ Cœnæ qua parte de immunitate agit Ecclesiæ.

HVc pertinent numerus 11. 14. *ex parte* 15. 16. 17. 18. *&* 19. quibus vel primaria Ecclesiæ membra, vel Ecclesiastica iurisdictio, vel immunitas à Laicæ potestatis violentia defenditur, nam *num.* 11. Prælati Ecclesiastici tam Cardinales, qui pertinent ad sedem Apostolicam, quam qui non pertinent, armis excommunicationis proteguntur, quæ pro Cardinalibus seueriſſimè habetur in *cap. fœlicis de pœnis in 6.* quas pœnas

B ait Nauar. *num. 67.* extendi ad eos qui hic numerantur *num.* 14. & quatuor sequentibus, quos omnes ob materiæ affinitatem, vnica excommunicationis sententia videtur colligasse Pōtifex, statuit enim ne causæ beneficiales à suis iudicibus Ecclesiasticis, ad Laica tribunalia deducantur, qua de re vide constitutionem Martini V. cuius initium

C est *ad reprimendas.*

Num. 15. proteguntur personæ Ecclesiasticæ, & percelluntur censurā, qui eos immunitate sua, & priuilegio Ecclesiastici fori gaudere non sinunt, præsertim qui statuta contra huiusmodi immunitatem condunt, aut iis vtuntur, quod iteratur in fine bullæ, ibi *ac quoad eos, &c.* Vide Rebuffum *in rubrica de proiectione concordatorum, & Bell. lib. 1. de Clericis cap. 28 & supradicta q. 20. art. 3. & alios*, qui docent priuilegium fori Clericorum, esse de iure diuino, Papam tamen ali-

D quando ex causa posse aliquas Clericorum causas sæcularibus iudicibus committere, vt patet ex *can. Mennam 2. q. 5.*

Num. 19. eadem immunitas defenditur in causis criminalibus, cum Clerici fiunt criminum rei, in quos nisi cum degradati, brachio sæculari traduntur, nullā Laici exercere potestatē possunt, nec sufficit prætextus quod ab Ecclesiastica potestate, non puniantur crimina, istorum enim culpa, non dat eis iurisdictionem, de Clericis tamen Assassinis, vide aliquid speciale apud Fœlicianum, *tract. de degradatione cap.* 14. in fine,

E num autem satis tuti sint ab hac censura iudices Laici, si in publicis consiliis sedeant, cum aliquibus iudicibus Ecclesiasticis, sententiamque contra Clericos ferant, non definio, quia priuilegium à sede Apostolica ad eam rem forte habent.

Num. 16. Iurisdictio Ecclesiastica propugnatur, & excommunicantur, qui Iudicum Ecclesiasticorum sententias eludentes, ad Curias sæculares recurrunt.

Num. 17. redditus Ecclesiastici à rapina &

sacrilegio Laicorum, excommunicatione vindicantur.

Denique *num.* 18. pro eorundem bonorum Ecclesiasticorum tuitione, excommunicantur qui sine expressa Pontificis licentia, Ecclesiasticis bonis onera imponunt, vel authores sunt vt imponantur, vel imposita recipiunt; quæ autem vniuersè imposita sunt, & non directè & specialiter Clericis, non inuehunt huius bullæ censuram, vt ait Agraphiis *num.* 133. *cap.* 18. sed de hac re Nauar. *cap.* 27. *manual. n.* 119.

Explicatio casuum Bullæ qui pertinent ad communem Christianorum vtilitatem.

AD communem Patrem pertinet communis filiorum vtilitas, & in primis tenuium, eò spectat piratarum excommunicatio, quæ habetur *num.* 3. eò naufragantium Christianorum protectio, quæ habetur *num.* 4. ne eorum bona etiam in littus eiecta, vel in mare, ad exonerandam nauim proiecta, quisquam sibi vsurpet, nisi fortè aliqua pro derelictis deserantur, aut alioqui erant peritura, V. G. saccus farinæ, & similia, quæ tamen per charitatem ab interitu vindicata, debent dominis suis conseruari & reddi, Nauar. *num.* 118. *cap.* 27. Molina *tom.* 1. *de iustitia tract.* 2. *disp.* 55. in medio, & fusius Couar. *reg. peccatum parte* 3. *parag.* 1. *n.* 5.

Eodem spectat prohibitio nouorum onerum, quæ habetur *num.* 5. quæ scilicet citra legitimam potestatem imponuntur; non enim tenetur hac censurâ quicumque princeps superiorem in temporalibus non agnoscit, licet iniustè imponat, vt fatetur, Viualdus ex communi sententia; & rectè, quia principes in his non subsunt Ecclesiæ, nisi quatenus illa onera in apertum fidei detrimentum vergerent, vt si subditi iis oppressi, se hæretico Principi, aut alteri infideli, dedere cogerentur: hæc autem censura Rectores, ac dominos præsidesque locorum intuetur, qui nouas identidem corradendæ pecuniæ vias cōminiscuntur, easque in praxim deducunt, vel non petito, vel non legitimè obtento consensu Principis, exponēdo scilicet falsa, vel tacēdo vera, qui propterea ad restitutionem pauperibus faciendam tenentur. Cæterum de variis onerum, gabellarum, vectigaliumque generibus consulendus Petr. Greg. *lib.* 3. *syntagmatū fere toto* Sotus *lib.* 3. *de iustitia q.* 6. *art.* 7. Syluest. & alii Summistæ verbo gabella & vectigal, aliisque vocabulis.

Denique ad hoc caput refertur iustissima illa excommunicatio, quæ habetur *num.* 7. in

A omnes Christianos, qui quosuis Christiani nominis hostes, vel hæreticos, aliqua re iuuant, quæ eis ad bellum contra Christianos gerendum sit vsui, vel eos verbis, & literis de statu Reipublicæ Christianæ, in eius detrimentum, & eorum, vtilitatem certiores faciunt, in quo perfidi exploratores fiunt, multo autem magis qui seipsis, eos iuuant, pro eis pugnando; nec anxiè, nedum malitiosè examinandum est quid hic à Pontifice nominatum, quidue sit tacitum, quoad res, quæ vsui belligerantibus hostibus

B esse possunt, cum non minus de mente Pontificis, quam de prohibitionis æquitate constet.

Explicantur dubia circa prædicta.

Primum, *An occulta hæresis sit reseruata.*

NOn videtur ab hoc loco aliena esse animaduersio Alfonsi à Castro *lib.* 2. *de potestate legis pœnal. cap.* Soti *in* 4. *dist.* 3. *q.* 4. sic enim obseruant, occultum cum de excommunicatione hic agitur, duobus modis dici, primo vt opponitur manifesto non quomodolibet, sed natura sua, nēpe quia de se latebras appetit. Altero, per accidens tantum, priori modo ea sunt occulta, quibus ea subsidia natura negat, quorum ope, beneficioque, in hominum se *conspectum* notitiamque inferunt, & quæ sunt sic occulta, ea famosa, notoriaque esse nequeūt: notorium enim auctores definiunt, quod scientia maioris partis ciuitatis nititur: famosum, quod fama maioris, ex vno sciēte orta, vel ex indi-

D ciis ac præsumptionibus ei æquipollentibus, iuxta Glossam *cap. confesso* 2. *q.* 1. & *cap. vestra de cohabitat. Clericorum*, at quæ latere natura sua amant, cognosci horrent, ac fugiunt, hæc vnius, aut multorum conscientia comprehendi non possunt: manifesta esse ergo nequeunt, cum ad id genus ea tantum pertineant, quæ disseminata sunt in vulgus, eiusque partem præcipuā ope famæ quæ sit orta à scientibus, quare quæ natura sua sunt occulta, virtutes sunt aut crimina, eaque latentia ac interna nullaque proinde vi natu-

E ræ cognosci apta,

Occulta per accidens, seu ex contingenti ea sunt, quæ non in corde tantum sunt vt priora, sed dicto, factoque se produnt, quibus à rebus habent videri vt possint, ac audiri à circunstantibus, quorum neutrum si accidat, est id sanè per accidens, cum quæ operamur, ac dicimus, hæc in hominum incurrere sensus, aut eorum aliquem non repugnet, hic autem, & nunc, non incurrunt,

quod

Rursus hæc occulta, diuiduntur in duo, quædam enim sunt omninò talia, alia penè tantùm. Ista sic appellant, non quod à nemine sciantur, sed quod legitime in iudicio probari nequeant. Ista id est penè occulta, quoniam pauci sunt testes, nec ad forum sunt contentiosum adhuc deducta. His ergo sic præsuppositis.

Dico primò, *Qui crimen hæresis ex se, & natura sua occultum admisit, Bullæ excommunicationem non incurrit.* Ita Diu. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. his verbis: *In his quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo.* Hinc Seneca *de beneficiis lib. 3. cap. 20. Errat si quis existimat, seruitutem in totum hominem descendere, pars enim melior excepta est, corpora enim obnoxia sunt, & adscripta dominis, mens vero est sui iuris.*

Equidem (quæ est Diu. Thomæ argumentatio 1. 2. *q. 91. art.* 4. De his statui, sancirique lex potest, de quibus iudicium fieri, at esse de internis animi motibus, prudens tale nullum potest, sed de his duntaxat, quæ vsurpantur sensibus, vno aut pluribus.

Obiicies, *Clementina 5. parag. verum de hæreticis* excommunicatione inquisitor percellitur, qui odio, aut spe lucri innocentem punit, aut hæreticum è iudicio abire liberum, amore sinit aut fauore. At odium, spes & amor, inclusa latent animo, nec videntur.

Respondendum, ibi non ob solum odium, eique amorem oppositum plecti, qui disceptandis de fide controuersiis sunt præpositi, sed multo maximè, propter ea quæ inde nascuntur, oculisque patent aut auribus, peccata scilicet fœda ac grauia, qualia sunt, iniqua vexatio, criminis non admissi impositio.

Obiicies secundo. extra *cap. dolentes de celebrat. Missarum*, qui in sacri est celebratione officii negligens suspenditur, aures autem ad diuina intentas non porrigere, negligenter ac otiose diuinis operam dare, res sunt eiusmodi, quæ soli Deo sunt notæ, non homini, interna ergo puniri opera excommunicatione possunt, aut censura alia.

Respondend. primo, pœnam de qua ibi fit mentio ferendæ esse sententiæ, non latæ.

Secundo, sermonem ibi esse de culpis quæ in lucem prodeunt, per externa opera. Sic enim canon, *Si quando cum hæc celebrantur, inter sint chori silentium fugientes, intendunt exterius collocutionibus Laicorum, &c.*

Dico secundò, *Censuræ contra hæreticos promulgatæ, hoc ipso subesse reum, quo in ea prorumpit opera: quæ sunt excommunicationis pœna feriri solita, etiamsi sint occulta per accidens.*

A Causa est, quod sint mala, ac censuræ obiectiua causa, eique proportionata, sit autem omnino per accidens, quod visa, audita, vel percepta à quoquam non fuerint, quæ ergo hæresis ad istud genus rerum pertinet, Pontifici subest, pœnisque latis in hæreticos, ab eoque absolui debet, non ab alio. Ita Sotus *lib. 1. de iustit q. 6. art. 6. conclus.* 4. Candidus *de Apostasia disquisit. 12. art. 1. dubitat. 6.* Nauar. *in summa cap. 27. num.* 56 quia *sufficit natura sua esse probabile, licet contingat probari non posse, ad hoc, vt includatur sub potesta-*

B *te humana, & pœnis eius*, hæc Nauar. ib.

Dico tertiò, *Ab hæretico mentali, excommunicationem non incurri, nisi verba, aut signa quibus errorem suum in apertum profert, proditque hic foras, sint de se, ac ex instituto hominum declarandæ menti suæ, errorique idonea*, Bannez *2. 2. qu. 11. art. 4. dub. 2. argum. 3. contra conclus. 3.* Sanch. *lib. 2. oper. moral. cap. 8. n. 8.* Candid. *supra conclus. 2.*

Probatur, Ecclesiæ de statu hominis, quem pœna ob culpam suam afficit, constare certo

C debet, ne innocentem male mulctet, certa hæc autem ei esse nequit, si verborum quibus mentem suam explicat, potestas est ab explicatione hæresis aliena, aut ei conueniens non satis, aptaque. Vera est ergo assertio.

Dubium secundum, *De occulta hæresi, absoluere cui permissum?*

Dico primò, *Reconciliandi hæretici, qui duntaxat est mentalis, ius esse sacerdoti approbato cuilibet.*

D Causa est in promptu, nullique dubia, quod non sit ea culpa, de earum numero, quas fori sui iurisque Pontifex esse voluit, nec enim alias de classe communi serieque noxarum subtrahit, à se remittendas, quam quæ sunt externæ.

Dico secundò, *De hæresi quæ est occulta tantùm per accidens*, quia nempe, cum conceptam animo, verbis hæreticis enunciat aut, scripto; testis ei nullus interest, qui prædictæ opinionis quã improbe anteceptã menti habet contra Ecclesiæ doctrinã, eamq; euulgat verbo aut scripto, sit conscius. Sententiã hãc

E tuentur è Theologis Doctores non pauci, Nauar. *cap 27. summæ num. 260. lib. consilior. consilij de priuileg.* Bann, *2. 2. q. 11. art. 4. dub. 2. post secundam conclus.* Viuald. *in candelabro sacram. par. 1. tract. de absolut. num.* 13. Portelius *verbo Episcopus num.* 12. alii apud Sanch. *lib. 2. summæ cap. 11. num. 27.*

Ratio est, quod lex specialis, tolli per generalem illa posteriorem tempore non soleat, nisi ei expresse sit contraria, vt scribit, probatque Nauar. loco citato proximè, sed

lex quotannis in Bulla cœnæ renouari solita, de vitanda Episcopis, ac cuiusquemodi Presbyteris ad confessiones expositis, absolutione casuum, quos sibi reseruatos esse Papa voluit, eoquod facultates ad id omnes eisdem per Concil. olim concessas per Bullã cœnæ reuocet, non est expresse contraria Concilio, quia hæc vt docet Nauar. loco prænominato, de casibus occultis complices habentibus loquitur, non verò concilium. Deinde dici quid vetat, voluntate Pontificis eas duntaxat reuocari facultates per bullam cœnæ, quibus casus condonare publicos, Episcopis fas erat, de quibus loqui Concilio propositum nunquam cum fuerit, sed de occultis tantum, lex postrema Pontificum, promulgari cum bulla cœnæ quotannis solita, non est Tridentinæ facultati, concessisque Episcopo in ea Synodo priuilegiis opposita, nedum eorum reuocatiua, quare isti modo, non secus ac antea, in vim eorum, de casibus bullæ cœnæ, dummodo occultis absoluere fas erit, quia lex posterior (inquit Candidus *to. 1. disquisit. 3. de absolut. art. 35.*) *generaliter & indistincte loquens limitari potest per specialem antiquiorem, si expressis verbis non contradicat,* quamuis in lege sit clausula non obstante lege contraria, sic enim *lex sed & posteriores digest. de legibus*, concepta his verbis. *Posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint.*

Confirm. Concilii Oecumenici decretis ac legibus, posteriore aliqua derogari non solet, nisi earum specialis ac expressa fiat mentio his verbis: *non obstante lege, aut constitutione Concilij*, vt colligitur, *ex cap. ex parte de Capellis Monachorum*, ibi enim Honorius Papa III. ait in Prioratibus Monachorum non posse singulos Monachos commorari, etiamsi super hoc habeant rescriptum Apostolicum, nisi in illo fiat mentio de Lateran. Concil. *Cum autem*, inquit, *id obuiet Lateran. Concil. de quo nulla mentio est in literis dictis, fraternitati tuæ respondemus, quod huiusmodi literas ab Apostolica sede non creaimus emanasse.* Honorio astipulantur Henriq. *lib. de Indulg. 7. cap. 26. num. 16.* Sanchez & Viualdus locis ante memoratis.

Pugnant tamen contra idem Sanchez *lib. 2. c. 11.* Suar. *to. de pæn. disp. 3. sect. 2. n 11.* Candidus *disquisit. de absolut. 3. art. 35. dubit. vnica* Penna *in directorio inquisitor. 3. par. q. 92. comment* 141. causas ita asserendi has habent.

Primam, quod ita declarauerint Pius V. & Gregor. XIII. quique Concilii diiudicandis controuersiis præsunt in Congregatione Cardinalium Episcopi, doctrina iuxta ac virtute, conspicui.

Secundam, quod curiæ praxis, stylusque in eo absolutionis genere, versari Episcopos non sinat, quam & inanem, sine vi esse ac robore decernit, hæc illi, quibus satisfaciunt alii, dicendo,

Primo certò non constare ac authenticè id à Gregorio, ac Pio, dictum vnquam esse.

Secundo Congregationis iudicium, sensumque, magni quidem faciendum, vtpote qui legis instar apud eruditos, piosque habeat, de eo tamen certi nihil scriptis extare literis, & ita, causam sibi iustam extare nullam, concedendi ad eorum partes, deserta sua.

Dico tertiò, *Inquisitoribus permissum quoque esse absoluere de heresi.* Ita Toletus *lib. 4. summæ cap. 4. num. 5.* Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 7. num. 3.*

Assertioni fides est à Clemente VII. quem id illis voluisse, eorumque Commissariis licitum indicat eiusdem hac de re constitutio cui initium. *Cum sicut. versu vobis etiam.* in suum à Penna translata directorium, in fine.

Dico quartò, *Quod possunt Episcopi in suorum subditorum causa facere, idem quoque Regularibus Prælatis licere, in suorum commodum.*

Rem indubitati iuris certamque reddit, in primis Pii quinti concessio, in motu quodam proprio, cuius, ne lapsu temporis interiret, memoriam in commentariis à se de Regularium statu editis extare Rodriguez voluit, *tomo 1. q. 4. regular. q. 61. art. 9.* ibi enim Pontifex, tantum in absolutione hæresis à subditis suis conceptæ, ad Dei gloriam, eos vult posse, quantum per Concil. Episcopis, in suorum subsidium est permissum *sess. 24. cap. 6.*

Equidem Societatis nostræ religiosis indulsit, pro cætera sua benignitate Gregor. eius nominis XIII. vt ab hæresi occulta per suos superiores absolui possint *Compend. Societatis Iesu verbo absolutio parag. 3. & 7.*

Octauo autẽ §. additur quod iuxta priuilegiũ Minoritis concessum, possunt eiusdẽ Societatis Generalis, & Prouincialis, suos ab hæresi, vel apostasia absoluere, pœnasque à iure his præstitutas sceleribus commutare, eas minuendo, augendo, dummodo non sint hæc publica, notaque sæcularibus.

Dub. 3. *An Episcopus extra Diœcesim positus ab hæresi absoluere subditum valeat?*

Sanch. *to. 1. Decal. cap. 11. n. 17.* affirmatiuè respondet, probatque hinc vel maximè, quod fidem superet, Episcoporum potestatem, iuraque contrahere, aut certis locorum interuallis circumscribere, Concilio fuisse vnquam in animo.

Addit

Addit quod commune sit effatum, eos in animæ tribunali, foroque, vbique ius suis posse dicere, ac voluntariam iurisdictionem exercere, ob quæ argumenta, & alia his similia opinionem hanc non improbabilem esse tradunt Suar. *to. 4. in 3. part. disp. 30. sect. 2. num. 3.* Ledesma *to. 2. tract. 1. ca. 6. difficult. 1.*

Contra tamen pugnat Concil. cuius est hæc oratio *sess. 24. cap. 6. Liceat Episcopis in quibuscunque casibus occultis etiam sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi sua, per seipsos, aut per Vicarium gratis absoluere*, ergo cum Episcopus extra Diœcesim existẽs, non sit in sua, priuilegio Concilii, eiusque fructu, ibi gaudere non poterit, & ita nobiscum sentiunt, Suar. *to. 5. de censur. disp. 41. sect. 2. num. 11.* Henriq. *lib. 14. de irregularit. cap. 21. num. 5.* facit ad eius fidem. Quod pœnitens à suo Episcopo de hæresi occulta absolui possit, sed hęretici occulti Episcopum proprium, cum videri in cuius Diœcesi is residet, habet Fagundez *in 1. precept. cap. 15. num. 13. & lib. 8. præcepti secundi Ecclesiæ cap. 8. num. 54.* maximè vero si est hæc eius mora in Diœcesi aliena, aliquanti temporis, non ergo extra Diœcesim positum, ab hæresi occulta, aut casibus cœnę absoluere subditum suum, Episcopo licitum.

Dub. quartum, *An absolutio hæretico occulto, fictè tamen conuerso data valeat?*

Dico primò, *Inanem esse ac irritam.*

Ratio est, quod actus agentium, ab eorum intentione pendeant, at nunquam fuit absoluẽnti propositum, nexum quo tenetur hæreticus pro authoritate soluere, si simulatè ageret, si fictè ac non verè, est ergo ex defectu intentionis, in absoluente Episcopo necessariæ, facta hæretici reconciliatio cum Ecclesia, coram Deo (ac vt aiunt, in conscientiæ tribunali inualida.

Dico secundò, *Hominum opinione ac sensu, hoc est in externo foro, eiusmodi hominem pro absoluto habendum esse.*

Causa est, quod interna hi sensa animi non penetrent, cordis non scrutentur latebras, non finem, non consilia, non quo sua quisque cogitata ac opera referat, explorent, de his, vt venatores ex vestigio, per ea quæ oculos, sensusque feriunt, æstimant, cætera negligunt: quare si Deo postmodum excitante, errorem suum hæreticus oderit, si fictionem cum vero dolore, eum absolutionis causa tũc consulet, qui de hæresi occulta concessione Ecclesiæ, cum potest reuocare cum illa in gratiam, censuramque vt par est laxare.

Quid si in fidei Christianæ dogmata non

A semel incurrit? quid si non vnum, sed plures eius articulos repetitis vicibus falsitatis ac mendacii arguit? & tamen de vnica tantum absolui censura petiit, alias silentio præteriit?

Mihi quid in hac controuersia statuendum videatur, duabus exponam propositionibus.

Prima, vero est quàm simillimum, eum qui bona fide hæresim vnam Episcopo exposuit, aliarum immemor, esse à censura his annexa liberum.

B Causa est, quod censurarum, eadem sit quæ casuum reseruatorum ratio, sed hi in reseruãtis iure esse desinunt, cum hic, aut alius de eius facultate, in pœnitentis gratiam potestate vti sua voluit: ergo & censuræ, quare cum in memoriam admissorum, quibus est censura adiuncta, redire pœnitenti dabitur, officio suo, conscientiæque facturus est satis, si hæc Confessario cuilibet modo approbato, delenda subiecerit: ita Candidus *de absolutione disquisit. 3. art. 44. dubit. 2.*

Posterior propositio. Qui mala fide hæreses aliquas Episcopum aut inquisitorem cæ-
C lat, vnam autem ei duntaxat & alteram condonandam explicat, explicatæ tantum remissam obtinet.

Ratio est, quod censuræ multiplici, vna non sufficit absolutio, vt constat *ex decret. cum pro causa 17. de sentent. excommunicat.* vbi est his verbis: *Discretioni tuæ mandamus, quatenus si vobis constiterit dictum Archidiacon. ob duplicem causam excommunicatum fuisse, & expressisse tantum alteram in literis, quas super absolutione sua impetrauit, ipsum tanquam excommunicatum satisfacere Ecclesiæ suæ, pro al-
D tera, monitione præmissa cogatis*, ergo cum non vnius tantum hæresis, ac censuræ incursæ sit reus, qui in plura religionis Catholicæ dogmata, vti falsa, erroneaque sciens impegit, ei ad explendas viri boni partes non est satis, cum conscientiam ipse suam explicabit, Episcopo dicere, hæreticum se esse. Ita auctores qui citati paulo ante.

Dub. quintum, *An cum in Iubileo, aut priuilegio, sit potestas alicui absoluendi à casibus Bullæ cœnæ, intellecta quoque censeatur ea voce, hære-
E sis.*

Est hæc quęstio magna animorum contentione disputata in scholis, vixque vllus fuit hactenus in explanatione iuris de conscientia ambigui cum aliqua versatus laude, quin operæ suæ partem aliquam in peruestiganda quæstione proposita, collocatam voluerit, neque tamen eiusdem opinionis societatem coiuere omnes.

In affirmantem iuere pedibus, pari voluntatis ac iudicii consensione hi omnes, Sotus

in 4. dist. 22. qu. 2. art. 5. conclus. 5. Corduba *in summa qu. 8.* Farinacius *de hæresi qu. 192. num. 62.* Viuald. *in candelab. de absolut. num. 13. & 16. & in casib. Bullæ cœnæ casu 20. num. 14.* Filliuc. *to. 1. tract. 8. cap. 18. q. 9. num. 265.* Regin. *in praxi lib. 8. cap. 5. num. 53.* etiam ex parte pugnat pro hac sententia, *Teneri*, inquit, *non potest, quod dicit Sotus, generalem facultatem absoluendi ab omnibus censuris & peccatis, includere absolutionem ab hæresi, nisi forte sit hæresis omnino occulta, nec aliis damnosa, de qua Papam informari nihil videretur necessarium ad ædificationem Ecclesię.*

Coniunctis sententiis oppositum docuere, & sacrorum canonum & Theologiæ Magistri, sententiam Reginaldi iam indicauimus, cui perquam est similis Suarii *de fide spe, & charitate disp. 21. sect. 4. num 21.* Vasq. *de excom. dub. 19. num. 3.*

Venio ad summarum explanatores, idem enim ac Theologi defendunt Azor. *tom. 1. lib. 10. q. 12.* Henriq. *lib. 8. de pœnit. cap. 16. num. 12.* Nauar. *in summa cap. 27. num. 275.* Couar. *in can alma mater par. 1. parag. 11. num. 5.* de Graphiis *lib. decision. aurear. 1. cap. 13. num. 22.* *Credo*, inquit, *nec virtute Iubilæi concedentis generaliter licentiam absoluendi à casibus sedi Apostolicæ reseruatis, etiam in Bulla cœnæ contentis, posse aliquem absoluere ab hæresi, etiam occulta, nisi id specialiter concedatur*, Inculcat idem in *lib. 4. cap. 18. num. 2.* his verbis: Vnde infertur quod quando per Iubilæum conceditur facultas absoluendi à quibuscunque casibus, etiam sedi Apostolicæ reseruatis, non intelligitur esse concessa facultas absoluendi à casibus in Bulla contentis. Rursus infertur quod concesso priuilegio religionibus, absoluendi à quibuscunque casibus, & censuris Apostolicæ sedi reseruatis, non intelligitur concessũ priuilegium absoluendi à casibus in bulla contentis, quam ego sententiam à Catechismo Neapolit. dictam video *lib. 3. cap. 2.* iteratam autem à Graphio *lib. 1. cap. 13. num. 23.* Acrius quam omnes alii, pro ea dimicauit Thomas Sanchez *tomo 1. summæ lib. 2. cap. 12. num. 16.* vbi firmamenta causæ suæ præcipua duo profert.

Primum, quod generalis concessio ea complecti non soleat, quæ probabili coniectura à delegante exclusa forent, si ei in memoriam venissent, sic enim Bonifac. VIII. *in regula 81. de regul. iuris in 6.* his verbis: *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, quæ totidem penè verbis inculcat *de officio Vicarii in 6. cap. cum in generali 3.* at speciem veri nullam habet hæresim, sic à Pontifice, eiusque absolutionem fieri nihili, aut negligi, vt eius remittẽdæ potestas omnibus sit indulta, hoc

A ipso, quo hic peccata ac cẽsuras his adiũctas, in iure vult esse Episcopi, aut cuiuslibet alterius? E re enim est, tam communi fidelium, quam priuata singulorum, quos hæresis inficit, eius in omnium animis imprimi odium, fit id verò potentius, cum ad eius absolutionem, aditus si non interclusos, at certe magnis esse vult difficultatibus interseptos, quales esse est necesse, cum quæ vniuersæ facultas datur, casus omnes cœnæ absoluendi, non comprehendit hæresim: ergo, &c.

Secundo causæ suę præsidium Sanch. & alii à triplici duorum Pontificũ responso petunt
B narrant enim à Pio V. anno 1572. à Greg. autem XIII. ad ann. 1577. Curiæ Romanæ asseclis declaratum esse, mẽtis suæ nec esse, nec fuisse vnquam, vt quod in cæteris Bullæ cœnæ casibus, ac censuris, in Iubilæis confessariis omnibus, Regularibus autem per indulta illis priuilegia licere volunt, hoc ipsum in hæresi audeant: Ita Reginald. *lib. 8. cap. 5. sect. 1. num. 53.* Manuel. *in addition. ad bullam parag. 9. num. 66.* apud Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 12. num. 10.* hancque Romanæ Curiæ, ac Confessariorum omnium praxim
C esse aiunt. De qua tamen quia non constat, sicut nec certò saltem, & authenticè de Gregor. & Pii responsis, non est hæc, istorum mihi hominum opinio tanti, vt præ ea, priorem aliorum contemnendam existimem: minimùm enim est in eorum qui illam docent, eruditione ac nomine *probabilis*, verisimilitudinem ratio auget. Nam qui omnes nuncupat ac dicit, nullum excipit, ergo cum in Iubilæis, casus bullæ cœnæ omnes sibi reseruatos, Papa confessariis omnibus delendos subiicit, hęresim nõ excludit, quæ
D inter cæteros principem locum habet.

Deinde (quæ est ratio Fagundez qui pro prima opinione pugnat *in 1. præceptum Decal. cap. 16. num. 1. & in 2. Ecclesiæ præcepto lib. 8. cap. 8. num. 33. & 38.*) Deinde (inquam) cum hæresim Papa vult exceptam esse, id significat, cuius rei fidem Iubilęa non vnum, sed plura facere, verba quibus sunt concepta, loquuntur: narrant enim, cuilibet de casibus bullæ reseruatis arbitrandi Papæ benignitate ius esse præter hæresim, ergo cum
E hæc non excipitur, tacite eius absolutio permittitur.

Dub. 6. *Quid cum hæretico publico, hoc est eo homine, qui multos annos in conuictu hæreticorum fuit, quorum & doctrinæ impiæ venenum mortiferum obbibit, facere sit necesse, cum ad pœnitentiæ Sacramentum accedit.*

Existimant aliqui, culpam eius prius Sacramentali posse absolutione extingui, quam haustum virus palam euomat, seque cum Ecclesia, cui bellum pestiferis suis opinionibus

nionibus indixit, in gratiam restituat, quibus ne assentiar hæc me, quę proximè ratio sequitur, impellit ac mouet.

Quem ab Ecclesia, culpa tam sua, quam lata ab Episcopo, aut Prælato sententia remouit, huic ad Sacramenta aditus patere nullus potest, nisi reconciliato, ac censurarum, eius ope, ac beneficio qui potest, soluto nexu, modo quem suis Papa legibus præscribit. Sed hæresim quisquis est publicè, ac in multorum professus oculis, is iure Ecclesiæ in excommunicatorum est numero, culpæque quæ sit reseruata Pontifici manifestè reus ac conscius: cum ergo à vinculis prius expediri suis, quam liberari à culpa, quæ censuram adnexam habet, est necesse, est ergo censuræ absolutio, absolutioni à culpa quæ est occulta, pręmittenda necessario.

Quid si est censura publica? quid si scelere est publico irretitus hęreticus? nempe quia nulli non est in ciuitate aut prouincia pro tali cognitus?

Respondend. ei vtriusque fori reconciliationem videri necessariam, publici scilicet, & non Sacramentalis, occulti & Sacramentalis, istius quidem, quia quæ animæ maculæ adhærent, eæ sunt eluendæ lachrymis ac confessione.

Illius autem, quia læso numini, Ecclesiæque satisfacere conuenit, quid enim esse potest ęquius, quam qui publice communitatem offendit, publicè quoque ei satisfaciat? fit id verò maximè reconciliatione publica, quam publica item præcessit pœnitentia, ex veteri Ecclesiæ præscripto suscepta, quæ enim in conscientiæ arcano iudicio geruntur, notitiam aliquam & fidem habere publicam nequeunt, quare post errores, impiaque eiurata dogmata, in fide se Catholica mansurum esse, scripto spondere pœnitens debet, idque publicè, vel priuatè, prout crimen publicum fuit vel occultum. Et quoniam est hæreticus ipso iure excommunicatus, cum iureiurando, verbere & miserere absoluetur prout, ius edicit Pontificium, de quo nos antea, qui enim palam læsit communitatem, huic ab eo satis fieri publicè, ratio ipsa imperat.

Septimum, *An in quibus prouinciis Viget hæresis, sic sint eius professores, ac asseclæ, censurarum reuincti nodis, Vt eos in congressu, communique consortio Vitare sit necesse.*

Nequaquam, causa est, quod ad euitanda scandala, mentiumque pericula, statuisse Martinus V. dicatur, vt nemo posthac eius alloquia, aspectum, commercia, tam in Sacramentorum actiuo vsu, quam passiuo, diuinisque officiis, ratione cuiusuis sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, vel suspensionis

A vitare debeat, si talis sententia, suspensio, aut censura, promulgata non fuerit, ac denũciata specialiter & expressè à iudice, contra certam personam, collegia, locum, vniuersitatem, vel nisi excommunicandi, hoc est rei; tam sit patens, perspicuaque culpa, vt hanc iste tergiuersatione, iurisque remedio tueri nullo queat, vel certe sit hic notorius percussor Clerici, per hoc tamen non intendit Ecclesiæ (inquit Pontifex) releuare, neque iure quopiam sic excommunicatos, suspensos, interdictos aut prohibitos

B iuuare, quare debent, quantumuis sint occulti, hominesque lateant, eorum oculos, congressumque fugere, Concil. Constantiense in bulla *cui initium ad euitanda.*

Obiicies fauere hæretico, qui in excommunicatorum non vult referri numerum, nemo potest ac debet, at fauet, quisquis cum eo rem negotiaque habet, cum eo ergo congredi sine censura nulli licitum.

Respondend. hæreticum duobus spęctari modis posse.

Primo formaliter, ac propriè, & vt hæretica est respersus labe.

C Secundo, vt est hic, aut ille, eiusdem communione nobiscum naturæ mortalium pœnis obnoxiæ cum eo versari primo modo culpa est, quam Pontifex censura in Bulla cœnæ luendam præcipit.

Non secundo, quia legis, quæ pœnam præscribit, ideoque pœnalis appellatur, verba stricte sunt intelligenda, ac proprie, secundum Gloss. *Clement. 1. de sepulturis, & in clement. 1. de consanguinit.* eo quod pœnas restringi oporteat, vt est *in can. pœna dist. 1. de*

D *pœnit. & lege penult. de pœn.* at hæreticus, non quemlibet, sed erroribus contra fidem, eiusque dogmata infamem denotat: pœnæ ergo quæ in eos legibus sunt canonicis statutæ qui illi suffragantur, ac fauent, ad eos duntaxat pertinent, qui eius patrocinantur hæresi, eumque vt talem iuuant, ac protegunt, quod cum non faciant, qui solita caritatis officia, ab homine homini exhibenda, ei præstant, vt sunt salutatio, sermo familiaris, ac congressus, eos excommunicationi subiici, nemo prudenter ac cum ratione affirma-

E uerit: alioqui magni non modo arguendi essent sceleris, qui in Gallia, Germaniaque cum hæreticis contrahunt, commerciorum societatem cum iis ineunt, sed etiam pro excommunicatis, quemadmodum & hæretici habendi forent, quo quid absurdius? cum id genus homines, merces, similiaq; ad cõmune bonũ, emere, ac distrahere sub ea præcise ratione qua de fide male sentiunt, nec velint, nec soleant, sed vt cæteri, in quorum mores, vitamque hæretica nulla irrepsit labes,

Quid? quod negotiatio sit de iure gentium omnibus concessa, nullo autem prohibita cum hæreticis, alio respectu, quam quod sunt tales: argum. *l. in delictis parag. si detracta dig. de noxa*, eis enim vt sunt homines, cum displicentia, odioque hæresis qua laborant, fauere posse scribit August. relatus à Gratiano 23. q. 3. *can. duo ista nomina* 35. his verbis: *Duo ista nomina cum dicimus, homo peccator, non vtique frustra dicuntur, quia peccator est corripe, quia homo est, miserere, nec omnino liberabis hominem, nisi persecutus fueris peccatorem*, & paulo post.

Non ergo suscipimus peccatores, propterea quod sunt peccatores, sed tamen eos ipsos, quia & homines sunt, humana consideratione tractemus, persequamur in eis propriam iniquitatem, misereamur communem conditionem: ita sine metu censuræ hæreticum domi recipi, de potestate iudicis subduci, ac occultari posse, non ratione hæresis, quam recipiens, aut subducens execratur animo, sed consanguinitatis ac amicitiæ, seu quia amicus est, ac consanguineus: dixere nobiscum, Sanchez Simancas *de Catholicis institut. tit. 15. num. 21.* Fagundez *lib. primo in Decal. cap. 12. num. 8.*

Octauum, *An qui hæreticum recipit, aut ei metu mortis, quam ab ipso, aut alio inferendam sibi, si secus faciat, pro certo intelligit, excommunicationi bullæ subiaceat.*

Id ne sentiam euincit hæc ratio. Legi humanæ cum probabili, certoq; vitæ periculo nō est parendum necessario, eo quod Ecclesia nolit cum tanta seueritate decreta seruari à fidelibus, at quæ sanctio, hæreticum excludi domo iubet, aut non recipi, ne iudicis potestatem ac manus euadat, humana est, ergo non necessario seruanda, capitis sui periculo.

Secundo, non alios pœna legis comprehendit, ac afficit, quàm qui propriè in eam incurrunt: quo à crimine, eiusque suspicione immunes sunt ac liberi, qui hæreticum non complectuntur, ac recipiunt præcise, quia istiusmodi est maculæ notatus infamia; sed quia consanguineus, amicus, &c. sed qui vitæ suæ tuendæ causa, latebras præbet hæretico, qui perruptis iudiciorum laqueis, quibus irretitus tenebatur, fugientem excipit, ne vim extrema sibi minitantis sentiat, eum propriè hæresis causa non recipit, sed vitandæ mortis: ergo ad eum pœna bullæ, ac sanctionis Ecclesiasticæ, de hæretico non recipiendo, sub censuræ iusto metu, non pertinet.

quid si admittatur hęresis causa, quid si cum intentione ac animo in recipiente, eius fouendę? quid si cum voluntate fauendi, sed antequam in excōmunicationem lapsus esse

A denuncietur ob hæresim?

Recipientem à culpa, censuraque liberat, Vgolin. *de censur. Papæ reseruatis 2. par. cap. 1. verbo receptatores parag. 2.* eo quod per constitutionem Martini quinti, non alios vitari sub censura oporteat, quàm qui sunt è superiore loco publice, aut frequenti populi concione denuntiati, aut notorii percussores Clerici.

Quæ opinio, hoc mihi maxime nomine non probatur, quod communionem cum hæretico excommunicato, Pontifex in bul-

B la cœnę minime prohibeat, sed eius vt est hæreticus, receptionem, quare debet hic sub ea præcise ratione, quâ à Catholicis fide, moribusque dissidet, recipi, quam ad rem, actus sunt duo necessarii, primus intellectus, voluntatis alter, illius quidem, qui receptum repræsentet esse hæreticum, istius autem, per quem recipiens, illum recipiat animo, intuitu, atque intentione fauēdi hæresi.

Nonum, *An qualibet cuiuslibet libri hæretici lectio sit sub censura prohibita.*

C Factum prudens, factum nostris, posterisque nepotum nostrorum suspiciendum sęculis, vetat enim Ecclesia, librorū qui Caluinū olent, aut Lutherum, vsum sub cēsura, pestis enim ipsissima sunt, hi tales libri, & lectori merissimum venenum, non tanget hos quisquis fidem cordi habet. *Lamiæ nudauerunt mammā, lactauerunt catulos suos* Threnorum 4. in quem locum sic Hierony. *Possunt Lamiæ hæretici accipi, hi tunc mammam nudant, quando suum errorem libere prædicant, tunc catulos lactant, quando male sequaces, par-*

D *uulorum animas dum peruersa insinuant, ad impietatem nutriendo confirmant.* Quare huius notę libros à Christianorū oculis ac manibus arcet Cōstantinus, vt est in *l. 2. histor. tripart. c. 15.* sanxit enim *vt si qua conscriptio facta ab Arrio reperiretur igni traderetur*, Iussere Valēt & Martinianus ambo Augusti lege quicūq; *Cod. de hæretic. Vt omnes libri qui Eutychetis & Apollinaris dogma complexi erant, cremarentur.* Idem de libris Nestorii sanxit Imperat. Theodosius *lege damnata Cod. de hæretic.* de libris Seueri Iustinianus *Nouella* 42. hoc enim vnum agunt libri hi, & similes, lecto-

E rum vt animos, hæresis lue veneñent, & vt animum ad cogitationes in fide periculosas, si non ad sermones contra fidem, ausulque pelliciant: tangi ergo à Christiano non debent, si non vult infici & perire.

Et quanquam non essent olim à pœna omni Ecclesiastica liberi, qui hæreticorum sibi libros legendos credebant, sunt hoc tamen tempore tam Pii quinti constitutione præfixa librorum prohibitorum Indici, quam aliorum Pontificum, quorum au-

thoritate

thoritate, Bulla cœnæ quotannis promulgatur in vrbe, excommunicati, qui his legendis dant operam. Quæ pœna eos vt afficiat, conditiones quę sequuntur, sunt necessariæ.

Prima vt scienter hi id faciant.

Secunda sine licentia.

Tertia, vt prędicti libri hæresim contineant, deque ea ex professo agant, eam explanent ac tractent.

Quarta, vt ab hæreticis sint scripti, quarum conditionum si vel vna desit, excommunicatio non subitur, quare qui fragmenta quędam Catholicis inserta libris, sed ex hæreticis deprompta legit, aut alterius firmata voce, oreque percipit, Ecclesię fulmen metuere non debet, eo quod in eius legem, decretaque de hæreticorum non peruolutandis, legendisque scriptis, proprie non committit.

Itaque ad propositam quæstionem.

Respondend. etsi sit librorum qui de religione parum religiose disputant, vsus ac lectio in vitio, censuram ei tamen adiunctam nullam esse nisi sit quaternis illis, de quibus paulo ante est dictum, notata circunstantiis.

Decimum, *An ab ea excuset materiæ paruitas.*

Pro parte negante sunt hi auctores, Vgolin. *de censur. Papę reseruatis 2. parte verbo ac eorundem libros parag.1 versu* 8. Tolet. *in Bulla Cœnæ excomm. 1. num. 24.* nituntur hoc argumento, quod Papa excommunicet eos qui quomodolibet defendunt hæreticos, at eorum libros manibus terere, aut legere, est eosdem defendere: ergo, &c.

Contrariam sunt sectati Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 31.* Duardus *in explicat Bullæ Cœnæ lib. 2 canone 1 q. 46.*

Filliucius *tom. 2. tract. 27. cap. 7. num. 204.* Fagundez *in 1. præceptum lib. 1. cap. 14. numero 3.*

Ratio est, quod materiæ paruitas in hac materia, peræque ac cæteris locũ habeat, ergo vt ab ea transgressio præcepti maculam nõnisi venialem, in aliis rebus accipit, ita & in præsenti erit librorum lectio à paruitate materiæ veniabilis. *Qui vnã solum paginam hæretici libri legit non est censendus excommunicatus, parum enim condonantur,* Emman. Sa *de excommunicationibus bullæ num. 1.*

Dixere idem Sanchez *lib. 2. cap. 10. num. 31.* Diana *tract. 11. resolut. 20.* qui in rebus minimis paginam quoque vnam de libris maioribus haberi volunt, in quo eos audiendos negant Suarez *tract. de fide disp. 20. sect. 2. nu. 20.* Bonacina *de censuris disp. 2. q. 5. punct. 4. nu. 13.* quod libri cuiuslibet hæretici, facta vel

A obiter, cursimque lectio, periculi plusculum habeat, ab ea ergo quisquis sapit: omni qua potest contentione animi, viriumquè, gressum referet.

Sed hæc mihi ratio non est tanti, vt propter eam à citatis, paulo ante scriptoribus, recedendum existimem, nam non à periculo vnius aut alterius cuiuspiam petitur excommunicatio, quæ ob lectionem libri hæretici incurritur, sed à communi, at quis putet, metuendi causam esse, ne salutis naufragium faciant, viri pii iuxta ac eruditi omnes, quorum in manus oculosque pagella libri hæretici vna incurret? non est ergo istiusmodi quantitas, natura sua, genereque ipso exigua, ad peccatum mortale, censuramque incurrendam idonea.

B

Vndecimum, *An qui à Catholico scriptum de hæresi librum, in manus sumit, eo animo, fineque, vt contentas in eo hæreses intelligat, excommunicationi bullæ Cœnæ subiaceat?*

Non subiacere vt credam suadet hæc ratio, Libri non sunt alii à Bulla Cœnæ prohibiti, quam qui ab hæreticis compositi, at is de quo est quæstio, non est istius generis, cum eius author bene ac sincere de religione Catholica sentiat.

C

Quid? quod affectum solum ad hæresim Pontifex non puniat? quod sciendi quæ sunt eius dogmata, quæ scita, ac iussa, desiderium ac votum, etsi non probet, censura tamen non plectat? sed factum: id est libri lectionem hæretici Sanch. *to. 1. sum. l. 2. c. 10. n. 23* Suar. *in 3. parte to. 5. disp. 21 sect. 2. num. 10.* Nauar. *cap. 27. Enchir. num. 36.* his verbis: *Qui habet, vel legit libros Catholicorum, referentium dicta hæreticorum etiam desumpta ad verbum ex libris eorum, non incurrit excommunicationem, quia non sunt libri hæreticorum, etsi principaliter legeret illos ad sciendum dicta & rationes eorum.*

D

Duodecimum, *An ad eos hæc censura pertineat, qui legunt ad amicum per hominem male de fide sentientem, missam epistolam, in qua est hæresis eius vna de multis.*

Nequaquam, quia epistola liber non est, quare cum verba legis, quæ pœna legentes, ac retinentes, aut vero in lucem libros hæreticos populo visendos dantes afficit, hæc ad eos, penes quos est aliqua hæretici hominis epistola, hæresim continens, explicans aut defendens, aut qui eam sibi legendam vel imprimendam existimãt, non pertinet, ita Sanchez *tomo 1. sum. lib. 2. cap. 10. num. 29.* Fagund. *tom. 1. in Decalog. lib. 1. cap. 14. numero 11.*

E

Decimum tertium, *Quibus indiciis deprehendi valeat, librum ab authore scriptum hæretico, de religione disserere aut tractare.*

Primo, si in scriptura, aut eius parte aliqua explicanda versetur, secundo, si præcipuæ fidei dogmata, si summa ac prima Theologiæ capita enodanda sibi ad imperitæ plebis captum assumat, si in religionis nostræ, id est Catholicæ arcanis mysteriis euoluendis, operam suam collocet, est in his enim præcipua ac palmaris fidei materia, cum quæ sancta sunt, quæ augusta in Religione Catholica mysteria, hæc sunt quoque diuina credenda fide.

Secundo, de religione ii libri disputant, qui quæ sunt ad sanctorum, Deique venerationem ac cultum, populo explicant.

Tertio, qui de Monachis, eorumque votis commemorant,

Quarto, qui quid in moribus, quid in omni ratione, vitæque genere, cuiq; sit sequendum indicant.

Quinto, qui de Prælatis Ecclesiæ, eorumque munere, aut populi aduersus eos caritate, ac obsequendi voluntate & obligatione, præcepta dant ac monita.

Sexto, qui de iure conscientiæ, qui de Christiani hominis officiis, qui de virtutibus ac vitiis responsa continent, habent enim hæc vel in primis ad diuinum cultum momentum præcipuum, ita & disseminandi erroris, pietatis autem in populorum animis peruertendæ, periculum non modicum, quare vt ea chartis committi non decuit, ita sub censuræ subeundæ iusto metu prohiberi oportuit.

Decimum tertium, *A censura libros hæreticos legenti aut retinenti proposita, quid excuset?*

Primo, tã ignorantia talis pœnæ quam qualitatis libri, nam bulla eos duntaxat coercet, qui *scienter* libros legunt hæreticos, at scientiæ opposita est ignorantia.

Huic opinioni opitulantur Sanchez *tom. 1. Decal. lib. 2. cap. 10. num. 38.* Fagund. *to. 1. in Decal. lib. 1. cap. 14. num. 19.* at qualis? cuiusquemodi (inquit Fagund.) id est tam quæ crassa, quam quæ affectata, ex quo sequi ait, non modo eos qui cum ignorantia crassa, & lata culpa, quidpiam eorum faciunt, quæ Bulla arguit circa librorum vsum, sed eos etiam qui ambiunt, affectántque authoris nescire nomen, resque ipsas adeo, de quibus tractat, quo liberius eas oculis, animoque ipsi suo subiiciant, extra culpam omnem, censuramque esse, quod qui ignorans agit aliquid, *scienter* vt canon exigit, in eo non versetur.

Mihi secus videri solet ob hæc argumenta.

Primum, quod bona fides, rectaque conscientia, nihil agit cum ancipiti cogitatione A recti & æqui, qui scire renuit, ecquid sibi Deus, aut Ecclesia aliquid imperent, aut vetent, dubitationem habet, aut obscuram saltem præcepti notitiam, seu cogitationem: caret ergo in operando bona fide.

Secundum, ignorantia crassa & supina æquiparatur cum dolo, at hic à censura non excusat, cum fraus nemini dolusque patrocinari debeant, ne culpa vlli sua fructuosa esse videatur ac vtilis: ergo, &c.

Tertium, ignorantia crassa & supina, à pœna censurarum non liberat, ex communi B Doctorum sententia, & *cap. Vt animarum 2. de constitutionib. in 6.* his verbis: *Vt animarum periculis obuietur, sententiis per statuta quorumcunque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina,* non ergo decreto huic, & sanctioni Pontificis satis consentaneè, dixere authores qui supra, pœna legentium libros, ab hæreticis exaratos teneri, qui quos manibus terunt, leguntque, culpa sua ignorant esse in bulla prohibitos.

Est tamen eorum opinio probabilis, itaque in conscientia, quod Ecclesiæ (vt C aiunt) sit hoc duntaxat in bulla propositum, punire delictum formaliter & expresse vetitum, at huiusmodi esse nequit, cum non est cognitum, propriè quà tale, & sub ratione culpæ.

Secundo, à censura eximuntur qui authorem libri quem legunt de fide suspectum esse, deque ea male sentire nesciunt, Vgolinus *de casib. Papæ reseruatis 2. parte versu ac eorundem libros parag. 1. num. 1.* Sanch. & Fagund. locis citatis.

D Ratio est, quod bulla vtrumque ad censuram incurrendam exigat, hoc est tam authorem, hæresis laborare infamia, quam eius opus scatere erroribus, aut de religione, eiusque exhibendæ modo agere.

Tertio, excusat respectu legentis materiæ paruitas Grassius *lib. decis. 4. cap. 18. num. 47.* Sayrus *tom. 4. thesauri lib. 3. cap. 15. n. 16.*

Decimum quartum, *An qui librum hæreticum, legi audiunt, sint excommunicati, perinde ac qui legunt.*

Respondent qui hac de re scripsere commentarios, auditores in eorum classem non E cogendos, quos censura comprehendit, quæ libros de hæresi imprimentes, aut legentes ligat.

Ratio est, quod statuta quæ pœnam indicunt, strictissimè sint interpretanda vt est in regula odia *de regul. iuris in 6.* ad eandemque sententiam aggregare Doctores non paucos perquam est facile, inter quos conuenit locum pœnæ nunquam esse, nisi in legem committatur, proprie sumptam, ac secundum

dum quod verba sonant, quibus est conce- A pta, qui audit, proprie non legit, ergo cum eos duntaxat, pœnæ statutæ legibus comprehendant, quos in eas propriè peccasse est certum, qui de hæresi disputantem, aut eam, vt est scriptis ab authore commissa, legentem audit, excommunicationem non subit.

Quid si eam legi quis imperet, quid si consulat, aut mandet?

Respondeo ne tunc quidem excommunicationi contra istum locum esse, quia cum B punitur aliqua actio, aut eius author, in communione ẽ eiusdem pœnæ qua iste, & illa coercentur, consulens, mandans ac imperans non vocantur. Atque ita censura in agentem lata, consulentem ac mandantem nisi exprimantur specialiter, amplecti non solet, etsi impropriè & moraliter, ipsi dicantur facere, vt probat Sanchez *lib.3. de matrim. disput.49. num.2.* legens tamen domini mandato ac imperio peccat, legendoque censuram sibi excommunicationis conciliat, San- C ctarell. *tract. de hæresi cap.13. dub. vnica num.9.*

Decimum sextum, *Quinam Imprimentium nomine intelligi in Bulla debeant.*

Primo, qui characteres aggregant, coguntque, ad expressionem hæresis.

Secundo, qui eos atramento imbuunt, torcularia premunt, chartas madefaciunt, madefactas prælo supponunt, literas, quanto conatu possunt, in iis imprimunt,

Tertio, qui operi præsidet, cuiusque nomine, Typographiæ procedit labor, cum D enim quæ aliena facimus opera, affingi hæc nobis soleant, quæ Typographiæ ministeriis addicti homines laborabunt ac facient, hæc eius præsidi, dominoque, vt auctori debent attribui.

Quarto, qui typis librum excudi mandat, non autem qui excusum domi seruat, nam in eorum qui impressioni dant operam, numero classeq; reponendũ quis putet? similiter nec qui librum corrigit, nec qui ea quæ in illum casu, aut industria menda irrepsere, obliterat, cum errata expungere, distorta in ordinem referre, punctis ac commatis non notata distinguere, non sit proprie, librum in quo hæc sunt, typis mandare.

Decimum septimum, *An hæretici iure sint diuino excommunicati.*

Ita visum Latomo *in assertione Louaniensis determinationis contra Lutherum*, Clithoueo *in assert. Veritatum Concilij Senonens.* Echio *in Enchirid. ca. de hæreticis comburend.* nititur hac ratione, quod eorum commercia, congressumque cum Catholicis, scriptura prohibeat, *Matth.18. Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. 2. ad Corinth. 7. quæ pars fideli cum infideli. 2. ad Thessalonic. 3. Vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis, ad Titum 3. hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita. 2. Ioan. 1.* si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, *nolite recipere eum in domum, sed nec Aue ei dixeritis.*

Sequenda tamen sententia contraria.

Primo, quod in iis locis ne verbum quidem sit de excommunicatione vel modicum.

Secundo, quod si essent à fide alieni, hæretici, præ cæteris diuinâ excommunicati lege, vitandi forent omni tempore, etiam non denuntiati, quod est contra praxin: itaque dicendum, his & similibus scripturæ testimoniis, præcipi fidelibus, vt se ab eorum contubernio hominum segregent, quorum est fides anceps ac dubia, vt est hæreticorum omnium, videri etiam, his verbis de iis excommunicandis mandata Prælatis dari.





EPITOME EORVM, QVÆ DE EXCOMMVNICATIONE SVNT DICTA, cum probatione ex Canonibus, Conciliis, & Patribus deprompta.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Excommunicatio.



É excommunicatione agitur *causa* 11.*q.*3.24.*q.*1.2. *&* 3. *in decretalib. de sentent. excommunicat. titulo* 38. *&* *in* 6. *titulo* 11. à Diu. Tho. *in* 4. *dist.* 18. Soto *dist.* 22. Nauarro *cap.* 27. *manual.* Couar. *in cap. alma mater.*

Hanc prisco maiorum æuo, in vsu fuisse & ad nocentium iustam pœnam frequentari solitam, docent ex Augustini ore petita testimonia quæ sequuntur, de Genesi ad literam *ca.* 11. *Alienandus inde vtique fuerat, vel iam moriturus, vel etiam tanquam excommunicatus, sicut etiam in hoc Paradiso, id est Ecclesia, solent à Sacramentis altaris visibilibus, homines disciplina Ecclesiastica remoueri*, & to. 4. *li. de fide & operib. ca.* 2. explicans hæc verba Apost. 1. *ad Corinth.* 5. *Auferte malum ex vobis ipsis. Quomodolibet*, inquit, *intelligatur, siue vt seueritate Ecclesiæ mali excommunicationibus corripiantur, &c.* & *lib.* 5. quæstionum super Deuteronom, ait *Excommunicationem nunc agere in Ecclesia, quod agebat in antiqua lege interfectio epistola autem* 74. ad Deuterium Episc. petit vt Diaconus quidam à *Clericorum gradu, congruè Ecclesiastica seueritate deiectus, cauendus omnibus innotescat.*

Apostolorum noti sunt Canones, nota decreta legentibus 61. 62. 63. 64. *&* 65. in quorum primo qui mortis metu Christi nomen negat *ab Ecclesia reiicitur*, in aliis autem à communione excluditur qui cũ hæreticis orat, qui in concertatione aliquem temerè A verberat, aut necat, aut Dominico vel Sabbato ieiunat.

Quid? quod Apostol. 1. *ad Corinth.* 4. incestuosum Satanæ possidendum tradit: hoc est à corpore Ecclesiæ, vt membrum putidum ac fœtens, ense Ecclesiastico rescissum, procul à cæterorum cœtu abiicit? Sic enim hunc locum explicat Tertul. *de pudicitia cap.* 13 *Illis*, inquit, *traditis satanæ, id est, extra Ecclesiam proiectis cap.* 20. *Abiicitur extra ciuitatem in locum immundum, deditus scilicet* B *satanæ in interitum carnis, nec reædificatur in Ecclesia post ruinam*, quæ etiam est interpretatio Hieronym. *in Ezech. cap.* 17. Ambros. *de pænit. cap.* 14. August. *lib. de fide & operib, cap.* 26. Quæ ergo Ecclesiæ, eadem quoque censuræ sunt ac excommun. primordia. Ne Episcopalis arrogantiæ existimes, *esse segregationem, lex est patria, vetus est regula Ecclesiæ, quæ cœpit à lege, & fuit confirmata in gratia. Considera sanctum Paulum, in reos emittentem sen-* C *tentias segregationis, & iuuenem Corinthium eo curantem medicamento, qui satanicæ nouercæ insano erat captus amore.* Gregor. Nyssen. *in oratione aduersus eos qui ægre ferunt reprehens.* Hęc de excommunicandi antiquo vsu in Ecclesia.

Est autem excommunicatio *pœna Ecclesiastica* 11.*q.*3. *can. ad mensam eaque spiritualis obligans animas*, August. *epist.* 75. *ad Auxilium Episcop. Damnatio quam facit Episcopale iudicium* D *(qua pœna nulla in Ecclesia maior est)* August. *de corrept. & gratia cap.* 15. relatus à Grat. 24. *q.* 3. *canone corripiantur* 17. *non est hæc tamen insulsus, sed sanans, non eradicans, sed firmans. Qui enim excommunicatur*, vt Apostolus ait, *ad hoc excommunicantur, vt Spiritus eius saluus fiat in die Domini, Disciplina enim est excommunicatio, non eradicatio*, Vrbanus Papa 24. *q.* 3.

can.

can. notandum 37. poteſtque hæc *Si Deus voluerit, in correctionem ſaluberrimam cedere, atque proficere,* Auguſt. *de corrept. & grat. cap.* 15.

Et quoniam cenſuræ metu, multi ſibi à vitiis temperant, viri boni officium præſtant, quæ hominem dedecent,& in quæ vltro, iſto non caſtigati religioſo metu ruerent, magna cautela prouidentiaque vitant, eamobrem appellatur *neruus diſciplinæ Chriſtianæ, mucro cœleſtis, ſeparatio à Chriſti corpore* Cyprian. *de orat. Dominica num.* 51. Auguſt. *ſerm.* 11. *de Verbis Domini,* Origen. *in Leuitic. homil.* 14. *medicina non mortalis diſciplinans non eradicans,* Innoc. IV. in Concil. Lugdun.

Sic autem vocatur, *quia à communione corporis & ſanguinis Domini notatum prohibet* 11. q. 3. *can. ad menſam* 24. *parag. hæc ſententia,* præterea à communicatione fidelium,& Sacramentorum, quo ab effectu vocatur, ἀκοινωνησία excommunicatus autem ἀκοινώνητος *can.* 10. *Apoſt. & can.* 32. Eſt & alia cenſuræ nomenclatura vſitata Patribus, nam eam ab iis appellatam video vinculorum nomine, *Si haberes,* inquit Greg. Nyſſenus *in capite oculos apud animæ eſſentiam, oſtendiſſem tibi ſegregationem & habitum, cuius collum premitur grauiſſimis vinculis. Nos quidem* (ſubiicit Chryſoſt. ad pop. Antioch. hom. 76.) *primum ne trahamur in neceſſitatem optamus, quod ſi venerimus, noſtrum implemus officium, vincula iniicimus.*

His expreſſa nominibus excommunicatio definitur *cenſura Eccleſiaſtica qua Chriſtianus parum Eccleſiæ obſequens, ſacris arcetur fideliumq; congreſſu.* Perſpicuitatis maioris cauſa, dicunt alii, *cenſurã eſſe ſententiã, à canone prolatam, aut iudice Eccleſiaſtico, quâ homo Chriſtianus, bonis fidelium communibus excluditur, hoc eſt Sacramentis, publicis Eccleſiæ, votis, ſuffragiis, ac precibus, & congreſſu demum, colloquioque cum Chriſti plebe mutuo,* quæ tria, bona dicuntur eſſe Chriſtianorum communia, iiſque priuari, in quos Eccleſia gladium ſtringit, fulminaque ſua euibrat.

Vt eſt tamen in culpis quas conſcire poteſt humana mortalitas, magna varietas, ita eſt & in cẽſuris, facultatis ac virium in repetenda de iis pœna, par ferè diuerſitati inæqualitas. Excommunicatio, cui nomen eſt minoris, earum rerum partem alteram duntaxat, homini adimit, maior omnes, rem ipſam excommunicationis diſtributio, planam faciet.

At enim parẽtis eſt, (inquies) quẽ liberorũ amor, curaque ſollicitat eos blãditiis cogere ad officium, odioſa eſt omnis cum ſeueritate coniuncta caſtigatio, *debemus amando corripere non nocendi auiditate,* Auguſt. *ſerm.* 16. *in Mat-*

A *thæum ſuper hæc ſi peccauerit in te frater,* quod eſt Pauli admonitum ad Roman. 14. *Infirmum in fide ſuſcipite, non in diſceptationibus cogitationum, ſuſcipere* enim, fouere eſt, *Dominus ſuſceptor meus* id eſt adiutor, & ad Galat. 6. *Fratres & ſi præoccupatus fuerit,* hoc eſt præuentus fuerit, *homo in aliquo delicto, vos qui ſpiritales eſtis, inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis,* id eſt blande, leniter, cum affectu, qualem reperiri in excommunicante non eſt facile, cum pœna omnium maxima peccantem afficiat.

B Quid? quod malos, quod improbos, tolerare iubeamur? quod ferre eorum ingenium, parum docile rectique neſcium, dum matureſcit, prudentiæ ſit in politicis non vltimæ 24. *qu.* 4. *can. tu bonus* 2. *can. quid ergo, can. tolerandi primo.*

Ad hæc, tria habent Epiſcopi quæ reſpondeant. Primum pietatis eſſe, cenſura in nocentes animaduertere, cenſurarum vinculis eos ne præcipites in peccata porro ruant, reprimere. *Quid enim tam pium, quam medicus ferens ferramentum, plorat ſecandus, & ſecatur,*
C *plorat vrendus, & vritur. Non eſt illa crudelitas, abſit, vt ſæuitia medici dicatur, ſæuit in vulnus vt homo ſanetur, quia ſi vulnus palpatur, homo perditur.* Auguſt. *ſerm.* 15. *in Matthæum* quare *non omnis qui parcit amicus eſt, nec omnis qui verberat inimicus, meliora ſunt vulnera amici, quam voluntaria oſcula inimici, melius eſt cum ſeueritate diligere, quam cum lenitate decipere, vtilius eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus, iuſtitiam negligit, quam eſurienti panis frangitur, vt iniuſtitiæ, ſeductus acquieſcat, & qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat,*
D *ambobus moleſtus, ambos amat.* Auguſt. *epiſt.* 48. *ad Vincent.*

Secundo, reſpondent Epiſcopi, ad id ſe cogi, arma ſibi à reo porrigi, quibus vel inuiti eius peruicaciam tundant, frangant audaciam. *Nos quidem ad ſoluendum duntaxat vti poteſtate vellemus, quin imo nec huius neceſſitatem vellemus habere, nullum enim volumus apud nos captiuum eſſe: non ita miſeri ſumus & ærumnoſi, licet valde ſimus viles. Si verò coacti fuerimus, ignoſcite: non enim ſponte,*
E *vel volentes, ſed plus vobis dolentes ligatis iniicimus vincula.*

Addunt poſtremò, eſſe è re tam publica, quam priuata, in reorum contumaciam exemplum ſtatui, rebelles, ac Eccleſiæ legibus inobſequentes homines, cenſuris notari. Et quidem exigit id priuata rei vtilitas, ne porro peccare pergat, quæ enim eſt impunitate munita improbitas, tempore creſcit, non deficit, diſſimulata firmatur, correcta minuitur, vt enim *qui peccantẽ blãdimẽtis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat,*

nec comprimit delicta, sed nutrit, ita qui consiliis fortioribus redarguit, simul & astruit, fratrem promouet ad salutem. Imperitus est medicus, qui vulnerum tumentes sinus manu parcente contrectat, & in altis viscerum recessibus, virus inclusum dum seruat, exaggerat.

Nec est modo peccanti vtile, eum censura plecti, sed & Ecclesiæ, quæ magna haud dubiè in moribus detrimenta, dedecoraque breui ferret, si merita culpis suis supplicia nocens exiret, nec ferret, meum non est, sed Origenis iudicium *in Hierem. hom 9. Peccauit quispiam, & post peccatum postulat communionem, si ei conceditur quod rogat, in incommodum omnium, venia procedit, & laxatis frænis, sceleribus panditur via. Sin verò cum rationabili deliberatione, non vt misericors, nec rursum vt crudelis index, sed & quasi vni prouidens, & de omnium salute pertractans, considerauerit populi damnum in vnius venia, haud dubium est, quin faciat eiici vnum de Ecclesia, vt multos saluet incolumes.*

Sunt in eandem sententiam scripti hi canones, *canon duo ista nomina trigesimus quintus causæ 23. q. 4. can. qui peccat, c. si Ecclesia ca. quæsitum c. si quos igitur, c. si non parag. breuiter cum sequentibus vsque ad can. debet homo, eiusd. q. & causæ,* est ergo intentandæ censuræ contra reum, eiusque puniendi per censuram, iusta superiori causa.

CAP. II.

Exponitur quotuplex sit excommunicatio.

Diuiditur ergo excommunicatio primo, in eam quæ est à iure, seu canone, & aliam quæ irrogatur ab homine.

Secundo, in eam quæ fit à Christi corpore, & eam quæ est à communione fidelium: vtraque explicatur his verbis: *Hæc sententia excõmunicatiò vocatur, quia à communione corporis & sanguinis Christi notatum prohibet, sicut & Adam, ab esu ligni vitæ, excommunicatus est: est & alia sententia, quæ anathema vocatur, qua quisque separatur à consortio fidelium, de qua supra cum excommunicatis nolite communicare 11. q. 3. can. 24. parag. hæc sententia.*

Tertio diuiditur in maiorem & minorem, maiore priuatur homo Sacramentis, Ecclesiæ communibus suffragiis, & communicatione fidelium. Minore autem, sola Sacramentornm administratione passiua, & potestate recipiẽdi beneficii, aut officii Ecclesiastici *cap. si celebrat. vltimo de Clerico excom. ministrante.*

Maior est rursus duplex, comminatoria, & ipso iure, factoque subeunda. Iure incur-

A ritur, quando per canonem, statutum, aut constitutionem infligitur, aut infligi præcipitur. Si primum, dicitur ipso facto incurri, si alterum, quia nihil præter minas complectitur, comminatoria est non facti. Priore dicuntur homines separari ab Ecclesia *can. certum nono causæ 24. q. 3.* eiici de eius castris, *canone 7. eiusd. qu. & causæ,* tradi satanæ ab Hieron. *hom. 2. in lib. Iudicum,* quod maxime contingit, *cum delictum rei manifestum sit Ecclesiæ, & per Sacerdotes de Ecclesia hic pellitur, vt notatus ab omnibus erubescat, & conuerso*

B *conueniat illi illud, quod sequitur vt spiritus saluus fiat in die Domini Iesu Christi 11. q. 3. can. 21.* qui ex Hieronym. est desumptus homil. citata.

CAP. III.

Quibus indiciis cognoscatur, quæ excommunicatio sit latæ sententiæ, quæ ferendæ.

C QVæ autem excommunicatio latæ sit sententiæ, quæ ferendæ, his argumentis ac notis internoscitur.

Prima, si lex seu constitutio, aut decretum, in imponenda excommunicationis sententia, vtatur verbo futuri temporis *Excommunicabitur* comminatoria est, ac ferendæ sententię.

Secunda, vox imperatiui *modi,* legi aut sententiæ addita, excommunicetur, priuetur sacris, interdicatur, excommunicationem ac interdictum in peccati pœnam inferendum sonat, illatum neutiquam.

D Tertia hæc verba. *Sub interminatione anathematis, cadat omni iure suo. Subiiciatur, habeatur pro excommunicato excommunicationem se incursurum nouerit,* secum trahunt sententiam ferendam non latam, *Sebastianus Medicis in summa peccatorum capitalium q. 42.*

quarta, quoties lex quæ pœna afficit, comminationem pœnæ iniicit, sententiam ferendam continet: verba autem minas intentantia sunt *sub pœna excommunicationis, prohibemus, sub anathemate, præcipio sub excommunicatione, aut eius interminatione.*

E Latam autem sententiam ostendunt primo, verba indicatiui modi, aut præteriti, quę pœnam irrogant, aut irrogatam declarant, *vt excommunico, subiaceat, ipso facto excommunicationem incurrat, excommunicatum censemus, alioqui excommunicatum te nouens.*

Secundo, latam quoque sententiam declarant, aduerbia quædam sententiæ addita, quæ moram temporis omnem excludunt, *vt statim continuò,* aut interpretationem sententiæ *Omnino, penitus, prorsus, omnibus modis,*

his

his enim iudex significat nolle se pœnam differri aut prorogari in crastinum, aut mentem suam alio trahi quam verba denotant.

Tertio cum constitutio aut lex verba complectitur, quibus vtuntur Concilia, cum aliquem de hæresi damnant, iudex hoc ipso, eum in quem dicit sententiam, ab Ecclesia eiusque bonis segregat: eiusmodi sunt, *sit anathema maranatha, pars ei nulla sit in Ecclesia Christi, sit Sanctorum hostis, sit excommunicatus*, quia tum legis suæ ac verborum quibus conflatur, iudex eundem esse vult sensum, qui est Ecclesiæ ac Conciliorum, cum quempiam male de religione fideque sentientem, vti putre membrum, de corpore suo flammis vrendum sempiternis exsecat, at hæreticos Concilia, Ecclesiaque, illico ac in eos est dicta sententia, in hostium loco habent, quare à sacris religionis Catholicæ extorres, ac alienos, à suo procul sinu pulsos eiicit, ac remouet: ergo, &c.

Confirm. verbum *sit* additum participio indicatiui modi, rem ex vsu communi, perfectam esse commonstrat, at esse talis nequit, nisi ratione sententię quæ sit lata, ergo sicut verbum *Est* coniunctum huic participio *excommunicatus*, excommunicationem inflictam denotat, ita & voci *sit*, copulatæ eidem participio, notio suberit eadem, itaque non ferendæ, sed latæ sententiæ nota certa futura erit, ac pœnæ iam irrogatæ quædam veluti tessera.

CAP. IV.

Explicantur diuisiones excommunicationis.

NEque his se terminis excommunicatio continet.

Diuiditur enim præterea in generalem & particularem, iustam & iniustam. Generalis est, quæ personam non notat, hominem non designat, quem ab Ecclesia extorrem faciat, sed ad omnes se porrigit, quos temeritas, & audacia, violatę legis reos constituent, cuius causa censura a iudice prodit, eius generis sunt sequentes *Si quis cognitis gestis Niceni concilij (de ordinandis Clericis) aliud quam statutum est facere prę sumpserit, & non in eo perseuerandum putauerit: hic excommunicatus habeatur, nisi per correctionem fratrum emendauerit errorem*. Toletan. 1. in principio. *Quisquis Pontificum, aut sanguine propinquis, aut fauore personis quibuscunque sibi deuinctis talia commendare lucra (Ecclesiarum & Monasteriorum) tentauerit, quod fecerit, in irritum deuocetur, & qui ordinauit, annuæ excommunicationi subiaceat*. Toletan. 10. can. 3.

A Particularis excommunicatio est ea, quæ in certum promulgatur hominem, ob culpam, cuius est, fama conuictus aut testibus, eiusmodi est quam Innoc. II. Abaillardo inflictam voluit, in epistola ad Samsonem Rhemens. Archiepiscop. *Petri Abaillardi peruersa dogmata, sanctorum canonum auctoritate, cum suo auctore damnamus, si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit vxorē, anathema sit*, Greg. *in Concil. Rom. can. 9.*

Iusta est, quam æquitas causæ, circunstantiæque cæterę fulciunt, à quibus iudicium
B laudem habet ac meritum.

Iniusta est, quam odium, ira, aut cupiditas à iudice, contra insontem præter fas extorsit, cuiusmodi Patres improbant, irritamque esse narrant, *& idcirco à Synodo retractandam* aiunt, *Concil. Carthag. 4. can.* 28. aut diiudicādam, vt est in *Concil. Vernis can. 9.* quod quoniam ad Episcopi dignitatem non facit, ne his se animi morbis occupari ad æternam nominis sui infamiam sinat, admonent Leo & Innoc. III. ille *in epist.* 87. *ad Episcopos Vienn. prouinciæ*, hic in Concil. Lateranensi
C *can.* 49. Prioris sunt hæc verba. *Nulli Christianorum facile communio denegetur, nec ad indignantis sit hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus vltionem, inuitus & dolens, debet inferre animus vindicantis*, quare ne quando iræ fræna laxari ac odio, fas sibi Ecclesiastici iudices crederēt, faciendum sibi pro cætera sua prouidētia cum censeret Innoc. III. hæc inserenda de Episcoporum consilio actis Synodi Lateran. voluit in *can.* 87. *Sub intermi-*
D *natione diuini iudicii penitus interdicimus, vt causa cupiditatis nullus audeat excommunicationis vinculo vllum innodare.*

Sententia rursus iniusta diuiditur in validam & irritam. Irritæ vis est nulla, quare nō necessario vlla ei adhibenda est veneratio. Valida, iniusta tamen, contemni nequit, ei obsequi palam quisque, & in omnium oculis debet, ne imperitæ plebi, querelæ ac scandali causam præbeat. *Habet tamen potestatem is qui abiectus est, vt Episcopos finitimos interpellet, & causa eius audiatur, ac diligentius tractetur, quia non oportet ei audientiam negari roganti, & ille Episcopus qui iustè aut iniustè*
E *eum eiecit, patienter accipiat, vt negotium discutiatur, vel probetur sententia eius à pluribus, vel emendetur. Tamen priusquam omnia diligenter, & fideliter examinentur, eum qui fuerit à communione separatus, ante cognitionem, nullus alius debet præsumere, vt communioni societ, Concil. Sardic. can. 17. Concilium apud Palatium Vernis habitum, can. 9. excommunicatus licentiam habet venire ad Metropolitanum, & ibidē secūdum canonicā institutionem diiudicetur interim suam excommunicationem custodiat.*

CAP. V.

Explicantur modi quibus sententia est iniusta.

ERit autem sententia iniusta, valida tamen, si eam non pietas, non æquitas, non iuris reddendi, aut officii præstandi studium ac voluntas expresserint, sed odium, ira, cupiditas ac auaritia, & quidem *gretiæ* meminere Concilia Agathense *can.* 3. *Vormac.can.* 14. *Iræ* Leo epist. 87. ad Episcopos Viennensis prouinciæ. *Cupiditatis & auaritiæ*, Innoc. III. *can.* 49. Concil. Lateran. *Ita fit interdum, vt aliqui non recto iudicio eorum qui præsunt, Ecclesia pellantur & foras mittantur*, Orig. *in Leuitic.hom.*14.

Est etiam iniusta, cum eius promulgandæ causa non est sufficiens ac idonea, quod quale sit, & quam Christiano præsule indignum, est in Concilio habito in Germania sub Conrado Cardinali *can.* 4. his verbis: *Quantæ temeritatis & præsumptionis existat, quod qui seruare debent canonicas sanctiones, in quibus aperte continetur, quod nullus aliquem sine rationabili causa excommunicare præsumat, eas frangere non formidant, pluresnon amore iustitiæ, sed liuore odii, vel fauore aduersariorum, excommunicationis vinculo innodantes, nullus ignorat.*

Estque tùm excommunicato insonti, magno ferenda animo sententia, quæ in eum lata erit, *nec desperare debet, nec se otio, & desidiæ tradere, sed bonis operibus nitens, mille viis ad Ecclesiam reuerti, satagere, debet*, Hieronym. *in cap.* Hier. 29. quare quod olim, idem excommunicatis, hoc quoque tempore dictum esse credere conuenit, *Si forsan ob aliquod peccatum, de congregatione fratrum, & de domo Dei eiicimur, reluctari non debemus, sed æquo animo, latam in nos ferre sententiam, & dicere cum Propheta. Iram domini sustinebo, quoniam peccaui ei, donec iustificet causam meam*, Hieron. *in Ezech. cap.* 17. Læso fas tamen appellare ad Archiepiscopum *Concil. apud Palatium Vernis habitum can.* 9. & in Nicæno *can.* 5. Aquisgranensi sub Ludouico Imper. 1. anno 816. *can.* 42. iubentur Pôtifices quotannis inquirere in Conciliis quæ bis quolibet anno in Diœcesibus singulis fieri oportebat, *an pusillanimitate aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio, aliquis sit à Congregatione seclusus.*

Hoc tamen differt excommunicatio, quę iusta nulla causa nititur, ab ea cui initium est ab odio vel ira, quod ista effectus omnes veræ censuræ in eo producat, quem afficit, alia non item, itaque vt vim illa, momen-
A tumque habet in vtroque foro, ita ei obsequi singulos est necesse, quod de ea similiter dici nequit, quæ leui de causa, aut verius nulla, est in insontem lata, huic enim parere nihil est necesse in foro conscientiæ, vt cum ratio ipsa tùm Gregor. paucula hæc verba, petita ex *ep.* 24. *l.* 2. indictione 10. indicant, *Comperimus quod Laurentius quondam frater, & Coepiscopus noster, nullis te culpis extantibus, communione priuauerit, ideoque huius præcepti nostri auctoritate munitus, officium tuum securus perage, & communionem sume sine aliqua formidine.*
B
Quisquis tamen est eiusmodi, vt conscientiæ bonitate fretus, in se censura dignum residere nihil pro certo habeat, seque proinde iniuste, nec sine excommunicantis crimine, piorum numero motum esse, etsi non sit Deo, superisque tali sententia iniusus, publice tamen debet se pro excommunicato gerere, diuinis abstinere, hominum oculos, commerciaque vitare, ratione scandali, quod ex horum vsu operum in minutæ plebis cieretur animis.

C Quod si secus facere animum induceret, eo quod nullius se conscientia sceleris teneri, iniustamque proinde scit esse dictam in se sententiam, in foro conscientię irregularis non foret, nec acta per illum essent nulla, secus in externo Auila 2. *par.ca.*6. *dub.* 2. & 3. *Si quis enim non recto iudicio eorum qui præsunt Ecclesiæ depellatur, & foras mittatur, si non ita egit, vt mereatur exire, nihil læditur ab eo, quod non recto iudicio ab hominibus videatur expulsus*, Origen. in Leuitic. homil. 14. *& ita fit interdum, vt ille qui foras mittitur, intus sit,*
D *& ille foris, qui intus retineri videtur*, Origen. ibi.

Et *ideo habet potestatem is qui abiectus est* ἐπὶ τὸν ἐπίσκοπον τῆς μητροπόλεως τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας καταφυγεῖν, *confugiendi, ad Episcopum Metropolis eiusdem prouinciæ, vt causa eius audiatur, & diligentius tractetur*, οὐ χρὴ γὰρ μὴ ὑπέχειν τὰς ἀκοὰς ἀξιοῦσιν, *nec enim decet aures non præbere postulantibus* Concil. Sardic. *can.* 17. Quare si erat Episcopus in culpa, si iniqua eius sententia, iubebatur eam reuocare, de quo est salubre August. admonitum *ad*
E *Auxilium Episcopum epist.* 75. aut vero à Metropolitano, vel Episcopis reddebatur inanis, ac nulla, quod quia non poterat ei non videri graue, hortantur eum Patres in Sardicensi Concil. *can.* 17. *patienter accipere, vt negotium discutiatur, vt vel probetur a pluribus sententia eius, vel emendetur*, ἢ κυρωθῇ αὐτοῦ ἡ ἀπόφασις ἢ διορθώσεως τύχῃ, quanquam acerbius in eiusmodi Episc. labentibus annis sæuitû esse video nã in Conc. Paris. vt refertur 24. *q.* 3. *can. de illicita* 6. pari cum excommu-

nicato à se, pręter fas legesque canonum, pœna iubetur affici. *Qui non legitimè excommunicauerit, in tantum abstineat à sacra communione tempus, quantum maiori Sacerdoti visum fuerit, vt quod iniustè fecerit, ipse iustè patiatur, & hinc S. Gregor. ad Ioannem Episcopum, iniustè excommunicantem inter cætera scribit, dicens, cassatis prius, atque in nihilum redactis prędictæ tuæ sententiæ decretis, ex beati Petri principis Apostolorum auctoritate decernimus, triginta dierum spatio, te sacra communione priuatum, ab omnipotenti Deo, tanti excessus veniam, cum summa pœnitentia, ac lachrymis exorare.*

Longius est progressus Innoc. eius nominis III. nam in decretali sacro 48. *de sent. excomm.* sanxit *vt cum aduersus excommunicatorem de iniusta excommunicatione constiterit, excommunicator condemnetur ad interesse excommunicato, alias nihil (si culpæ qualitas postulauerit) superioris arbitrio puniendus, cum non leuis sit culpa, tantam infligere pœnam insonti.*

CAPVT VI.

Explicantur causæ aliæ ob quas sententia iniusta dicitur.

Est præterea, iniusta sententia, si percellat innocentem, *cœpisti*, inquit August. *serm. 16. de verbis Domini, habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra, sed vt iustè alliges vide, nam iniusta vincula disrumpit iustitia*, & in Psalm. 36. concione 3. relatus in *can. 53. causæ vndecimæ qu. 3. Si ad tempus damnaris ab homine, & dixit sententiam Proconsul in Cyprianum, alia est sella terrena, aliud tribunal cœlorum: ab inferiore accepit sententiam, à superiore coronam.*

Hocque ipsum est, quod summarum scriptores aiunt, sententiam quæ intolerabilem errorem continet, quo nec maior vllus esse, nec peior potest, quam cum innocens virgis Ecclesiæ vapulat, iniustam esse: Deinde est iniusta, cum pro leuibus peccatis est inflicta, par enim esse pœnæ culpa debet, leuis quæpiam, acri si plectitur, æquitas in iudicando non tenetur, quare id operam dare debet Episcopus, *ne quemquam rectè fidei hominem, pro paruis, & leuibus causis à communione suspendat*, Concil. Aurelan. *5. can. 2. Vormaciense can. 13. Quod si Sacerdotali moderatione postposita, innocẽtes aut minimis causis culpabiles, excommunicare præsumpserit, aut ad gratiam festinans recipere noluerit, à vicinis Episcopis cuiuslibet prouinciæ moneatur, & si parere noluerit, communio illis, vsque ad tempus Synodi à reliquis Episcopis non denegetur*, ita præcipiunt Concil. Agathense *can. 2.* Quare Nicænum *can. 5.* in-

A quiri iubet in Synodo, *an quis pusillanimitate, indignatione aut contentione, aut alio quopiam Episcopi vitio videatur quis à congregatione seclusus*, vt pœnas non cohibiti animi, iræque non repressæ, luat.

Tertio excommunicatio est iniusta, si feratur à non habente auctoritatem *cap. nullus 3, de Parochiis, nam qui ordinare excommunicatum non potest, nec iudicare potest*, Adrian. Papa ibi, ob eam causam excommunicatus, suspensus & interdictus, qui nominatim sunt denunciati, excommunicare nequeunt, eo quod iure canonum, vsu sint iurisdictionis in
B suos subditos priuati, colligitur ex *can. nos Sanctorum 15. q. 6.* vbi dicitur. *Nos Sanctorum prædecessorum nostrorum, statuta tenentes, eos, qui excommunicatis fidelitate aut Sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate à iuramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent omnibus modis prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant*, sunt enim extra Ecclesiam, quàm ergo parum est simile vero, alios ex ea posse ab illis eiici? vinctique cum
C sint alios ab iis vinciri posse, quare *constitutiones & sententiæ, quæ ab excõmunicatis huiusmodi, vel de eorum mandato fuerint promulgatæ, inanes & irritæ habeantur, nullo vnquam tempore*, Innoc. III. in Concil. Later. *can. 46.* idem habet *Carthagin. Concil. 3. can. 21.*

Sane si vt est in citato canone, eos iurisdictione carere, aut eam non habere liberam, sed suspensam voluit Ecclesia: eis obsequi nõ tenentur subditi, quicquid ergo hi statuent, quicquid fieri iubebunt, ac volent vt iudices: firmum non erit, stabilitatis parum aut nihil, ei pro certo inerit.

D Dixi si sunt *denunciati*, nam à temporibus Constantiensis Concil. sunt excommunicati tolerati, acta omnia rata, sententia valida, quandiu nõ est hic, è superiori loco denunciatus de nomine, docent Nauar. *ca. 27. num. 7.* Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 1.* Henriqu. *de excommunicat. cap. 7.* Lessius *lib. 2. ca. 29. dub. 7. num. 57.*

Ratio est, quod in eo Concilio, liberam Christianis omnibus facultatem esse velit Ecclesia, res negotiaque habendi cum excommunicatis, quorum ipsa congressus,
E commerciaque, subditis sibi gẽtibus non interdixit de nomine, voluit ergo iudicum acta publica, quos ipsa censura notasset, non tamen publice promulgasset, rata esse, alioqui cur concederet, vt ad eos cuique iuris obtinendi causa ire liceat? cur eosdem de rebus maximis consuli sinit? cur ab iis ad beneficia, legitimo patrono offerri? cur eorundem collationes exigi? si tales eorum actus sunt inualidi? noxia sane esset eiusmodi concessio, cum in multorum perniciem

cederet. Videtur ergo Ecclesia, dum in prædicto Concilio, veterum est canonum moderata rigorem, circa communionem cum excommunicatis, tacite etiam sustulisse suspensionem iurisdictionis, quam olim excommunicatio continebat hæc Lessius.

Olim dixi nam ante Concilium, quæcunque occulti excommunicati gerebant, minimè valuisse, defendunt plurimi, fuit hæc quidem Diu. Thom sententia *in* 4. *dist.* 18. *art.*2.*q.*2. Paludani *in* 4.*dist.*17.*q.*6.*art.*3. quam videtur Alexand. II. 24.*q.*1. *can. audiuimus* 4. *Audiuimus*, inquit, *quod Henricus Rauennas dictus Archiepiscopus, visus sit te excommunicare, verum quia excommunicatus, te excommunicare non potuit, Apostolica auctoritate, te tuosque absoluendo mandamus exinde non curare*, notanda verba, quæ absolute pronunciata, & sine adiectione à Pontifice, indicant manare ex natura huius censuræ, vt qui ei est obnoxius, eidem alterum subiicere nequeat nisi hunc eius effectum Ecclesia impedierit.

Quarto excommunicatio est iniusta, quando fertur contra excommunicati priuilegia, quali gaudent Rex & Regina Galliæ respectu Episcopi proprii, Religiosi Mendicantes, cęterique cum quibus sua priuilegia de Romani Pontif. beneficentia communicant. His enim indultum legimus Regi quidem & Reginæ ab Alexand. IV. Nicolao III. Martino III. Gregor. VIII. IX. X. & XI. Clemente IV. Vrbano V. vt ab Episcoporum censuris immunes, eisdem per eos subiici non possent: vt referunt Maynardus *in lib.*4.*quæstion. cap.*100. *num.* 23, Bleyanus *in Theoria tract. de maioribus & minorib. beneficiis.*

Minoritis idem à Nicolao IV. concessum esse, nisi in causis, in quibus à Papa, vel à iure iudices delegati constituuntur, est *in cæremoniali Bibliothecæ Vaticanæ, & apud Portelium verbo excommunicatio num.* 3. *in Compendio autem Societatis Iesu titulo excommuuicatio parag.*5. quod supradictos Regulares excómunicatio per Legatum à latere vniuerse, ac generaliter lata (vt loquuntur) non capiat, nisi id illa specifice exprimat.

Tria tamen sunt tempora, in quibus per censuras ab Episcopo, regulares ad officium cogi posse, dixere magni Theologi.

Primum habetur in Trident. *sess.* 25. *cap.* 15. vbi Patres in Episcoperum iure esse aiunt, *per censuras Ecclesiasticas, si sit opus, compellere*, qui cœnobiis præsunt vt Nouitiis tam masculis, quam fœminis, ante professionēm remigrantibus ad sæculum, restituant quid quid ipsi, aut eorum nomine consanguinei,

A in Monasterium intulerant.

Secundum est, cum de clausura monialium agitur, nam si quæ illarum Episcopo eam restituere meditanti, obsequi noluerint, *inobedientes atque contradicentes per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita, compescere iubentur sess.* 25. *cap.*5.

Tertium, sacrosanctum spectat Missæ sacrificium, ad cuius honorem, cultumque quia pertinet, nó in priuatis illud domibus aut extra Ecclesiam fieri, vult sacrosancta Synodus,
B Episcopi ius vt habeant, vetandi regularibus, ne ibi faciant.

In summa, quæcunque ad decentem Missæ celebrationē faciunt, hæc pro auctoritate Episcopis vult Cóc. esse permissa, sic vt tanquam *delegati sedis Apostolicæ ea prohibeant, mandent, corigant, statuant, atque ad ea inuiolate seruanda censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant, nonobstantibus priuilegiis, exemptionibus, &c*, Trident. *sess.* 22. *cap. de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ.*

In aliis casibus in quibus Regulares iuris-
C dictioni Episcoporum subduntur, & tamen propter eorum priuilegia suspendi, excommunicari, aut interdici nequeunt, aliis pœnis puniri possunt, vt notant hi auctores Felinus *in cap. dilectus de officio ordinarii*, Portelius *in dubiis regularib. verbo Episcopo*, Piascecius *in praxi part.* 2. *cap.*3.*n.*58. quo tamen hic loco existimat, Regulares excommunicari, suspendi, & interdici posse in casibus, quibus ex ordinatione Concil. subduntur iurisdictioni Episcoporum, etsi priuilegia illi contraria habeant, quod hæc ab eodem
D Concilio sint sublata, vt patet ex verbis proxime citatis *cap.* 22. *cap. de obseruandis &c.* & *sess.* 25. *cap. vltimo de Regularibus*, sed pace eius sit dictum, nihil regularibus de priuilegiis suis per Concilium deperisse cum ab eo est certum tempore, ea Pontifices omnes renouanda sibi duxerint.

Sexto, excommunicatio est iniusta, cum fertur post interpositā appellationem legitimā: facta post excómunicationem iam latam, effectum eius nó suspendit, *Si aliquis reclamauerit quod iniuste sit excommunicatus, licen-*
E *tiam habet ad Metropolitanum venire, interim suam excommunicationem custodiat*, Concil. Vernis habitum *canone* 9.

Vltimo est iniusta cum prætermisso iuris ordine intentatur, vt si infligitur non præmissa monitione triplici, Innoc. IV. *in cap.* 5. *Romanæ* 5. *de sent. excomm. in* 6. quoquo tamen modo lata semper est timenda,

Ac si indiscretè, inquit apud S. Fulbertum *epist.* 116. Turonensis Archiepiscopus ten-

bens

bens ad quendã præsulem, *ac si sine causa temerariam in te, quod absit, excommunicationem intorsissem, sustinere tamen iudicium tui pastoris, & à sacra celebratione cessare debuisti quod quia non fecisti, & consultrice superbia tui magistri, interdicta parui pendisti, prudens te in voraginem excommunicationis præcipitasti, accipe quid super hoc B. Gregor. dicat. Vtrum iuste, an iniuste, obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subiectus est, & cum iniustè forte ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscrete timeat, vel ligare, is autem qui sub manu pastoris est, ligari metuat vel iniuste, nec pastoris sui iudicium reprehendat, ne etsi iniuste ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat.*

CAPVT VI.

Quando excommunicatio irrita sit ac nulla.

NVlla autem est, & inualida excom. primo si qui eam tulit, iurisdictione caruit, aut eam impeditam per censuram excommun. suspensionis aut interdicti habuit, vel suspensam per appellationem legitimam, quæ fuit interposita ante sententiam absolute latam Innoc. IV. *cap. solet 2. de sent. excommun. in 6.* Alexand. III. *cap. 1. de appellationib.*

Dixi *ante sententiam*, quia quæ illam sequitur eius effectum non suspendit aut impedit, & *sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per appellationem sequentem minime suspenduntur*, Bonif. VIII. *in c. is cui 20. de sent. exco. in 6.*

Causa est, quod *excommunicatio executionem secum trahat*, cum est valida *cap. pastoralis 53. de appellat.* quare appellans post eam, nonobstante appellatione denunciari poterit, Innoc. III. *in c. pastoralis parag. verum quis de appellat.* quia *excommunicatus per denuntiationem amplius non ligatur*, ibid. nihil est ergo causæ quamobrem excommunicatus ante appellationem, post eam denunciari non valeat vt euitetur.

Secundo, inualida est, nullaque excommunicatio, cum est irrogata sine causa, eaque rationabili, ac iusta, Innocent. III. sunt hæc verba *in cap. 47. Concil. Lateran. Caueat diligenter, ne ad excommunicationem cuiusquam absque manifesta & rationabili causa procedat, ad quam si forte taliter processerit, & requisitus humiliter processum huiusmodi non curauerit absque grauamine reuocare, grauatus apud superiorem deponat, de iniusta excommunicatione querelam, & ipse per se, vel per aliũ, prout viderit expedire, sufficienti cautione recepta, munus ei absolutionis impendat. Cumque aduersus excommunicatorem de iniusta excommunicatione constiterit, excommunicator condemnetur excommunicato ad interesse.*

Equidem pro paruis ac leuibus causis aliquem à communione suspendere prohibentur Episcopi *in Concil. Aurelian. 5. cap. 2. Vormaciens. can. 23.* quod non oporteat. *animam pro qua Christi sanguis effusus est, irrogatione tam sæui supplicii sauciatam, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine, diabolicis incursibus, vt capiatur, obiici*, Leo *epist. ad Episcop. Vien. prouinciæ.*

Causa est, quod inter culpam & pœnam, intercedere similitudo quædam in grauitate debeat, excommunicationi autem cum culpa leui, quodnam esse potest commune vinculum? Est illa natura sua, seueritatis ac molestiæ plenissima: nã quid homini cõtingere potest in vita acerbius, quàm luce ac suauissimo homninum congressu, alloquioque priuari? aut quid funestius, quam à Sacramentorum lætis, ac abundantibus pascuis, famelicum animum reiici? quam ergo facit ad insitam Ecclesiæ benignitatem parum, quam ad Antistitum admirabilem prudentiam, pro re, quæ in infinita naturæ nostræ infirmitate, vix est culpanda, canonum ac pœnarum, quas reconditas habent multiplices ac varias, seueritatem expromere? *Causæ ergo pensandæ sunt, & tum ligandi atque soluendi potestas exercenda*, Gregor. *homil. 26. in Euang. Ioann.*

Ac si aliquando casus ferat innocentem notari, à Christianorum turba, vt morbidum pecus secludi, ab Episcopo de Ecclesiæ sinu per censuram extrahi, etsi hæc illum caritate, cæterisque beatorum opibus, quas è cœlo in bene præparatum pectus, vis diuina infundit, minime spoliet, publice tamen, quandiu erit opinione hominum, hostis Ecclesiæ, quandiu erit eius Sacramentis ac suffragiis orbatus, nec illa obire, nec ista expetere aut communibus interesse precibus in templo poterit, *Sub magno ergo moderamine pastores Ecclesiæ, vel soluere studeant, vel ligare, sed vtrum iuste vel iniuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est*, Gregor. *homil. 26. in Ioan.*

Ne tamen Episcopi peccent, cum excommunicant, id laborare eos est necesse, ne id faciant nisi canonice, hoc est obseruatis legibus, quæ iure sunt canonum excommunicanti præstitutæ.

Primo itaque *quisquis excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat oportet, & causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio profertur*, Innoc.

IV. *cap. cum medicinalis* 1. *de sentent. excomm. in* 6.

Secundo, *Exemplum huiusmodi scripturæ tenetur excommunicato tradere intra mensem, si fuerit requisitus* ibi.

Tertio, super hac requisitione, publicum quoque instrumentum facere debet, seu literas testimoniales, sigillo authentico consignatas ibid.

Quarto, cauere debent Episcopi, *ne sententias excommunicationis siue specialiter, siue generaliter in aliquos pro futuris culpis, videlicet si tale quidpiam fecerunt, vel etiam pro iam commissis, sub hac forma, si de illis intra tale tempus minimè satisfecerint, proferre præsumant cap. Romana* 5. *de sent. in* 6.

Quinto, sacro approbante Concilio decreuit Innoc. III. in Concil. Lateran. *can.* 47. *ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti commonitione præmissa, & præsentibus idoneis personis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat*, statuêre idem Innoc. IV. *in cap. Roman.* 5. *de sent. in* 6. Alexand. III. *in Lateran. Concil. can.* 6. Symmachus *in Synodo Rom.* 6. Meldense Concil. *can.* 56. legendi ea de re canones, *reprehensibilis* 26. *can. cum speciali* 61. *de appellationibus.*

Trina autem communiter monitio esse hæc debet, eaque dierum aliquot interuallis interpositis fieri, vel vna pro tribus: Greg. X. *in cap. constitutionem* 9. *de sent. excomm. in* 6. & quanquam vna quæpiam ad valorem excommunicationis necessario præmitti debeat, quando est hæc ab homine, non tamen trina, præterquam si Episcopus, aut alius Prælatus sententiam excommunicationis in eos dicat, qui cum excommunicatis participant, *ea communicatione, quæ minorem tantum excommunicationem iure inducit*, nam hæc, in eo casu rata non est ac valida, nisi excommunicandi nominatim, & canonice hoc est præmissa monitione triplici, admoneantur officii: *Declarantes decernimus, ita demum monitionem canonicam in hoc casu, si aliis ritè seruatis, eos qui monentur, exprimat nominatim, statuimus quoque, vt inter monitiones quas (vt canonice promulgetur excommunicationis sententia,) statuunt iura præmitti, iudices sine monitionibus tribus vetantur, siue vna pro omnibus, obseruent aliquorum dierum competentia interualla, nisi facti necessitas, aliter ea suaserit moderanda* Gregor. X. *in Concilio Lugdun. relatus in* 6. *decretal. tit.* 11. *cap.* 9. *in* 6.

Qui secus facit, formamque iudicii in excommunicatione ferenda præscriptam, in supradictis canonibus prætermittit sine iusta causa, vno mense ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis suspensus manet, vt habetur

A *in ca. cum medicinalis primo de sentent excomm. in* 6. *& extra cap. sacro approbante* 48. *eiusd. tituli.*

Est tamen eius sententia rata & valida, quia defectus qui in ea interuenit ob non seruatam formam, quæ *in cap. sacro* 48. *extra de sententia excommunicat. & in* 6. *eod. titulo cap. Romana, cap. constitutionem nono*, postulatur accidentalis tantum est Laym. *lib.* 1 *tra.* 5. *part.* 1. *cap.* 6. *num*, 1. *de censuris in genere*, Suar. *de censur. disp.* 2. *sect.* 12.

B Statuisse tamen Patres, qui B. Francisci de obseruantia (vt aiunt) disciplinam profitentur in Hispania: auctor est Portelius *in dubiis regularib. verbo excommunicare n.* 1. excommunicatio inanis vt esset, ac irrita, sine scriptis lata, quod de ea duntaxat capiendum esse, quæ est per modum ordinationis, ac statuti permanentis, scribit Rodrig. *to.* 2. *q.* 59. *art.* 3. Dicta in particularem, hunc aut illum V.C. hominem, absque scriptis, rata est, nec pœnas iuris, id est, suspensionem ab ingressu Ecclesiæ ad mensem, adiunctam habet Portelius supra, & *verbo suspensio num.* 9. Auila & alii, quorum est hæc opinio, satis esse ad

C præstationem officii, si Episcopus aut quilibet Superior, subditum suum contumacem ac immorigerum, verbo tantum, oreque tenus, censura notet, scriptis non est opus nisi ad vitandum mortale, sine illis, excommunicationem valere tradit Nauar. *cap.* 27. *num.* 8. non item in Franciscanorum ordine, cum Prælati quid omitti edicunt, aut fieri, sub excommunicationis pœna, quod ordinationis vim habeat aut statuti, cuiusmodi esse, credi tùm debet, quando permanenter, hoc est non ad tempus definitum ac cer-

D tum, nec vni tantum, sed omnibus religiosis ponitur, & in perpetuum, vt si dicat Superior se, *Omnibus interdictum esse velle, sub excommunicationis pœna, religiosa monialium frequentare cœnobia.*

Et quanquam scelera omnia latebras expetãt, nec videri aut cognosci aueãt, velintq; in hac tamẽ censurarũ materia, imponi vlli nulla potest, nisi citato, audito, & monito, *debet enim præsens esse is cõtra quem facienda est inquisitio, nisi per contumaciã absenserit* Innoc.

E III. *in Concil. Lateran. can.* 8. Quare caueant, inquit Concil. Carthag. 4. *can.* 30. *indices Ecclesiæ, ne absente eo, cuius causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit, causam in synodo pro facto dabunt.*

Ratio est, quod non alius quam contumax percelli excõmunicatione debeat. At iudici constare quî potest, morem Ecclesiæ, sibique gerere reum nolle. si de eo non est admonitus? vel damnari iuste de crimine indicta causa, ac non auditus quis potest? itaque

certum

certum ei præstitui tempus debet, intra quod iudici respondeat, seque, si voluerit, de obiectis sibi sceleribus defendat ac purget, Soto *in 4. dist. 22. q. 2. art. 2. concl. 2. quod ideo verum est*, inquit Nauar. *cap. Enchirid. 27. num. 11. quod excommunicatio esset omnino nulla, si ferret eam prælatus, vel index in executionem sententiæ, vel præcepti sine præuia cognitione, & sine clausula iustificatoria latæ circa præterita, id est dato termino ad allegandas causas si quas habuerit, contra huiusmodi mandatum.*

De quo quemadmodum & de excommunicatione futura, nisi pareat, personaliter admoneri reus debet. Ita in Concilio Lateran. Innoc. III. *cap. 47.* his verbis: *Sacro approbante concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti monitione præmissa, & præsentibus idoneis personis, per quas si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat*, idem esse in Concil. Alemanniæ habito Honorii tertii imperio Conrado Portuensi Cardinali præside, anno 1225. idem (inquam) statutum reperio in *can. 4.* in Exoniensib. constitutionib. per Stephan. Archiepiscopũ tomo Conc. 4. moneri ergo debet excommunicandus, aut per eum stare, quominus citari aut admoneri possit, *Clement. vt lite pendente 2.*

Ab ea monitione excusat absentia & dolus, quæ duo in eo sunt, quod vocatus legitimè ad causam personali citatione, venire recuset, quod malitiose latitet, quod ne conueniri queat, locum de loco subinde mutet, id enim cum accidit, sufficit iudicis imperium, domi eius significari, aut de domesticis alicui, per quem de eo doceatur dominus aut herus, quod si ne tunc quidem causam dicturus in forum veniat, omnis erit honesta ratio Episcopo, aut alteri Prælato, animaduertendi in eius scelera per censuras, quo modo, rituque, solet Ecclesia. *Confitetur enim de omnibus, quisquis se subterfugere iudicium dilationibus probat, & manifestum est confiteri eum de crimine, qui indulto, & toties delegato iudicio, purgandi se occasione non vtitur, nihil enim interest, vtrum in præsenti examine omnia, quę dicta sunt, comprobentur, cum ipsa quoque pro confessione, procurata toties constet absentia*, Bonifac. *epist. 2.* Id sane fuisse in vsu priscis patrum nostrorum sæculis, fidem facit hæc Leonis quarti oratio, in actis Romanæ Synodi contra Anastasium. *Anastasium auctoritate suffulti canonica, Apostolicis literis post tertiam, & quartam vicem vocauimus, & vbi redire distulit, congregatis Episcoporum conciliis, cum eum non potuissemus videre, vel habere specialem præsentiam, communi eum decreto sancta communione priuauimus, volentes suam, per huius excommunicationis censuram,*

A *ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ personam reducere. Postmodum vero expectantibus nobis, vsque ad diem statutum, & vltra, præfatus Presbyter non aduenit, post transactum autem placitum, dum eum mandatis nostris, temerè renitentem conspexissemus, ne vlterius suo exemplo Ecclesiasticus ordo confunderetur, & Christianitatis religio profanaretur, anathematis eum vinculo, cum Sacerdotum nostrorum consensu innodauimus.*

Est moninitionis istius canonicæ exemplum nobile apud S. Fulbertum *epist. 116.* ibi
B enim querenti cuidam quod excommunicatus ab Archiepisc. Turonensi fuisset, antequam esset monitus, respondet: *Te vocatum esse, qui tibi missas à me sciat literas, quis vel non insanus asserat? te igitur rationabiliter pro tua culpa, & canonice vocatum, & à diuino officio separatum recognoscendo plange.*

Ternæ vero monitionis, quam censuræ præmitti oporteat meminit Iuo *epist. 98.* ad Rogerium Cardinalem, ab eo enim reprehensus quod Simonem de Melpha excommunicasset ob adulterium, se non peccasse respondet, eo enim (inquit) sæpe *vocato,*
C *& monito, & bis aut ter indultis spatiis quæ voluit, causam eius multa mora, & multa lima discussi, & eo ad vltimum, omnem subterfugiente iustitiam, iudiciali sententia in eum data, ex lege anathematis eum vinculis alligaui, quandiu pœnitentiæ remedio non deleuerit maculam adulterij sui.*

CAPVT VII.

Ferendæ censuræ quis capax.

D NOn alii, censuras ferre ordinario iure possunt, quam qui iurisdictionem fori externi habent, quali sunt præditi, Pręlati omnes, Alexand. III. testimonio *in cap. cum ab Ecclesiarum 3. de offic. ordinarii*, quare *cum ab iis Ecclesiastica sententia in malefactores aliquos promulgatur, rata & firma debet consistere, & vsque ad dignam satisfactionem inuiolabiliter obseruari.* Est ergo iurisdictio ad censuram necessaria, *quia nulla sententia nisi à suo indice dicta constringit:* Iulius *epist. 2 cap. 34. nisi eius*
E *Episcopus, precibus exoratus concedere voluerit*, Innocent. *in epist. 2. cap. 7.*

Probatur, non alii delicta punire possunt, quam qui in eorum authores iurisdictionem in foro externo possident, ergo nec censuras, sine ea, infligere in nocentes.

Anteced. probatur. Pœnæ inflictio, quandam secum necessitatem inuehit, parendi magistratui eam infligenti, at esse obligatio eiusmodi non potest, si magistratus authoritatem non habet imperandi tale sup-

plicium, ergo ad punienda delicta, necessaria est in puniente authoritas. Quare *nemo alterius Parochianum iudicare, aut excommunicare præsumat, quia talis iudicatio, vel ordinatio, aut excommunicatio, vel damnatio, nec rata erit, nec vires vllas habebit, quoniam nullius alterius iudicis nisi sui sententia tenebitur, aut damnabitur*, Calistus Papa *epistola 2.*

Corrollarium primum, Summus ergo Pontifex censuras contra quemlibet Christianum ferre potest, quia vbique terrarum ius dicit. Quare cum Concil. Moguntinum sub Arnulpho *can.14.* dixisset, Episcopo ius non esse excommunicandi Parochiani non sui, addidit hæc verba *Salua tamen in omnibus Apostolica auctoritate.*

Gregorium sane, eius nominis septimum scimus, Fredericum Imperatorem eiecisse ab Ecclesia, à Zacharia Chilpericum Regem depositum, ob spretam ab eo religionem, moresque splendori regio, non conformes, Eginhardus *in vita Caroli Magni*, Cedrenus *in vita Leonis Isauri*, Paulus Diaconus, *lib.6. cap.5. de gestis Longobard.* Marianus Scotus *lib.3. Chronologiæ* à Gregorio item VII. Henricum IV. Imperatorem, redactum in ordinem, ab Innocent. III. Othonem IV. Blondus *Decade 2. li.6.* Ludouicum IV. Imperatorem, à Ioanne XXII. & Benedicto XII. excommunicatum, à Greg. II. Leon. Imperator. Iconomachum. Zonar. *in vita Leon. Isauri*, ab Agapito Clotarium, nisi interempti Gualteri domini Iuetoti, liberis satisfaceret, ab Adriano II. Carolũ Caluum interdicto suppositum, ni relinqueret Lotharii regnum filio ipsius Ludouici fruẽdum: ab Vrbano II. Philip I. anno 1088. quod vxorẽ Berthã repudiasset, Philippum Augustum à Celestino III obsimilem causam, à Bonifac. VIII. Philippum item pulchrum, à Nicolao I. Lotharium Regem, ni relicta Valdrada pellice, Tetbergam vxorem reciperet Paul. Æmil *li.3.*

Equidem est Romanus Pontifex, *Pater Patrum, Sacerdotum Sacerdos*, vt dicitur, *in Laterana Synodo sub Martino I. cui Christus principatum Sacerdotii super omnes contulit, vnaque facultatem iudicandi de fide, & Sacerdotibus*, vt scribit Adrianus Papa I. *ad Carol. Magnum de imaginibus tomo Concil. 3.* per eius os Petrus loquitur, vt est *in actione 18. sexta Synodi Constantinop. sub Agathone*: ergo quod cuilibet Episcopo particulari licet, licebit & Pontifici, sed à Nicetio Treuirensi Episcopo, Clotàriũ Regem non semel excommunicatum esse, scribit Gregor. Turon. *in vita Patrum Gallicor. cap.17.* à Methodio Morauorum Apostolo, eorum Principẽ, quod in ipsum sacra peragentem, canes venaticos immisisset: & à

A Gregorio Sanctonensi, Nantium comitem ob interfectum Sacerdotem Gregorius Turon. *lib.5. histor. cap.36.* ab Iuone Carnotensi, Simonem de Melsa ob adulterium, *Iuo ep. 98.* Putcacensis castri dominum ob immunitates violatas Ecclesiæ *ep. 129.* dicere ergo in omnes similiter excommunicationis sententiam Papa poterit, si eius imperia obstinatè hi facere renuant.

Quo iure Episcopus, eodẽ fruitur & Generale Conciliũ: eius rei fidem faciunt exẽpla sequentia, à Nicæna enim Synodo secunda, actione septima, dictũ est Iconoclastis anaB thema, Theodosio Ephesi Episcopo, anathema, Sisinnio Pastillæ anathema, &c. A Constantiensi *sess. 16.* Carolus de Ducil, & Henricus de Torre, excõmunicatione irretiri sunt iussi, aut verius denũciari, per Tullensem & Virdunensem Episcopos, nisi ablata restituerent, *Auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti Amen. Committimus, & sub excommunicationis pœna mandamus, &c.*

C Episcopi autem alios coercere his vinculis nequeunt, quam qui in eorum Diœcesi commorantur *cap.3. de officio ordinarii*, Archiepiscopi, si quando suffraganeorum suorum subditos in officio continent, censurarum metu, id duntaxat agunt, cum visitant, aut causa ad eos, per appellationem est deuoluta aut simili modo, colligitur ex *cap. venerabilibus 7. de sentent. excomm. in 6.* Vbi est his verbis: *A subditis suffraganei, emendas pecuniarias potest Archiepiscopus secundum consuetudinem regionis exigere, in casibus in quibus ei licet eos excommunicationis vinculo innodare.*

D Excipiendus est casus, in quo Episcopus quereretur, canonicos absque rationabili causa, in sui contemptum cessasse à diuinis, nam tunc, *Metropolitanus ad querelam ipsius tanquam super hoc delegatus à nobis, taliter compellet censuram Ecclesiasticam, cognita veritate castiget, quod pœna metu talia de cætero non præsumant*, Innoc. *in Concil. Later. can. 7.*

Corollarium secundum, Vicarii item Episcoporum reprimendorum nocentium per censuras potestatem habent, quia vt dicitur *in cap. 2. de consuet. in 6.* sunt Ordinarii & haE bent vnum tribunal cum Episcopis, quorum vices agunt, non potest tamen Officialis Archiepiscopi, suffraganeum excommunicare, Archiepiscopo non absente, *cap. 1. par. eg. sedi de officio ordinarii in 6.*

Excommunicandi ius item habet Capitulum sede vacante, eiusque Vicarius, qui a illud succedit in locum Episcopi defuncti, vt notauit Abb. *in cap. cum olim de maioritate & obedientia*, & habet omnimodam iurisdictionem, quæ iure ordinario competit Episcopo,

cap.

cap. his quæ 11. *& cap. cum olim Episcopus* 14. *de maior. & obed. & cap. si Episcopus de supplenda negl. prælator. in* 6. Nauar. *de temp. ordinat. cons.* 31. Piasecius *in praxi par.* 2. *ca.* 1. vbi dicit Capitulum sede vacante posse etiam cum illegitimo dispensare ad minores Ordines & simplex beneficium, quemadmodum Episcopus ipse faceret, si viueret, ex causa tamen legitima, & propter quam dispensatio esset debita, Quaranta *in summa Bullarii verbo Capitulum versu quæro* 2.

Tertio etiam viuente Episcopo, *Excessus Canonicorum Ecclesiæ Cathedralis, qui consueuerunt corrigi per Capitulum, per ipsum in ipsis Ecclesiis, quæ talem hactenus consuetudinem habuerunt, ad commonitionem & iussionem Episcopi, corrigantur infra terminum competentem, ab Episcopo præfigendum*, Innoc. III. *in Concil. Later. can.* 7.

Excommunicare autem nequeunt, qui sunt extra Ecclesiam *dist.* 1. *de pœnitent. can. Verbum:* 24. *q.* 1. *can. audiuimus* 4. multo minus hæretici 24. *q.* 1. *can.* 5. & *can. ait Celestinus* 35. *can. Achatius* 3. *parag. si ergo finali*, Idem dicendū de Laicis 24. *q.* 1. *can. Subdiaconus* 39. §. his verbis: *Alia vero Sacramenta, vt sunt corporis, & sanguinis Domini, excōmunicationis, vel reconciliationis, si ab hæretico, vel Catholico non Sacerdote ministrentur, vel nullum vel lethalem habebunt effectum.*

Corollarium tertium, non nisi à sui loci prælato quis est excommunicandus, 6. *qu.* 3. *can. denique Suffredus* 3. vbi Nicol. Papa primus, significat eum debuisse, *primatus sui & non aliorum Diœceseos antistitum præstolari iudicium*, neque similiter subditi Episcopi in aliena Diœcesi commorantes, ab eo excommunicari queunt, ob culpam ibi admissam, patet *ex cap.* 2. *de constit. in* 6. vbi hæc habet Bonifac. eius nominis VIII. *Statuto Episcopi quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtum, extra ipsius Diœcesim committentes, minimè ligari noscuntur, cum extra territorium ius dicenti non pareatur*, hæc can. ex quibus clare colligitur Episcopum nihil posse valide præcipere extra suam Diœcesim, circa actus ibidem committendos, aut omittendos, & propria huius rei ratio est, quod vt habetur *in lege vltim. digest. de iurisdictione omnimoda iudicum. Si quis supra iurisdictionem suam ius dicit, ei non paretur*, at Episcoporum iurisdictio non se extendit extra limites sui territorii, ergo eis aliquid imperantibus, extra territorium, non necessario est parendum, ergo nec deferendum censuris, quas aduersus eos, ferrent qui extra suam Diœcesim culpam aliquam ea pœna dignam admitterent.

A Dixi *ob culpam, quæ alibi fieret quam in Diœcesi.* Quia si intra eius terminos committeretur, posset reus qui aliò se recepisset, tam per statutum, quam sententiam particularem Episcopi sui, censura affici, vt tenet cōmunis Doctorū omniū opinio, & ratio est, quia etsi corporaliter sit extra Diœcesim, ratione tamen delicti, quod in ea patrauit, in ordine ad coercitionem, censetur in ea esse, quare Episcopus illud puniens, iudicandus est id in territorio suo facere, & ius proinde in illo dicere.

B Qui tamen in aliena Diœcesi peccat, ab eius loci Episcopo excommunicari potest, *Concilium apud Compendum can.* 5. Placuit *pro communi vtilitate, & instante necessitate, vt nullus Episcoporum grauiter ferat, si eius Parochianum pro deprædationis causa, alter Episcopus excommunicauerit*, in quam sententiam habet hæc Iuo Carnotensis *In quo si mihi acquiescere non vultis, auctoritati saltem Patrum obtemperate, quæ Parochianos alterius Ecclesiæ ab alia Ecclesia excommunicatos, dum in sua Parochia morarentur, à propria Ecclesia recipi non debere*

C *testatur*, Iuo *epist.* 209. *ad Hugon. Ecclesiæ Aurel. Episcopum*, legitur enim in Concil. Meldensi *can.* 11. *De illis autem qui infra Parochiam beneficium aut hæreditatem habent, & alterius Episcopi Parochiani sunt, & de loco ad locum iter faciunt, rapinas & deprædationes faciunt, placuit vt excommunicentur, nec ante ex Parochia exeant, quam quæ perpetrarunt, digne emendent.*

Corrollarium quartum, qui abiit è prouincia suā in aliā, post inchoatam litem ante suum Episcopum, potest ab eo citari vt compareat ad dicendam causam, & si pare-

D re renuerit, excommunicari: Quia per transitum in aliam Diœcesin nō desinit esse subditus Episcopi, qui de crimine de quo accusatur, quæstionem exercere instituit.

Corollarium quintum, non potest excommunicari subditus, qui in aliena Diœcesi constitutus, peccauit contra statutum sui Episcopi V. C. vetuit sub pœna excommunicationis ne quis res negotiaque cum Iudæis vlla haberet, Petrus vbi N appulit, Iudæos adiit, ab iis de lingua Hebraica eiusque mysteriis edoceri voluit, pecuniam

E etiam ab iis mutuam accepit, in eum Episcopus Ecclesiæ fulmina ideo vibrare nequit. Quia statuta Episcopi vim suam non exerunt extra eius prouinciam, vt dicitur *can.* 2. *de const. in* 6.

Corrollarium sextum, qui contra sententiam particularem Episcopi sui, aliquid prohibentis sub pœna excommunicationis, illud ipsum extra Diœcesin suam efficit, non ideo est excommunicatus, V. C. eunti ad loca sacra prohibet Episcopus, ne ad hæreti-

cos diuertat, aut per certa oppida, hęresi infecta transeat, si imperata non facit, non est excommunicatus. Ita expresse Ægid. *disp.* 13. *de censur. dub* 7. *nu.* 61 *conc.* 6. Auila *disp.* 2. *cap.* 3. *dub.* 2. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 26. *n.* 1.

Ratio est, *Quod extra territorium ius dicenti non paretur impunè d: constit. ca.* 2. *in* 6. quibus verbis vt iam dixi, significatur, Episcopum nihil posse validè præcipere existenti extra suam Diœcesim, circa actus ibi committendos aut omittendos, quæ ratio æqualiter valet, siue censura feratur per sententiam, siue per statutum. Ægid. loco ante citato,

Contrarium docent Emman. Sa *verbo Iudex*, Laym. *to.* 1. *tract.* 5. *par.* 1. *cap.* 4. *nu.* 7. sed solido nullo fundamento, quare absolutè nostra opinio vt probabilior, tenenda est in praxi.

CAPVT VIII.

Pro quibus culpis feratur excommunicatio.

ECclesiastica autē cēsura nulla ob solum peccatum veniale est ferenda, sic Cōcilia, sic Patres Cōc. Meldense de anno Christi Seruatoris 845. Caroli autē Calui 6. in hæc verba *can.* 56. *Vt nemo Episcoporū, quelibet sine certa, & manifesta peccati causa communione priuet Ecclesiastica, anathema autem, sine consensu Archiepisc. & Coepiscoporum, prælata etiam Euangelica monitione, nulli imponat, nisi vnde canonica docet auctoritas, quia anathema, ęterna est mortis damnatio, & non nisi pro mortali imponi debet crimine, & illi qui aliter non potest corrigi*, quæ opinio Patrum & Doctorum est omnium communis, Gregorii Nazianz *in orat. de moderat. in dispens. seruand. & in Apolog.* 1. ibi enim in eos inuehitur, qui indistinctè portas Ecclesiæ omnibus aperiunt, & passim margaritas ante porcos absque delectu abiiciūt. Sensus idem Chrysost. in homilia de anathemate, idem Gregor. *hom.* 26. *in Euang.* vbi Pastores admonet *vt sub magno moderamine soluere studeant, vel ligare*, quod fit pœnas coæquādo culpis, quam æqualitatem non seruari est certum, cum noxæ leues cuiusmodi sunt veniales, magnis castigantur suppliciis, vt excommunicatione, aut pœna qualibet alia simili, *Vt enim manifestum est eos viuere, qui corpus eius (id est Christi) attingunt, & Eucharistiam iure communicationis accipiunt, ita contra timendum est, & orandum, ne dum quis abstentus id est excommunicatus, separatur à Christi corpore, procul remaneat à salute, comminante ipso & dicente, nisi manducaueritis carnem filij hominis non habebitis vitam in vobis*, Cyprian.

A *tract. de orat. Dominica*, at beatæ vitæ immortalia gaudia, negari homini quis credat, ob culpam veniali similem? non est hæc ergo eius inferendæ pœnæ causa quæ ei iter ad æternam munit, nisi resipiscere maturè animam inducit.

Dixere è Theologis eandem sententiam Ægidius de censur. *disput.* 13. *dub.* 8. *nu.* 68. & Laym. *cap.* 5. *de censur. in communi n.* 1.

Et probatur primo, pœnæ quoad eius fieri potest, proportionatæ esse debent culpis, quarum causa imponuntur reis *cap. fælicis de*
B *pœnis in* 6. nam earum inflictio, est actio commutantis iustitiæ, ad quam pertinet æquare supplicia delictis; ergo cum censuræ, graues sint pœnæ, vtpote magnis è cœlo commodis donisque, homini intercludentes aditum, graue quoque in eo peccatum perexigunt: ita Sairus *to.* 1. *lib.* 9. *q.* 4. *nu.* 17. Vasq. 1. 2. *disp.* 158. *ca.* 5. *n.* 48. quare *causæ pensandæ sunt & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda*, Gregor. *hom.* 26. *in Euang.* Ioan. quod *si causa talis euenerit vt pro commissi criminis qualitate, iustè faciat aliquem communione*
C *priuari, is tantum pœnæ subdendus est, quem reatus inuoluit*, Leo *ep.* 87. *ad Episc. prouinc. Viennensis. Cum dolore enim amputatur, etiā quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, si potest sanari medicamentis. Sic Episcopi effectus boni est, vt optet sanare infirmos, serpentia auferre, vlcera adurere, aliqua non abscondere, postremo quod sanari non potest cum dolore abscindere*, Ambr. *lib.* 2. *officior. cap.* 27.

Secundo probatur, inductione facta per omnes censurarum gradus.

D Et primo, certum est irregularitatem, quum ex delicto oritur, non nisi ob mortale incurri, secundum Nauar. *cap.* 27. *nu.* 252. Soto *de iustit. lib.* 5. *q.* 1. *art.* 9. quia alias, pœna non responderet culpæ, eique impar foret.

Secundo est id excommunicationis proprium, vt tradunt Auila *par.* 2. *ca* 5. *disp.* 1. *dub.* 2. Nauar. *cap.* 27. *n.* 9. Diu. Thom. *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. Vgolin. *in tab.* 1. *ca.* 27. *n.* 2. Suar. *de excom. disp.* 18. *sect.* 3. patetque ex loco Cyprian. ante citato.

Quod per eam excommunicatus exclu-
E datur ab Ecclesia, ita Cypr. *epist.* 8. *lib.* 2. *ad Cornelium*, loquens de Nouato eiusque horrendis sceleribus, *hæc omnia commisit & miscuit, vt qui eiici de Ecclesia & excludi haberat, iudicium Sacerdotum voluntaria discessione præcederet*, eiicit ergo excommunicatio ab Ecclesia *can. Omnis Christianus can. nihil* 11. *qu.* 3. ergo & à gloria æterna, cum Christianę religionis professio, via sit ad gloriam, at nemo vita beata est indignus, nisi qui peccauit lethaliter, ergo excommunicatio ob solum mortale

mortale est ferenda Trident. *sess.25.cap.3. de reformat. Concil. Meld.can.56.* Aurelian.4.c.2. *Vormaciense can.13.* & refertur 11. *q.3. can.nemo 41.can.nullus Sacerdot.42.*

Et quoniam vt est in Concil. Aurelian.5. *can.2. Nemo Sacerdotum quenquam rectæ fidei hominem pro paruis & leuibus causis à communione suspendere debet, præter eas culpas, pro quibus antiqui Patres, ab Ecclesia arceri iusserunt committentes*, operæ facturus meæ precium videor si quæ cuique culpæ censuram iura adiunctam voluere, & ex qua causa infligi iubeant, paucis hic ac veluti strictim indicauero.

Causa ergo prima est, cum quis decreto vel prælati sui constitutioni morem non gerit *ca.si quis 2.ca. quod super 9. ca. cum Ecclesiis 10. de maioritate & obed. & 11.q.3.can.51.Episcopus,* & 24.*q.3.can.si quis 21.*

Casus excipiendi duo, primus, cum est à Superioris mandato interposita appellatio, *cap.licet 14.de sent. excom.in 6.* Alter cum qui parere renuit ob contumaciam, iter est ad Papam ingressus, causam ei suam expositurus *cap dilecti 52. de appell.*

Secundo, qui religionis causa ad Apostolorum euntes limina, impetunt, bonis euertunt, fortunis exhauriunt, nam donec satisfecerint, communione Christiana carere iubentur 24.*q.3.can.23.*

Tertia causa ferendæ excommunicationis est, cum quis sapere renuit, errorem dediscere respuit, de officio admonitus corrigi nescit 24.*qu.3.can. tam Sacerdotes 14. Vt enim summã hi curam habere debẽt de his, qui pereunt, quatenus eorum redargutione corrigantur à peccatis, ita si incorrigibiles apparuerint, ab Ecclesia separari debent,* & *can. ecce autem 18. eiusdem quæstionis & causę,* qui ex Prospero *de vita contempl. lib. 2. ca. 7.* est desumptus, habetur quod *si Episcopi æquanimiter sustinentis, ac pie increpantis medela non processerit, in eis qui diu portati, & salubriter obiurgati, corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent, ferro excommunicationis abscindi.*

Quarta causa est, cum quis est animo à religione Catholica alieno, cum veritatem exosus, errores amplectitur fidei contrarios, eosque cum pertinacia defendit, ac tuetur, Alexand.III. in Concil. Later. *can.27.* credentes prætere, fautores, receptores, defensores tam prauitatis hæreticæ, quam qui eam profitentur publicè, excommunicari queunt decreto Innocent. III. in Concil. Lateran. *can. 3.*

Quinta, si magistratus Ecclesiasticus vim patiatur, potest hic inferentem excommunicare, vel eius terram interdicto subiicere Innoc. IV. in *decret. dilecto sexta de sent. excom.*

A *in 6. nam cum liceat cuilibet, suo vicino, vel proximo pro repellenda ipsius iniuria, suum imparti ri auxilium, imo si potest & negligit, videatur iniuriantem fouere, ac esse particeps eius culpæ, licuit profecto ipsi Decano, proprio sibimet subuenire subsidio, & suammet temporalem iniuriam, sua propria defensione tueri, sicque, vtrumque quodammodo gladium, & temporalem & Ecclesiasticum, alterum altero videlicet adiuuare.*

Sexto excommunicari iubetur, qui Ecclesiam contra immunitatem, vel libertatem ei cõcessam grauat *ca. non minus 4. de immunit.*
B *Ecclesiarum ca. nouerit 49. & ca. grauem 53. de sent. excomm.* qui statuta & consuetudines contra eiusdem Ecclesiæ libertatem inuehit, *nisi ea de capitularibus suis, intra duos menses, post huiusmodi publicationem sententiæ fecerit amoueri, & idoneè sicut res exigit, cauerit quod simile de cætero non debeat attentare,* Honor.III. *ca. nouerit 49.*

Septimo excommunicationis sententiam non euadit, qui in vinculis ac custodia, Clericum sine læsione detinet *ca. nuper de sentent. excomm.* nisi id ratione officii aut disciplinæ
C faciat *ca. 1. parag. neque magister, & ca. cum voluntate 54. parag. si qui vero de sentent. excomm.*

Octauo, *Qui superbe se à communione Episcopi separat, & schisma cum aliis facit, & sacra ministrat, anathema habeatur, & suum locum perdat 11.q.3.can.5.*

Causa nona, ferendæ excommunicationis est, si quis Ecclesiam effregerit, si effractam spoliauerit, *ca. conquesti 22. de sentent. excommunicatio.*

Decimo, si absolutio, vel excommunica-
D tionis reuocatio, per vim extorta fuerit, eos enim qui alterutrius rei essent, ac conscii, decreuit Gregor. eius nominis X. excommunicationis sententiæ subiacere *ca.1. de his quæ vi metusue causa.*

Vndecimo, excommunicatur qui excommunicato communicat, *cap. cum desideres 15. ca. significauit 18. ca. quod in dubiis 30. parag.1. de sentent. excom. 11. q. 3. can. præcipue 3. can. placuit 9. can. Teugaldum 10. can. si inimicus 15. can. 16. & 17. eiusd. quæstionis & causæ ca. ad re-*
E *ctitudinem 3. parag. cæterum de sent. excom. in extrauag. communib.*

Duodecimo, *Si quis perpetrato periurio, aut quolibet criminali peccato, ad confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est, siue à communione, aut consortio fidelium, vt nullus cum eo bibat, aut comedat, aut oret 22.q.1.can. vlt.*

Decimo tertio, sunt Simoniaci à Gregor. VII. in Concil. Romano in persona Arnulphi Cremonensis Episcopi anathemate perculsi, quemadmodum, & à Paulo II. in *Extra. cum detestabile 2. de Simon.*

Decimo quarto, qui bona Ecclesiæ sibi vendicat, malaque arte comparata sibi contra fas seruat *tanquam sacrilegus iudicatur, & donec se correxerit, & Ecclesiæ propria priuilegia seu res restituerit, & reseruauerit, renuntiatur anathema*, in Synodo 8. Generali sub Adriano II. *can.* 18. & refertur 16.*q.* 3.*can. placuit*.

Decimo quinto, de iure Ecclesię, aut titulorum eius, præter aurum, argentum, vestes aut mobilia ad ornamenta diuina minime pertinentia quid iure perpetuo, abalienans, honoris sui iactura plectitur, *qui autē petit aut accipit, vel qui Presbyterorum, aut Diaconorum, seu defensorum danti subscribit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriri præcipitur* in Synodo Romana 3. sub Symmacho *can.* 6.

Decimo sexto, qui periurium confiteri renuit, excludendus est ab Ecclesia 22. *qu.* 1. *can. penultim. parag. finali & can. sequente*.

Decimo septimo, *Ei qui ariolos, aruspices, vel incãtatores obseruat, aut philacteriis vtitur, anathema dicitur* 26.*q.*1.*can.*5. quod tamen nō esse latæ sed ferendæ sentētiæ planum fit *ex can.* 42. Concil. Aurelian. 1, & 42. Agathensis & Leonis 4. *epistola ad Episcopos Britanniæ ca.* 4. vt refertur 26.*q.*5. *can. sortes* 7. his verbis: *Volumus sortes omnino damnari, & inter Christianos vltra nolumus nominari, & ne exerceantur, sub anathematis interdicto prohibemus.*

Decimo octauo, qui extra fornicationis causam, vxorem dimittit *tandiu ab Ecclesiastica communione priuatus, & Ecclesia manere alienus debet, quandiu societatem relictæ coniugis sinceriter non amplectitur, & fouet*, Concil. Tolet. 12. *can.* 8. refertur 32. *qu.*5 *can. præceptum* 21.

Decimo nono, excommunicati sunt in iure, aut certè excommunicandi.

Primo qui matri vel filiæ spirituali, id est susceptæ in Baptismate, aut Confirmatione, stuprum inferunt 33.*q.*2.*can. si quis*.

Secundo qui seipsos parte corporis aliqua mutilant *can. Apost.* 23.

Tertio, qui cum Episcopo, fauore ciuilis magistratus ordinato, & rursus deposito communicant *can. Apost.* 29.

Quarto qui Presbyterum aut Diaconum contumelia afficit *can. Apost.* 55.

Quinto qui mancum aut mutum, surdumue aut cæcum, aut eum cui vitiosus incessus est, subsannauerit *can. Apost.* 56.

Sexto, qui falsum dixit testimonium 24. *q.*3.*can. itaque censuimus*.

Septimo qui duas vxores simul habet *causa* 9.3.*can. non* aut qui Clericum, aut religiosum, vel pauperem bonis exuit, *can. si quis de potentibus can. illi qui ead. q. & causa*.

Vicesimo, illata alicui grauis iniuria iusta est causa, eius excommunicandi à quo est imposita, ita apud S. Fulbertum *ep* 116 Archiepiscopus Turonens. Hand. præsulem iuste ab Ecclesia, eiusque sacris semotum ait, quod Canonicos Carnot. læsisset factis, & verbis, *quod vineas canonicorū S. Mauricii, præter cætera quæ in suam matrē Ecclesiam, Fulconis iussu intulerat opprobria, radicetenus cōminuisset*, quare cum Episcopo suo Lisiardus Parisiensis Archidiaconus grauis esset, eoque contempto, omnia ad arbitrium gereret, cum Luthericus Senonum Archiepisc. & Fulbertus Carnutens. Episcopus, vt sacris indignum altaribus, à piorum cœtu sententia sua submouere, dum resipisceret, *& Episcopo suo humiliatus satisfaceret*, excommunicationi minæ sunt (inquit) additę, *quod nisi cito resipiscens, ad satisfactionem veniret, in plenaria Synodo perpetuo anathemate feriretur*, iussi sunt insuper Parisiens. Clerici vt ipsi Lisiardo excommunicationis literas ostenderent, *vt tam horrenda pericula, vti grauiter admonitus exiret*, Fulbert. *epist.* 34.

Cum homicidio & adulterio. Excommunicationis intentanda causa vicesima prima est, impudicitia, *Qui opinantur cætera eleemosynis facile compensari, tria tamen mortifera, esse non dubitent excommunicatione puniendæ, donec pœnitentia humiliore sanentur, impudicitiam, homicidium, adulterium*, August. *to.* 4. *de fide & operib. ca.* 19.

Vicesima secunda, intentandæ censuræ iusta causa, est illata alicui per furtum iniuria, *Nolentes*, inquit August. *epist.* 54. *reddere quos nouimus, & male abstulisse, & vnde reddant habent, arguimus, increpamus, & detestamur, quosdam clam, quosdam palam, sicut diuersitas personarum, diuersam videtur posse recipere medicinam, nec in aliorum perniciem, ad maiorem insaniam irritari, aliquando etiam, si res magis curanda non impedit, sancti altaris communione priuamus.*

Et quoniam à Greg. II. Pontif. dicta est in Romano Conc. imperante Leone, anathema in eos, qui Presbyteram, Diaconam, Monacham, aut commatrem spiritualem, aut neptem, vel nouercam suam, aut nurum, vel consobrinam duxerint in vxorem, eamobrem iustam ab his criminibus excōmunicationis infligendæ causam peti posse credimus, quemadmodum & à raptu virginis aut viduæ, consultatione arupiscum, & id genus hominum, cum Dæmone paciscentium, eo quod ea crimina pariter cum cęteris est, execratus Gregor. in eo Concil. *can.* 10. 11. & 12.

Infertur hinc primo, excommunicationē maiorem, quæ reo ob veniale infligitur, iniustam esse, & nullam Suar. *disp.* 18. *de excom.*

com. sect. 3 nu. 6. quia actio quæ proficiscitur à non habente potestatem in foro externo, aperte est nulla, sed non est in iure Ecclesiæ, venialia punire tanta pœna, quanta est excommunicatio maior, aut irregularitas: ita Suar. disp. 40. sect. 3. nu. 27. Ægid. disp. 18. de censur. dub. 2, n. 13. alioqui pœna superaret culpam, quod est iniquum.

Infertur secundo, eum qui ob ignorantiam iuris aut facti, aut incogitantiam, quæ voluntarium perfectum tollit, vel aliam quamlibet passionem animi, excusatur à mortali, excusari quoque à censura, quia sublata causa, eius quoque effectus tollitur, sed causa censuræ incurrendæ, est culpa, eaque mortalis, ergo qui ab ea immunis est, ac liber, à censura quoque vacuum se ac liberum censere potest.

Infertur tertio, Etsi ratione scandali quod timetur, excommunicatus ob culpam, quæ est mortali minor, congressum fidelium vitare debeat, coram Deo tamen, & in conscientia, citra scandalum, eos ad alloquium mensamque adhibere nō est vetitum. Quia in foro interno non datur locus præsumptioni, vbi contraria est veritas.

Dixi *quando excommunicatio est de earum numero, quæ maiores sunt*, quia ex communi Doctorum sententia, excommunicatio minor, ob veniale ferri potest. Patet ex praxi Ecclesiæ, quæ eum pro excommunicato, isto excommunicationis genere habet, qui in re ciuili cum excommunicato de nomine, ac promulgato publice congreditur, quæ congressio cum sit leuis, malitiam veniali maiorem complecti non potest.

Quod si olim multa sunt in Concil. prohibita sub excommunicatione, quæ videbantur leuia, vt comam nutrire, *can. si quis dist.* 83. & in canonibus ab Adriano I. collectis *can. Vltimo*, quæ habentur *tomo* Concil. 3.

Respondendum, ea tum temporis, ob circunstantias quasdam fuisse eiusmodi, quæ materia forent grauis prohibitionis, vt quod ex vsu comarum longiorum, quam ferret honestas, ac decentia Clericorum propria, magna sequeretur in populo perturbatio, ac scandalum, quæ duo cum in præsenti esse, ac metui desierint, comarum quoque vsus prolixiorum, quam æquitas, ac Clericorum dignitas postulat, desiit esse materia præcepti obligantis sub mortali. Quare quod Doctores asserunt, rem leuem prohiberi non posse sub mortali, de ea intelligunt, non quæ absolutè sit parui momenti, sed quæ omitti aut fieri sine scandalo valeat, aut violatione præcepti alicuius grauis.

Infertur postremo, excommunicatum, A excommunicatione quæ iniusta est & nulla, beneficii capacem esse, sibique collatum retinere posse, secundum Nauar. *in can. cum contingat de rescript. remed. 6. nu. 9, & 11.* Vgolin. *ca. 13. parag. 1. nu. 2.* Henriq. *lib. 13. ca. 14. parag. 1.* Anton. Riccinl. *lib. 4. ca. 13. parag. 1.* Barbos. *iuris Ecclesiast. lib. 3. cap. 13. de collat. nu. 39.*

Ratio est, quod inhabilitas ad beneficia, sit effectus eius censuræ duntaxat, quæ est valida, ac peccati mortalis iusta pœna, alioqui cum culpæ commensurata non esset, iniqua foret, vtpote maior, quam peccantis demeritum B foret, quod non est ferendum.

CAP. X.

An Innocens excommunicatione nonnumquam feriri queat.

Censura nulla ferri potest in eum qui non peccauit *is enim tantum pœnæ subdendus est, quem reatus inuoluit*, Leo IV. *epist.* 87.

C Secundo, cum censura quælibet, magnis commodis spiritalibus, eum priuet in quem infligitur, magna ei iniuria fieret, si hæc tollerentur immerito ac insonti.

Crimen ergo cuius causa intentatur excommunicatio, aut censura, personale esse debet, quia ex Christi institutione non alius excommunicatione feriendus, aut censura est ligandus, quam qui Ecclesię imperia non facit cum contumacia, at hanc contemnere, ei non obsequi, illam non audire, personale est vitium, ergo pro eo tantum, quod est ex-D communicati proprium, excommunicatio ferēda est, non alio, nec capere se posse Augustinus ait, quomodo *anima innocentes pro scelere alieno (ex quo non trahunt sicut ex Adā, in quo omnes peccauerunt originale peccatum) spiritali supplicio puniri queant 24. qu. 3. can. 1. si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, cum huiusmodi nec cibum sumere.*

Ex quibus Verbis datur intelligi, quod nisi primum aliquis nominatus fuerit de crimine, id est E Vel coram iudice accusatus, & conuictus, Vel in iure, ipse de se fuerit confessus, quod nec sententia est feriendus, nec ab eius communione abstinendum, Gratian. *initio causæ* 24.

Corollarium primum, ob culpam patris, filius censura notari nequit, nec vxor ob mariti crimen: ita August. *ad Auxilium Episcop epist.* 75. & refertur, 24. q. 3. *can si habes.* 1. his verbis: *Si habes de hac re sententiam certis rationibus, Vel scripturarum testimoniis exploratam, nos quoque docere digneris, quomodo*

recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti, vxor, aut pro Domini, seruus, aut quisquam etiam in domo, *nondum natus, neque similiter pro vnius cuiuspiam peccato anathematizari posit tota familia*, quare eundē August. admonet, vt anathematis sententiam, quam contra familiam vnam, eiusque domesticos omnes iratus dixerat, reuocet, ne de Ecclesia homines innocentes violenter abstrahantur, & interficiantur, quod Vormaciense Concilium prohibet in *can.* 13. & sequenti. Lubet hic verba apponere, hæc autē sic habent, *Vt nullus Sacerdotum, quemquam rectæ fidei hominem pro paruis, & leuibus causis à communione suspendat, Episcopi vero si Sacerdotali moderatione proposita, innocentes, aut in minimis causis culpabiles, excōmunicare præsumpserint, à vicinis Episcopis cuiuslibet prouinciæ, communio illis vsque ad tempus Synodi non negetur* hæc Concil. *can.* 14.

Corollarium secundum, Nec Vniuersitas, Collegium aut ciuitas, immediate excommunicari possunt.

Primò, quia vt habet Innoc. IV. in *can. Romana* 5. *de sent. excom. nonnunquam exinde contingeret innoxios huiusmodi sententia irretiri*, cum non sit probabile, omnes & singulos de ciuitate aut vniuersitate peccare.

Secundo, excommunicatio maior non incurritur nisi pro peccato personali, id est actu aliquo, qui proprius sit certæ ac determinatæ personæ, sed vniuersitas, vt abstrahit à singularibus membris, non est persona vera, nec peccat, nisi quia singuli qui ad illam pertinent id faciunt, excommunicari ergò immediatè nequit, vt abstractè sumitur, & præcisa à membris suis.

Dixi *immediatè*, nam si vniuersitas sumatur pro solis nocentibus, tunc censuræ aduersus illam locus erit, quia sic non punietur aliquis nocens. Fieri id vero potest duobus modis, primo generaliter, vt dicendo, *excommunico omnes & singulos nocentes de tali vniuersitate*, secundo nominando specialiter eos qui sunt rei, vt *si dicatur excommunico P. Ioan. &c.*

Præterea, *excommunicationis solius memini*, quia interdici ciuitas potest quemadmodum & vniuersitas, Stephan. de Auila 2. *par. cap. 4. disp. vnica dub. 5.*

Causa est, quod interdictum non semper pro culpa eorum ponitur, qui interdicuntur, sed in eius odium qui præest ciuitati & est excommunicatus, quare si interdicti culpa careant, etsi interesse diuinis officiis nequeant, non tamen priuantur Ecclesiæ suffragiis. Addunt Henriq. *lib.* 14. *ca.* 25. *nu.* 4. de Auila *par.* 3. *disp.* 3. *dub.* 2. suspensionem ex alieno quoque crimine descendere, sed Na-

A uar. sententia *tom. 2. cons. lib. 5. cons. 7. num. 6.* eam scilicet non imponi nisi ob peccatum proprium, probabilis quoq; videtur, ac proinde eiusmodi quam tenere in praxi, vt securam ac pœnitentibus benignā quisq; potest.

Corollarium tertium, Omnis excommunicatio, quæ ob alienam culpam intentatur alicui, est iniusta & nulla, quia cum errore est coniuncta, *cap. solet, & cap. Venerabilibus de sentent. excomm. in 6. parag. potest quoque*, tunc enim vt dicitur in illo *can.* error intolerabilis in excommunicatione interuenit, B quando imponitur innocenti, aut ob actionem de se non malam, aut Ecclesiæ præceptis non contrariam, at id accidit, cum excommunicatio fertur in aliquem, ob culpam non suam, sed alterius qui non peccauit, ergo *cum nullius crimen maculet nescientem*, August. *epist. 48. ad Vincentium, alioqui quis locus reseruaretur innocentiæ, si crimen esset proprium, nescire alienum?* censura ob alienam culpā illata, iniusta est, & irrita: cū alius puniri non debeat, quā qui peccauit, *1. q. 4. can. quia præsulatus 5. can. crimen 6. can. Iudæi ead. q. & causa* C *ca. 1. ca. certum parag. illicita, c. 2. de his quæ fiunt à maiori parte capit.*

Excipiendi ab hac regula casus sequentes.

Primus est, cum alterius imperio, crimen est commissum, *cap. mulieres de sententia excommunic. in 6.* vbi Alexand. III. illos ait, quorum auctoritate, vel mandato, manus in Clericos violentas *iniectas constat*, Romam mittendos esse, *cum is committat verè, cuius auctoritate vel mandato delictum committi probatur*, placuit opinio eadem D Clement. III. *in decretal. vniuersitatis 24. de sententia excomm.* in qua eos narrat, qui Clericos mandato alieno verberant (*etiamsi causa subesset*) *excommunicationis sententiam donec ad Apostolicam sedem veniant, nequaquam euadere.*

Secundus est, cum quis scelus fieri quidem non iussit, sed factum suo nomine ratum habuit, *cap. cum quis 23. de sentent. excom. in 6.* sic enim Bonifac. *cum quis absque tuo mandato manus iniicit in Clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunica*E*tionem latam à canone incunctanter incurris, cum ratihabitio retrohatur, & mandato debeat comparari.*

Tertius est, cum quis crimen quod prohibere poterat ne fieret, non prohibuit, ita Innoc. III. *Ne autem solos violentiæ huiusmodi actores, aliquorum præsumptio existimet puniendos, facientes & consentientes pari pœna plectendos, Catholica condemnat auctoritas: eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obuiare cap. quanta*

47. de

47. *de sententia excommunicationis.*

Reus ergo, factique sceleris conscius, excommunicari solus potest, præterquam in casibus proximè positis, fieri id vero per superiorem est necesse, cum ille eius potestati subest, nam vt est in *cap. à nobis 21. de sent. excommunicat. cap. Romana 5. parag. 1. eod. tit. in 6. excommunicationum sententiæ ab Archiepiscopo suisque Officialibus generaliter promulgatæ, subiectos iurisdictioni eiusdem Archiepiscopi tantum ligant.*

Ab ea autem reo inferenda excusatur Episcopus, cum reus Papæ beneficentia, ac priuilegio, ab illius est iure subductus, nec ab eo excommunicandus, Honor. III. in *cap. quando 26. de priuileg.* nisi forte Clericum hic percuteret, vel excommunicato communicaret, hoc enim casu priuilegium ei non prodesset *cap. nulli 8. de sentent. excom.*

Secundo excusatur superior à censura in reum ferenda, quando excommunicationis irrogandæ, causa manifesta non est, nec satis probata *cap. sacro 48. parag. caueat de sent. exco. 2. q. 1. can. nemo 11. q. 3. can. nemo,* aut si patet, est hæc tamē leuis, nec approbata canonibus *11. q. 3. can. nullus, can. plerumq; parag. causæ ergo,* aut delinquens iam est depositus, vel alia pœna punitus *can. Apost. 24.*

CAP. X.

An culpa quæ non apparet puniri censura valeat.

CVlpa autem non alia excommunicatione aut censura puniri potest quam externa, secundum quod Paulus admonet, *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam 2. ad Corinth. 3.* Equidem de internis Ecclesia non iudicat, *can. cogitationis distinct. 1. de pœnit. can. erubescant dist 31* his verbis: *Erubescant impij, & aperte intelligant, iudicio Spiritus sancti eos qui in sacris ordinibus Presbyteratu, Diaconatu, Subdioconatu sunt positi, nisi caste vixerint, excludendos ab omni eorundē graduum dignitate. De manifestis quidem loquimur: secretorum autem, & cognitor Deus, & iudex est.*

Quod autem Ecclesia de internis non iudicet, probat ratio. De eo iudicare fas tantum, quod iudicanti plenè est cognitum, atqui Ecclesiæ non sunt extra sacrum confessionis tribunal actus interni cogniti, de iis ergo quæstio institui euidenter nequit: ex quo sequitur, quod si de iis iudicium magistratui Ecclesiastico ferre non licet, nec licere quoque eosdem punire, aut vetare sub excommunicatione, responsum Gregor. IX. indicat *in cap. fin. de Simon,* ibi enim eos teneri legibus statuentibus pœnas Simoniacis negat, qui commiserint Simoniam sine vllo

A pacto externo, ex mero affectu interno, nam cum hic affectus sit malus, ac Religioni oppositus, si actus internos puniret Ecclesia, vt externum illum qui propriè ad Simoniam pertinet, quando ex interno affectu procedit, excommunicatione castigat, ita & affectum hunc punire debuisset, quod tamen non fecit, signum ergo est, credidisse Pontificem, non posse per Ecclesiam actus merè internos, censura, aut excommunicatione affici.

Sæpe tamen exiguntur vt conditio, sine B qua, actus externus culpabilis non esset, nec proinde capax prohibitionis vllius sub pœna excommunicationis aut censuræ.

Est communis doctrina, & probatur, excommunicatio, sicut & quælibet alia censura, fertur tantum ob mortale, at externa nulla actio est talis, nisi informetur ab interna, à qua habet vt sit voluntaria, illi ergo interna coniungi debet, vt sit censuræ materia.

Sic in *Clem. 1. de statu Monachor. parag. quia vero,* excommunicantur, *qui vt Prælatis suis, aut Monasteriis damnum inferant, ad curias* C *Principum se conferre præsumpserint*, Clementina *multorum de hæreticis ca. 1. parag. verum quia: excommunicantur, qui odii, gratiæ, vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu, contra iustitiam & conscientiam suam omiserint procedere contra hæreticos.* Simili modo, excommunicantur interdum à Pontifice, qui scienter crimen aliquod admittere præsumpserint, aut opus facere, quod ipse prohibet, quibus verbis, actus internus haud dubiè non punitur, vt patet, sed significatur exigi tanquam conditio necessaria, vt ob actum D exteriorem, in se etiam prohibitum, censura hic & nunc incurratur.

CAPVT XI.

Qualis esse actus externus debeat ob quem incurritur excommunicatio.

QVanquam non est necesse, actum externum cuius causa iure incurritur ex- E communicatio, aut censura, notum esse multis, vt hunc tamen effectum habeat, debet esse in suo genere completus, primam partem huius regulæ tuentur Henriq. *lib. 13. ca. 27. parag. 2. litera H. & K.* Regin. *n. 162.* Caiet. *verbo hæresis.*

Enimuero qui hæresim animo conceptam, cum pertinacia euulgat in cubiculo, vbi solus versatur, est secundum omnes Doct. excommunicatus, & tamen non est hæc eius culpa vlli mortaliū cognita, vt supponitur.

Confirm. sunt Simoniaci quos confidentiarios nominant, excommunicati per Bullas Pii quarti, Pii V. & Sixti V. quarum meminere Nauar. *ca.* 23. *Enchir.num.*110. Suar. *lib.*4.*de censur. ca.*43. Azor. *to* 3.*lib.*12.*cap.*10. Et tamẽ sæpe non sunt nisi sibi ipsis inuicem cogniti, ergo ad incurrendum censuram iure impositam, non est necesse actionem cui iure est adiuncta, multis notam esse, satis est, natura suâ talem esse, vt cognosci queat, etsi defectu circunstantiarum, testimonium sui nullum habeat, & ita sit per accidens occulta.

Iure dixi, nam censura quæ irrogatur à Iudice in pœnam culpę, cum requirat processum, & causæ cognitionem, vt in reum sententia dicatur, non debet culpa occulta esse, nam legitimè probanda est authoritate testium, alioqui reo fieret iniuria, at testimonium nullum esse potest verum, & efficax, nisi de cognitis, aut auditis, quod testimonium non sufficit ab vno aliquo dici, cum singularibus testibus non credatur, *cap. bonæ* 1.*cap. cum dilectus de elect. cap. cum veniens* 1. *cap.licet de testib.* sed tot oportet produci quot faciendæ fidei sunt necessarii, qui numerus est minimum duorum, vt dicitur *in cap.in omni de testibus & attestat* 4. & *lege Vbi numerus de testib.*

Ex dictis sequitur primò, ad irregularitatem contrahendam ex opere aliquo suo, non esse necesse, vt sit manifestum, aut multis notum sic Nauar. *cap.* 27. 194. & probatur ex Trid. *sess.*24.*ca.*6.*de reform.* vbi aperte Conc. supponit, irregularitatem ex crimine occulto posse contrahi, cum Episcopis concedit *facultatem dispensandi in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus excepta eá quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis ad forum contentiosum deductis.*

Quare non videtur opinio Glossæ *in cap. vltim. de tempor. ordinandorum*, probabilis esse, scilicet neminem præter homicidam, fieri irregularem, ob crimen ita occultum, vt probari in foro externo non possit, quia canonibus quos pro se citat derogatum est per Concil. loco citato.

Sequitur secundo, extra Galliam, suspensos esse ab vsu Ordinum acceptorum, qui eos, ante ętatem legibus Ecclesiæ præstitutam suscepere, etsi hæc eorum culpa, nulli sit, præterquam sibi cognita, Nauar. *tom.* 2. *Concil.lib.*5.*Concilio* 44.*de sent.n.*15.

Dixi extra Galliam nam vt habet hic author loco cit. numquam Bulla Pii II. in ea publicata, ac recepta fuisse ab Episcopis legitur, quare cum legem omnem vt vim habeat, promulgari ac recipi oporteat, ab

A his quorum interest, defectu vtriusque conditionis, hæc quæ de suspensione est, ab vsu Ordinum receptorum, vim in Gallia nullam habere est censenda.

Sequitur 3. suspensionem omnem quæ est iusta, siue à iure siue ab homine lata descendat ex crimine, & siue sit occulta, siue publica, impedire vsum illius actus Ecclesiastici officii, à quo reus suspenditur, nec fieri sine peccato mortali posse. Quia illum exercere est contra obedientiam Ecclesiæ debitam. Nauar. *to.* 2.*consil.lib.*5.*consilio* 7.

B Iam probanda est pars altera, in qua dicebatur, non quolibet actu nostro externo, ac sensibili, qui est peccatum, excommunicationem ac censuram incurri, sed tantum completo.

Sic autem probatur, lex pœnam imponens, strictè est interpretanda ac propriè, cum sit onerosa ac grauis, restringenda est potius, quam amplianda, iuxta axioma iuris, quo dicitur: *Odia coercenda esse, fauores autem extendendos*, sed lex quâ censura decernitur, est pœnalis, mitiusque est, ac innocenti meC lius, dictæ legis verba propriè sumere ac stricte, de actu in suo genere completo, quam imperfecto, & alterá sui parte manco, ergo, &c.

Confirm, Actio nulla, censuram Ecclesiæ meretur, nisi sit mortalis, & sensibilis, quia si mortalis non esset, pœna culpam excederet, nempe excommunicatio, *qua in Ecclesia nihil est grauius; culpam venialem* ob quam infligeretur nocenti, & si hęc culpa nõ esset externa ac visibilis, ab Ecclesia puniri non posset, vtpote quæ de internis non D iudicat, ergo quando censura fertur ob peccatum, nisi aliud exprimatur, intelligendum est de completo in suo genere. Sic Auila *parte* 2. *cap.*5.*disp.*3.*dub.*5. Nauar. *lib.*5.*consilior.de sent.excom.consilio* 3.*n.* 2.

Hinc corrollaria plura inferuntur, quæ etsi de excommunicatione, tanquam de præcipua censura dicantur, in aliis quoque similiter locum habent.

Primum est, actum propter quem fertur excommunicatio aut censura, tunc dici E completũ, quando voluntati internæ, adiicitur actus exterior, qui proprie significatur per verba legis eum prohibentis.

Secundùm, in Gallia excommunicatos non esse apparitores, ac præfectos vigilum, qui Clericos noctu cum armis deprehensos, mittunt in carcerem, ac armis suis spoliant. Quia cum legibus Galliæ istiusmodi hominum generi sit permissa Clericorum comprehensio, ob crimen quod appellatur in foro *portus armorum vetitus*, non potest ea censeri mortalis, nec proinde materia excom-

munications

communicationis, vt notauit Nauar. *de sent. excomm. consilio 25. iuxta 2. edit. num. 1.* Quod enim per se licet, hoc impunè cuique ac sine culpa facere, cum placet, licet: sed ex Nauar. loco proximè cit. Magistratus regius Clericum arma indebitè portantem punire pœna ciuili potest, virtute consuetudinis immemorabilis, quæ vim habet priuilegii, vt refert Aufrerius *in repetitione clement. 1. de officio ordinary regula 1. fallent. 10.*

Corrollarium tertium, Excommunicatum non esse, qui Clericum conatus est percutere, non percussit tamen, quia non potuit, aut impeditus fuit.

Ratio est, quod conatus ac voluntas, Ecclesiæ legibus puniri non soleant, sed actus ipse, qui est in suo genere completus ac perfectus.

Corrollarium quartum, Pro excommunicatis item habendos non esse, qui in campum processerunt, pugnandi causa gladios distrinxerunt, sed ne se impeterent, sunt ab amicis cohibiti. Quia cum lex Ecclesiastica, de duello vitando, sub pœna excommunicationis, sumi proprie debeat, non voluntatem, non conatum, aut præparationem ad pugnam committendam amplectitur, sed illam ipsam, ac congressum dissidentium inter se, ergo si ad eum non est ventum, non sunt hi existimandi excommunicati.

Corrollarium quintum, Eos qui scienter indignum eligunt, iuris pœnas non incurrere, *nisi in eo perstiterint quod ex votis eorum, communis electio subsequatur, cap. perpetuo sanctionis de elect. in 6.* Quia eorum electio etsi vitiosa, completa tamen non fuit in genere peccati, eo quod effectu caruit.

CAPVT XII.

An quodlibet peccatum excommunicatione puniri valeat.

NOn quodlibet tamen est censura puniendum, sed inobedientiæ duntaxat ac contumaciæ, per quam reus, Ecclesiæ monentis ac præcipientis, authoritatem contemnere censeatur. Victoria *in summa tract. de excomm. num. 6.* Couar. *in can. alma mater par. 1. parag. 9. n. 1.* P. Sotus *lect. 3. de excommun. Quisquis probatus fuerit per contumaciam nolle obtemperare, cum hoc primæ sedis Episcopo fuerit probatum, det literas, vt nullus ei communicet donec obtemperet,* Concil. Mileuitan. *can. 24. African. can. 89.* & in Agath. *can. 2. Contumaces Clerici prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur,* in Turon. autem Synodo *can. 25.* diserte dicitur peccatum illud

A quod excommunicandus admittit, dum Ecclesiæ parere renuit, consistere *in despectu Dei & Pontificũ,* quibus morem non gerit, de quo illis constare vt queat, neminem inauditum ac non ante ad dicendam causam vocatum, damnare debent: quæ Iuoni cum de Rotrocotho comite excõmunicando esset quæstio causa respondendi Galloni Parisiẽsi Episcopo extitit in *epist. 93. Ego seruato legum tramite, nolo quenquam more sicariorum sine audientia punire, nolo satanæ tradere, donec vel audientiam subterfugiat, vel iudicium contumaciter respuat.*

B Equidem contumaciam ac despectum præcepti Ecclesiastici exigi, probant verba Christi imperantis Matth. 18. *Vt qui Ecclesiam non audierit sit nobis tanquam Ethnicus & Publicanus,* hoc est, apud nos eodem sit loco, quo infidelis aliquis: quæro enim quid sit Ecclesiam non audire, nisi eam contemnere? at hæc maximè despicitur negatione obsequii sibi debiti, est ergo eiusmodi inobedientia excommunicationi ferendæ in alium, necessario præsupponenda.

C Tertio, est censuræ cuilibet præmittenda canonica monitio ab Episcopo, præterquam in casibus infra dicendis, sed huius rei causa non est alia, quam quia ante illam, aliquis censendus non est contumax, ergo supponunt canones, ad incurrendam censuram excommunicationis, contumaciam esse necessariam, sed hæc sine inobedientiâ esse nequit, fac enim me obsequi monenti, fac parere eius voci, ecquid notâ peruicaciæ abstersâ, audiam morigerus? ac Episcopo non contrarius? Est ergo inobedientia excom-

D municationi ferendæ præuia, eius certe meminit expresse Constant. Concil. *in sess. 28.* cum de Friderico duce Austriæ agitur, *sancta Synodus valeat tantam inobedientiam & rebellationem notoriam vlcisci, declarat, &c.* excommunicandos autem ibidem nominat *rebelles & contumaces.*

Esse autem contumax quis potest præsumptiue, & manifeste, præsumptiue aliquis censebitur contumax, si sciens se citandum à iudice, lateat, ne ad ipsum, mandata eius

E perueniant, secundò si impediat ne citetur, quia enim manifeste non apparet eum nolle parere, ideo dicitur præsumptiue tantum contumax, & in hoc casu, satis est vt excommunicationem incurrat, si mandatum Episcopi, aliquid ei sub interminatione censuræ imperantis, innotescat vni ex eius domesticis, aut ad eius fores affigatur.

Manifestè aliquis est contumax, primo, cum negat coram Iudice, pariturum se sententiæ contra se latæ, nulla tamen probabili ratione reddita eius negationis *can. certum*

est 43. causæ vndecimæ q. 3.

Secundo, cum fecit aperte contra prohibitionem aut mandatum, vt si iussus manere domi ad certum tempus, ante illud elapsum, ea egrediatur.

Tertio, cum extra iudicium, negat coram aduersario, & testibus se pariturum.

Quarto, cum causatur impedimentum non comparendi in loco, ad quem est citatus, quod tamen non probat, nec ad Superiorem iudicem appellat, ei probaturus causam absentiæ suæ.

Ex quo patet ad censuram, non requiri formalem inobedientiam, sed sufficere materialem, & impropriam.

Est impropria cum inobediens ad violationem præcepti non mouetur à contemptu Superioris, dicendo apud se, nolo quia iubeor, sed ab alio quocunque motiuo, modo cum operatur, meminerit præceptum esse de re omittenda, aut agenda sub pœnà excommunicationis. Propria, & formalis inobedientia, est ea quæ habet formalem contemptum Superioris, qui positus est in reiectione expressa imperii ab eo positi.

Non requiri autem ad Censuram, formalem inobedientiam; sed sufficere generalem, & interpretatiuum contemptum, ostenditur sic

Ad ferendam censuram contra aliquem, satis est, quod in re graui Ecclesiæ morem non gerat, sed qui discedit à præcepto Ecclesiæ, non faciendo quod præcipit, aut agẽdo quod vetat sub excommunicatione, virtute contemnit eius authoritatem & claues, ergo formalis inobedientia ad censuram non est necessaria, sed materialis & impropria sufficit, quare, qui sciens prohibitum esse ab Episcopo ingressum in Monasterium Monialium, sub interminatione excommunicationis & censuræ, nihilominus in earum septa sine superioris licentia ingreditur, præter peccatum mortale, cuius reum se facit, violando tale præceptum in re graui, excommunicationem quoque incurrit.

Ex dictis sequitur primo, non subiacere Censuræ eos, qui factum suum ignorant esse iure Ecclesiæ prohibitum, quia censuræ, pœnæ sunt contumacium, at esse contumax non potest, ac Ecclesiæ inobediens, qui ab ea quidpiam prohibitum esse ignorat, vt dicetur in regula proximè sequenti.

Sequitur secundo, nec contra vllum censuram ferri posse, qui non sit reus alterius iuris violati, quam diuini aut naturalis.

Primo, quia *Matth.* 18. expresse ad excomm. incurrendam requiritur vt excommunicandus Ecclesiam non audiat, ergo non sufficit quod ab eo præceptum violetur

A naturale aut diuinum, alioqui malè facta fuisset mentio contumaciæ, in spernendo mandato Ecclesiæ.

Secundo, sunt censuræ institutæ ad frangendam inobedientiam erga Ecclesiam, at nemo potest dici ei inobediens, qui non peccat contra eius præceptum, ergo ad incurrendum censuram requiritur, vt reus peccet contra aliquod præceptum Ecclesiæ.

Sequitur tertio neminem excommunicari posse, pro peccato vllo suo merè præterito, & quod esse desiit. quia culpa pręterita,
B nullam arguit contumaciam in eius authore contra Ecclesiam, quam tamen esse necessariam ad censuram, communis est Doctorum opinio.

Sanè Cœlestin. III. *in can. ex parte, qui est 23. tit. de verbor. significat.* cum de causis ferendæ excommunicationis disputat, non nisi duas commemorat, easque cum præsenti contumacia coniunctas, nempe quia nocens, *citatus stare noluit iuri, vel etiam pro*
C *offensa, quia videlicet iussus noluit maleficium tollere.*

Secundo, *cum excommunicatio* authore Innoc. IV. *in cap. 1. de sentent. excommun. in 6. medicinalis sit, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is in quem lata fuerit non contemnat,* infligi debet tam corrigendi causâ quam medendi, at qui contumaciam deposuit, & peccare contra Ecclesiæ præceptum desiit, etsi de scelere præterito puniri possit, ac corrigi, non tamen sanari, cum cessando à violando Ecclesiæ præcepto,
D cessauerit æger esse, cum ergo iudex Ecclesiasticus *caute prouidere debeat, vt in ferenda excommunicatione ostendat se prosequi quod corrigentis fuerit & medentis*, vt dicitur, *cap. 1. de sentent. in 6.* eius curę erit, ac prouidentiæ, censuram non infligere ob peccatum præteritum, quod quia cessauit, curatione non indiget.

Sequitur quarto, nõ ab homine modò, sed ne quidem à iure, censuram vllam ferri posse, ob peccatum præteritum, quantumuis enorme, quod actu aut habitu non continuatur. Actu culpa perseuerat, quando de facto
E admittitur, nec per pœnitentiam eius, qui illam admisit, aut aliter reuocatur. Habitu vero continuari censetur, quando in aliquo suo effectu remanet, qui tolli potest: ita damnũ proximo illatum perseuerat, quãdiu non restituitur, aut eius inferendi causa non tollitur, quare si censura puniendus erit eius author, his illam verbis concipere erit necesse, quæ ordinem dicant ac habitudinẽ ad tempus pręsens, hoc modo. *Qui furtum admiserit, & intra mensem nõ satisfecerit, excommunicatus*

municatus esto. Qui contra præceptum sui Episcopi è prouincia est egressus, suspensus esto ab vsu beneficij, & officij, si intra bimestre ad propriam Diœcesim non redierit.

Ratio est, quod censura, ferri nulla possit, nisi ad domandam rei contumaciam, at ibi reperitur hæc tantum, vbi est inobedientia, ac præcepti violatio: ergo, &c.

CAP. XIII.

Quænam à censura excusent.

EXcusant à censura ignorantia, inaduertentia, consuetudo præscripta, metus grauis, defectus potestatis, & monitionis, & quidem excusat ignorantia tam facti quàm iuris, si sit inuincibilis. Quia censura non incurritur sine culpa, at ignorans inuincibiliter malitiam rei in qua occupatur, quam appetit aut efficit, non peccat, quia factum, defectu scientiæ. & notitiæ omnium eius qualitatum, non est voluntarium, ergo nec peccatum.

Quid si operans, cognoscat quidem id quod facit, malum esse, quia oppositum est iuri naturali, ac diuino, ignoret tamen esse prohibitum iure Ecclesiastico, aut si intelligit, nescit tamen censuram ei adiunctam: quid iuris?

Respondend. in neutro casu censuram incurrere, non in primo, quia censura nunquam imponitur nisi contumaci, ac spernenti præceptum Ecclesiæ, at talis nemo censetur esse, quandiu ignorat voluntatem Ecclesiæ, &c.

Quare qui ignorans se excommunicatum esse, celebrat, vel alios actus similes facit, nõ est irregularis. Ancharan. *in cap. 1. notab. 6. de preb. in 6.* Rebuff. *in concord. tit. de excomm. non vitandis verbo statuimus*, nec ob id beneficio priuari potest *id. ibid.* Panorm. *in cap. illud de Clerico excomm. ministr.* & Staphylæus *in tract. de literis gratiæ*, itaque qui eiusmodi hominis beneficium à Papa dari sibi cupit, eidem exponet, quod sciens se excommunicatum celebrauerit. Rebuff. supra *ver. notandum est.*

Confirm. maleficia voluntate ac proposito sunt distincta. *cap. cum voluntate de sent. excomm.* at qui ignorat inuincibiliter præceptũ Ecclesiæ, nec expresse, nec implicitè vult illud transgredi. Non primum, vt patet. Nec secundum, quia cum iura sint à se inuicem distincta, & naturale ab Ecclesiastico seiungi possit, non potest in transgressione præcepti primi generis, dici quod violatio Ecclesiastici contineatur, tanquam effectus

A in causa. Verum est ergo quod dicimus, nec implicitè, nec explicitè, violationem præcepti Ecclesiastici quod ignoratur, sub voluntatem cadere, ideo præcise, quod quis peccet contra ius naturæ.

Confirm. actio voluntatis mala non est, alio malitiæ genere, quam quæ ei repræsentata est ab intellectu, quia vt sic est voluntaria, non aliter, at ex hypothesi res tantum apprehenditur mala esse. malitia quæ iuri diuino aut naturali sit contraria, & non Ecclesiastico, ergo actio per quam violabitur

B ius naturale, aut diuinum, dici non poterit esse contra Ecclesiæ imperium, ergo nec inobediens, qui illam efficiet.

Similiter non incurrit censuram, qui scit quidem rem esse ab Ecclesia vetitam, sed non cum adiunctione Censuræ.

Probatur, reus non censetur absolutè contumax, nisi præceptum Ecclesię violando, quod sub interminatione censuræ obseruare iubetur, vt vel hinc patet, quod si præceptum tale nosset, cum pœna censuræ adiuncta, illud seruaret, ac Ecclesiæ imperanti pareret, non est ergò absolute censendus contumax, quandiu in ignoratione dictæ pœnæ versatur.

C

Confirm. Per *cap. 2. vt animarum de constit. in 6.* innocentes non ligantur sententiis ordinariorum per statuta prolatis, ergo à pari non astringentur censuris, quæ erunt latę per statuta, aut sententias, si eas nesciuerint.

Ita tenent Nauar. *cap. 27. num. 27.* Sanch. *lib. 9. disp. 32. num. 21.* Suar. *disp. 4. sect. 9. num. 19.* Henriq. *lib. 13. de excom. cap. 23. num. 2.* Ledesma *de matr. qu. 55. art. 6. dub. 5. ad 4.*

D Et hæc de ignorantia sint dicta, veniamus ad alia, & primò excusare inaduertentiam, ab incurrenda censura, ostendit hæc ratio. Non alii castigantur hac pœna quàm nocentes, sed qui non aduertens pręceptum esse de re omittenda aliquâ aut agenda, sub excommunicationis pœnâ, cum nihilominus, omittit aut facit eã non est nocens. Quia actio nulla est mala, nisi quæ voluntaria. Sed quæ fiunt inconsideratè, ac sine aduertentia, non sunt talia, nam inconsideratio & non aduertentia, æquiparantur ignorantiæ

E inuincibili, secundum Portelium *in dub. regularib. verb. excom. n. 9.*

Secundo excusat metus, isque grauis. Quia censura, nunquam incurritur, nisi quis peccauerit contra præceptum Ecclesiæ, sed metus efficit, ne quis contra illud peccet.

Probatur, Præcepta Ecclesiæ non obligant nisi consentanee eius voluntati, aut iudicis ea imponentis, sed hæc non exigit à quoquam, vt cum metu graui subeundi alicuius periculi, in vitâ aut honore, legibus

ſuis pareat, ergo vt non peccabit in tali caſu, ita nec excommunicabitur. Sic Nauar. *cap. 27. num 63. parag. ſeptimum*, Henriq. *lib. 13. ca. 21. num* 3. Auila 7. *par. diſp. 2. dub. 7. conc. 5.* Ægid. *diſp. 13. dub. 12. num. 98. & 99.* Suar. *diſp. 4. ſect. 3. num 14.*

Tertio à conſuetudine, eaque præſcriptâ, habent Reges Galliæ vt à nullo ſui regni Antiſtite excommunicari, aut declarari poſſint excommunicati, Graſſalius *de iure liborum* Feraldus *priuileg. 6.* Rebuff. *in praxi beneficiar. parte 1. in forma & declarat. nonæ prouiſionis, verſu ſed ſi venerabili fratri* Bochell. *lib. 2. decret. Eccleſ. Gallic. tit. 16.* Aliis placet hoc ei à Pontifice conceſſum eſſe, quemadmodum & eius Miniſtris, ac Officialibus, ne notari cenſura poſſint, occaſione rei, quæ ad eorum munus prouinciamque pertineat, Graſſ. ſupra, Boch. *in ſumma verbo excommunicatio*, eademque lege, aut verius Pontificis voluntate, eoſdem exemptos eſſe aiunt, ab Epiſcoporum legibus, imperantium vt quæ quiſque nouit de crimine, cuius cauſa litteras monitorias, vt aiunt, conceſſere poſtulantibus, ad notitiam eius conſequendam, hæc ſibi aut Parocho ſignificet, hos inquam magiſtratus ea lege non comprehendi narrant, cum res, qua de agitur, eſt eiuſmodi, vt ad proprii ſui muneris functionem pertineat. Sed de hac re alias.

CAP. XIV.

An cenſuræ inferendæ retardari vis poſſit, & quomodo.

IMpeditur autem Eccleſiaſtici poteſtas iudicii, per appellationem, hæc enim tempori, locoque interpoſita, obſtat ne in appellantem cenſura promulgetur, Innoc. III. *in cap. dilectu filiis 55. de appellat.* Adrianus Papa *in capitulis a ſe collectis ex Synodis & canonib. diuerſis tomo conſilior.* 3. quare accuſato ſi iudicem ſuſpectum haberet, nunquam non appellare licuit, *vt vitiatam cauſam appellationis remedio ſubleuaret, & apud alium iudicem amotis dilationibus audiri poſſet.* Adrianus ſupra, Vt ſit hæc tamen efficax, tempore præcedere aliquo ſententiam debet, *cap. adhæc 37.* quæ ea eſt poſterior, illam non moratur: Alexandri III. in ea decretali eſt hæc, ſuper re vtraque ſanctio. *Noueris quod ſicut poſt appellationem excommunicari non poſſunt, ſic interdictum nequeunt, cui ante appellationem conſtat ſuppoſitos, declinare*, idem ab eo reſponſum Remenſ. Archiepiſc. in Concil. Lateran. *parte 10. de appellationib. cap. 7.* & Vigorienſi Epiſcop. *cap. 8. & nono*: habet enim appella-

A tio facta vt oportet, hoc eſt canonicè, effectus duos, primus eſt, cauſam ad ſuperiorem iudicem deuoluere, alter eſt, ita prioris iudicis auctoritatem ſuſpendere, vt illius mandatum non vigeat etiam ſub cēſuris factum, Alexand. III. in Concil. Lateran. *parte 10. cap. 9. & 10.* quare excommunicatus, poſt appellationem deſiſtere à diuinis non tenetur, quia excommunicatio eſt nulla *cap. dilecti 66. de ſentent. excomm.* nec fit celebrando irregularis Rebuff. *in concordat. tit. de excom. non vitandis §. vnde*, longe tamen eſt ad conB ſcientiæ pacem ſecurius, ſibi à celebratione ante abſolutionem habitam, modum imponere, ab eaque ceſſare: ita Innoc. III. decretalis *per tuas 40. de ſentent. excomm. In aliis niſi gratiam abſolutionis imploret, non debet audiri, ne ſententiam Eccleſiaſticam contemnere videatur, ac per hoc amplius ex ſuo contemptu ligetur.*

Excipiendus eſt caſus, in quo excommunicationem nullam, ac irritam eſſe, quia intolerabilem errorem continet, aut eſt poſt appellationem impoſita, probare appellanti C eſſet in animo: in his enim caſibus, *ad probationem eorum, etiamſi abſolutionem non petat, debet admitti, ſed donec de ipſis conſtiterit, vitari debet in aliis*, Innoc. *cap. per tuas 40 de ſent. excommun.* tunc enim ad cautelam abſolui poteſt Innoc. ibi, Rebuff. *in praxi benef. tractatu de additionib. in regulis cancellariæ regula 65. paragr. ſed nunquid.*

Appellationi tamen, ſi imprudens erit, friuolaque, Epiſcopum deferre nihil eſt neceſſe, cuiuſmodi eſt futura, ſi cauſa legitima D nulla nitatur, ſi, de quo queri iuſtè appellās poſſit, ac debeat, ſententia in eum lata nihil habeat, vt ſi ſtatutis ordinis, aut canonicis conſentanea ſit legibus, qualē eſſe non poteſt ambigi, cum hæ, culpam cenſura puniri volunt, quæ eſt ab excommunicato admiſſa, nec eſt eorum aliquid, quæ ſunt ad ſententiæ validitatem, Pontificiis neceſſaria ſanctionibus, à iudice prætermiſſum: primo enim eum admoneri oportet officii, *cap. ſacro 48. de ſentent. excomm. cap. reprehenſibilis 25. eod. titulo cap. cum ſpeciali 61. de appellat. cap. ſtatuimus 3. & cap. Romana 5. de ſentent. excomm. in* E 6. quod ſi monitus contumaciæ modum non ponit, tum enimuero iuſte ab Eccleſia ſpirituali verbere vapulat, *omnis enim iniuria, quæ admonitione non corrigitur, anathemate plectenda eſt*, ritu priſco ac vetere Eccleſiæ: Iuo Carnot. *epiſt. 141. ad Falconem Pariſienſis Eccleſiæ Archidiaconum.*

Quo autem ea monitio fieri modo debeat, expreſſit Ioan. XXII. *lib. 5. Extrauag. communium tit. 5 cap. vnico de furtis*, clariſſime autem Conſtantienſ. Oecumenica Synodus *ſeſſ.*

sess.19. his verbis: *Sancta Synodus diuersos ac singulos Episcopos, Abbates, Priores Præpositos &c. vbilibet & eorum quemlibet in solidum, ad quem, vel ad quos, præsentes nostræ literæ peruenerint, tenore præsentium requirit, atque monet, primo, secundo, tertio, & peremptorio terminis, communiter, & diuisim eisque, & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna latæ sententiæ, districte præcipiendo mandat, quatenus statim visis præsentibus dictum Fredericum Austriæ ducem, &c.*

Excusat Iudicē à præmittenda monitione, primo facti necessitas *cap. constitutionem 9, versu nisi facti necessitas, de sentent. excom.*

Secundo delicti qualitas, quod est tale, vt iure excommunicationem mereatur sine sententia *cap. reprehensibilis 26. de sentent.* extra hos casus, moneri reus debet, ac citari, *vt duorum, vel trium fratrum spiritualium testimonio peculiariter adhibito, & modus criminis agnoscatur, & modus pœnitentiæ irrogetur, Concil. Toletan. 11. circa tempora Adeodati can. 7.* Leo *epist. 83.* quod Gallos antistites facere solitos loquuntur hæc pauca, ex Iuonis *epist 193* deprompta, *ego seruato legum tramite, nolo quenquam more sicariorum sine audientia punire, nolo satanæ tradere, donec vel audientiam subterfugiat, vel iudicium contumaciter respuat: consulatur super hoc Euangelium, &c.*

Et quoniam prohibentur Episcopi quemquam *excommunicare sine ordine iudiciario cap. 1. de excessibus prælatorum: oportet eos cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi, ac proponendi patientia ab eis præbita, vt actio partium limitata sit pleniter,* Adrian. Papa *in capitulis ex diuersis Synod. collectis,* nihil dare amori, nihil odio, æquitati omnia: Concil. Tolet. *11. can. 7.* vt his liberi affectibus: hominum dicteriis non pateant, cauetur *ca. 1. de sentent. excomm. in 6. 11. qu. 3. can. si Episcopus 4.* & *can. placuit 88. causæ ergo pensandæ sunt, & tunc ligandi, atque soluendi potestas exercenda* Gregor. *homil. 26. in Euangelia.*

Et quoniā vt est *in c. 9. Synodi habitæ Suession. in causa Hincmari, qui ab Ecclesiastica societate buolibet excessu discinditur, libellari scriptione aut recipitur, aut deiicitur*, de sententia excōmunicationis à iudice proferenda in scripto, eiusque causa illi inserenda ac eius exemplo excommunicato exhibendo *cap. 1. de sentent. excomm. in 6. parag. quisquis igitur versu & causam excommunicationis*, mentionem hic quanquam strictim facere placuit, vt indicarem appellationi tunc locum esse, cum his est conditionibus, aut earum aliqua destituta censuræ sententia.

Potest hęc verò fieri ad finitimos Episcopos *11. q. 3. can. si Episcopus 3. & 4.* Concil. Re-

A mense sub Dagoberto: Ad superiorem aut Papam *can. 5.* Concil. Lateran. sub Alexand. III. *parte 10. cap. 8. & 9.* etiamsi in literis quibus causæ cognitio ab eo est delegato iudici commissa, ea videretur prohibita adiectione huius clausulæ, *Non obstante appellatione* nam per eam illa duntaxat, *prouocatio intelligitur remoueri, quæ à iure non indulgetur expresse* Innoc. III. *in cap. pastoral. s officii 53.* quare si appellans grauatus erit iniustè, grauamen huiusmodi poterit per appellationem emendari: Innoc. supra. Sunt his per-

B quam similia quæ ab Alexand. III. sunt scripta in Later. Conc. *parte 10. de appellat. ca. 9.* interrogatus enim à Vuigoriensi Episcopo vtrum sententia pro appellatione, quam ex incidente quæstione fieri sæpe contingit, sit suspendēda, licet causa fuerit *appellatione remota* commissa, respondit, *si aduersa pars, de falsi suggestione, in appellationem proruperit, non est sententia propter hoc differenda, si in literis commissionis, appellationis obstaculū inhibeatur,* nempe, quia natura non patitur, ei aures ad misericordiam non patere, qui se aduersarii mendaciis peti queritur, ad ignominiam, aut

C mortem.

An autem excommunicatus, qui ad Superiorem prouocat, ante finitum iudicium absolui debeat, declarauit Alexand. III. in Lateran. Concil. *parte 31. de excommunicatis cap. 4.* his verbis: *Quia quæsitum est à nobis ex parte tua, si liceat tibi eos, qui excommunicationis vinculo ab Episcopis aut suffraganeis tuis fuerint innodati, & ad audientiam tuam appellant, absoluere, antequam steterint tuo iudicio, inquisitioni tuæ respondemus, quod si post appellationem inter eos sententia excōmunicationis est promul-*

D *gata; absolutione nō indigent; cū sentētia post appellationē lata, neminem ligare possit, si autē ante appellationē fuerint excōmunicati, ante ingressū causæ, recepto ab eis iuramento, secundum Ecclesiæ consuetudinem debes eos absoluere, cum autem à te vel Episcopo fuerint absoluti, causam audire debes, & eam sine debito terminare, quia nec excommunicati ante absolutionem sunt audiendi, nec causa ad eos à quibus est appellatum, debet aliquatenus remitti.*

Quale autem, & qua de re iuramentum

E hoc esse oporteat, idem *in decretali epist. ad Cantuar, Episcop. relata tom. Concil. 3. in Later. Concil. parte 31. cap. 2.* exprimit his verbis: *Si pars aduersa ne absoluatur, appellationis interponat obstaculum, ab ipso tamen ante absolutionem, sufficiente cautione recepta, quod vel in præsentia Romani Pontificis, ad cuius audientiam appellatur, si maluerit aduersarius, vel coram iudice, cui Rom. Pontifex causam delegauerit, vel coram eo, in quo vtraque pars conuenerit, iuris pareat æquitati.*

Et quanquam ad superiorem prouocare cuilibet, etiam regulari liceat, non tamen à pœna, aut correctione statuta per regulam, quia cum hæc seruatur, cum quæ præcipit exequutioni mādantur, de excessu, aut grauamine, cuius tamen causa conceditur appellatio, argui iudex nequit: hanc ideo recipi oportere negat Conc. Later. *par. 1. c. 6. In locis vero religiosis hoc volumus obseruari, ne Monachi, siue quicunque religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati sui, & Capituli disciplinam, appellare præsumant, sed humiliter ac discretè suscipiant, quod pro salute sua vtiliter eis fuerit iniunctum.*

Facta, particularibus sentētiis à & pro grauamine appellatio, intra annum est terminanda, *de appellat. c. 45.* quod si innocentiam suam toto illo tempore appellās non probauerit, plecti censura à suo iudice poterit Clementis III. decreto *in ca. dilecta de appellat. 39.* Gelasii *causa 11. q. 3. can. quicunque 37. in Lateran. Concil. par. 31. can. 6.* Alexand. III. *in Concil. Lateran. parte 1. ca. 6.* Prioris sanctio sic habet. *Quicunque intra annum siue ciuiliter, siue publicè causam suam coram suis excommunicatoribus non peregerint, ipsi sibi aditum audientiæ clausisse videantur.* Et quanquam annui spatii, intra quod excommunicato fas sit agere, non fiat ab Alexandro vlla mentio, sed tantum termini, *infra quem si prosequi neglexerit, libere tunc Episcopus sua authoritate vtetur, parte 1. cap. 6.* eius tamen Conc. Carthaginense 5. meminit *in ca. 12. & non 14. vt est in causa 11. q. 3. can. rursus 36.*

CAPVT XV.

Quomodo concipi excommunicatio debeat & qua forma.

EXcommunicationi autem inferendæ, certa nulla est verborum forma necessaria, quælibet modo sit exprimendę menti eius qui excommunicat idonea, sufficit. A Gregor. VII. (vt est *in 4. tom. Concilior. pag. 77.*) & in historia Platinæ, Henricus Imperator anathemate est notatus, ac dignitatibus omnibus priuatus, præmissa ad Christum, B. Virginem, sanctumque Petrum oratione in hunc modum. *Beate Petre Apostolorum Princeps, inclina quæso aures tuas, & me seruum tuum exaudi,* & post pauca. *Fateor ego, ac meritò quidem, mihi tuâ gratia, non meritis meis, populi Christiani curam demandatam esse, concessamque ligandi ac soluendi potestatem, hac igitur fiducia fretus. pro dignitate ac tutela Ecclesiæ, omnipotentis Dei nomine, Patris, Filij & Spiritus sancti, Henricum qui temerè in Ecclesiam* A *tuam iniecit manū, Imperatoria, regiaque dignitate deiicio, & Christianos omnes, imperio eius subiectos, iuramento illo absoluo, quo fidem veris regibus fideles præstare consueuerūt. Præterea quia monita mea, imò tua, ad suiipsius, populorumque salutem pertinentia contempsit, & se ab Ecclesia Dei, quam seditionibus pessundare cupit, separauit, eum anathematis vinculo colligo, certo te sciens esse Petrum, in cuius petra, vt in vero fundamento rex noster Christus Ecclesiam ædificauit.* Alias satis sibi esse existimabat Pontifex, denunciare populo, reū excommunicatum in legem peccasse, cui canonum iure adiuncta B erat censura, sicut à Constantiensi Concilio factum video, in causa Friderici Austriæ Ducis, sic enim Patres in sessione 28. *Ideo sancta Synodus tantam inobedientiam, & rebellionem notoriam vlcisci volens, per hanc sententiam quam fert in his scriptis pronunciat, decernit, & declarat, dictum Fridericum anathematis, & sacrilegii vinculis innodatum*, factum idem à Clemente V. in Andronicum Palæologum, sententia sic habet, *Andronicum Paleologum Græcorum Imperatorem, hæreticorum, de hære-* C *sis ipsorum & schismatis antiqui fautorem, de fratrum nostrroum consilio denunciamus excommunicationis sententiam latam à canone incurrisse, ac ipsius fore sententiæ vinculo innodatum Extrauag. de sent. excom. 3.*

Sententiæ in Andronicum dictæ à Synesio, verba paulo sunt ab his diuersa, sensus tamen idem. Sic ille. *Postquam non amplius monendus est homo, sed velut insanabile membrum à nobis resecandus, vt ne societate, etiam quod sanum est, simul corrumpatur, nam inquinamentū facile distribuitur, & qui tāgit scelestū,* D *particeps fit reatus illius. Propter hoc Ptolemaidis Ecclesia, ad omnes vtique terrarum sorores suas hæc demandat. Andronico & suis, & Tonanti & suis, nullum templum Dei aperiatur, omnis sacer cœtus, omne sacrum templum conclusum sit. Non est Diabolo portio in Paradiso, qui etiam si clandestinè ingressus fuerit, expellatur. Admoneo autem & priuatum quemque, & Principem, vt ne sub eodem tecto cum ipso habitet, neque eandem mensam participet, Sacerdotes, vt ne viuentes, alloquantur & mortuos simul deducant,* Synesius *epist. 58.*

E Breuius, sed eodem effectu, sensuque, loquuti leguntur Episcopi in Arausic. Cōcil. vt refertur 11. q. 3. *canone 107. Canonica instituta, & sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei, & iudicio sancti Spiritus, à gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & à consortio totius Christianitatis eliminamus, quoad vsque resipiscant, & Ecclesiæ Dei satisfaciant.*

Ita loquentem Episcopum, Sacerdotes numero duodecim circunstabant cum faci-

bus

bus ardentibus, *quas in conclusione anathematis, vel excommunicationis proiicere aut in terram. & conculcare pedibus, iubebantur*, 11. *qu.* 3.*can.debent* 106. qui autem Parœciis præerant eosdem *singulis diebus dominicis, & festiuis, pulsatis campanis, & candelis extinctis excommunicatos publicè nunciare* Ioann. XXII. *in extrauag. communib.lib.* 5.*ca. vnico de furto parag.mandamus*, datis propterea ad eos literis monebantur tam de re ipsa, quam de censuræ causa: Vt id sentiam, persuadēt hæc verba petita ex *can.* 106.*causæ* 11. *q.* 3. *epistola per Parochias mittatur, continens excommunicatorum nomina, & causam excomm.* quam sententiæ interesse quoque suæ, Iudex addebat, ad nocentis odium: cuius rei exemplum præter alia suppeditat Synodus 7. generalis *can.* 7. in hæc verba: *Anathematizamus Photium, primo, propter nequissimam inuasionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ, cum aliis malis operibus suis, secundo propter inuentionem falsorum Vicariorum, tertio propter concilium vanitatis, quod celebrare tentauit, quarto propter crimina, quæ falso contra sanctissimum Papam Nicolaum in suo conciliabulo proposuit.*

Anathema tamen Episcoporum nulli fas erat imponere, *sine consensu Archiepiscopi aut Coepiscoporum, prælata etiam Euangelica monitione, nisi vnde canonica docet authoritas*, Concil. Meldense sub Sergio & Carol. Iuniore anno 845. *canone* 56.

CAP. XVI.

Excommunicationis effectus quis & quotuplex.

Eius non vnus est, sed multiplex effectus.

Primus est, à diuinis eorumque actibus excludere, Alexand. III. *in cap. cum plantare* 3. *parag. excommunicamus de priuilegiis Concil Sardicense can.* 16. quo tamen nomine non continetur concio, cui interesse excommunicato licitum per Innoc. III. *in ca. responso* 43. *de sent. excom.*

Secundus est, priuare excommunicatum orationibus Ecclesiæ, suffragiisque publicis, de quo extat Innoc. constitutio, his verbis: *Non sunt orationes pro eo domino porrigendæ, nisi cum de ipsius viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit ca. sacris* 38. *de sentent. excommunicatio.*

Tertius, excommunicatum à sacris remouere altaribus, nec eum inibi sacris vacantem ministeriis pati, 11. q. 3. *can. si quis Episcopus* 3. *& can. si quis Episcopus* 4. *eiusd. qu. & causæ.*

Quartus, ab omnibus actibus forensibus

A excludere, excepta sui defensione, quare excommunicatus nec iudex, nec actor, aut testis esse potest, de priore est hoc Nicol. Papæ monitum in *epist.* ad Michaelem Imperat. *miramur quomodo excommunicati ad iudicandum recepti sunt, cum secundum Apostolicos canones, sine commendaticiis literis in communione sola recipi prohibeantur. Absurdum etenim est, vt cui non licet cum minimis, iuxta sacras regulas communicare, liceat penes vos etiam de maioribus iudicare.* Vt hoc autem facere præciso iure Ecclesiæ est nefas, ita & litem nocenti intendere, diem reo dicere.

B Sanxit id Fabianus in *epist.* 1. *Omnes qui sanctorum Patrum statuta, tam præteritis quam futuris temporibus anathematizant, submouemus, & ab omni accusatione fidelium alienamus.* Placuit idem Stephano *epist.* 2. placuit & Xisto II. *epist. item* 2. in qua est *à Sanctis prędecessoribus suis plerumque tam statutum esse, vt nemo anathema, in alterius suscipiatur accusatione*, & in Ephesino Concil. *ca.* 1. cautum reperio, ne Metropolitanus prouinciæ, qui secus sentiret quam Concilium, aut Apostatarum se cœtui adiungeret, *is contra Episcopos* C *prouinciæ, nullo modo aliquid agere, efficereue posset, cum iam dehinc ex omni Ecclesiastica communione concilium eum eiecisset, & ob id nullam potestatem, aut ius agendi quidquam haberet*, eodem pertinet quod eiusdem auctoritate Concilii Catholici Clerici ab hæreticorum sint potestate, iureq; exempti, *in summa* (inquiunt Patres) *Clericos orthodoxæ & œcumenicæ Synodo consentientes, iubemus, eis qui defecerunt, aut defecturi sunt, Episcopis nullo pacto, aut ratione subiectos esse debere*, Concil. Ephesin. *canone* 3.

D Est in hanc sententiam luculenta Gallorum Antistitum sententia *in actione* 8. Concil. Suession. sub Leone IV. & Carolo Caluo anno 853. his verbis: *Posteaquam quis excommunicatus fuerit, in ipsa adhuc excommunicatione constitutus, siue sit Clericus, siue Laicus, si accusare voluerit, definimus ad accusationem non admitti*, vt mirum videri nulli debeat, si à Theologis quinto loco in effectibus excommunicationis ponatur, quod priuet iurisdictionis vsu, tollendo actualem, tam in E foro pœnitentiæ, quam contentioso, tam Ecclesiastico quam sæculari, de istius priuatione sic Pontifex. *Nos sanctorum prædecessorum statuta tenentes, eos, qui excommunicatis, fidelitate aut Sacramento constricti sunt, Apostolici auctoritate Sacramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent prohibemus*, Greg. VII. *in Synodo Rom. can.* 2. De Ecclesiastica non vsurpanda Emmo Nouiomagensis Episcopus in Concilio Suession. Leone IV. anno 853. *ca.* 9. cum de ordinatis ab Ebbone rela-

tum esset ad Concil. *Protulit rotulam, auctoritatem canonicam & Apostolicam continentem, quod qui ab ipso voluerant, & visi fuerant ordinari, in gradus Ecclesiasticos, ab eodem quod idem non habuit, nemo accipere potuit, damnationem vtique quam habuit, per prauam manus impositionem eis dedit, quia qui particeps factus est damnato, quomodo debeat honorem accipere inueniri non potest, & sic quinta actione, canonica & Apostolica auctoritate decretum est à sacratissima Synodo, vt quicquid in ordinationibus Ecclesiasticis, idem Ebbo post damnationem suam egerat, secundum traditionem Apostolicæ sedis, præter sacrum baptisma, quod in nomine Trinitatis perfectum est, irritum & vacuum habeatur.*

Effectus excommunicationis sextus est, priuare excommunicatum communicatione Sacramentorum passiua, etsi per se, ac vi sua, hæc illa non reddat inania & irrita.

Septimus est in eo, quod ab actiua eorundem collatione, eum remoueat, quamuis ex iis nullum irritum reddat, præter pœnitentiam, eo quod iurisdictionem exigat, quæ excommunicato, iure est canonico adempta.

Octauo eundem priuat vsu ordinum. *Ordinationes* (inquit Synod. Placentina sub Vrbano II. *can. 9. quæ ab hæresiarchis nominatim excommunicatis factæ sunt, & ab eis, qui Catholicorum adhuc viuentium Episcoporum sedes inuaserunt, irritas esse iudicamus.*

Nono, excommunicationis est hoc quoque proprium, facere vt qui ea, maxime maiori est innodatus, beneficii sit incapax Ecclesiastici, *ca. postulastis 7. de Clerico excom. ministr.* quare ad illud eligi aut præsentari non debet, Lessius *lib. 2. ca. 34. dub. 22. num. 116.* facta eius à patrono præsentatio, aut ab electoribus electio, aut à cedente resignatio, est irrita, Rebuffus *parag. formula dimissorarium num. 14.* Couar. *in ca. alma mater 1. parte parag. 7. num. 1. & 2.*

Decimo, excommunicato omnis est interdicta communicatio cum fidelibus tam ciuilis per contractus & testamenta, quam politica & humana per orationes, colloquia, cæteraque, quæ homini esse possunt cum homine varia in vita commercia, de quo Patrum sunt ac Conciliorum infinita prope testimonia, extat Calixti Papæ *epist. 2. cap. 2.* Chrysostomi *hom. 25. ad cap. 11. ad Hebræos* nobilis oratio, quæ à Gratiano inserta est *causæ 11. q. 3. can. 24.* Adde & Eutychianũ *epist. 2. Vernense conc. can. 9* his verbis: *In Ecclesiam non debet* (excommunicatus) *intrare, nec cum illo Christianus cibu, vel potũ sumere, nec eius munera accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se iungere, nec salutare, antequam*

A *ab Episcopo suo fuerit reconciliatus.* His consentanea loquitur, ac præcipit, *Arelat. secundam can. 30. Secundum instituta seniorum, si à communione, Sacerdotali fuerit auctoritate suspensus Episcopus, hunc non solũ à Clericorum, sed etiam à totius populi colloquio, atque conuiuio, placuit excludi, donec resipiscens ad sanitatem redire festinet.*

Ob eam causam iubebantur Episcopi vt ante obiter est insinuatum, eum denunciare, nec id modo, sed & vicinis Episcopis de eius censura literas dare: fidem facit canon 8. Concil. sub Conrado habiti anno 1225. in
B Germania, cuius fit mentio in quarto tomo Concilior. *Si Episcopus aliquem excommunicauerit certa de causa, denunciet vicinis Episcopis per suas patentes literas, vt excommunicatum denunciari faciant, & euitari, & tunc sine difficultate excommunicatum faciant publicè denunciari, & in Diœcesibus suis arctius euitari.*

Sic enim institutum est antiquitus, & nuper in Aruernensi concilio omnium Episcoporum, qui aderant consensu confirmatum vt ab vno Episcopo, quemlibet pro iniuriis Ecclesiasticis excommunica-
C *tum, vicini antea Episcopi excommunicent:* Iuo Carnot. *epist. 130.* ad Daimbertum Senonens. Archiepisc. quare Fulconem qui tum Ecclesiæ Parisiensi præerat, amicè arguit in *epist. 141.* quod quos ipse auctoritate Apostolica segregauerat ab Ecclesia, sibi, suisque tam in familiari congressu, quàm Sacramentorum vsu, vitandos non crederet. *De cætero culpo* dilectionem *vestram, quod Paganum à nobis Ecclesiasticè excommunicatum, & Apostolica auctoritate, exigentibus culpis suis in infamiam pulsum, in communionem recepistis, &*
D *Hugonem Puteacensem similiter, quod à nobis fieri de vestris excommunicatis manifeste culparetis. Moneo itaque vt de cætero, quam à nobis iustitiam in necessitate vestra vobis fieri velletis, eãdem nobis in necessitate nostra faciatis,* huc pertinent quæ paulo ante de Synesio in Andronicum sæuiente, sunt dicta.

Qui quidem effectus comprehenduntur hoc versiculo.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Per *Os*, intelliguntur colloquia cum excommunicatis, *Orare*, communicationem ac
E conuentus indicat in sacro audiendo, recitando officio, Sacramentis dandis aut recipiendis, quos instituere, aut habere, cum excommunicato prohibet Calistus *epist. 1. relatus à Grat. 11. qu. 3. can. excommunicatis 17. Excommunicatos à Sacerdotibus nullus recipiat, ante vtriusque partis examinationem, nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet nec aue eis dicat.*

Sunt his consentanea, quæ habentur in Concil. apud Palatium Vernis sub Pipino

anno

anno 744. *can.* 9. *Si quis ab Episcopo suo correptus, & excommunicatus fuerit, qui cum ipso communicauerit sciēter, sciat se esse excommunicatum*, in Concil. Aquisgran. sub Ludou. Pio anno 816. *Si quis à proprio Episcopo communione priuatus est, non ante suscipiatur ab aliis, quàm suo reconcilietur Episcopo*, idem habet Antiochen. Concil. *can.* 6. Nec est hæc modo communio in humanis, prohibita, sed & in diuinis, fides sit pene Sardicense Concil. in cuius *can.* 16. hæc habentur: *Si quis Clericorum ab Episcopo suo communione fuerit priuatus, & ad alterum perrexerit Episcopum, & sciuerit ille, ad quem confugit, eum ab Episcopo suo fuisse abiectum, non oportet ei communionem indulgere*. Pœna contra facienti statuta, est excommunicatio, in Concil. Altisiodor. tempore Deusdedit anno 614. *can.* 39. *Si quis Presbyter aut qualibet de Clero, excommunicatum absque voluntate ipsius, qui eum excommunicauit, sciens receperit, aut cum illo panem manducauerit, aut colloquium habere decreuerit, simili sententiæ subiacebit*, quæ vocula pœnam ferendæ sententiæ indicat, non latæ, qualis in Concil. Vernis *can.* 9. communicanti cum præciso infligitur, ibi enim de eo sic canon *sciat se esse excommunicatum* excommunicatione scilicet minore, vt est dictum antea, si tamen nec sic emendari poterit, *regis iudicio, exilio condemnandus dicitur* ibid. quod non est in vsu, sed sola excomm. vt est in actione 8. Côc. Suess. Leone IV. Pont. & in Remensi sub Eugen. II. *can.* 1.

Mensa idem significat ac contubernium, domumque eandem in qua habitent excommunicatus & alii ab hac censura liberi, quanquā probabilitate non vacet, eadē hos vti domo posse, modo diuersis distincta habitationibus, in quarum vna sit excommunicatus, non excommunicati in aliis: Toletus *cap.* 11. nunquā autem extra necēssitatem illis est licitum, eidem assidere mensæ, in eaque iisdem vesci epulis, in eodem, communi cubiculo versari, eodem lecto vti.

Cum autem excommunicatos nomino, nō alios quam denunciatos intelligo, cū toleratis, sed non promulgatis agere, cuiq; liberū.

Quæ enim de malorum vitanda communione dicuntur, de illis tantum nocentibus intelliguntur, quorum facinora, aut ita nota sunt, vt probatione non egeant, aut quæ confessione euidenti manifesta sunt, aut iudiciario ordine publicata, aut sufficientibus testimoniis comprobata Iuo Carn. *epist.* 98. *ad Robertum*. Quid si excommunicanti, aut alii cuipiam, excommunicati denunciati censura sit nota?

Respondet idem author publicè à communione repellendum non esse, sed tolerandum, *Sicut ipse Dominus nocentem Iudam vsque ad condignum exitum tolerauit, & eum sa-*

A *cram mensam cum innocentibus communicare permisit*, vnde habetur in Concil. Agathensi *can.* 8. *si tantum Episcopus alteri se sceleris conscium nouit, quandiu probare nō potest, nihil proferat, sed cū reo ad compunctionem cordis, secretis compunctionibus elaboret, qui si correptus pertinacior fuerit, & cōmunioni publicæ se ingesserit, ille quādiu probari nihil potest, in communione omniū & illius qui eum reum iudicat, permaneat. In conclusione huius sententiæ, solus excommunicator rei, à communione eius, quem excommunicauit, excipi non præcipitur, sed excipiendo permittitur abstinere,*
B *quia exceptiones non solent esse regulæ, sed permissiones* Id. ibid.

Dixi *publicè* nam occultè vitari debet, neutro autem modo quem Ecclesia tolerat patet *ex Extrau. ad euitanda* de qua nos alibi.

Quare prisci æui vsus, Ecclesiæ legibus approbatus ferebat, vt de excommunicatione lata in quempiam, vicini admonerentur Episcopi, *Excommunicatos*, inquit Eugen. III. in Concil Remensi *can.* 1. *à suis Episcopis, ab aliis suscipi modis omnibus prohibemus, Episcopus autem, qui sententiam promulgauerit, eam vici-*
C *nis Episcopis enunciet*, idipsum præcipit Concil. habitum in Germania sub Conrado Cardinali *ca.* 8. quod fecisse, Iuo Carnotensis legitur, in *ep.* 209. ad Hugonem Ecclesiæ Aurelian. Decanum, & in 130. ad Daimbertum Senonens. Archiep. in 129 ad Ioan. Aurelian. Episc. nā in priori Raginaldum, in duabus postremis, Adelesiam Puteacensem dominam, & eius adiutores à se excommunicatos significat.

Cuius moris causæ fuere duæ, prima, vt quam Episcopus sententiam dixerat, hanc
D cæteri ratam esse vellent, suoque suffragio firmarent, *Episcoporum nullus*, inquit Innoc. II. in Synodo Romana *can.* 9. *nullus excommunicatum in communionem suscipiat, imo susceptam sententiam quisque confirmet*, quod obseruabatur tū maxime, cum quis potestate accepta à Pontifice, alterius Episcopi Parochianum sacris ac bonorum cœtu mouebat, ita mihi sentiendi causa ab his Iuonis verbis in *epist.* 129. ad Ioann. Aurel. Episcopum. *Quando dixit*, Papa scilicet, *vt confirmaretis sententiam nostram, canonicè dictam in prædictam*
E *Dominam*, iam dixerat *Parochianam esse vestram, & tamen dedit Carnotensi Ecclesiæ licentiam excommunicandi eam pro suis iniuriis. Rogo itaque vos, & moneo, vt impleatis præceptum quod accepistis, quia & ego ad præsens, non priuabor Apostolico munere quod accepi*, & in *epistola* 130. ad Daimbertum, Senonens. Archiep. *De cætero Adolesiam Puteacensem Dominam, & Hugonem filium eius, cum cæteris adiutoribus suis, propter tyrannidem quam exercent, ex Apostolica auctoritate, à nobis excommunicandos, precando*

CAPVT XVIII.

Ab excommunicatione absoluere cui sit permissum in iure.

AB excommunicatione censuræ absoluere potest in mortis articulo Sacerdos quilibet Trident. *sess 14. ca. 7.* Concil. Lateran. sub Alexand. *parte 3. de excommunicatis c. 6* admonendus tamen est eo tempore pœnitens, conscientiæ se suæ, officioque non facturum satis, nisi superiore, vbi sibi per recuperatam valetudinem erit liberum, absolutionis ab eo impetrandæ causa, conueniat Concil. Later. supra, his verbis: *Mortis interueniente periculo, dispersatio misericorditer subueniat, data tamen pro posse satisfaciendi securitate si conualuerit, pro absolutione Papam aditurum.*

Qui in eo, muneri suo deest, in eandem excommunicationem relabitur, quæ eum ante constrictum tenebat.

Ratio est, quod ex quo tempore, reus superiori cum potest, non se sistit, fit inobediens, & contumax, vnde fit, vt ratione talis contumaciæ, in excommunicationem reincidat.

Non est tamen pœna hæc nisi eorum propria, quibus suæ sunt censuræ laxatę à Presbytero communi ac simplici, cui absoluendi à casibus Papæ reseruatis nulla est à iure, aut eodem Pontifice facultas, nam absoluti vi Bullæ, Iubilæi, aut priuilegii, vel à delegatis Papæ, sic Deo, ac Ecclesię, per manuum impositionem reconciliantur, vt de superiore adeundo, aut consulendo postea, laborare eos nihil sit necesse, Bonac. *de censuris disp. 1. q. 3. p. 3 num. 15.* Qui autem curato à morbis corpore, quibus tentabatur, superiori tenetur se per Ecclesiæ legem sistere, ei satisfacit, *si absens pareat, nam ad obsequendum solum, non autem ad recipiendum absolutionis beneficium, præsentari iubetur, quin etiam post Concil. Trid. nullam video obligationem se præsentandi, cum absolutè dicat, in eo articulo, posse quemuis Sacerdotem absoluere ab omni censura, nec addat aliquid de ea obligatione:* Emman. Sa *verbo absolut. ab excommunicat. num. 6.* non potest tamen æger, vi morbi in mortem imminens, à suspensione ab officio, ordine, vel beneficio, aut irregularitate, absolui à Presbytero quolibet promiscue, quia hęc à consecutione gloriæ non morantur, Bonacina loco citato: an autem hoc ei beneficium impertiri Religiosi priuilegiati valeant, dicetur alibi.

Mihi de censurarum absolutione cogitanti pauca hæc obuersantur animo, quæ in rem præsentem faciunt.

Primum, ius esse Romano Pontifici absoluendi à casibus quos sibi reseruat in Bulla cœnæ, atque in tribus voluminibus Pontificii iuris, hoc est in Decreto, Decretalibus, & in sexto, in Clementinis, Extrauagantibus tam Ioann. 22. quam communibus, qui casus omnes excommunicationem maiorem annexam habent, ab iis item quos Episcopi solemni reseruatione, in tabulis quisque suis, promulgare solent, aut ius, siue consuetudo iisdem concedit, *Cum enim secundum canones, vbi est maior authoritas, iudicium inferiorum sit deferendum, ad dissoluendum scilicet, vel ad roborandum, patet profectò, sedis Apostolicæ, cuius authoritate maior non est, iudicium à nemine fore retractandũ, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio,* Nicol. Papa 1. *in epist. ad Michael. Imperat.* ergo cum Papa, non modo super controuerso conscientiæ iure consuli à fidelibus soleat, sed peccatorum quorumlibet etiam eorum, quæ iuris sui Episcopi esse volunt, remissam indulgere petentibus, de eius iudicio iudicare, sententiamque dissolui oportere, cum decreta Pontificum tum ratio ipsa prohibet.

Equidem est iurisdictio in Romano Pontifice, tanquam in fonte, vnde in reliquos noui Sacerdotii ministros dimanat, successori enim D. Petri sunt Christi oues ab eodem Christo commendatæ, & traditæ, quare Christi Vicarius eorum est verus pastor, custos, & iudex, sed isti nocentem plectere, eundem è iudiciorum laqueis emittere, cum est innocens, pascere autem salutari Sacramentorum pabulo, gratiæque, pastori licet, ergo & à censuris eximere, quæ quandiu vigent, quandiu insolutæ manent, aditus ad diuorum religionem ac sanctimoniã, obseptos fideles habẽt ac clausos. Atq; hunc video esse sensum, rectè ac prudenter loquentium. Est hęc ergo nostra prima definitio, casus omnes, quos sibi reseruauere Romani Pontifices, ac censuras, his cohærentes, à Christi in terris Vicario remitti posse.

Quanto enim celsior gradus, tanto maior auctoritas inuenitur, in maioribus siquidem est iubendi, & regendi, potestas in minoribus obsequendi necessitas, Tarentinus Episcopus in oratione habita ad Patres Conc. Basil. quæ est tomo Conc. 4. ergo cũ Pontifex potestate sibi data cœlitus, cæteris præstet mortalibus, nihil est in causa animæ, quod non possit ac debeat, vel eius charitatem ac prouidentiam effugiat, *Cum enim caput & fundator Ecclesiæ Christus, in necessariis non defecerit, quam ita dilexit vt pro ea sanguinem suum fuderit, non est dubitandum, quin ex Christi ordinatione, vnum toti*

Ecclesiæ præsit, cuius iudicio atque sententia non modo dissensiones circa fidem tollantur.

Sed etiam scelera quælibet eius voce imperioque soluantur. Tarentinus Episcop. *in oratione ad Patres Concil. Basileens. tomo Concilior.* 4.

Secunda definitio, in Episcoporum esse iure, remittere cẽsuras, non tantum quas iustis de causis ad suum ipsi tribunal reiiciunt, sed etiam latas à decessoribus suis, *Epaunense Concil. can.* 28. & Romano Pontifice, si notæ non sunt populo, sed occultæ, aut si cognitæ, non sunt hæ tamen Papæ specialiter reseruatæ. Est hæc definitio hac munita probatione. Cum Episcoporum iurisdictio sit pastoralis, ordinaria, in Dei Ecclesia necessaria, tantundem illis est in Diœceseon suarum regimine, ac animarum procuratione licitum quantum Papæ in administratione totius Ecclesiæ, at isti ligandi ac soluendi potestas est data diuinitus, ad terrorẽ nocentium iuxta ac salutem bonorum, ergo & Episcopis. Quæ autem censuræ sunt occultæ, quæ ad forum non sunt contentiosum deductæ, has ad Episcopum pertinere si non sunt specialiter Papæ reseruatæ, dixit Trident. *sess* 24 *ca.* 6. & Innocent. III. *in ca. nuper* 29. *de sentent. excommunic.* vbi statuitur his verbis quod quando *conditor canonis, censuræ absolutionem sibi specialiter non reseruauit, eo ipso videtur concessisse facultatem aliis relaxandi.*

At enim (inquies) quæ per Concil. Episcopis indulta sunt priuilegia, loco citato proximè, hæc quotannis inania redduntur, ac irrita, per Pontificem in Bulla cœnæ.

Negari id debet, quia quæ Concilio, aut Pontifici sancire ad gloriam, aut commodum Ecclesiæ quandoque placuit, hæc sanctione non abrogantur insequente, nisi id se, expresse, ac signate velle dicat Pontifex, Bonifacius eius nominis VIII. auctor *in ca. licet Romanus* 2. *de constitut. in* 6. approbatores Viualdus in candelabro aureo & Bannes 22. *q.* 11. *art.* 4. quibus ea est mens iniecta per hæc Papę verba. *Quia tamen locorum specialium, & personarum singularum consuetudines, & statuta* (cum sint facti & in facto consistant) *potest probabiliter ignorare, ipsis* (*dum tamen sint rationabilia*) *per constitutionem à se nouiter editam,* (*nisi expresse caueatur in ipsa*) *non intelligitur in aliquo derogare.*

Absoluit ergo Episcopus ab excommunicatione Papæ reseruata, cum est occulta, facere id tamen nisi satisfactione læso prius oblata & facta prohibitũ, & cũ eius cuius interest absolutionem dari, aut negari, cõsensu expresso, aut tacito: Ita Alex. III. *in cap.* 7. *de excommunicatis parte* 31. *Lateran. Conc.* Cum

A Episcopo præcipit, ne quam S. Pancratii Plebanus, in Clericos aut Laicos Parochianos suos, excommunicationis sententiam tulerat, *sine congrua satisfactione, & absque conscientia eiusdẽ plebani, aliqua ratione relaxet.*

Secundo, si censura Papæ sit reseruata, quam tamen absolui ab Episcopo, aut alio ex causa, eaque iusta sit necesse, id Episcopus non faciet, nisi *sufficiente cautione recepta, quod in præsentia Romani Pontific. vel coram iudice, cui Roman. Pontifex causam delegauerit, vel coram eo, in quo pars vtraque conuenerit, iuris pa-*
B *reat æquitati.* Alex. III. *in epist. decret. ad Cantuar. Episc. to. Conc.* 4.

Tertio, non est excommunicatus absoluendus, quandiu permanet in crimine, *Cum enim iusta vincula non dissoluat nisi vera cordis conuersio, excommunicato adhuc permanente in crimine, ad persuasionem quamlibet personæ splendidæ quid est anathema destruere, nisi seipsum præuaricatorem constituere?* Iuo Carnotens. *ad Rogerium Cardinal. ep.* 98.

Quarto, si Episcopo constiterit, absolutionis beneficium à Papa impetratum esse
C subreptitiè, & ex causa falsa, *absolutum cogere debet censurâ Ecclesiastica, cum literis suis veritatem continentibus, redire ad sedem Apostolicam, si verò id ei non constiterit, & eum suspectum habuerit, quod non fuerit veritatem confessus, ipsum compellere debet coram se quod veritatem confessus fuerit, purgationem præstare,* Concil. Lateran. sub Alex, *parte* 31. *c*3.1.

Adhæc absoluit Episcopus ab excommunicatione incursa ob percussum Clericum, si eum iusta aliqua causa excusat à Romano itinere, absolutionis petendæ causa, & pri-
D mo, *si Clerici infra puberes annos, sese adinuicem, vel vnus alterum percusserit non sunt ad sedem mittendi, quia ætas eos excusat, imò si sunt plenæ ætatis, sed non de odio, aut inuidia vel indignatione, sed leuitate iocosa se inuicem percusserint, nec magistri si Clericum scholarem intuitu correctionis vel disciplinæ percusserint* Conc. Lateran. *parte* 14. *cap.* 7. *de his qui incidunt in canon. Mulieres item vel aliæ personæ, quæ sui iuris non sunt, possunt à Diœcesano Episcopo absolui,* Concil. ibid. *ca.* 11. *Quod si Laicus habens ca-*
E *pitales inimicitias, vel alias iustas causas, quibus ab itinere rationabiliter excusatur, vt sine periculo Apostolico nequeat se conspectui præsentare, licet Diœcesano Episcopo, accepto iuramento, absolutionis gratiam impertiri, sed illi sub iuramenti debito est iniungendum, vt quam citius habuerit opportunitatem. Romanum Pontificem adeat, mandatum Apostolicum suscepturus,* Concil. Later. *supra ca.* 3.

Quinto, & hoc mihi statuendum videtur in causa præsenti, esse vero quam simillimum, Priuilegiatos, Papæ beneficio, indul-

gentiaque, censuras omnes, quas iuris sui, forique Pontifex esse voluit, laxare posse, consequenter & casus omnes, quos ad tribunal suum pertinere sanxit, nam cum hi annexam excommunicationem maiorem habeant, præter duos, quantum mihi scire licuit (primus est in Bulla Sixti quinti, aduersus male promotos Clericos, & Episcopos in ordinum collatione peccantes, secundus est Clementis VIII contra regulares, quidpiam sine superioris facultate donantes,) cum (inquam) casus sint nulli (hoc est peccata lethalia) quorum absoluendorum, Parocho ac Sacerdoti simplici, à Pontifice Romano, tum ad morum disciplinam. tum ad Ecclesiasticæ administrationis formam retinendam, potestas sit adempta, quos idem Pontifex subesse regularibus, & ab his absolui posse non velit, ecquid est à nobis dictum verissime, quæ alicui iniecta sunt in vrbe Ecclesiastica vincula, hæc Papæ beneficentia, ac venia, à priuilegiatis solui posse? non tamen quæ ab homine homini, id est ab Episcopo certæ sunt ac determinatæ personæ iniecta, nam Papæ aduersus Regulares liberalitas, est his restricta limitibus, quibus continetur Ecclesiæ dignitas, publicaque multorum salus, ac incolumitas, at periclitatur vtraque, si quos Episcopi, ob scelera sua, loco, Ecclesiaque signate mouerunt, ac de nomine, hos eidem ac Deo reconciliare, Episc. non inconsulto modo, sed sæpe etiam reclamante, regulares Papæ voluntate possunt, sic enim Antistitum auctoritatem pessundari, sic ordinem quem in Ecclesia vigere, ad splendorem eius & gloriam Christus voluit, euerti, sic eius fulmina, quæ terrori esse impiis sunt solita, negligi est necesse, nam quis in se ea intorqueri, quis eorum formidanda mole atteri, quis Episcopi iuste in vitia sæuientis iram metuat, si ab hac, & illis Regulariũ opera, cũ volet, liber esse potest?

Id quidẽ Episcopis olim esse noluere licitũ Concilia, Sardicense, Nicænum, Antiochenum, & alia, & regulares illud posse impune hoc tẽpore quis credat? Prioris sane æui sensum aliũ esse indicat Altisiodor. Concil. hic canon *Si quis Presbyter, aut quilibet de Clero, aut de populo, excommunicatum absque voluntate ipsius qui eum excommunicauit, scienter receperit, aut cum illo panem manducauit, simili sententiæ subiaceat*, Concil. Antisidiorense *can.* 37. in Nicæno autem primo, excommunicatus, ab Episcopo proprio, aut Concilio absoluendus dicitur, non alio. *Seruetur & ista sentẽtia, vt qui ab aliis excommunicantur ab aliis ad communionem non recipiantur, quousque Episcopis in communi, vel ipsi Episcopo suo, visum fuerit, humaniorem circa eos ferre sententiam*, A Nicæn. *can.* 1. quam est id ergo parum verò simile, quod olim Ecclesia Episcopis solis concessum voluit, id Pontificem modo, licere velle regularibus? cum disciplinæ Ecclesiasticæ interitu, nec sine probabili iustaque Antistitum omnium offensione! quæ ambo incommoda, timeri honeste ac prudenter cum nequeant, cum excommunicatio ab homine quidem est, sed generalis in homines, hanc priuilegiati, sicut & è Sacerdotibus approbatus quilibet, absoluendorum mortalium ius habens, laxare potest, B Emm. Sa *verbo absolutio ab excom.* Similiter &

CAPVT XIX.

Excommunicationis minoris qui sunt effectus & ab ea absoluere quis possit

MInorem absoluere potest, quisquis à peccato propter quod incurritur, Nauar in Enchir. *c.* 27. *n.* 25. & comment. *in can. placuit dist.* 6. & quanquam censura hæc imC poni per sententiam possit ob veniale, secũdum Nau. *ca.* 27. *nu* 25. communiter tamen non incurritur, nisi ob participationem cũ excommunicato nominato, & denunciato quam tamen emaculant, ac ab omni peccati lue abstersam liberant.

Vtile, lex, humile, res ignorata necesse.

Quarum vocum est hic sensus, ab excommunicatione minore excusari singulos ignorantia *tam iuris*, prohibentis aliquid sub censura, *quam facti*, quæ tum accidit cum quis id D se fecisse ignorat, quod censura plectitur, *Lex* ab ea excusans triplex est, matrimonii, naturæ, & ciuilis, à prima, habet vxor, vt eadem cum marito mensa, domoque vti possit. A secunda, permittitur filio, vt patrem sequi, eique in omnibus obsequi non sit turpe, à tertia, licet debitum ab excommunicato repetere eumque in ius vocare.

Tres sunt particulæ reliquæ, quarum est notio, intelligentiaque cuique peruia, ideoque non est in earum explicatione, quantum mihi videre datur, mora nobis trahenda longior.

E Dixisse modo sufficiat istius excommunicationis effectus dũtaxat esse duos. Prior est non posse ad magistratus Ecclesiasticos, beneficiaque excommunicatum hoc genere excommunicationis eligi: facta tamen de eo electio iure non est irrita, sed irritanda *ca. si celebrat fin. de Clerico exco.* Alter eius effectus, est in eo, quod qui est ea notatus, Sacramẽta recipere nequeat, etsi ea conferre valeat sine crimine, nisi forte ea conferendo suscipere debeat, in quo etsi peccet mortaliter,

non est tamen de eorum numero, quos irregulares dicimus, *ca. si celebrat. de Clerico excomm. ministr.*

CAP. XX.

Ab excommunicatione lata in Clericorum percussores quis absoluat.

ORdinariè autem ab excommunicatione incursa ob percussum Clericum, absoluit Romanus Episcopus aut ab eo delegati. *Si qui se in tantam vesaniam & præsumptionem erexerint, quod hac vel alia occasione violentas manus in Clericos iniecerint, tam malefactores ipsos, quam illos de quorum mandato id fuerit perpetratum, publice accensis candelis, & pulsatis campanis aperte excommunicatos denunciate, & facite sicut excommunicatos deuitari, donec Deo & sanctæ matri Ecclesiæ satisfaciant, & tum literis vestris rei veritatem continentibus ad sedem Apostolicam accedant,* Alex. III. *to. 4. Concil. ca. 5. parte 14. de his qui incidunt in canonem,* idem habetur, *ca. 11. 12. & 13. Si tamen habens iustas causas, quibus ab itinere rationabiliter excusetur, vt sine periculo, Apostolico nequeat se conspectui præsentare, licet Diœcesano Episcopo, accepto iuramento, secundum morem* A *Ecclesiæ, absolutionis gratiam impertiri, sed illi sub iuramento debito est iniungendum, vt quam citius habuerit opportunitatem, Romanum Pontificem adeat, mandatum Apostolicum accepturus.* Alex. III. ad Cœnoman. Episc. *to. 4. Concil. pag 143.*

Ab itinere Romano excusantur impuberes pueri Clerici, qui se ex odio, aut inuidia non percutiunt, mulieres, & alii corpore debiles, de quibus est in Concil. Later. sub Alex. III. *parte 14. can. 7.* his verbis: *Si Clerici infra puberes annos sese ad inuicem, vel vnus alterum percusserit, non sunt ad Apostolicam sedem mittendi, quia eos ætas excusat, nec Clerici,* B *etiam si sint plenæ ætatis, si non de odio, & inuidia, vel indignatione, sed leuitate iocosa se inuicem percusserint, nec magistri, si Clericum scholarem intuitu disciplinæ, vel correctionis percusserint, quia non potest in iis violenta manus iniectio notari* In *can. autem 12. eiusd. Concil.* & partis hæc leguntur. *Mulieres etiam vel aliæ personæ, quæ sui iuris non sunt, possunt à Diœcesano Episcopo absolui. De his verò qui magnæ sunt potentiæ, & ita delicati, quod magnum laborem sustinere nequeunt, tale damus tuæ petitioni responsum, quod status personæ, & veritas negotij Romano Pont. est intimanda, & secundum consilium eius, de commisso scelere sunt puniendi.*





TRACTATVS OCTAVVS DE SVSPENSIONE.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit & quotuplex.



VSPENSIO est censura Ecclesiastica qua Clericus vt talis, ob culpam suam, aut alienam, priuatur à lege, vel iudice, vsu ac exercitio officii sui, vel beneficii, ad tempus, vel in perpetuum, ex toto, aut ex parte, Nauar. *Enchir.cap.27.num.*151.

Dicitur (*Censura*) vt distinguatur ab irregularitate, depositione & degradatione, quas non comprehendi censuræ nomine, communis est eruditorum opinio, eo quod medicinales non sint pœnæ, vel si sunt, sane non sunt censuræ, Cœlestini III. testimonio *in cap. quærenti* 20. *de Verborum significat*, interrogatus enim quid censura in literis Apostolicis innueret, respondit *per censuram Ecclesiasticam non solum interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententiam intelligi*: ergo cum depositionis ac irregularitatis in eo canone non meminerit, censuræ nomen eas non comprehendit.

Dicitur (*Ecclesiastica*) vt distinguatur à pœna, quæ personis ciuilibus, Laicis & prophanis imponi solet cum illis nonnunquam officii sui vsu interdicitur, Clerici fit mētio, quia solus suspensionis est capax.

Additur *Vt talis*, vt cętera remoueātur pœnarum genera quibus affici Clerici possunt, nō vt tales, sed sub alio respectu ac nomine quam Clericatus, & vt sunt personæ Ecclesiasticæ, in quas tamen solas cadit suspensio, remouet hæc enim ab exercitio iurisdictio-

A nis Ecclesiasticæ, vel beneficii, quæ duæ res solis competunt Clericis, itaque in eos, si deliquerint, ferri iubetur suspensio *in cap. quoniam 9. de Vita & honestate Clericorum*, vbi Gregor. eius nominis septimus, Episcopo imperat vt Clericos sibi minus obsequentes, *per suspensionem officij, vel beneficij, aut grauiori etiam pœna si opus fuerit, ad obseruantiam compellat*. Hoc verò, *Clerici*, nomine, intelligi quoque Monachos, Religiosos, & Moniales, quæ dignitatem inter suos habent aliquam, periti authores *tradunt*, qua-

B re in Abbatissam cadere quoque suspensionis censuram posse aiunt, Henriquez *lib.* 13. & Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *parte* 3. *cap.* 2. *num.* 2.

Dicitur (*ob culpam suam aut alienam*) Enimuero etsi suspensio quæ est pœna admissi criminis, propriæ culpæ sit effectus, eamq; supponat vt causam, imponi tamen etiam ob alienā nihil vetat, argumēto est, quod decreto Concil. *sess.* 6. *cap.* 5. ordinati ab Episcopo in aliena Diœcesi sine ordinarii licentia, ab

C executione suorum sint ordinum ipso iure suspensi, qua pœna iteratò multantur in *sess.* 14. *cap.* 2. & tamen fieri poteſt vt ordinati in eo nihil admiserint quod tantæ pœnæ par sit & æquale, fac enim eos ab ordinante persuasos, se quæ agebat iure, nec non loci ordinario assentiente agere, & ita ab eo sacris se mysteriis initiari passos esse, quæro quid sit in eo magnopere præter credulitatem forte nimiam, quod culpæ possit argui?

D qui præter facilitatem quandam animi, ac naturæ nulli aduersantis indolē, quod in suspicionem sceleris vocari queat? & tamen Ecclesiæ, conciliique lege, à suorum sunt vsu ordinum suspensi, est hæc ergo eorum pœna, non propriæ vlli suæ culpę, sed alienæ, id est ordinantis ascribenda.

Equidem

Equidem Castrus Palaus *in opere morali to. 1. tract. 3. disp. 1. punc. 15. num. 3.* & cum eo Antonin. Diana *parte 3. tract. 6. miscellaneo resol. 71.* hoc differre suspensionem ab excommunicatione aiunt inter cætera, quod ista etiam vt ferenda, communiter voluntatem in comminante iudice obligationis à se inferendæ sub mortali indicat, nisi ad terrorem duntaxat sit posita, non autem animo eius illico infligendæ reo, sine monitione vlla alia præuia, quem morem fori esse, & ita passim à iudicibus Ecclesiasticis fieri, scripsit Sanchez *in summa tom. 2. lib 6. cap. 4. num. 5.* cum tamen suspensio, irregularitas & interdictum, cum ferendæ tantum proponuntur eam obligationem non innuant, *eo quod*, inquit Diana supra, *suspensio, irregularitas & interdictum, imponantur extra culpam*, dictum est ergo verissime, Doctorumque iudicio consentaneè, suspensionem, culpæ quætit a suspenso admissa, aut alienæ, effectum esse.

Differt autem ab excommunicatione.

Primo quod quiuis excommunicari possit non autem suspendi, sed soli tantum Clerici, iique omnes præter Papam. Caiet. *verbo suspensio*, Layman. *lib. 1. tract. 5. parte 3. cap. 2.*

Secundo, quod suspensio vniuersè lata ob delictum, Episcopos non tangat, nisi eorum fiat expressa mentio, vt est *in cap. quia periculosum de sent. excomm. in 6.* qui tamen à Generali excommunicationis sententia nunquam sunt Ecclesiæ voluntate liberi.

Tertio hoc differt ab excommunicatione suspensio, quod illa communibus Ecclesiæ suffragiis, & fidelium communicatione, etiam in humanis, hominem priuet, non autem suspensio.

Quarto, suspensio receptionem Sacramentorum non prohibet, sed officii vel beneficii Ecclesiastici (vt sunt præcise talia) vsum, functiones ac exercitium, his enim priuat, eorumque administratione tam actiua, quam passiua, vt hęc est communicatio, cum fidelibus, non autem vt est exercitium, functioque ab Ecclesiastica potestate proueniens.

Quinto, excommunicari vniuersitas non potest, cum non sit probabile omnes de ea esse culpabiles, quod tamen ad excommunicationem est necesse, suspēdi autem possint, non tantum personæ singulares, sed etiam tota Clericorum communitas, V. C. capitulum, constat ex *cap. quia sæpe 40. de electione in 6. vbi Capitula, Cōuentus, Collegia & singulares eorundē personas, quæ bona à prælatis Ecclesiarum dimissa, vel vacationis tempore obuenientia, quæ in vtilitatē dictarū Ecclesiarū, expendi, vel futuris successoribus deberent reseruari, occupant, inter se diuidunt, diripiunt, dissipant, dilapidant,* quos Bonif. eius nominis VIII. vult, *vt eo ipso sint, & maneant, ab officio & beneficiis quibuscunque tandiu suspensi, donec plenè restituerint quidquid de bonis perceperint supradictis. cap quia sæpe citato.*

Sexto, habet excommunicatio effectus suos determinatos ac certos, quorum vnum separare, ac disiungere ab alio, non est in potestate Episcopi, cum ei iure Pontificio ac communi sint annexi, de quo illi statuere arbitratu suo non est licitum, cum quæ sunt ab Ecclesia, aut Pontifice in rem communem decreta, hæc mouere, nedum rescindere Episcopus valeat, quorum nihil in suspensione vsu venit, vt pote quæ effectum nullum natura sua determinatum, eique necessario in iure annexum habeat, cum sit in suspendentis potestate, ab vna actione priuare, & non ab alia, vt dicetur postea.

Septimo differunt, quod excommunicari nemo, nisi qui mortalis est culpæ conscius, excommunicatione saltem maiore, possit ac debeat, *possit autem ex solo peccato veniali, incurri suspensio*, Caiet. *in summa verbo suspensio num. 1.* eius præsidium vnicum, quod minus incommodi hominum generi afferat, priuari aliquem functione propria sui ministerii, aut beneficii, quam Sacramentorum passiuo vsu, sed ab his remoueri quis potest per excōmunicationem ob peccatum veniale solum, ergo & suspendi à iure beneficii sui, vsuque officii.

QVÆSTIO II.

De causa effectiua Suspensionis.

PRima assertio, *Qui potest excommunicare potest etiam suspendere*, quia qui potest maius, potest etiam minus in eodem genere, at maius est excommunicare quam suspendere. Ita Ius commune, Papa, Concilium generale, quemcunq; Clericum in quacunque orbis parte degentem pœna hac afficere possunt, Episcopi, Generales, & Prouinciales Ordinū, suos subditos particulares, ratione loci aut delicti, ob causas quas ante memorauimus *tract. de excom.*

Meminisse eos tamen conuenit, in plectendis sontibus, potestate, quasi pharmaco non nisi cum morbus animi curari aliter nequit, vti se sua non debere, olim quidem sine Concil. mouere loco Sacerdotem, interdictum erat Episcopo, *Decreuimus*, inquiūt Patres Concil. Hisp. 2. *can. 6. vt iuxta Patrum Synodalem sententiam, nullus nostrum sine Concilij examine, deiicere quemlibet Presbyterum aut Diaconum audeat: nam multi sunt qui indis-*

cussos potestate Tyrannica, non authoritate damnant & sicut nonnullos gratia fauoris sublimant, ita quosdam odio inuidiaque permoti humiliant, Episcopus enim Sacerdotibus solus honorem dare potest, solus auferre non potest.

Secunda assertio, *Quenquam suspendere à diuinis, Parochis est inhibitum*, quia carent fori externi iurisdictione, nec aliā habent quam in foro pœnitētiæ, quare si pœnitenti Clerico imperēt vt ab altari ad tempus abstineat, etsi peccet non obediendo, non tamen est irregularis, causa est, quod irregularitas culpam sequatur non quamlibet, sed censuræ violatæ, at quæ à Parochis contra Presbyteros suspensio dimanat, censura non est, nec nisi improprie suspensio est, quæ autem ab Episcopo fertur in personam exēptam, extra casus in quibus illam suam exercere potestatem potest, ob eandem causam est irrita: ita teste Anton. *in 3. parte tit. 27 cap. 4.* Alexander Pontifex in priuilegio cuius initium est *Nimis iniqua*, pro authoritate dixit, suspensiones per Episcopos cęterosque prælatos in fratres Prædicatores latas, nullas esse, quod ab eorum iurisdictione sint liberi.

Tertia assertio, *Abbatissa iure communi Clericos sibi subditos suspensione proprie sumpta punire nequit*, Glossa *in cap. dilecta de maiorit. & obedientia*, nec enim est sexus muliebris, sine Papæ dispensatione huiusmodi, in quem iurisdictio cadere valeat, quod probare cuique pronum ac facile, Diu. Thom. auctoritate *in 4. distinct. 19. qu. 1. art. 1. qu. 3.* cui summarum interpretes assentiuntur, & præcipue Sotus *in 4. dist. 20. q. 1. art. 4.*

Scio aliquas, maxime quę profitentur Regulam sancti Benedicti, sub reformatione Montis Cassini, vsu longo præscripsisse potestatem aliquid prohibendi, aut iubendi subditis sibi religiosis Monachis, sub pœna suspensionis ab officio Ecclesiastico, & perceptione fructuum beneficii, si quod possident, vt in Armorica, sed hæ prohibitiones, quæ in aliis, vt Abbatibus, actus iurisdictionis forēt, in iis, ob causam allatam, non sunt tales, nec proinde suspensiones nisi improprie.

Quarta assertio, *Suspensus à iurisdictione si nominatim non sit talis, & denūciatus, suspendit valide, non tamen sine scelere*, Henriq. *lib. 13. ca. 8. num. 6. litera A.* & Auila *cap. 6. de excommunicat. disp. 6. dub 3.*

Probatur, à temporibus Concilii Constantiensis non tenemur vitare nisi denominatos, notoriosque Clericorum percussores: ergo in Sacramentorum administratione, aliisque id genus rebus, communicare cum iis si denunciati non erunt, fas erit hominum cuilibet, per eos ergo gesta futura sunt in eo statu valida, alioqui non cauerentur animarum pericula, quibus tamen Patres ea Extrauaganti cautum voluere.

Pars secunda probatur, Concilio nunquam in mentem venit, nunquam Patribus, quidpiam quod in excommunicati aut suspensi commodum cederet, literis suis statuere, ergo nec eos à culpa contrahenda vsurpati actus iuridici liberare, cum id illis foret ad gloriam vtile, in quo iis prodesse ac authoritate sua eosdem ad illam prouehere, nunquam Concilio visum, ergo ante extrauagantis in eo scriptæ tempora, nec modo quoque, peccatum mortale inducere in facientes id, à quo sunt suspensi, ei est permissum.

Patet hinc, suspensioni tribui oportere, quod sit culpæ mortalis occasio, causaque in eo, qui contra præscriptum superioris aut Ecclesiæ in eo versatur opere, à quo est suspensus *cap. 15. manual. 27. num. 163.*

Secundo est hoc quoque in effectis suspensionis collocandum, quod suspensi acta reddat inania, in eo materiæ genere cuius illi fuit interdicta tractatio.

Tertio, si quis actum exercet ordinis proprium, à quo est suspensus, aut vero eum ab Episcopo quo more cæteri recipit fit irregularis, Innoc. IV. *in decretal. 1. cum medicinalis de sent. in 6.* non est tamen in irregulariū ponendus numero, qui dicit ad populum postquam id ei est per Præsulem vetitum, Sylu. & Armilla *verbo suspensio.*

Causa est, quod concionari quod hortari quod è loco superiori, vitia loquendo insequi, actus non sit ordinis, cum Fratribus Minoribus & Religiosis Clericis Societatis IESV. necdum ordinatis comperat, Gregorii XIII. beneficentia, quam bullato diplomate expresse testatam voluit.

Suspeusionis effectus vltimus, est reddere suspensum inhabilem ad eligendum, tam actiue, quam passiue, item ad conferendum beneficium.

QVÆSTIO III.

De causa materiali Suspensionis.

PRima assertio, *Clerico qui solus est subiectum suspensionis, communiter impoui hac pœna non solet, nisi ob culpam.*

Probatur, est suspensio proprie dicta pœna.

Primo, quia est censura.

Secundo, quia adimit suspenso vsum potestatis Ecclesiasticæ, at pœna, culpam aliquam

quam vt sui causam in eo præsupponit qui punitur, Patet *ex cap. 2. de constitut.* vbi dicitur, *rem quæ culpa caret in damnum vocandam non esse*, ergo cum suspensio sit pœna, non nisi ob culpam, est ei inferenda quem afficit, *peccata enim*, vt Cœlestinus tertius asserit, *in cap. secundo de his quæ fiunt à maiori parte, suos authores tenere debent, nec pœna est vlterius extendenda, quam fuerit in excedente delictum repertum.*

Secundo puniri non potest nisi reus, *culpam enim pœna premit comes*, vt est apud Horat. *lib. 4. ode 5.* & apud Ciceron. *libro officiorum primo.* Et sane contra rationem est, vt cuius virtuti merces debetur, hic plectatur immeritus, sed suspensio pœna est, nam quid accedere homini queat acerbius, quam sacra non posse conficere? nec in Ecclesia, diuina obire munera? aut Sacerdotia adipisci? pœna hæc ergo, ei non est nisi ob culpam aliquam infligenda, Nauar. *Enchir. 27. num. 163.* Henriq. *lib. 13. cap. 34.* Soto *in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1.* Caiet. *verbo suspensio nu. 1.*

Secunda assertio, *Cum non suspenditur certa aliqua & determinata persona, sed communitas, fieri id potest ob culpam alterius.*

Ita Henriq *de irregularitate cap. 34. num. 1.* Auila *3. parte disp. 3. dub. 2.*

Et probatur, communitate ab exercitio alicuius operis suspensa, non licet vlli de ea, exercere actum illum, in quem cadit suspensio, maxime publice, propter scandali periculum, at non est credibile omnes de communitate reos esse, non est ergo improbabile suspensionem ob alterius culpam quam suspensi, ferri posse, quod est contra Regin. *lib. 32. tract. 2. cap. 18. num. 5.*

Tertia assertio, *Cum tamen communitas, vt Capitulum.* V. C. aut Conuentus aliquis suspenditur, ob vnius, aut plurium culpam, vt Episcopi, Decani, Archidiaconi, & id constat, quisquis est de Canonicorum turba noxæ expers, quisquis culpa vacuus, extra scandalum, non necessario abstinere debet ab eo opere, à quo suspensa est prædicta cōmunitas. Ita Ægid. & probatur, authoritate Canonis, *quia sæpe 40. de electione in 6.* vbi tacite innuitur, innocētes ac à furto in Prælati defuncti bonis admisso liberos, pœna suspensionis latæ contra communitatem canonicorum, in quos hæc culpa conferebatur, minime comprehendi, nam Bonifac. ibi præsumptionis meminit, ergo cum in eos duntaxat, suspensionem ab officio, beneficioque cadere velit, quos laborare hoc vitio constiterit, eius expers quisquis erit, erit & suspensionis, Bonif. verba in ea decretali sunt talia. *Nos ipsorum ausus reprimere, ac Ec-*

A *clesiarum indemnitatibus præcauere volentes decernimus, vt si qui de cætero talia præsumpserint, &c.*

Secundo iure quod quis legitime possidet, priuari non potest propter alienam culpam, nisi in casibus iure expressis, vt sunt crimen læsæ maiestatis, perduellionis, hæresis, id vero accideret, si innocens teneretur eo non defungi ordine, à quo tota communitas est suspensa.

Est hæc opinio secura ac probabilis, quà parte communitatem respicit, absolute tamen dicendum videtur, extra hunc casum, B cuius in canone citato fit mentio, suspenso ob alienam culpam abstinendum esse iis operibus, quibus suspenditur, nam quis dicat initiato in aliena Diœcesi, sine venia ordinarii, fas esse suorum ordinum officia exequi, à quibus præcepto Ecclesiæ interdicitur, in pœnam promouentis Episcopi? nam pœna iis est adhibenda, quibus lex imponitur quam violant, at hæc datur Episcopis, vt planum est ex decretis Trident. Synodi *sess. 6. cap. 5. sess. 14. cap. 2.* non puniunt ergo sanctiones hæ Ecclesiasticæ, quę executionem C ordinis ab alieno Episcopo dati adimunt, culpam vllam promoti, qui cum bona fide, ac proinde sine vllo suo scelere, passus sit eum sibi conferri ab eo, qui ius habere se asserebat, cooptandi quemlibet in Ecclesiasticum ordinem, ergo in eo, promouentis culpa plectitur.

Quarta assertio, *Culpa punienda suspensione ex probabiliore sententia, debet esse mortalis*, quia pœna par esse debet culpæ, *Noxæ*, inquit Tull. de legibus. *pœna par esto, vt in suo vitio quisque plectatur, vis capite, auaritia, mul-* D *cta, honoris cupiditas, ignominia sanciatur.* At est suspensio pœna grauis, nam quid acerbius, duriusue contingere vlli queat, quam litare non posse? nec in Ecclesia diuina munera colere, beneficia obtinere, obtenta regere in suum ac aliorum commodum, eorum bona dispensare? Non est ergo innocenti irroganda suspensio, cuius causa, non est nisi grauis culpa, ac mortalis, cum non conueniat tantum pœnarum, ab vllo pro re quapiam leui, nec facile in hac naturæ in- E firmitate vitanda homini, dependi.

At est excommunicatio minor, haud dubie suspensione grauior, cum illa passiua Sacramentorum perceptione priuet, quibus vt nihil est ad meritum, vitæque beatæ fructum vtilius, ita nihil esse eorum priuatione tristius, acerbiusque potest, & tamen grauem culpam excommunicatio minor non exigit, sed venialem, sed humanam: ob similem ergo, imponi suspensionem quid vetat?

Neganda est maior, nam præter remotionem à sacris officiis, quo de numero est sacrosancti Missæ sacrificii celebratio, includit & alia suspensio, nempe priuationem vsus sacrorum ordinum, administrationis officii, & beneficii, quæ pœnæ cum sint publicæ, omnibusque peruiæ, acrius pungunt Clericos, ac vulnerant, quam passiua Sacramentorum administratio Laicos, quos sæpe pauci teneri hac pœna sciunt, ignorant autem plurimi.

Contraria tamen sententia, quæ est Caietani *verbo suspensio num.* 1. ob auctoritatem viri non est improbabilis.

Quinta assertio, *Nihil tamen repugnat suspensionem leuem aliquam, ob leuem imponi culpam.* Ita Nauar. *in manuali cap.* 27. *num.* 151. *&* 159. Suar. *disp.* 28. *sect.* 4.

Causa est, quod sic non lædatur æquitas, cum inter pœnam & culpā, intercedat æqualitas: quid enim rationis produci potest, quamobrem Episcopus canonici tarditatem in faciendo munere, aut linguę pruritum, inaniaque quorundam colloquia, inter diuina officia, reprimere nequeat suspensione à celebranda Missa, vice vna aut altera, aut lucrandis distributionibus? id si est in eius iure, à nobis quoque dictum est vere, obesse nihil, quamobrem irrogari suspensio non valeat ob veniale, & hanc sententiam defendit etiam Armilla *verbo suspensio numero* 4.

An autem sine vlla sua culpa, labi etiam quis in suspensionis censuram possit, iam est videndum, quanquam quis ea de re animi mei sensus foret, dicere me meminiantea, cum de censurarum materiali causa est dictum *tract.* 1. *& in isto q.* 3. quod ergo tum statui, iterum hic repeto, ob alienam culpam suspendi quem posse, quod vt credatur, faciunt petita hæc è Conciliis testimonia.

Primum, est in Concil. Nicæno *can.* 17. Ordinationem eius Episcopi, qui alienæ Diœcesis Clericum ordinat, sine consensu sui Episcopi, irritam esse, verba canonis sunt ista, *Si quis ausus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet ordinare in sua Ecclesia, cum non habeat consensum Episcopi ipsius, à quo recessit, irrita erit eiusmodi ordinatio.* Idem statuitur in Concil. Antiocheno *can.* 22. *&* 13. quod si secus quam ei præcipitur, facere inducat animum, *Irrita quidem quæ ab eo gerentur, existent, ipse vero incompositi motus sui, & irrationabilis audaciæ, subeat vltionem, ex hoc iam damnatus à Concilio.* Hinc enim sic argumentamur.

Culpa ad eos duntaxat pertinet, qui legem sibi impositam violant, at hæc datur

A Episcopo, non Clericis, vt patet, & tamen eorum est irrita ordinatio, facta ab Episcopo non suo, id est, vt exponit Glossa decretalis Gregor. X. *eos qui de temporibus ordination.* rata non est, quoad executionem, recipiunt quidem characterem, sed ordinis functione priuantur in Episcopi odium, ad quem solum culpa non seruatæ legis est referenda, quam etiam suspensione ordinum, ac functionis eorundem, punitam vult, vt loquuntur hæc verba, *can.* 13. *Concil. Antiochen. incompositi motus sui, & irrationabilis audaciæ subeat vltionem,* quæ enim sunt incom-

B posita, quæ à ratione aliena, hæc ipsa quoque sunt mala, cum nulla nisi quę consulto geruntur, ac cum ratione, hoc est prudenter, sint bona.

Quid? quod audacia classicis authoribus, vox sit mali ominis, hanc enim Festus *lib.* 1. *ab auide*, hoc est cupide, insolenter, ac immoderate, dictam esse vult, quare audacia quidpiam est in homine fœdum ac turpe, quo facinus nullo periculi aut pudoris metu perterritus molitur, & *audenter* apud Iuriscons. idem sonat, quod temere, quod impru-

C denter, longeque liberius quam sit par & æquum Vlpian. *lib.* 1. *parag. finali digest. si pars hæreditatis petatur.*

Quod sentimus ac loquimur duo canones minime obscuris verbis persuadere possunt.

Primus est, Concil. Chalcedon. *action.* 15. *can.* 6 alter Vrbani Papæ ad Lugdunens. Archiepisc. 6. *q* 2. *can. Lugdunensis Parochia*, in quorum priori, vetantur omnes, ordinari ab alieno Episcopo, quod si secus factum

D erit, *Decernit sancta Synodus*, sic loquitur canon, *vacuam haberi manus impositionem, & nusquam posse ministrare ad Ordinantis iniuriā*, viden? vt ordinantis solius, ordinati autem nullo modo fiat in hoc canone mentio?

Deinde quid est in ordinantis iniuriam, ordinatum ministrare non posse, nisi hunc reiici, ac ab ordinis suscepti vsu remoueri, vt malè sit ordinanti, eique ex animo doleat? quod pœnæ ei debitæ pars est quædam non vltima, cum contemni, actaque sua discindi vt inania, ac nulla, acrius animum feriat, quam iactura opum, quamlibet etiam

E grandium. quare cum culpam omnem in conferentem reiiciant canones, maxime citatus Vrbani, & tamen ab eo ordinati suspensionem subeant, concludendum videtur, quempiam culpæ expertem, suspensione coerceri posse, pœnamque comitem quidem esse culpæ, sed non nostræ necessario, sed nostrę, aut alienæ, quod hîc accidit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Suspensionis quot sint species.

VAriæ, & quidem duas agnoscit Vgolinus *tab.4. cap.5.* Tres Nauar. *cap. 27. num.154.* Henriq. *lib.13. cap.31. num.3.* Cæteri in longe maiori numero

Primo enim diuiditur in totalem, & partialem.

Secundo in totalem absolute, & secundum quid.

Tertio in perpetuam, & ad certum tempus.

Quarto in eam quæ est à beneficio solum, & alteram quæ est ab officio.

Quinto reperitur suspensio quæ vtrumque complectitur, nempe prohibitionem vsus officii, & beneficii simul.

Nec obstat quod singillatim positæ, non plus operentur hæ pœnæ, quam simul, nam vt non desinunt esse diuersi morbi, quibus surdus quis seorsim, & mutus efficitur, & quo surdus simul, & mutus. Ita nec suspensiones, quia quod vna prohibet, non permittit alia.

Equidem qui absolute suspenditur si neque ex verbis, neque ex intentione iudicis colligitur aliqua limitatio, censetur ab vtroque suspensus, id est officio ac beneficio & proinde maiore suspensione affectus, vt ait Henriq. *li.23. cap.31. num.1.* quæ suspensio vocatur etiam totalis absolute, quia ad omnia se munia extendit, quæ Clericorum sunt propria, & huius suspensionis exemplum est in *Clem.1. de decimis & in cap. tuarum 11. de priuilegiis*, in quo Innoc. III. Lugdun. Archiep. imperat, vt exhortationis officio interdicat hospitalarios, qui per prouincias certos homines colligendis fidelium eleemosinis, contra veritatem, ac cruce dominica falsò signatos mittebant, missos autem, *si sunt Laici excommunicationis mucrone percellat, si Clerici ab officio beneficioque suspendat, nullo prorsus priuilegij beneficio, vel appellationis remedio præualente.* Erit autem totalis, secundum quid, seu in certo genere, si functiones officii, vel beneficii, fieri à suspenso vetet, Et quidem suspensio totalis ab officio dicitur, per quam quis impeditur ab omni officio, tam ordinis, quàm iurisdictionis Ecclesiasticæ administrationis, suspensio à beneficio est totalis, per quam quis ab eius administratione, & fructuum perceptione suspenditur, partialis est, cum est tantum ab aliquo actu ordinis, officii, vel beneficii, ordinis quidē, si interdicatur reo Missæ celebratio, V. C. aut confessionum auditio, *Officii*, si prohibeatur Parocho, V. C. substituere sibi Vi-

A carium, si ei licere nolit Episcopus, facultatem excipiendarum confessionum vlli dare, isti autem, hoc est Episcopo, si ordinare quēquā Pontifex ex causa non permittat. *Beneficii*, si non sinatur ex eius prouētibus viuere, aut illud pro authoritate administrare, aut distributiones quotidianas acquirere.

Sunt & aliæ suspensionis magis communes, ac vsitatæ diuisiones, vt in eam quæ est ab homine, item in maiorem, & minorem, de quibus dicendi suo tempore locus erit.

B

QVÆSTIO V.

De forma sub qua suspensionis sententiam ferri est necesse.

ASsertio prima, *Dicta in aliquem suspensionis sententia, sub quacunque verborum forma, dummodo intentionem suspendentis exprimant, pro rata habenda est ac valida.*

Probatur, suspendere est priuato alicui, aut certe communitati legem dicere, at hæc
C quibuscunque verbis posita, modo idoneis ad intelligentiam, vim suam in subditos exercet, ergo & suspensio, quæ interdum est ferēdæ sentētiæ, latæ aliàs, ferendæ quidem, cum lex, canon aut iudex, vtuntur hac voce, *suspendatur*, latæ vero cum lex suspensum cū indicat his verbis, *sit ipso iure vel facto suspēsus.*

Secunda assertio, *Iure tamen canonico certæ sunt solemnitates suspendenti seruandæ, ne peccet.*

Prima est, vt suspensionem antecedat monitio, maxime si hæc irrogatur ob contumaciam, & nō ob præteritam culpam aliquam.
D Ita Nauar. Enchirid. 27. *num* 159 Sylu. *verbo suspensio q.11.* Armilla *eodem num.17.* Auila *parte 3. disp.3. dub.1.*

Primo, quia eam exigit canon Apostolorum 32. perscriptus his verbis: *Cæteri Clerici quicunque tali consentiunt deponantur, Laici vero segregentur, hæc autem post vnam, secundam, & tertiam Episcopi obsecrationem fieri conueniat.* Sunt in eandem sententiam scripta quæ sequuntur decreta Conciliorum ac Pontificum: Alexandri quidem III. *in Concil. Lateran. parte 1. cap.6.* his verbis: *Quocirca ne vel*
E *prælati valeant sine causa grauare subiectos, vel subditi pro sua voluntate sub appellationis obtentu, correctionem valeant eludere prælatorum, præsenti decreto statuimus, vt nec prælati, nisi canonica commonitione præmissa, suspensionis, vel excommunicationis sententiam ferant in subiectos, nisi forte talis sit culpa, quæ ipso genere suo, excommunicationis pœnā inducat.* In Oxoniensi Concil. anno Seruatoris 1230 circiter, habito in Anglia, hæc leguntur. *Ad hæc Ecclesiastici ordinis vtilitate pensata, pariter & hono-*

re, decreuimus ne Archidiaconi, vel eorum officiales, sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in aliquem audeant promulgare, vbi excessus non est manifestus, nisi admonitione canonica præcedente.

Secundo cum impunitate muniatur peccandi audacia, ne delicta crescant, serpantque in Republica ad bonorum perniciem, vt à magistratu regio coerceri possunt, ac reprimi, ita & ab Episcopis, Deique in animorum procuratione, cum iurisdictione Vicariis, vbi sunt admissa, spirituali aliqua pœna decet affici, talis est suspensio: ergo cum ad eam incurrendam requiratur contumacia, hæc autem non accidat, sine præcepti notitia, quod non seruatur, de eo admoneri peccantem est necesse, vt pœnam eius transgressori propositam subeat.

Pars altera quæ est de contumacia suspensione punienda, cui monitionem præmittendam diximus.

Probatur hoc modo, nemo nisi quem refragari præceptis Ecclesiæ constat, censura feriri debet, at Prælato de inobedientia contumaciaque suspensi constare nequit, nisi prius moneatur tale quid ab eo præcipi, & quidem sub tali pœna.

Secus qui facit, ac sine monitione præuia suspendit, manet ipse suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiæ, quod Henriq. *cap.* 39. *lib.* 13. & Auila 3. *parte disp.* 3. *dub.* 2. Probant *ex cap. sacro de sentent. excommunicat. cap. cum medicinalis eod. titulo in* 6.

Ibi enim quoad hunc effectum producendum suspensioni & interdicto vim eandem inesse Pontifices volunt, ac excommunicationi.

Secundo, & hoc suspensionis irrogandæ forma postulat, vt feratur scripto, quod causam quamobrem Episcopo reo eam infligere placuit, expressam habeat.

Tertia, vt eius copia, suspenso intra mensem detur, si hanc sibi tribui exigit, Innoc. IV. *in cap.* 1. *de sent. excomm. in* 6. super qua requisitione instrumentum fieri publicum debet, vel literæ testimoniales, sigillo authentico consignatę: Innoc. ibi, quæ enim ad excommunicationem Pontifex exigit, *hæc eadem in suspensionis & interdicti sententiis vult obseruari* ibi præcipit, circa quę tria sunt notanda.

Primum in suspensionibus, quæ vniuersè intentantur ac generaliter pro facto futuro, siue imponantur à iure, siue ab homine, per modum prohibitionis generalis, aliam monitionem non requiri, quam legis, aut mandati publicati. Quia, cum lex, qua quid vniuersè præcipitur, aut vetatur, personam determinatam ac certam pro fine, obiecto,

A que non habeat quam respiciat & cui fiat, prudenter ac honeste non satis, eam admoneri aliquis peteret, quærerem enim exempli causa ab eo, cur hanc potius quam illam, de mandato monendam crederet, cum omnium par sit, eademque ratio?

Secundo nec est hoc silendum, cum qui sine scripto suspendit, ab ingressu prohiberi Ecclesiæ, diuinisque officiis per mensem ca. *cum medicinalis* 1. *de sent. excomm. in* 6.

Secundo, teneri suspenso de damnis ex suspensione secutis.

B Tertio, superioris arbitrio, qualibet alia punire pœna posse, vt pœna docente discant, qui Ecclesiæ præsident Episcopi, aut eorũ vices gerunt Officiales ac Vicarii, quanta sit culpa, & quam grauis, temere, nec considerate satis, Ecclesiæ intentare sacra in reum fulmina Innoc. IV. *in cap. medicinalis* 1. *de sent. excom. in* 6.

Tertio, placet & id quoque aduertere, pœnis modo memoratis subesse iudicem, qui quempiam ab actu suspendit, qui ei iure, &
C non ex permissione simplici competit, vt est in Parocho confessiones excipere, in simplici Sacerdote celebrare, itaque si hunc Episcopus ab audiendis confessionibus remoueat, quibus eius indulgẽtia, solaque facultate operam dabat, non incurret prædictas pœnas, quia eum tunc propriè à ministerio, quod ei ratione characteris, aut personæ sit debitum, quam in Dei *Ecclesia sustinet*, non suspendit, sed iurisdictionem quę ab eo pendebat, adimit: hac ratione superiores non peccant qui sibi subditos, à confessionibus
D tam suorum, quam externorum audiendis suspendunt, nam etsi iurisdictionem à Papa habeant, non tamen absolutam, sed ab eorum voluntate pendentem, sæculares autem à facultate Episcopi, post Trid. obtinenda necessario, nam confessionibus audiendis vacare nemo potest, nisi ab eo approbatus per examen, & à superiore si religiosus est, ei oblatus fuerit.

Aduertendum tamen quarto, ist pœnæ, hoc est suspensioni, exacto mense finem esse.

Ratio est, quod eam extra hæc tempora
E producere superiori non sit propositum, ergo cum hæc ab eius voluntate pendeat, itaque menstruo definiatur spatio, eo finito, ac cessante, cessabit quoque suspensio.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

De Regulis ad intelligentiam modi quo suspensiones solitæ sunt ferri.

SVpponendum primò, Suspensiones quasdam esse, quæ suspendant ab officio tantum, alias à solo beneficio, quasdam autem ab vtroque simul.

Supponendum secundò, Suspensionum vim hanc esse, vt earum quædam suspendant ab officio, vel beneficio, in totum, aut ex parte, ad certum tempus, aut in perpetuum.

Supponendum tertiò, cum qui culpa sua aut aliena est suspensus ab ordine vno, sæpe ei quoque superioris exercitium interdictum esse, quod quando eueniat indicandum est, quam poterit clare & breuiter.

Assertio prima. *Qui ab inferiori suspensus est ordine, illi in superiori versari, eumque obire non est licitum.*

Causa est, quod qui minus nequit, nec maioris quoque sit capax Sylu. *verbo suspensio numero* 5. Angelus *eodem num.* 3.

Ab hac regula, tres sunt excipiendi casus.

Primus est, cum in suspensione inferioris ordinis, additur particula (*solum*) nam eius expressio, superiorum est ordinum quibus ita suspenso defungi licet, tacita quædam exclusio.

Secundus est, cum in sententia quæ Clerico suspensionem infert, solius fit concionis ad populum mentio, cum enim eam habere, ac sacra obire ministeria differant, potestatis ad prædicandum negatio, certa non est executionis ordinum inhibitio, quia vbi cessat legis ratio, & hanc quoque cessare est necesse, at quæ causa superiori est auctor suspensionis imperandæ à cõcionibus, nempe suspensi inscitia, ac earum rerum ignorantia, quæ sunt explicandæ populo, hæc in vsu non reperitur ordinum, cum ad permouendos sacris concionibus animos, maior exigatur eruditio quam ad collationem aut executionum ordinum. Vt vt sit constat eum qui est ab inferiori suspensus ordine, etsi peccet, propria superioris exercendo opera, eo ipso tamen irregularem non fieri.

Primo, quia non suspenditur ab ordine superiori nisi indirecte, & per consequens.

Secundo, quia nemo censetur irregularis, aut à sacris remouendus altaribus, nisi quem canones repelli ab iis imperant, at eum à rebus diuinis extorrem esse non iubent qui dat superiori ordini operam, à quo tamen non

A est per se primo suspensus ac directe, sed tantum consequenter & implicitè, quia est ei inferioris administratio, cum eius functione prohibita.

Assertio secunda, *Qui à superiori suspensus est ordine*, V. C. Sacerdotio, non necessario ei inferioris vsus est vetitus.

Causa est, quod cum ordo superior hominum opinione, reque ipsa sit inferiore sanctior, non censetur quis illico ob exercitium maioris, quod ei est prohibitum, ab inferioris quoque vsu remotum esse.

B Assertio tertia, *Qui ab opere determinato, & certo suspenditur, non est ab aliis suspensus, quæ cum illo non cohærent necessario*, *causam eius rei aliam non habeo, quam quod pœnas restringi oporteat, can. pœnæ de pœnit. dist* 1. *& can. odia de reg. iur. in* 6. suspensus ergo à certo aliquo operum genere, ab aliis, cum quibus commune nihil habent, abstinere eos nihil est necesse: Ita cui prohibita est concio, legere Euangelium suspensus autem à Missæ celebratione, confessionibus audiendis dare poterit operam.

C Assertio quarta, *Qui ab eo opere est suspensus quod est cæterorum veluti fundamentum ac basis, ab istorum quoque est vsu prohibitus*, ex Sylu. *verbo suspensio num.* 5.

Causa est, quod pereunte fundamento, ruere quoque ædificium, & remoto principali, accessoria quoque tolli sit necesse: ergo suspensus ab eo vsu Ordinum, qui est cæterorum causa, atque principium, suspensus est quoque ab aliis.

D

QVÆSTIO VII.

Quid & quantum valeant hæ dictiones (suspendo te) suspendo te à iurisdictione, officio & Beneficiis.

PRimus suspendendi modus, latiusque cæteris patens, continetur his vocibus (*suspendo te*) de cuius sensu ac intelligentia variant scriptores, Glossa *in Clem.* 2. *parag. cæterum de priuilegiis*, putat eo significari remotionem ab officio tantum, hoc E est beneficio eiusque administratione, quod mihi non probatur, quia causa est nulla cur eius significatio ad eum duntaxat sensum trahatur, non autem ad alia quæ Clerico competunt, habentque vna cum officii carentia, vsus quoque ordinis, ac administrationis beneficii priuationem, ac carentiam.

Quare sequenda est sententia eorum, qui illis vocibus asserunt remoueri suspensum ab omnibus, quæ ei conueniunt, in quantum

eſt Clericus, quia cauſæ nihil eſt, cur hæ voces trahantur potius ad ordinem, quam ad cætera, quibus ex propria ſui muneris ratione Clerico vacare conceditur: ita Sayrus *lib. 4. cap. 12.* Theſaurus *in praxi Eccleſ. parte 2. verbo Vſura 7. & verbo Curia 4. notab. 1.* Layman. *lib. 1. tract. 5. par. 3. cap. 1. num. 2.* Filliuc. *tract. 17 cap. 1. nu. 9.*

Excipiendus eſt caſus, in quo ex orationis ſerie, oppoſitum colligere fas eſſet; & ex vocibus tam quæ ſequuntur, quam quæ præcedunt, intelligere, ſuſpenſionis ſententiam dictam à iudice, non ad omnia quæ Clerico ex propria muneris ſui ratione ſunt permiſſa extendi; nam tunc ad ſuſpendentis captum, reſtringi debent. *Sicut*, inquit Reginald. *lib. 32 tract. 2. cap. 16. num. 21. qui excommunicatur ſub hac verborum forma abſoluta, excommunico te, cenſetur ex cap. ſi quem de ſent. excomm. ligari maiore excommunicatione, quæ ſine reſtrictione ſortiatur excommunicationis effectus, ita qui ſuſpenditur ſub hac forma, ſuſpendo te, cenſendus eſt irretiri ſuſpenſione quæ abſque reſtrictione priuet tam officio, quam beneficio, niſi aliud conſtet ex circunſtantiis & potiſſimum ex intentione iudicis*, alioqui per eam ab omni ſpirituali officio tam ordinis, quam iuriſdictionis, & Eccleſiaſticæ iuriſdictionis impeditur, quia cum ea propoſitio ſit indefinita, & vniuerſali æquiualens, intelligitur de ſuſpenſione ab officio, ſeu diuinis, & beneficio. Pro explicatione modorum ſequentium ſit.

Prima aſſertio, *Suſpenſus à iuriſdictione, eiuſque actibus, non eſt ab ordine, eiuſque functione ſecluſus.* Ita Suarez *tomo 5. in in 3. partem* Diu. Thom. *diſp. 26. ſect. 4.* primo, quia vt colligitur, *ex cap. tranſmiſſam de elect. 15. & cap. aqua de conſecrat. Eccleſ.* iuriſdictio non pendet ab ordine, cum illam non Ordinatus habeat, nam in priori habetur, quod ex quo electionis ſuæ confirmationem quis accepit, de omnibus quæ maioris inquiſitionis diſcuſſionem non deſiderant, nec conſecrationis miniſterium, *ſtatuendi liberam habet facultatem.* In altero eſt quod *licet Epiſcopus committere valeat, quæ iuriſdictionis exiſtunt, quæ ordinis tamen Epiſcopalis ſunt, non poteſt inferioris gradus Clericis demandare.* Hinc enim ſequitur iuriſdictionem ab ordine ſeiungi poſſe, quod erat probandum.

Secundo, cum ſuſpenſio natura ſua effectum determinatum ac neceſſario ſibi cohærentem non habeat, eſt in ſuſpẽdentis poteſtate, reum hac aut illa priuare actione, non autem alia, facit id vero, cum iuriſdictionis ſolius in ſententia ſua meminit, & non ordinis.

Excipe caſum, in quo actus vnus alteri con-

A nexus foret, nam tunc eius ſuſpenſio, ſecum ſuſpenſionẽ trahit alterius, *exempli cauſa ſuſpenſio ab vſu Sacerdotij*, ab eo quoque, qui eſt ad Sacramenta adiminſtranda, ſuſpenſionem connotat, quod iſtorum miniſtratio, iuriſdictionem in miniſtrante poſtulet.

Secunda aſſertio, *Suſpenſus ab officio, prohibetur ea facere, quæ illi ratione iuriſdictionis, ordinis & adminiſtrationis Eccleſiæ competunt*, Suar. *tomo 5. diſp. 26. ſect. 26.* antequam probetur notare iuuat, officium à quo dicimus ſuſpendi Clericum, eſſe ius alicuius rei Eccleſiaſticæ gerendæ, ab ordine, iuriſdictione,

B vel adminiſtratione profectum, hæc enim tria comprehenduntur officii nomine, quare qui ſimpliciter ſuſpenditur ab officio, ab his quoque exercendis prohibetur, *vnde cap. 1. de ſententia & re iudicata in 6.* iniquus iudex ac improbus ab executione officii per annum ſuſpenditur, & vt nomine officii multa Pontifex comprehendi innueret, addit dignum eſſe, *vt qui in tot præſumit offendere, pœna multiplici caſtigetur.*

C Equidem ea voce comprehendi quoque nominatim ordines, Innoc. IV. ibid. non obſcure indicat, vbi enim eum ſuſpenſione dixit affici, qui famæ ſuæ prodigus, & proprii perſecutor honoris, contra conſcientiam, in grauamen partis alterius quicquam fecit per gratiam, addit *quod ſi damnabiliter ſuſpenſione tali durante, diuinis ſe ingeſſerit, irregularitatis laqueo ſe inuoluit, ſecundum canonicas ſanctiones*, ergo cum hæc non incurratur, niſi miniſtrando Sacramenta, aut actum ordinis exercendo, à quo exercens ſit ſuſpenſus, officii nomine, ordines quoque comprehendi

D eſt neceſſe.

Eſt etiam ſuſpenſus à iuriſdictione, quia hæc officium, & non ordinem ſequitur, ita Fœlic. *de ſuſp cap. 11. verſu ſuſpenſus ab officio tantum*, qui ait in hanc ſententiam ire Doctores omnes, cui ſubſcribit Vgol. *tab. 4. cap. 6. parag. 1.* & Henriq. *cap. 32. n. 1. lib. 13* Itaque nihil hic quod poteſtatem ac iuriſdictionem ſapit, facere poterit, vt abſoluere à cenſuris, conferre beneficia, eligere vel etiam eligi, *quia nobis conſtitit ait Pontifex in cap. cum dilectus 8. extra de conſuetudine, electionem ip-*

E *ſam à ſuſpenſis, & de ſuſpenſo eſſe celebratam eam iuſtitia exigente caſſauimus.* Innoc III. & quanquam, qui ſecus quam canones imperant, quidpiam facit tale in hoc genere, mortifere peccet, irritaque ſit per eum facta electio, non tamen vlla contrahitur irregularitas, quia hæc irrogata tantum legitur in pœnam violatæ cenſuræ, quod fit, cum qui ea innodatus hæret, diuinis ſe ingerit, Felinus *in cap. Apoſtolicam de exceptionib. num.*

13. Fœlicianus *cap.* 11. Suar. *de censur. disp.* 27. *sect.* 3. *num.* 6. quorum in numerum non est referenda electio, his ita præsuppositis probatur assertio.

Actus qui proficiscuntur ab ordine, aut iurisdictionem prærequirunt, vt sint rati, ac validi, ad officia muneraque Sacerdotum, aut beneficiariorum propria pertinent, ita litare, ita facere, ita pro se populoque sacrosanctum Missæ sacrificium Deo offerre Sacerdotis partes sunt propriæ, vt pote quarum causa instituitur in Ecclesia, Deoque de populi turba, fœceque segregatus, initiatur: Petrus Gregorius *de benef. cap.* 7. ergo suspensus ab officio, quæ ordinis sunt, aut potestatis, non potest exequi, idque non in eo tantum loco, vbi est suspensus, sed omnibus, Glossa *in canon. quisquis Episcoporum* 4 *q.* 5. *& in cap. pastoralis parag. Verum de appellat.* quia vbique superiori suo, iusta mandanti & cum auctoritate, parere inferiori est necesse, ergo & cessationem imperanti ab officio, à quo eum suspendit, tenetur tamen ita suspensus, canonicas horas legere, quia alias culpa ei sua foret vtilis, quod nec decet, nec oportet, ne ex ea cõmodum reportet, quod bene informata ratio non patitur, interesse tamen nequit capitulo, cum iure suffragii, Sayr. *c.* 5. *lib.* 4. quia ibi sententiam dicere, est ea quæ Clericorum sunt propria facere, pro canonico se gerere, cum eius rei causa inter cæteras, istiusmodi hominum generi beneficia dentur ac præbendæ, authore Lessio de beneficiis, ergo prohibitus facere officium, Ecclesiastici Magistratus imperio, vetatur quoque suffragari in capitulo, non item orare, non interesse diuinis officiis, cum fiunt, non sacrificanti operam suam vt ministri solent deferre, non in necessitate sacris baptismi vndis tingere, non mortuos sepulturæ tradere, quatenus hæc & similia officia, Laicis etiam competunt, Layman. *parte tertia de censuris cap.* 1. *num.* 2. Auila *par.* 3 *disp.* 2 *dub. primo.*

Et quoniam Doctorum est certa firmaque opinio suspensionem & interdictum, præscriptos sibi terminos non egredi, qui speciatim ab aliqua officii parte erit suspensus, V. C. ab ordine, aut à tali, vel tali alicuius Sacramenti ministerio, illud tantum prohibetur agere, ei alia permittuntur omnia, vt patet *ex cap. significauit de corpore vitiatis*, & toto *tit. de Clerico percussore*, nec suspensus ab ordine, suspenditur à iurisdictione, nisi in foro conscientiæ, eo quod ea sine actu exerceri nequeat, & ita sentit Vgolin. *loco cit. parag.* 5. & suspensus à maioribus, non suspenditur à minoribus, docet enim vsus experientiaque, eum qui ab Episcopalibus est suspensus, Sacerdotalia non modo impune sed & cum laude posse exequi, non tamen cum apparatu Episcopali, Nauar. *cap.* 27. *num.* 163. *versu* 5. infertur & Henriq. *cap.* 32 *parag.* 2. & Vgolin. *ta.* 4. *cap.* 6. *parag.* 6. ibi etiam docent, eum qui est minorum vsu actu prohibitus, à maioribus quoque suspensum esse, qui enim in inferioribus subsistere non meretur, ad superiores gradum facere, aut in iis occupari digne posse quis putat? Pomponius, *lege qui indignus ff. de Senatoribus*, nisi forte aliam esse suspendentis mentem, constans enim certaque opinio *cap. vit. de temporibus ordinationum in* 6. eodem modo si est simpliciter suspensa iurisdictio, iuridice interim agi nihil poterit, vt est planum in collatione beneficii, quam à suspenso fieri posse negat Pontifex in *cap. graue nimis* 29. *de Præbendis & cap. vnico ne sede vacante in* 6. quæ his sunt addenda ad plenam propositæ quæstionis notitiam explicabuntur sequentibus assertionibus.

Tertia assertio, *Qui suspensus est ab officio, fructus beneficij, qui non dantur ob præsentiam in choro, suos facere, & retinere sine culpa potest.* Henriq. *liq.* 13. *cap.* 32. *parag.* 3. Reginald. *lib.* 32. *cap.* 19 *num.* 11. quia beneficium & officium differunt: ergo cum Clericus, præcise per suspensionem non priuetur nisi eo actu, cuius in illa fit mentio, aut qui illi adhæret, suspensio ab officio, suspensionem à fructibus beneficii secum non trahet, distributionum tamen quas diurnas nominant, cum fient, particeps esse non poterit, quod hæ non sint debitæ aliis, quam qui diuinis intersunt officiis Vgolin. *in tab.* 4. *cap.* 6 *parag.* 3. à quibus tamẽ cum abesse est necesse, qui est suspensus à iure aut homine ab officio.

Confirmatur nomine beneficii nusquam canones intellexere officium, nec contra: ergo cum pœnæ extendi non debeant, suspensus ab officio, non prohibebitur retinere beneficium, eiusque fructus.

Quarta assertio, *Suspensus ab officio non potest diuina facere officia, nec quæ beneficii sunt exequi, nec ministrare Sacramenta, ea tamen recipere quorum est capax, idque potest cum fructu, præter ordinem.*

Pars assertionis vltima est clara, nam recipere Sacramenta, officium non est Ecclesiasticum: ergo suspenso ab officio, interdicta non est Sacramentorum receptio nisi ordinis, sed collatio.

Enimuero cui prohibetur consequens, huic quoque censentur & antecedentia vetita esse, *cap. si celebret de Clerico excommunicato ministrante*, sed ordini annexum est officium Ecclesiasticum, à quo ordinandus, supponitur suspensus esse, ergo & à recipiendo

ordine, potest tamen canere in choro Laicorum more, Missæ interesse, gaudere indulgentiis cum conceduntur: sepeliri in loco sacro ex Nau. *lib.5. Concil 64. de sentent excomm.* nam suspensio à diuinis, de iis exercendis intelligitur, & non audiendis.

Quod autem suspensus à beneficio, eius administratione careat, patet *ex cap. cupientes 16. parag. cæterum de electione in 6.* Ibi Nicolaus eius nominis tertius, canonicos qui electis intra octo dies, electiones præsentare distulerint, *si in hoc culpabiles extiterint, omnibus beneficiis suis quæ in ipsa Ecclesia obtinent, de cuius electione agitur, per triennium continuum, vult eo ipso fore suspensos, atque si intra illud tempus propria se hu temeritate, vel alio quæsito colore ingesserint illis ipso iure perpetuo priuatos esse:* Ideoque dandos eiusmodi beneficiariis suspensis œconomos, qui eorum nomine, suspensione durante, beneficiorum quibus sunt commissi, negotia gerant, deque illorum fructibus sustententur, vt dicitur *in cap. 2. de appellat. & cap. ea 8. de statu Monachorum parag. si vero,* cadit autem hæc pœna in quemuis qui beneficio sit præditus, Episcopos autem & his superiores, oportet nominatim esse suspensos, ob *cap. quia periculosum de sent. in 6.*

Quinta assertio, *Suspenso à beneficio, indebiti sunt fructus illi, qui dantur tantum possessori suo, ob præsentiam in choro, præstationem eorum munerum, quæ facere ei est prohibitum per suspensionem.*

Probatur fructus obuenire Beneficiario nequeunt sine iure ad illos, at etsi per suspensionem ius fructuum non tollitur, saltem impeditur, respectu eorum qui sunt debiti ob officium, nam beneficium est ius percipiendi bona Ecclesiastica propter spiritale officium, ergo suspensione à beneficio, ius quoque ad illud suspenditur, ergo & ad fructus debitos propter executionem ministerii, quo non fungitur ob suspensionem, quare *in can. præter 32. dist.* cauetur ne *suspensus partem ab Ecclesia suscipiat,* id est commodum ac fructum vllum.

Sexta assertio, *Suspenso à beneficio, ius non est percipiendi ex eo fructus solitos.*

Probatur auctoritate canonis, ratione, & grauium Doctorum sententia, canone quidem, nã in *6. dist. 32.* cauetur his verbis: *Neque partem ab Ecclesia recipiat,* huc adde rationes quæ sequuntur: Omittenti canonicas preces, omnium consensu fructus non sunt debiti, næ ergo iuste eos nullus tribuendos existimauerit, non præstanti Ecclesiastica munera quæ debet, datur enim beneficium ob officium, quod Ecclesiæ exhibere oportet, *ex cap. finali de rescriptis in 6.*

Secundo, non residens fructus beneficii sui iure non possidet, ex decreto Trid. *sess. 6. cap. 2. sess. 23. cap. 1.* at residere est per se officium facere, quod suspensus ab officio, Ecclesiastica lege impeditur exequi, ergo non fungens chori munere, mercedem non potest capere, quæ præsentibus tantum est debita.

Poterit tamen beneficiarius si pauper est, nec habet aliunde vnde viuat, quia fructus alios ex beneficio non percipit, quam qui ei ex præstatione officii obueniunt, poterit inquam ex illis tantum sibi petere, ac sumere, quantum est necesse, vt vitam vtcunque toleret, ne in ordinum contumeliam, ac dedecus, mendicare cogatur, Tolet. *lib. 1. cap. 14.* Sayrus *lib. 5. cap. 6. num. 4* Glossa *in cap. cum Vintoniensis de electione.*

Eius rei causa est ex concessione Ecclesiæ tacita repetenda, quæ Clerico beneficiario, ne in opprobrium ordinis Clericalis, fœdè eleemosinam ostiatim corroget ad vitã tam suam quam suorum necessariam, non autem ad status decentiam, non obstante suspensione, suppeditat.

Progrediuntur longius alii, nam ei obuentiones omnes beneficii, fructusque attribuunt, quos illi deberi aiunt, si præstet officium, sententiæ huius auctores ac patroni sunt Stephanus de Auila *par. 2. cap. 2. disp. 6. dub. 1. concl. 1. & 2.* & *parte 3. disp. 2. dub. 2 conclus. 6* P. Nauar. *lib. 2. de restit. cap. 2. num. 237.* quam probabilem quoque esse scribit Lay. man. loco citato.

Septima assertio, *Suspensus à beneficio, præcise qua est talis, non est suspensus ab officio, sed à sola perceptione fructuum, ac temporali administratione beneficii.*

Pars prima prob. non est suspensus à beneficio, suspẽsus quoq; ab officio, maxime si iudex illud non prohibeat ei facere, at non vetat, nam ei decurrendæ sunt preces canonicæ vt ante, exercenda iurisdictio, vel administratiò, ratione officii competens, quæ est opinio Laym. *t. act. 5. par. 3. ca. 1. num. 3.* Glossæ *in cap. cum Vintoniensis de elect.*

Pars altera fidem habet *à can. cupientes parag. cæterùm de elect. in 6.* in quo si suspensus à beneficio eius administrationi se ingerit, eo ipso est illo priuatus, priuat ergo suspensio à beneficio, eius administratione temporali, & spirituali sacrarum actionum, temporali quidem, quia suspenso lege Ecclesiastica constituendus est œconomus, Laymanni testimonio loco citato, nec aliam ob causam haud dubiè, quam quia illius temporalis administratio ei est interdicta. Spirituali autem, quia suspensus, iure sacro canonum est impeditus, quo minus fungatur iis

muneribus

muneribus quæ Ecclesiastica necessitas requirit, & hæc est causa, cur ea non faciens, fructus è beneficio, vti suos, colligere nequeat.

Huius opinionis approbator est Innocent. *in cap. sicut de cohabitat. Clericor. & mulierum* approbatrix item Glossa *in cap. pastoralis de appellationib. in verbo subtrahantur*, maxime quando suspensus in suspensione perseuerat, nec ab ea absolui, pro eo ac potest, ac debet, procurat.

Caret ergo suspensus à beneficio, eius fructibus, ac administratione, eo tamen non excidit, nec iure conferendi, quia collatio à iurisdictione pendet, quæ per suspensionē à beneficio intacta relinquitur, vt ait Heriq. *l.* 13.*c.*32.*in* 4. & per eā tātum impeditur collectio fructuum beneficii eiusque administratio, vt est *in cap. cupientes tam citato §. ceterum de electionibus in 6. & cap. 1. parag qui vero eodem libro & tit.* vbi docetur, eum qui se beneficio, durante suspensione ingerit, eo priuari, ideoque ei administrando præficiendus est Oeconomus, qui non tam suo quam veri eius ac legitimi possessoris nomine illud regat, negotia eius gerat, deque eius fructibus se sustentet & alat vt dicitur *c peruenit 28. de appellationibus, & cap. ea, quæ de statu Monachorum parag. si vero dilapidator*, non cadit autem hæc pœna in Episcopos, & his superiores, nisi nominatim suspensos, propter *cap. quia periculosum de sent. excom. in 6.*

QVÆSTIO VIII.

Explicantur dubia quædam circa prædicta.

PRimum, *An qui à beneficio, vel officio, est suspensus, vtriusque vsū, ac exercitiū interdictum habeat, an alterius tantum, an neutrius.*

Neutrius: cum enim anceps sit, ambiguaque sententia, nec ratio sit vlla, cur in vnam partem propendere potius, quam aliam sit necesse, ab eorum altero magis quam alio non prohibebitur, Henriq *cap.32 nu.4.* Maiolus, Sylu & alii.

Contraria sententia est Laym *lib. 1. parte 3. tract.5.cap.1.n. 2.* suspensionem cum fertur indistincte, & absolute, ab officio vel beneficio, intelligi debere de omnibus, cum nulla sit ratio eius limitandæ, maxime si ex verbis canonis, nulla limitatio possit colligi.

Secundum, *An qui multa habet beneficia, si simpliciter à beneficio suspendatur, ab omnibus sit suspensus?*

Respondend cum Vgolin. *tab.4.ca.8.parag.4.* si id ex verbis, aut suspēdentis intentione, nequit colligi, de culpa, eiusq; natura, A illius rei argumētum sumendū esse, & quidē si peccatum cuius causa quis suspenditur, est in damnum alicuius Ecclesiæ, in qua ille beneficium vnum, pluraue habet, & simpliciter suspenditur à beneficio, tam ab eo quam aliis, quæ in ea Ecclesia possidet, suspensus erit, quia talis suspensio ob causam est lata, quæ propriè illam Ecclesiam respicit, Thesaurus *verbo gratia c.2. versu, aduerte 5.* si vero alibi beneficia habeat, ea retinebit, sin autem culpa sit contra statum, vel honorem Clericalem; & suspenditur à beneficio, eo B quod habitum gestare Clericalem noluit, *à perceptione fructuum beneficiorum quæ obtinet, est eo ipso suspensus*, Clem II. *de vita & honestate Clericorum, cum Glossa ibid. verbo beneficiorum*, & innuit *Fœlic. de suspens. cap. 14. in fine.*

Mendicabit ergo (inquies) contra Trid. *sess.21.c.2. de reformatione*, cum præter fructus ac redditus beneficiorum, quibus instructus erat, subsidia ei ad vitam nulla suppetant.

Respond. si suspenso deest ex patrimonio vnde se sustentet nec honesto labore C victum sibi ob infirmitatem virium parare potest, ei de beneficii fructibus tantundem erit dandum quantum necessitas exiget, si suspensio in pœnam non in contumaciam sit lata, vt communiter sentiunt Doctores apud Vgol. *c 8. parag.3.*

Tertium, *An suspensus à beneficio, ab officio quoque sit suspensus.*

Nequaquam: Toletus *lib. 2. summæ ca. 43. num.4.* Panormitan. *in ca. cum dilecti de consuetud.* Nauar. *ca.27.num.153.*

Ratio est, quod suspenso per suspensio- D nem tam quæ est à iure, quam homine, id duntaxat prohibeatur, quod proprie verba sententiæ significant, ergo cum alia huic voci *beneficium* subiecta sit notio, quam officio, suspensus ab vno non erit similiter ab alio, quare suspensus à beneficio, diuina officia exercere poterit, vt prius, imo si est Parochus, in ea incumbere debebit vt ratio exigit. De iurisdictione vero quid censendum?

Ab ea suspensum non esse, quem senten- E tia suspendit tantum à beneficio, nisi hæc adnexa sit beneficio, & non officio: nam accessoriū principalis naturam sequitur, ergo cum iurisdictio effectus sit beneficii, cum eius intuitu beneficiario sit debita, suspensio ab isto, iurisdictionis quoque suspensionem inferet.

Quartum, *Ecquid suspensio, ab ingressu Ecclesiæ prohibeat suspensos: cuiuscumque generis intra illam, exercitium solemne & publicum.*

Omnino colligitur ex *cap. 20. de sent. in 6.* Deinde vetito principali ea quoque prohi-

bentur omnia, quæ illud ſolent conſequi, at ingreſſus in Eccleſiam ordinatur ad cultum Dei, ſacraque Clericorum officia, ergo in ingreſſu ad Eccleſiam, qui Clerico prohibetur, & alia quoque vetantur quorum meminimus.

Dixi *in Eccleſiam*, quia extra eam ſacrificare in altari portatili, ſuſpenſus poterit, aut etiam in cœmeterio, nec enim vt ſupponitur, aliud hæc ſuſpenſio prohibet quam ingreſſum Eccleſiæ, at Cœmeterium non eſt Eccleſia, ei tamen prohibetur ſepeliri tam ibi quam in templo, niſi ante mortem doloris ſigna dederit in ordine ad abſolutionem receptam, aut recipiendam *cap. is cui 20. de ſentent. in 6.* ſepultus tamen licet impœnitens diem ſuum obierit, Eccleſiam non polluit, ex *can. cit. is cui* quem iuxta probabilem tutamque ſententiam refert Sayr. *lib.* 4. canon ita habet, *is cui Eccleſiæ interdicitur ingreſſus, cum ſibi per conſequens, cenſeatur ipſa diuinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, ſi contra interdictum huiuſmodi, diuinis in ea ſe ingerat, in ſuo agens officio ſicut prius. Talis quoque ſi hoc interdicto durante deceſſerit, non debet in Eccleſia vel cœmeterio ſepeliri niſi pœnituerit.*

Quintum, quid his verbis intelligat Pontifex, cum aliquem à corpore & ſanguine Chriſti, ſuſpendit.

Exiſtimant aliqui, eum à receptione communionis remoueri, proindeque eſſe excommunicationem minorem partialem. Ita Armilla *verbo Miſſa num.* 12.

Dicunt alii, per ea, excommunicationis maioris ſententiam in reum ferri, quam opinionem tuentur hi auctores Paludan. *in* 4. *diſt.* 11. *qu.* 1. *art.* 2. Maiolus *de irregularit. lib.* 3. *cap.* 16.

Veriſſima ſententia eſt, iis verbis ſuſpenſionem partialem à diuinis, id eſt à celebratione ſola Miſſæ innui, quam defendunt Filliucius *de ſuſp. num.* 104. Nauar. *miſcell.* 86. Theſaurus *parte* 2. *praxis verbo Miſſa cap.* 3.

Ratio eſt, quod ſuſpenſio, cum ſit pœna, vltra verborum proprietatem extendi non debeat, at Sacerdos corpori Chriſti, ac ſanguini raro extra ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium communicat, ab hac ergo communione eum ſuſpendere, eſt ei vſum Miſſæ interdicere.

Sextum, vi harum vocum *ſuſpendo te ab Epiſcopali ordine*, quos actus exercere Epiſcopo non ſit licitum.

Non alios quam qui Epiſcoporum ſunt proprii, & Sacerdoti iure ordinario competere nequeunt, quales ſunt confirmare, ordinare, &c.

Quid ſi ſuſpenſio ſit à ſolis Pontificalibus?

A Reſpondend, ea ſuſpenſione, vſum duntaxat inſignium, quæ Epiſcopis ferre eſt in more, directè, primo & per ſe, his vetari, indirectè autem, & conſequenter opera omnia, quę ſine his ei obire non licet, qualia ſunt ſequentia. Confirmare, ordines conferre, altaria, Virgines, calices, & Eccleſias conſecrare, quare Miſſam priuatim celebrare, ad populum dicere, confeſſiones excipere, ius in prætorio reddere, cauſas audire poteſt Epiſcopus licitè ac validè, cum ad ea miniſteria, pallium, cæteraque id genus Epiſcoporum

B inſignia, non ſint abſolutè neceſſaria.

Septimum, *An ſuſpenſus noui beneficij ſit capax.*

Huius grauiſſimæ quęſtionis explicator eſt Leſſius *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 34. *dub.* 22. *num.* 116. tribuſque canonibus conficit, *ſuſpenſum* ſine ſcelere non poſſe, ac effectus nullitate, beneficium admittere, quam ſententiam ſubſcribi video à Toleto *in ſumma lib.* 1. *cap*, 14. *parag. vlt.* Sayro *de cenſur. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 5. *&* 6. omnium eadem ſunt argumenta, eaque petita *ex ca. dilectus* 8. *de conſuetud. ca. cum inter* 16. *de elect. ca. cum bonæ* 8. *de ætate*

C *& qual. ordinand.*

Verum enim, pace eorum ſit dictum, ex illis colligi tale nihil poteſt, ſed ſuſpenſi electionem, aut factam ei collationem de vacante beneficio, irritandam, non autem ipſo facto eſſe irritam, nam *in cap.* 8. *de conſuetud.* Innoc. III. ait ſe *electionem à ſuſpenſis, & de ſuſpenſo celebratam, iuſtitia exigente caſſare*, non fuit hæc ergo iure ipſo inutilis, caſſa, ac nulla, *cap. autem cum inter* 16. *de electione*, præcipit, Abbati de Cella S. Petri, *vt ſi conſtiterit,*

D *quod electio facta fuerit à ſuſpenſis, ea omnino caſſetur cap. vero* 8. *de ætate*, conſultus Cœleſtinus Papa tertius, vtrum *qui beneficium in ſuſpenſione ſunt adepti, rationabiliter retinere illud poſſent*, reſpondit, *quod non licet eis illa, quæ habuerunt beneficia, vel quæ poſtmodum ſunt adepti aliquatenus retinere*, itaque Baranenſi *Archiepiſcopo dediſſe ſe in mandatis, vt eos pro tanta pertinacia, & contemptu Apoſtol. beneficiis quæ haberent, non differret ſpoliare*, quæ verba haud dubiè, electionem non irritam, ſed irritandam denotant, proindeque non ſententiam latam, ſed ferendam tantum.

E Itaque etſi ſit electio de ſuſpenſo, aut facta ei beneficii collatio illicita, non eſt tamen ipſo iure nulla, quam ſententiam docent Suarez *de cenſuris diſp.* 26. *ſect.* 3 *num.* 7. *& diſp.* 27. *ſect.* 5. *num.* 25. Sylu. *verbo excomm.* 4. *num.* 4. Innoc. *in cap. noſti de conceſſione præb. num.* 1. eamque vt non improbabilem defendi poſſe ſcribit Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 34. *dub.* 22. nam Pontifex *in cap. cum bonæ de ætate*, eodem modo de beneficiis ante ſuſpenſio-

nem

nem habitis loquitur, ac de acquisitis post eam, at illa sponte non tenentur dimittere, ergo nec ista, est ergo facta de iis collatio valida, rataque, eiusmodi tamen, rescindere non sit nefas.

Octauum, *An suspensus à beneficio eligere possit ac eligi, conferre beneficium, aut ei nouum aliquod dari.*

Licitè ac validè, vtrumque posse suspensum facere vt credam, faciunt argumenta sequentia.

Primum, quod suspensum à beneficio tantum, nihil sit quod impediat quominus quæ sunt sui muneris, exequatur ac obeat, secundum Sayrum *lib. 2. de censur. cap. 6. num. 4.*

Secundum, est suspensio à beneficio, ab ea quę vsum officii prohibet diuersa, nā vtriq; eadem non subest notio, sed distincta, vt verba ipsa præ se ferunt, ergo cum dicta in aliquem suspensionis sententia vim habeat, vocibus conformem, quibus est concepta, qui erit à beneficio suspensus, & non ab officio, istius vsum retinebit liberum, vt ante, & non vllo modo prohibitum: quare si ei competit electio, eligere vt prius poterit, & conferre, & quoniam officii causa, conferri beneficium solet, cum qui ab isto est suspensus, impeditum officium non habeat, suspenso à beneficio licite potest ac validè nouum dari aliquod ab Episcopo, aut alio ad quem spectat eius collatio, Fagundez *in 5. præcept. lib. 5. cap. 2 num 49.* Si tamen conferendi beneficii ius ac potestas suspenso competerent, eius occasione ac causa, tali iure per suspensionem excideret, factaque proinde ab eo collatio, illicita foret ac nulla, quia principali prohibito simul & quæ ei sunt annexa, ac quasi accessoria, vetari constat.

Nonum, *An suspensus ab ordine, ab horarum liberetur onere.*

Id qui putet, esse credo neminem.

Primo, quia precum solutio, propriè non est ordinis actio.

Secundo, quia abhorret à vero, Ecclesiam velle, vt quis commodum ex turpi aliquo suo opere, nedum ex crimine referat, quod tamen accideret, si ab exoluendo solito horarum penso liber esset, id autē nolle Ecclesiam (quod fuit in maiori) sit vel hinc perspicuum, quod censuris id suis agat, vt in pœnam admissorum à se criminum, bonis suis, ac opibus fideles priuentur, non autem nouis vt commodis augeantur. Sic Sotus *lib. 10 de iustit. qu. 5. art. 3.* Sanch. *lib. 7. consil. cap. 2. dub. 54.*

Quid si eas cani oportet, quid si publicè in choro dici?

Respondend. à suspensione ab ordine

A huic pietati erga Deum, moram nullam aut impedimentū obiici, nam per eam Clericus ab administratione Sacramentorum duntaxat, executione iurisdictionis Ecclesiasticæ, & susceptione ordinum remouetur, non autem à cantu & precibus, apprecari tamen populo Dei præsentiam his vocibus *Dominus vobiscum* non potest, quia est actus ordinis à quo per suspensionem priuatur.

Decimum, *An suspensus ab officio, sit quoque suspensus à beneficio.*

Ita censuere inter Summarum interpre-
B tes viri eruditione nobiles Cardinal. *in Clement. primam q. 7. de priuileg.* Gloss. *in Clement. cupientes verbo suspensi de pœnis*, Imola *in ca. dum dilectus de consuetud.* Turrecrem & Ostiensis apud Comitol. *respons. lib. 6. q. 42. nu. 7.* Salsedus *in practica criminali cap. 230. q. 42. num. 7.* ita illis opinandi causæ admodum duæ.

Prima, quod *beneficium datur propter officium de rescriptis in 6. cap. 15.* ergo suspensus ab officio, censetur quoque suspensus à beneficio, nam accessorium principalis naturam
C sequitur, ergo cum beneficium, officii sit accessorium, istius suspensio, futura quoque est alterius, id est beneficii, non amissio, quidem, sed fructuum, iurisque ad illos, suspensio.

Secunda, excommunicatio beneficii possessi obuentionibus tam diurnis quam annuis excommunicatum spoliat, ergo & suspensio.

Consequ. probatur, est excommunicatus eam ob rem beneficii fructibus priuatus, quod censura quæ eum obstrictum tenet,
D cum quoque omni Ecclesiastici officii vsu priuet. At idem operatur suspensio in suspenso.

Loquuntur his meo sensu prudentius, qui contra quàm illi, docent & sentiunt, Toletus *lib. 1. summæ cap. 43. num. 5* Nauar. *lib. 5. consil. 51. de homicid. & cap. 27 manual. num. 160.* Sa *verbo suspensio num.* Auila *disp. 2. dub. 1. conclus. 6.* Coninch. *dub. 2. conc. 1.* Fagundez *in 5. præcept. Decal. cap. 2. num. 36 & 40.* Suar. *tomo 5. de censuris disp. 26. sect. 3 num. 24.*

Ratio est, quod officium, & beneficium,
E res sint disparatæ, inuicem non necessario coniunctæ, separari ergo vna potest ab alia, ergo qui ab officio duntaxat est suspensus, non idem quoque est à beneficio.

Confirm. cum de multiplici suspensionum varietate supra est actum, ex communi, vera tamen Doctorum opinione est dictum, præcipuas huius censuræ species tres esse, ab officio tantum, à beneficio, & ab officio & beneficio simul, quæ partitio esset haud dubiè inanis, ac superflua, si suspensio

ab officio, ex natura sua secundam hanc includeret, quæ est à beneficio, quam tamen vt à priori distinctam agnoscunt iura *cap. inter 10. de canonica purgat* his verbis: *Licet Ecclesiastica constitutio tales ab officio tantum, vsque ad purgationem canonicam doceat suspendendos, quia tamen etiam eum à beneficio propter immanitatem suspendisti, nolumus improbare.*

Confirm. legis aut sententiæ quæ pœnam infert, verba propriè intelligi debent, in eoque sensu, quem à prima sui institutione sunt sortita, at huic voci *Officium*, vim eandem ac potestatem subesse nemo dicet, ac isti *Beneficium* primũ enim illud ab efficiẽdo dicitur, estque id quod vnusquisq; efficere debet, vt nulli officiat, seruata scilicet honestate, quid loco, quid tempori, quid personis conueniat, ita inofficiosus dicitur, qui contra publicam honestatem quid facit, inofficiosus parens, qui sanguinis ex se procreati, & pietatis obliuiscitur.

Beneficium autem in iure ciuili proprie pro priuilegio sumitur, hoc est pro iure præcipuo, quod certæ personæ, ætati sexui, vel conditioni est attributum, Ecclesiastico autem, est ius percipiendi fructus propter officium spirituale quod obitur, quæ ab officio diuersa esse, distinctaque, cui non compertum? suspendi ergo ab eorum altero, non est prohiberi ab vtroque.

Confir. sunt suspensiones, pro varietate rerum quibus priuant, variæ, at suspendi ab officio, pœna est, ab ea quæ beneficii priuationem habet diuersa, prior enim administrationem beneficii impedit, constitutionem Vicarii, absolutionem à culpis, renunciationem digni alicuius hominis pro beneficio vacante, inflictionem censurę, cohortationem ad populum, posterior autem quæ est suspensio à beneficio, iure priuat colligendorum fructuum, aut eius administrandi temporaliter, quæ ab inuicem seiungi posse quis non videt? ergo & suspensiones, quæ ergo est ab officio, hæc non necessario suspensionem infert à beneficio.

Ad argumentum, pro contraria sententia allatum.

Respondendum primo, negando consequentiam quia cum ex natura rei, vnum non sit adnexum alteri, beneficio officium, vel contra, ab inuicem separari ambo possunt, proindeque & vna suspensio, exequutioni mandari sine alia.

Ad confirm. dicendum, non quodlibet officium, instituti, ac instituendi beneficii causam esse, sed horarum, id est fundendarum precum pro Ecclesia, beneficii patronis ac fũdatoribus, ab eo vero officio eximi,

A Episcopi priuata lege posse neminem, cum Concil. Constant. maxime, regnorum praxis omnium, ac prouinciarum, Pii V. auctoritas in Bulla speciali ea de re, ac recepta vbiq; consuetudo, horas canonicas, quod est beneficii præcipuum onus, aut eius pars maxima, potissimaque, ab eius possessore dici, religiose integre, ac deuote, quot hebdomadis ac diebus exigant.

Vndecimum, *An suspensus ab officio in perpetuum, per iudicis sententiam, à beneficio quoque sit suspensus.*

B Esse, dixit Toletus *in summa lib. 1. cap. 43. nu. 3.* Cardosa *in praxi iudiciali verbo* Graph. *Lib. 4. decision. aurear. ca. 25 num. 7.* Laym. *lib. 5. tract. 5. par. 3. ca. 1. nu. 3.* Sayrus *lib. 4. ca. 6. num. 17.* Sanch. *de matr, lib. 3. disp, 51. num. 13.*

Firmamentum eorum vnicum est, quod perpetua ab officio suspensio, perpetua sit suspensio à beneficio, eiusq; priuatio, quid ita vero? quia datur beneficium (inquiunt) ob officium, ergo si defungi officio non datur, neque beneficio frui, eiusque fructibus

C permittitur.

Contra pugnant è Theologorum schola scriptores non vltimi, Viuald. *in candel. tract. de susp. num. 17. concl. 1.* Henriq. *lib. 13. de excom. & susp. ca 32.* & alii: Pro opinionis suæ fide, rationem hanc proferunt, quod suspensio ab officio, diuersum quid sonet à suspensione à beneficio, nec habet à perpetuitate, naturam vt aliam induat, aut vim maiorem producendi effectus habeat in beneficium, à suspenso possessum, ergo vt suspensio ab officio quæ est ad tempus, non est priuatio be-

D neficii, ac eius fructuum: ita nec quæ definito tempore non clauditur, beneficii suspensionem infert aut carentiam.

Secundo, in pœnis non datur locus argumentis à simili, aut earum extensioni ad alia, à rebus in quas cadunt vere diuersa, ergo cum suspensio sit pœna, ab officio eiusque vsu, trahi hæc ad beneficium non poterit.

Negare tamen non ausim, quin ei, cui interdicta sunt in perpetuum officii sui munera, incumbat illo decedere, per simplicem cessionem, aut resignationem in fauorem

E tertii, quod potest, quandiu eo per iudicis sententiam necdum est priuatus.

Pars prima probationem habet facilem, quæro enim quorsum, & quamobrem vocatur quis ad Ecclesiæ, beneficiique regimen? Nempe vt hoc, & illam ex fide curet, propria vtriusque negotia gnauiter procuret ac sedulo, vno verbo beneficiarii munera obeat omnia, vnum de multis ex negligentia, incuriaque prætermittere, est officio, sibique ac conscientiæ deesse, nec proinde sine

crimine,

crimine: ergo si erit perpetua suspensio, si nullo circumscripta temporis interuallo, nunquam erit, cùm quæ magistratus Ecclesiasticus quem gerit, munera postulat, hæc faciat, ergo ne contra officium peccasse aliquando arguatur, non præstando quæ beneficii ratio exigit, aut illud relinquet vltro, aut resignabit alteri minime impedito: quod eum posse, quæ pars responsionis altera fuit, sic probatur, Ob suspensionem ab officio perpetuam, non est Clericus beneficiarius, ipso iure, & facto, suo priuatus beneficio, sed priuandus, ergo dum priuatio per iudicis sententiam accidat, de eo iste arbitratu suo statuere, ac disponere in alterius gratiam, per resignationem poterit.

Tertio suspensio ab officio quamuis perpetua, à suspẽsione quæ est à beneficio, semper est diuersa, ergo non necessario illatiua est alterius, cum in pœnis non detur extensio, nec sit beneficium officii accessorium.

Argumenti pro contraria parte allati, neganda est consequentia in eo sensu sumpta, quem intendunt aduersarii, volunt enim suspensionem à beneficio, & fructibus illius, sic includi in perpetua suspensione ab officio, vt hæc illã necessario inferat, & hoc est quod negamus, nam etsi suspensus in perpetuum ab officio, beneficio renunciare debeat, cum enim detur ob officiũ, si hic istud implere nequit indirectè manet obligatus ad illud resignandum, non tamen ex defectu præstandi officii, aut suspensione ab illo, infertur illico suspensio à beneficio, aut eius priuatio, cum suspensus ab officio, illud resignare possit, & in rigore per alium exequi officium, vt sunt litare superis, Missæ sacrificium diebus festis dicere, concionari, confessiones excipere &c. in quo casu, adiuncta beneficio suo commoda, fructusque tanquam debitos, vindicare sibi, ac petere poterit.

Dubium duodecimum, *An suspensio verbo tantum lata, & non scripto, officio priuet & beneficio.*

Dico primò, *Peccare mortaliter, qui quæ sibi sunt per suspensionem prohibita, facere apparat,* quia in re graui, & quam interest boni publici non fieri, superiori non obedit, Portelius *in dubiis regular. verbo suspensi num. 2.* non est tamen irregularis ob solam executionem officii, contra præceptum superioris aut Episcopi, sed est eius puniendus arbitrio, Suar. *de censur. disp. 26. sect. 2. num.* 30. Portelius *loco citato proxime num. 2.*

Dico secundò, *Suspensionem proprie sumptam non esse, cum Prælatus solo verbo alicui opus aliquod vetat, aut præcipit, sub ea pœna,* ita Na-

A uar. *consil. 62. de sentent. excomm.* Auila 3. *par. disp. 3. concl. 4.* quia hæc nullarum est virium nisi à legislatore hoc est Episcopo, eam infligente sit volita, at eam Episcopum aut Prælatum velle, cum verbo tantum, mentem suã eloquitur & non scripto, quis honeste credat ac prudẽter? nemo enim in dubio præsumendus est peccare, at peccat, qui suspensionis sententiam dicit in aliquem solo verbo, cum eam Innoc. IV. in scriptis proferri imperet, *& causam excommunicationis & suspensionis conscribere, propter quam excommunicatio proferatur, vel suspensio. Qui autem*

B *iudicum huiusmodi constitutionis temerarius existit violator, per mensem vnum ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis ipso facto, est suspensus,* Innoc. IV. *in cap. cum medicinalis primo de sentent. in 6.* ergò cum ab intentione suspendentis, suspensio dependeat, eaque verisimiliter careat, qui ad verba, scriptum non addit, quod dictam à se sententiam, eiusque causam contineat, talis suspensio verbo tantum prolata, probabiliter est nulla.

Quia tamen in dubio intentionis Prælati obligare volentis, stat pro præcepto possessio, quæ non possessione est potior, eam ob

C rem existimo sic suspenso abstinendum esse officio, administratione beneficii, eiusque fructibus, quod si non fecerit, non est futurus ideo irregularis, nisi actum aliquem ordinis exerceat, Portelius supra, qui etsi illicitus, validus tamen erit ac ratus, absolutione Sacramentali dempta, quæ indubitãter est nulla, secundum Suar. *tomo de censur.* 5. *disp. 26. sect. 2. num.* 30. & Portel. proxime citatum.

D Dubium decimum tertium, *Quæ sint opera à quibus sibi temperare suspensi à beneficio debeant.*

A sola perceptione fructuum, eiusque administratione temporali, vt est fructuum locatio, contractuũ super his renouatio, Lay. *lib. 1. par. 5. c. 1. tract. 5.* quare ita suspenso Oeconomus est constituendus, qui quæ sunt eius officia, in eiusdem beneficii temporali regimine, gerat ac suppleat, ingerens se administrationi illi prohibitæ, iure canonum beneficio est priuatus ipso iure, decreto Nicol. III. *in decretali cupientes de elect. in 6. parag. cæterum.*

E Dixi *A sola perceptione fructuum, ac temporali administratione beneficij,* nam si fides est auctori citato proxime *num. 3. parag. Corrollarium 3.* suspensus à beneficio, suo debet officio satisfacere, & iurisdictionem, vel administrationem ratione officii competentem exercere, itaque si sit Episcopus, initiare sacro ordine, in Clericorum numerum per tonsuram allegere, reos ac contumaces

Neganda est maior, nam præter remotionem à sacris officiis, quo de numero est sacrosancti Missæ sacrificii celebratio, includit & alia suspensio, nempe priuationem vsus sacrorum ordinum, administrationis officii, & beneficii, quæ pœnæ cum sint publicæ, omnibusque peruiæ, acrius pungunt Clericos, ac vulnerant, quam passiua Sacramentorum administratio Laicos, quos sæpe pauci teneri hac pœna sciunt, ignorant autem plurimi.

Contraria tamen sententia, quæ est Caietani *verbo suspensio num.* 1. ob auctoritatem viri non est improbabilis.

Quinta assertio, *Nihil tamen repugnat suspensionem leuem aliquam, ob leuem imponi culpam.* Ita Nauar. *in manuali cap.* 27. *num.* 151. *&* 159. Suar. *disp.* 28. *sect.* 4.

Causa est, quod sic non lædatur æquitas, cum inter pœnam & culpā, intercedat æqualitas; quid enim rationis produci potest, quamobrem Episcopus canonici tarditatem in faciendo munere, aut linguę pruritum, inaniaque quorundam colloquia, inter diuina officia, reprimere nequeat suspensione à celebranda Missa, vice vna aut altera, aut lucrandis distributionibus? id si est in eius iure, à nobis quoque dictum est vere, obesse nihil, quamobrem irrogari suspensio non valeat ob veniale, & hanc sententiam defendit etiam Armilla *verbo suspensio numero* 4.

An autem sine vlla sua culpa, labi etiam quis in suspensionis censuram possit, iam est videndum, quanquam quis ea de re animi mei sensus foret, dicere me memini antea, cum de censurarum materiali causa est dictum *tract.* 1. *& in isto q.* 3. quod ergo tum statui, iterum hic repeto, ob alienam culpam suspendi quem posse, quod vt credatur, faciunt petita hæc è Conciliis testimonia,

Primum, est in Concil. Nicæno *can.* 17. Ordinationem eius Episcopi, qui alienæ Diœcesis Clericum ordinat, sine consensu sui Episcopi, irritam esse, verba canonis sunt ista, *Si quis ausus fuerit aliquem qui ad alterum pertinet ordinare in sua Ecclesia, cum non habeat consensum Episcopi ipsius, a quo recessit, irrita erit huiusmodi ordinatio.* Idem statuitur in Concil. Antiocheno *can.* 22. *&* 13. quod si secus quam ei præcipitur, facere inducat animum, *Irrita quidem quæ ab eo gerentur, existent, ipse vero incompositi motus sui, & irrationabilis audaciæ, subeat vltionem, ex hoc iam damnatus à Concilio.* Hinc enim sic argumentamur.

Culpa ad eos duntaxat pertinet, qui legem sibi impositam violant, at hæc datur

A Episcopo, non Clericis, vt patet, & tamen eorum est irrita ordinatio, facta ab Episcopo non suo, id est, vt exponit Glossa decretalis Gregor. X. *eos qui de temporibus ordination.* rata non est, quoad executionem, recipiunt quidem characterem, sed ordinis functione priuantur in Episcopi odium, ad quem solum culpa non seruatæ legis est referenda, quam etiam suspensione ordinum, ac functionis eorundem, punitam vult, vt loquuntur hæc verba, *can.* 13. *Concil. Antiochen. incompositi motus sui, & irrationabilis audaciæ*
B *subeat vltionem*, quæ enim sunt incomposita, quæ à ratione aliena, hæc ipsa quoque sunt mala, cum nulla nisi quę consulto geruntur, ac cum ratione, hoc est prudenter, sint bona.

Quid? quod audacia classicis authoribus, vox sit mali ominis, hanc enim Festus *lib.* 1. *ab auide*, hoc est cupide, insolenter, ac immoderate, dictam esse vult, quare audacia quidpiam est in homine fœdum ac turpe, quo facinus nullo periculi aut pudoris metu perterritus molitur, & *audenter* apud Iurisconsſ. idem sonat, quod temere, quod impru-
C denter, longeque liberius quam sit par & æquum Vlpian. *lib.* 1. *parag. finali digest. si pars hæreditatis petatur.*

Quod sentimus ac loquimur duo canones minime obscuris verbis persuadere possunt.

Primus est, Concil. Chalcedon. *action.* 15. *can.* 6 alter Vrbani Papæ ad Lugdunens. Archiepisc. 6. *q* 2. *can. Lugdunensis Parochiæ*, in quorum priori, vetantur omnes, ordinari ab alieno Episcopo, quod si secus factum erit, *Decernit sancta Synodus*, sic loquitur ca-
D non, *vacuam haberi manus impositionem, & nusquam posse ministrare ad Ordinantis iniuriã*, viden? vt ordinantis solius, ordinati autem nullo modo fiat in hoc canone mentio?

Deinde quid est in ordinantis iniuriam, ordinatum ministrare non posse, nisi hunc reiici, ac ab ordinis suscepti vsu remoueri, vt malè sit ordinanti, eique ex animo doleat? quod pœnæ ei debitæ pars est quædam non vltima, cum contemni, actaque sua discindi vt inania, ac nulla, acrius animum feriat, quam iactura opum, quamlibet etiam
E grandium. quare cum culpam omnem in conferentem reiiciant canones, maxime citatus Vrbani, & tamen ab eo ordinati suspensionem subeant, concludendum videtur, quempiam culpæ expertem, suspensione coerceri posse, pœnamque comitem quidem esse culpæ, sed non nostræ necessario, sed nostræ, aut alienæ, quod hic accidit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

Suspensionis quot sint species.

VAriæ, & quidem duas agnoscit Vgolinus *tab.4. cap.* 5. Tres Nauar. *cap.* 27. *num.*154. Henriq.*lib.13.cap.31. num.*3. Cæteri in longe maiori numero

Primo enim diuiditur in totalem, & partialem.

Secundo in totalem absolute, & secundum quid.

Tertio in perpetuam, & ad certum tempus.

Quarto in eam quæ est à beneficio solum, & alteram quæ est ab officio.

Quinto reperitur suspensio quæ vtrumque complectitur, nempe prohibitionem vsus officii, & beneficii simul.

Nec obstat quod singillatim positæ, non plus operentur hæ pœnæ, quam simul, nam vt non desinunt esse diuersi morbi, quibus surdus quis seorsim, & mutus efficitur, & quo surdus simul, & mutus. Ita nec suspensiones, quia quod vna prohibet, non permittit alia.

Equidem qui absolute suspenditur si neque ex verbis, neque ex intentione iudicis colligitur aliqua limitatio censetur ab vtroque suspensus, id est officio ac beneficio & proinde maiore suspensione affectus, vt ait Henriq. *li.23.cap.31.num.*1. quæ suspensio vocatur etiam totalis absolute, quia ad omnia se munia extendit, quæ Clericorum sunt propria, & huius suspensionis exemplum est in *Clem.1.de decimis & in cap.tuarum 11.de priuilegiis*, in quo Innoc. III. Lugdun. Archiep. imperat, vt exhortationis officio interdicat hospitalarios, qui per prouincias certos homines colligendis fidelium eleemosinis, contra veritatem, ac cruce dominica falsò signatos mittebant, missos autem, *si sunt Laici excommunicationis mucrone percellat, si Clerici ab officio beneficioque suspendat, nullo prorsus priuilegij beneficio, vel appellationis remedio præualente.* Erit autem totalis, secundum quid, seu in certo genere, si functiones officii, vel beneficii, fieri à suspenso vetet, Et quidem suspensio totalis ab officio dicitur, per quam quis impeditur ab omni officio, tam ordinis, quàm iurisdictionis Ecclesiasticæ administrationis, suspensio à beneficio est totalis, per quam quis ab eius administratione, & fructuum perceptione suspenditur, partialis est, cum est tantum ab aliquo actu ordinis, officii, vel beneficii, ordinis quidẽ, si interdicatur reo Missæ celebratio, V. C. aut confessionum auditio, *Officii*, si prohibeatur Parocho, V. C. substituere sibi Vi-

A carium, si ei licere nolit Episcopus, facultatem excipiendarum confessionum vlli dare, isti autem, hoc est Episcopo, si ordinare quẽquã Pontifex ex causa non permittat. *Beneficii*, si non sinatur ex eius prouẽtibus viuere, aut illud pro authoritate administrare, aut distributiones quotidianas acquirere.

Sunt & aliæ suspensionis magis communes, ac vsitatæ diuisiones, vt in eam quæ est ab homine, item in maiorem, & minorem, de quibus dicendi suo tempore locus erit.

B

QVÆSTIO V.

De forma sub qua suspensionis sententiam ferri est necesse.

ASsertio prima, *Dicta in aliquem suspensionis sententia, sub quacunque verborum forma, dummodo intentionem suspendentis exprimant, pro rata habenda est ac valida.*

Probatur, suspendere est priuato alicui, aut certe communitati legem dicere, at hæc C quibuscunque verbis posita, modo idoneis ad intelligentiam, vim suam in subditos exercet, ergo & suspensio, quæ interdum est ferẽdæ sentẽtiæ, latæ aliàs, ferendæ quidem, cum lex, canon aut iudex, vtuntur hac voce, *suspendatur*, latæ vero cum lex suspensum eũ indicat his verbis, *sit ipso iure vel facto suspẽsus.*

Secunda assertio, *Iure tamen canonico certæ sunt solemnitates suspendenti seruandæ, ne peccet.*

Prima est, vt suspensionem antecedat monitio, maxime si hæc irrogatur ob contumaciam, & nõ ob præteritam culpam aliquam. D Ita Nauar. Enchirid. 27.*num* 159 Sylu. *verbo suspensio q.*11. Armilla *eodem num.*17. Auila *parte* 3.*disp.*3.*dub.*1.

Primo, quia eam exigit canon Apostolorum 32. perscriptus his verbis: *Cæteri Clerici quicunque tali consentiunt deponantur, Laici vero segregentur, hæc autem post vnam, secundam, & tertiam Episcopi obsecrationem fieri conueniat.* Sunt in eandem sententiam scripta quæ sequuntur decreta Conciliorum ac Pontificum: Alexandri quidem III. *in Concil. Lateran. parte* 1. *cap.*6. his verbis: *Quocirca ne vel* E *prælati valeant sine causa grauare subiectos, vel subditi pro sua voluntate sub appellationis obtentu, correctionem valeant eludere prælatorum, præsenti decreto statuimus, vt nec prælati, nisi canonica commonitione præmissa, suspensionis, vel excommunicationis sententiam ferant in subiectos, nisi forte talis sit culpa, quæ ipso genere suo, excommunicationis pœnã inducat.* In Oxoniensi Concil. anno Seruatoris 1230 circiter, habito in Anglia, hæc leguntur. *Ad hæc Ecclesiastici ordinis vtilitate pensata, pariter & hono-*

re, decreuimus ne Archidiaconi, vel eorum officiales, sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in aliquem audeant promulgare, vbi excessus non est manifestus, nisi admonitione canonica præcedente.

Secundo cum impunitate muniatur peccandi audacia, ne delicta crescant, serpantque in Republica ad bonorum perniciem, vt à magistratu regio coerceri possunt, ac reprimi, ita & ab Episcopis, Deique in animorum procuratione, cum iurisdictione Vicariis, vbi sunt admissa, spirituali aliqua pœna decet affici, talis est suspensio: ergo cum ad eam incurrendam requiratur contumacia, hæc autem non accidat, sine præcepti notitia, quod non seruatur, de eo admoneri peccantem est necesse, vt pœnam eius transgressori propositam subeat.

Pars altera quæ est de contumacia suspensione punienda, cui monitionem præmittendam diximus.

Probatur hoc modo, nemo nisi quem refragari præceptis Ecclesiæ constat, censura feriri debet, at Prælato de inobedientia contumaciaque suspensi constare nequit, nisi prius moneatur tale quid ab eo præcipi, & quidem sub tali pœna.

Secus qui facit, ac sine monitione præuia suspendit, manet ipse suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiæ, quod Henriq. *cap. 39. lib. 13.* & Auila *3. parte disp. 3. dub. 2.* Probant *ex cap. sacro de sentent. excommunicat. cap. cum medicinalis eod. titulo in 6.*

Ibi enim quoad hunc effectum producendum suspensioni & interdicto vim eandem inesse Pontifices volunt, ac excommunicationi.

Secundo, & hoc suspensionis irrogandæ forma postulat, vt feratur scripto, quod causam quamobrem Episcopo reo eam infligere placuit, expressam habeat.

Tertia, vt eius copia, suspenso intra mensem detur, si hanc sibi tribui exigit, Innoc. IV. *in cap. 1. de sent. excomm. in 6.* super qua requisitione instrumentum fieri publicum debet, vel literæ testimoniales, sigillo authentico consignatę: Innoc. ibi, quæ enim ad excommunicationem Pontifex exigit, *hæc eadem in suspensionis & interdicti sententiis vult obseruari* ibi præcipit, circa quę tria sunt notanda.

Primum in suspensionibus, quæ vniuerse intentantur ac generaliter pro facto futuro, siue imponantur à iure, siue ab homine, per modum prohibitionis generalis, aliam monitionem non requiri, quam legis, aut mandati publicati. Quia, cum lex, qua quid vniuersè præcipitur, aut vetatur, personam determinatam ac certam pro fine, obiecto,

A que non habeat quam respiciat & cui fiat, prudenter ac honeste non satis, eam admoneri aliquis peteret, quærerem enim exempli causa ab eo, cur hanc potius quam illam, de mandato monendam crederet, cum omnium par sit, eademque ratio?

Secundo nec est hoc silendum, cum qui sine scripto suspendit, ab ingressu prohiberi Ecclesiæ, diuinisque officiis per mensem *ca. cum medicinalis 1. de sent. excomm. in 6.*

Secundo, teneri suspenso de damnis ex suspensione secutis.

B Tertio, superioris arbitrio, qualibet alia punire pœna posse, vt pœna docente discant, qui Ecclesiæ præsident Episcopi, aut eorũ vices gerunt Officiales ac Vicarii, quanta sit culpa, & quam grauis, temere, nec considerate satis, Ecclesiæ intentare sacra in reum fulmina Innoc. IV. *in cap. medicinalis 1. de sent. excom. in 6.*

Tertio placet & id quoque aduertere, pœnis modo memoratis subesse iudicem, qui quempiam ab actu suspendit, qui ei iure, &
C non ex permissione simplici competit, vt est in Parocho confessiones excipere, in simplici Sacerdote celebrare, itaque si hunc Episcopus ab audiendis confessionibus remoueat, quibus eius indulgẽtia, solaque facultate operam dabat; non incurret prædictas pœnas, quia eum tunc propriè à ministerio, quod ei ratione characteris, aut personæ sit debitum, quam in Dei Ecclesia sustinet, non suspendit, sed iurisdictionem quę ab eo pendebat, adimit: hac ratione superiores non peccant qui sibi subditos, à confessionibus
D tam suorum, quam externorum audiendis suspendunt, nam etsi iurisdictionem à Papa habeant, non tamen absolutam, sed ab eorum voluntate pendentem, sæculares autem à facultate Episcopi, post Trid. obtinenda necessario, nam confessionibus audiendis vacare nemo potest, nisi ab eo approbatus per examen, & à superiore si religiosus est, ei oblatus fuerit.

Aduertendum tamen quarto, isti pœnæ, hoc est suspensioni, exacto mense finem esse.

Ratio est, quod eam extra hæc tempora
E producere superiori non sit propositum, ergo cum hæc ab eius voluntate pendeat, itaque menstruo definiatur spatio, eo finito, ac cessante, cessabit quoque suspensio.

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

De Regulis ad intelligentiam modi quo suspensiones solitæ sunt ferri.

SVpponendum primò, Suspensiones quasdam esse, quæ suspendant ab officio tantum, alias à solo beneficio, quasdam autem ab vtroque simul.

Supponendum secundò, Suspensionum vim hanc esse, vt earum quædam suspendant ab officio, vel beneficio, in totum, aut ex parte, ad certum tempus, aut in perpetuum.

Supponendum tertiò, cum qui culpa sua aut aliena est suspensus ab ordine vno, sæpe ei quoque superioris exercitium interdictum esse, quod quando eueniat indicandum est, quam poterit clare & breuiter.

Assertio prima. *Qui ab inferiori suspensus est ordine, illi in superiori versari, eumque obire non est licitum.*

Causa est, quod qui minus nequit, nec maioris quoque sit capax Sylu. *verbo suspensio numero* 5 Angelus *eodem num.* 3.

Ab hac regula, tres sunt excipiendi casus.

Primus est, cum in suspensione inferioris ordinis, additur particula (*solum*) nam eius expressio, superiorum est ordinum quibus ita suspenso defungi licet, tacita quædam exclusio.

Secundus est, cum in sententia quæ Clerico suspensionem infert, solius fit concionis ad populum mentio, cum enim eam habere, ac sacra obire ministeria differant, potestatis ad prædicandum negatio, certa non est executionis ordinum inhibitio, quia vbi cessat legis ratio, & hanc quoque cessare est necesse, at quæ causa superiori est auctor suspensionis imperandæ à côcionibus, nempe suspensi inscitia, ac earum rerum ignorantia, quæ sunt explicandæ populo, hæc in vsu non reperitur ordinum, cum ad permouendos sacris concionibus animos, maior exigatur eruditio quam ad collationem aut executionum ordinum. Vt vt sit constat eum qui est ab inferiori suspensus ordine, etsi peccet, propria superioris exercendo opera, eo ipso tamen irregularem non fieri.

Primo, quia non suspenditur ab ordine superiori nisi indirectè, & per consequens.

Secundo, quia nemo censetur irregularis, aut à sacris remouendus altaribus, nisi quem canones repelli ab iis imperant, at eum à rebus diuinis extorrem esse non iubent qui dat superiori ordini operam, à quo tamen non

A est per se primo suspensus ac directe, sed tantum consequenter & implicitè, quia est ei inferioris administratio, cum eius functione prohibita.

Assertio secunda, *Qui à superiori suspensus est ordine*, V. C. Sacerdotio, non necessario ei inferioris vsus est vetitus.

Causa est, quod cum ordo superior hominum opinione, reque ipsa sit inferiore sanctior, non censetur quis illico ob exercitium maioris, quod ei est prohibitum, ab inferioris quoque vsu remotum esse.

B Assertio tertia, *Qui ab opere determinato, & certo suspenditur, non est ab aliis suspensus, quæ cum illo non cohærent necessario, causam eius rei aliam non habeo, quam quod pœnas restringi oporteat, can. pœnæ de pœnit. dist* 1. *& can. odia de reg. iur. in* 6. suspensus ergo à certo aliquo operum genere, ab aliis, cum quibus commune nihil habent, abstinere eos nihil est necesse: Ita cui prohibita est concio, legere Euangelium suspensus autem à Missæ celebratione, confessionibus audiendis dare poterit operam.

C Assertio quarta, *Qui ab eo opere est suspensus quod est cæterorum veluti fundamentum ac basis, ab istorum quoque est vsu prohibitus*, ex Sylu. *verbo suspensio num.* 5.

Causa est, quod pereunte fundamento, ruere quoque ædificium, & remoto principali, accessoria quoque tolli sit necesse: ergo suspensus ab eo vsu Ordinum, qui est cæterorum causa, atque principium, suspensus est quoque ab aliis.

D

QVÆSTIO VII.

Quid & quantum valeant hæ dictiones (suspendo te) suspendo te à iurisdictione, officio & Beneficiis.

PRimus suspendendi modus, latiusque cæteris patens, continetur his vocibus (*suspendo te*) de cuius sensu ac intelligentia variant scriptores, Glossa *in Clem.* 2. *parag. cæterum de priuilegiis*, putat eo significari remotionem ab officio tantum, hoc est beneficio eiusque administratione, quod

E mihi non probatur, quia causa est nulla cur eius significatio ad eum duntaxat sensum trahatur, non autem ad alia quæ Clerico competunt, habentque vna cum officii carentia, vsus quoque ordinis, ac administrationis beneficii priuationem, ac carentiam.

Quare sequenda est sententia eorum, qui illis vocibus afferunt remoueri suspensum ab omnibus, quæ ei conueniunt, in quantum

est Clericus, quia causæ nihil est, cur hæ voces trahantur potius ad ordinem, quam ad cætera, quibus ex propria sui muneris ratione Clerico vacare conceditur: ita Sayrus *lib. 4. cap. 12.* Thesaurus *in praxi Eccles. parte 2. verbo Vsura 7. & verbo Curia 4. notab. 1.* Layman. *lib. 1. tract. 5. par. 3. cap. 1. num. 2.* Filliuc. *tract. 17 cap. 1. nu. 9.*

Excipiendus est casus, in quo ex orationis serie, oppositum colligere fas esset; & ex vocibus tam quæ sequuntur, quam quæ præcedunt, intelligere, suspensionis sententiam dictam à iudice, non ad omnia quæ Clerico ex propria muneris sui ratione sunt permissa extendi; nam tunc ad suspendentis captum, restringi debent. *Sicut*, inquit Reginald. *lib. 32 tract. 2. cap. 16. num. 21. qui excommunicatur sub hac verborum forma absoluta, excommunico te, censetur ex cap. si quem de sent. excomm. ligari maiore excommunicatione, quæ sine restrictione sortiatur excommunicationis effectus, ita qui suspenditur sub hac forma, suspendo te, censendus est irretiri suspensione quæ absque restrictione priuet tam officio, quam beneficio, nisi aliud constet ex circunstantiis & potißimum ex intentione iudicis*, alioqui per eam ab omni spirituali officio tam ordinis, quam iurisdictionis, & Ecclesiasticæ iurisdictionis impeditur, quia cum ea propositio sit indefinita, & vniuersali æquiualens, intelligitur de suspensione ab officio, seu diuinis, & beneficio. Pro explicatione modorum sequentium sit.

Prima assertio, *Suspensus à iurisdictione, eiusque actibus, non est ab ordine, eiusque functione seclusus.* Ita Suarez *tomo 5. in in 3. partem* Diu. Thom. *disp. 26. sect. 4.* primo, quia vt colligitur, *ex cap. transmissam de elect. 15. & cap. aqua de consecrat. Eccles.* iurisdictio non pendet ab ordine, cum illam non Ordinatus habeat, nam in priori habetur, quod ex quo electionis suæ confirmationem quis accepit, de omnibus quæ maioris inquisitionis discussionem non desiderant, nec consecrationis ministerium, *statuendi liberam habet facultatem.* In altero est quod *licet Episcopus committere valeat, quæ iurisdictionis existunt, quæ ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.* Hinc enim sequitur iurisdictionem ab ordine seiungi posse, quod erat probandum.

Secundo, cum suspensio natura sua effectum determinatum ac necessario sibi cohærentem non habeat, est in suspēdentis potestate, reum hac aut illa priuare actione, non autem alia, facit id vero, cum iurisdictionis solius in sententia sua meminit, & non ordinis.

Excipe casum, in quo actus vnus alteri con-

A nexus foret, nam tunc eius suspensio, secum suspensionē trahit alterius, *exempli causa suspensio ab vsu Sacerdotij*, ab eo quoque, qui est ad Sacramenta adiminstranda, suspensionem connotat, quod istorum ministratio, iurisdictionem in ministrante postulet.

Secunda assertio, *Suspensus ab officio, prohibetur ea facere, quæ illi ratione iurisdictionis, ordinis & administrationis Ecclesiæ competunt*, Suar. *tomo 5. disp. 26. sect. 26.* antequam probetur notare iuuat, officium à quo dicimus suspendi Clericum, esse ius alicuius rei Ecclesiasticæ gerendæ, ab ordine, iurisdictione,

B vel administratione profectum, hæc enim tria comprehenduntur officii nomine, quare qui simpliciter suspenditur ab officio, ab his quoque exercendis prohibetur; vnde c. *1. de sententia & re iudicata in 6.* iniquus iudex ac improbus ab executione officii per annum suspenditur, & vt nomine officii multa Pontifex comprehendi innueret, addit dignum esse, *vt qui in tot præsumit offendere, pœna multiplici castigetur.*

C Equidem ea voce comprehendi quoque nominatim ordines, Innoc. IV. ibid. non obscure indicat, vbi enim eum suspensione dixit affici, qui famæ suæ prodigus, & proprii persecutor honoris, contra conscientiam, in grauamen partis alterius quicquam fecit per gratiam, addit *quod si damnabiliter suspensione tali durante, diuinis se ingesserit, irregularitatis laqueo se innoluit, secundum canonicas sanctiones*, ergo cum hæc non incurratur, nisi ministrando Sacramenta, aut actum ordinis exercendo, à quo exercens fit suspensus, officii nomine, ordines quoque comprehendi

D est necesse.

Est etiam suspensus à iurisdictione, quia hæc officium, & non ordinem sequitur, ita Fœlic. *de susp cap. 11. versu suspensus ab officio tantum*, qui ait in hanc sententiam ire Doctores omnes, cui subscribit Vgol. *tab. 4. cap. 6. parag. 1.* & Henriq. *cap. 32. n. 1. lib. 13* itaque nihil hic quod potestatem ac iurisdictionem sapit, facere poterit, vt absoluere à censuris, conferre beneficia, eligere vel etiam eligi, *quia nobis constitit ait Pontifex in cap. cum dilectus 8. extra de consuetudine, electionem ip-*

E *sam à suspensis, & de suspenso esse celebratam eam iustitia exigente cassauimus.* Innoc III & quanquam, qui secus quam canones imperant, quidpiam facit tale in hoc genere, mortifere peccet, irritaque sit per eum facta electio, non tamen vlla contrahitur irregularitas, quia hæc irrogata tantum legitur in pœnam violatæ censuræ, quod fit, cum qui ea innodatus hæret, diuinis se ingerit, Felinus *in cap. Apostolicam de exceptionib. num.*

13. Fœlicianus *cap. 11.* Suar. *de censur. disp. 27. sect. 3. num. 6.* quorum in numerum non est referenda electio, his ita præsuppositis probatur assertio.

Actus qui proficiscuntur ab ordine, aut iurisdictionem prærequirunt, vt sint rati, ac validi, ad officia muneraque Sacerdotum, aut beneficiariorum propria pertinent, ita litare, ita facere, ita pro se populoque sacrosanctum Missæ sacrificium Deo offerre Sacerdotis partes sunt propriæ, vt pote quarum causa instituitur in Ecclesia, Deoque de populi turba, fœceque segregatus, initiatur: Petrus Gregorius *de benef. cap. 7.* ergo suspensus ab officio, quæ ordinis sunt, aut potestatis, non potest exequi, idque non in eo tantum loco, vbi est suspensus, sed omnibus, Glossa *in canon. quisquis Episcoporum 4 q. 5. & in cap. pastoralis parag. Verum de appellat.* quia vbique superiori suo, iusta mandanti & cum auctoritate, parere inferiori est necesse, ergo & cessationem imperanti ab officio, à quo eum suspendit, tenetur tamen ita suspensus, canonicas horas legere, quia alias culpa ei sua foret vtilis, quod nec decet, nec oportet, ne ex ea cōmodum reportet, quod bene informata ratio non patitur, interesse tamen nequit capitulo, cum iure suffragii, Sayr. *c. 5. lib. 4.* quia ibi sententiam dicere, est ea quæ Clericorum sunt propria facere, pro canonico se gerere, cum eius rei causa inter cæteras, istiusmodi hominum generi beneficia dentur ac præbendæ, authore Lessio de beneficiis, ergo prohibitus facere officium, Ecclesiastici Magistratus imperio, vetatur quoque suffragari in capitulo, non item orare, non interesse diuinis officiis, cum fiunt, non sacrificanti operam suam vt ministri solent deferre, non in necessitate sacris baptismi vndis tingere, non mortuos sepulturæ tradere, quatenus hæc & similia officia, Laicis etiam competunt, Layman. *parte tertia de censuris cap. 1. num. 2.* Auila *par. 3 disp. 2 dub. primo.*

Et quoniam Doctorum est certa firmaque opinio suspensionem & interdictum, præscriptos sibi terminos non egredi, qui speciatim ab aliqua officii parte erit suspensus, V. C. ab ordine, aut à tali, vel tali alicuius Sacramenti ministerio, illud tantum prohibetur agere, ei alia permittuntur omnia, vt patet *ex cap. significauit de corpore vitiatis,* & toto *tit. de Clerico percussore*, nec suspensus ab ordine, suspenditur à iurisdictione, nisi in foro conscientiæ, eo quod ea sine actu exerceri nequeat, & ita sentit Vgolin. *loco cit. parag. 5.* & suspensus à maioribus, non suspenditur à minoribus, docet enim vsus experientiaque, cum qui ab Episcopalibus est suspensus, Sacerdotalia non modo impune sed & cum laude posse exequi, non tamen cum apparatu Episcopali, Nauar. *cap. 27. num. 163. versu 5.* infertur & Henriq. *cap. 32 parag. 2.* & Vgolin. *ta. 4. cap. 6. parag. 6.* ibi etiam docent, cum qui est minorum vsu actu prohibitus, à maioribus quoque suspensum esse, qui enim in inferioribus subsistere non meretur, ad superiores gradum facere, aut in iis occupari digne posse quis putat? Pomponius, *lege qui indignus ff. de Senatoribus,* nisi forte aliam esse suspendentis mentem, constans enim certaque opinio *cap. vlt. de temporibus ordinationum in 6.* eodem modo si est simpliciter suspensa iurisdictio, iuridice interim agi nihil poterit, vt est planum in collatione beneficii, quam à suspenso fieri posse negat Pontifex in *cap. graue nimis 29. de Præbendis & cap. vnico ne sede vacante in 6.* quæ his sunt addenda ad plenam propositæ quæstionis notitiam explicabuntur sequentibus assertionibus.

Tertia assertio, *Qui suspensus est ab officio, fructus beneficy, qui non dantur ob præsentiam in choro, suos facere, & retinere sine culpa potest.* Henriq. *liq. 13. cap. 32. parag. 3.* Reginald. *lib. 32. cap. 19 num. 11.* quia beneficium & officium differunt: ergo cum Clericus, præcise per suspensionem non priuetur nisi eo actu, cuius in illa fit mentio, aut qui illi adhæret, suspensio ab officio, suspensionem à fructibus beneficii secum non trahet, distributionum tamen quas diurnas nominant, cum fient, particeps esse non poterit, quod hæ non sint debitæ aliis, quam qui diuinis intersunt officiis Vgolin. *in tab. 4. cap. 6 parag. 3.* à quibus tamē eum abesse est necesse, qui est suspensus à iure aut homine ab officio.

Confirmatur nomine beneficii nusquam canones intellexere officium, nec contra: ergo cum pœnæ extendi non debeant, suspensus ab officio, non prohibebitur retinere beneficium, eiusque fructus.

Quarta assertio, *Suspensus ab officio non potest diuina facere officia, nec quæ beneficii sunt exequi, nec ministrare Sacramenta, ea tamen recipere quorum est capax, idque potest cum fructu, præter ordinem.*

Pars assertionis vltima est clara, nam recipere Sacramenta, officium non est Ecclesiasticum: ergo suspenso ab officio, interdicta non est Sacramentorum receptio nisi ordinis, sed collatio.

Enimuero cui prohibetur consequens, huic quoque censentur & antecedentia vetita esse, *cap. si celebret de Clerico excommunicato ministrante*, sed ordini annexum est officium Ecclesiasticum, à quo ordinandus, supponitur suspensus esse, ergo & à recipiendo

ordine, poteſt tamen canere in choro Laicorum more, Miſſæ intereſſe, gaudere indulgentiis cum conceduntur: ſepeliri in loco ſacro ex Nau. *lib.5. Concil 64. de ſentent excomm.* nam ſuſpenſio à diuinis, de iis exercendis intelligitur, & non audiendis.

Quod autem ſuſpenſus à beneficio, eius adminiſtratione careat, patet *ex cap. cupientes 16. parag. cæterum de electione in 6.* Ibi Nicolaus eius nominis tertius, canonicos qui electis intra octo dies, electiones pręſentare diſtulerint, *ſi in hoc culpabiles extiterint, omnibus beneficiis ſuis quæ in ipſa Eccleſia obtinent, de cuius electione agitur, per triennium continuum, vult eo ipſo fore ſuſpenſos, atque ſi intra illud tempus propria ſe hu temeritate, vel alio quæſito colore ingeſſerint illis ipſo iure perpetuo priuatos eſſe:* Ideoque dandos eiuſmodi beneficiariis ſuſpenſis œconomos, qui eorum nomine, ſuſpenſione durante, beneficiorum quibus ſunt commiſſi, negotia gerant, deque illorum fructibus ſuſtententur, vt dicitur *in cap. 2. de appellat. & cap. ca 8. de ſtatu Monachorum parag. ſi vero,* cadit autem hæc pœna in quemuis qui beneficio ſit prædítus, Epiſcopos autem & his ſuperiores, oportet nominatim eſſe ſuſpenſos, ob *cap. quia periculoſum de ſent. in 6.*

Quinta aſſertio, *Suſpenſo à beneficio, indebiti ſunt fructus illi, qui dantur tantum poſſeſſori ſuo, ob præſentiam in choro, præſtationem eorum munerum, quæ facere ei eſt prohibitum per ſuſpenſionem.*

Probatur fructus obuenire Beneficiario nequeunt ſine iure ad illos, at etſi per ſuſpenſionem ius fructuum non tollitur, ſaltem impeditur, reſpectu eorum qui ſunt debiti ob officium, nam beneficium eſt ius percipiendi bona Eccleſiaſtica propter ſpiritale officium, ergo ſuſpenſione à beneficio, ius quoque ad illud ſuſpenditur, ergo & ad fructus debitos propter executionem miniſterii, quo non fungitur ob ſuſpenſionem, quare *in can. præter 32. diſt.* cauetur ne *ſuſpenſus partem ab Eccleſia ſuſcipiat*, id eſt commodum ac fructum vllum.

Sexta aſſertio, *Suſpenſo à beneficio, ius non eſt percipiendi ex eo fructus ſolitos.*

Probatur auctoritate canonis, ratione, & grauium Doctorum ſententia, canone quidem, nã in *6. diſt. 32.* cauetur his verbis: *Neque partem ab Eccleſia recipiat*, huc adde rationes quæ ſequuntur: Omittenti canonicas preces, omnium conſenſu fructus non ſunt debiti, næ ergo iuſte eos nullus tribuendos exiſtimauerit, non præſtanti Eccleſiaſtica munera quæ debet, datur enim beneficium ob officium, quod Eccleſiæ exhibere oportet, *ex cap. finali de reſcriptis in 6.*

A Secundo, non reſidens fructus beneficii ſui iure non poſſidet, ex decreto Trid. *ſeſſ. 6. cap. 2. ſeſſ. 23. cap. 1.* at reſidere eſt per ſe officium facere, quod ſuſpenſus ab officio, Eccleſiaſtica lege impeditur exequi, ergo non fungens chori munere, mercedem non poteſt capere, quæ pręſentibus tantum eſt debita.

Poterit tamen beneficiarius ſi pauper eſt, nec habet aliunde vnde viuat, quia fructus alios ex beneficio non percipit, quam qui ei ex præſtatione officii obueniunt, poterit inquam B ex illis tantum ſibi petere, ac ſumere, quantum eſt neceſſe, vt vitam vtcunque toleret, ne in ordinum contumeliam, ac dedecus, mendicare cogatur, Tolet. *lib. 1. cap. 14.* Sayrus *lib. 5. cap. 6. num. 4* Gloſſa *in cap. cum Vintonienſis de electione.*

Eius rei cauſa eſt ex conceſſione Eccleſiæ tacita repetenda, quæ Clerico beneficiario, ne in opprobrium ordinis Clericalis, fœdè eleemoſinam oſtiatim corrogetad vitã tam ſuam quam ſuorum neceſſariam, non autem ad ſtatus decentiam, non obſtante ſuſpenſione, ſuppeditat.

C Progrediuntur longius alii, nam ei obuentiones omnes beneficii, fructuſque attribuunt, quos illi deberi aiunt, ſi præſtet officium, ſententiæ huius auctores ac patroni ſunt Stephanus de Auila *par. 2. cap. 2. diſp. 6. dub. 1. concl. 1. & 2.* & *parte 3. diſp. 2. dub. 2 concluſ. 6* P. Nauar. *lib. 2. de reſtit. cap. 2. num. 237.* quam probabilem quoque eſſe ſcribit Layman. loco citato.

Septima aſſertio, *Suſpenſus à beneficio, præciſe qua eſt talis, non eſt ſuſpenſus ab officio, ſed à ſola perceptione fructuum, ac temporali adminiſtra-* D *tione beneficii.*

Pars prima prob. non eſt ſuſpenſus à beneficio, ſuſpẽſus quoq; ab officio, maximè ſi iudex illud non prohibeat ei facere, at non vetat, nam ei decurrendæ ſunt preces canonicæ vt ante, exercenda iuriſdictio, vel adminiſtratio, ratione officii competens, quæ eſt opinio Laym. *e act. 5. par. 3. ca. 1. num. 3.* Gloſſæ *in cap. cum Vintonienſis de elect.*

Pars altera fidem habet *à can. cupientes parag. cæterùm de elect. in 6.* in quo ſi ſuſpenſus à beneficio eius adminiſtrationi ſe ingerit, E eo ipſo eſt illo priuatus, priuat ergo ſuſpenſio à beneficio, eius adminiſtratione temporali, & ſpirituali ſacrarum actionum, temporali quidem, quia ſuſpenſo lege Eccleſiaſtica conſtituendus eſt œconomus, Laymanni teſtimonio loco citato, nec aliam ob cauſam haud dubiè, quam quia illius temporalis adminiſtratio ei eſt interdicta. Spiritali autem, quia ſuſpenſus, iure ſacro canonum eſt impeditus, quo minus fungatur iis muneribus

muneribus quæ Ecclesiastica necessitas requirit, & hæc est causa, cur ea non faciens, fructus è beneficio, vti suos, colligere nequeat.

Huius opinionis approbator est Innocent. *in cap. sicut de cohabitat. Clericor. & mulierum* approbatrix item Glossa *in cap. pastoralis de appellationib. in verbo subtrahantur*, maxime quando suspensus in suspensione perseuerat, nec ab ea absolui, pro eo ac potest, ac debet, procurat.

Caret ergo suspensus à beneficio, eius fructibus, ac administratione, eo tamen non excidit, nec iure conferendi, quia collatio à iurisdictione pendet, quæ per suspensionē à beneficio intacta relinquitur, vt ait Heriq. *l.* 13.*c.*32.*in* 4. & per eā tātum impeditur collectio fructuum beneficii eiusque administratio, vt est *in cap. cupientes tam citato §. ceterum de electionibus in 6. & cap. 1. parag. qui vero eodem libro & tit.* vbi docetur, eum qui se beneficio, durante suspensione ingerit, eo priuari, ideoque ei administrando præficiendus est Oeconomus, qui non tam suo quam veri eius ac legitimi possessoris nomine illud regat, negotia eius gerat, deque eius fructibus se sustentet & alat vt dicitur *c peruenit 28. de appellationibus, & cap. ea, quæ de statu Monachorum parag. si vero dilapidator,* non cadit autem hæc pœna in Episcopos, & his superiores, nisi nominatim suspensos, propter *cap. quia periculosum de sent. excom. in 6.*

QVÆSTIO VIII.

Explicantur dubia quædam circa prædicta.

PRimum, *An qui à beneficio, vel officio, est suspensus, vtriusque vsū, ac exercitiū interdictum habeat, an alterius tantum, an neutrius.*

Neutrius: cum enim anceps sit, ambiguaque sententia, nec ratio sit vlla, cur in vnam partem propendere potius, quam aliam sit necesse, ab eorum altero magis quam alio non prohibebitur, Henriq *cap.*32.*nu.*4. Maiolus, Sylu & alii.

Contraria sententia est Laym *lib.* 1. *parte* 3. *tract.*5.*cap.*1.*n.* 2. suspensionem cum fertur indistincte, & absolute, ab officio vel beneficio, intelligi debere de omnibus, cum nulla sit ratio eius limitandæ, maxime si ex verbis canonis, nulla limitatio possit colligi.

Secundum, *An qui multa habet beneficia, si simpliciter à beneficio suspendatur, ab omnibus sit suspensus?*

Respondend. cum Vgolin. *tab.*4.*ca.*8.*parag.*4. si id ex verbis, aut suspēdentis intentione, nequit colligi, de culpa, eiusq; natura,

A illius rei argumētum sumendū esse, & quidē si peccatum cuius causa quis suspenditur, est in damnum alicuius Ecclesiæ, in qua ille beneficium vnum, pluraue habet, & simpliciter suspenditur à beneficio, tam ab eo quam aliis, quæ in ea Ecclesia possidet, suspensus erit, quia talis suspensio ob causam est lata, quæ propriè illam Ecclesiam respicit, Thesaurus *verbo gratia c.* 2. *versu, aduerte* 5. si vero alibi beneficia habeat, ea retinebit, sin autem culpa sit contra statum, vel honorem Clericalem, & suspenditur à beneficio, eo

B quod habitum gestare Clericalem nolit, *à perceptione fructuum beneficiorum quæ obtinet, est eo ipso suspensus,* Clem II. *de vita & honestate Clericorum, cum Glossa ibid. verbo beneficiorum,* & innuit *Fœlic. de suspens. cap.* 14. *in fine.*

Mendicabit ergo (inquies) contra Trid. *sess.*21.*c.*2. *de reformatione*, cum præter fructus ac redditus beneficiorum, quibus instructus erat, subsidia ei ad vitam nulla suppetant.

Respond. si suspenso deest ex patrimonio vnde se sustentet nec honesto labore

C victum sibi ob infirmitatem virium parare potest, ei de beneficii fructibus tantundem erit dandum quantum necessitas exiget, si suspensio in pœnam non in contumaciam sit lata, vt communiter sentiunt Doctores apud Vgol. *c* 8. *parag.*3.

Tertium, *An suspensus à beneficio, ab officio quoque sit suspensus.*

Nequaquam: Toletus *lib.* 2. *summæ ca.* 43. *num.*4. Panormitan. *in ca. cum dilecti de consuetud.* Nauar. *ca.* 27. *num.* 153.

D Ratio est, quod suspenso per suspensionem tam quæ est à iure, quam homine, id duntaxat prohibeatur, quod proprie verba sententiæ significant, ergo cum alia huic voci *beneficium* subiecta sit notio, quam officio, suspensus ab vno non erit similiter ab alio, quare suspensus à beneficio, diuina officia exercere poterit, vt prius, imo si est Parochus, in ea incumbere debebit vt ratio exigit. De iurisdictione vero quid censendum?

E Ab ea suspensum non esse, quem sententia suspendit tantum à beneficio, nisi hæc adnexa sit beneficio, & non officio: nam accessoriū principalis naturam sequitur, ergo cum iurisdictio effectus sit beneficii, cum eius intuitu beneficiario sit debita, suspensio ab isto, iurisdictionis quoque suspensionem inferet.

Quartum, *Ecquid suspensio ab ingressu Ecclesiæ prohibeat suspenso, cui sententiaque vtriusque intra illam, exercitium solemne & publicum.*

Omnino colligitur ex *cap.* 20. *de sent. in 6.* Deinde vetito principali ea quoque prohi-

bentur omnia, quæ illud solent consequi, at ingressus in Ecclesiam ordinatur ad cultum Dei, sacraque Clericorum officia, ergo in ingressu ad Ecclesiam, qui Clerico prohibetur, & alia quoque vetantur quorum meminimus.

Dixi *in Ecclesiam*, quia extra eam sacrificare in altari portatili, suspensus poterit, aut etiam in cœmeterio, nec enim vt supponitur, aliud hæc suspensio prohibet quam ingressum Ecclesiæ, at Cœmeterium non est Ecclesia, ei tamen prohibetur sepeliri tam ibi quam in templo, nisi ante mortem doloris signa dederit in ordine ad absolutionem receptam, aut recipiendam *cap. is cui 20. de sent. in 6.* sepultus tamen licet impœnitens diem suum obierit, Ecclesiam non polluit, ex *can. cit. is cui* quem iuxta probabilem tutamque sententiam refert Sayr. *lib. 4.* canon ita habet, *is cui Ecclesiæ interdicitur ingressus, cum sibi per consequens, censeatur ipsa diuinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi, diuinis in ea se ingerat, in suo agens officio sicut prius. Talis quoque si hoc interdicto durante decesserit, non debet in Ecclesia vel cœmeterio sepeliri nisi pœnituerit.*

Quintum, quid his verbis intelligat Pontifex, cum aliquem à corpore & sanguine Christi, suspendit.

Existimant aliqui, eum à receptione communionis remoueri, proindeque esse excommunicationem minorem partialem. Ita Armilla *verbo Missa num. 12.*

Dicunt alii, per ea, excommunicationis maioris sententiam in reum ferri, quam opinionem tuentur hi auctores Paludan. *in 4. dist. 11. qu. 1. art. 2.* Maiolus *de irregularit. lib. 3. cap. 16.*

Verissima sententia est, iis verbis suspensionem partialem à diuinis, id est à celebratione sola Missæ innui, quam defendunt Filliucius *de susp. num. 104.* Nauar. *miscell. 86.* Thesaurus *parte 2. praxis verbo Missa cap. 3.*

Ratio est, quod suspensio, cum sit pœna, vltra verborum proprietatem extendi non debeat, at Sacerdos corpori Christi, ac sanguini raro extra sacrosanctum Missæ sacrificium communicat, ab hac ergo communione eum suspendere, est ei vsum Missæ interdicere.

Sextum, vi harum vocum *suspendo te ab Episcopali ordine*, quos actus exercere Episcopo non sit licitum.

Non alios quam qui Episcoporum sunt proprii, & Sacerdoti iure ordinario competere nequeunt, quales sunt confirmare, ordinare, &c.

Quid si suspensio sit à solis Pontificalibus?

Respondend, ea suspensione, vsum duntaxat insignium, quæ Episcopis ferre est in more, directè, primo & per se, his vetari, indirectè autem, & consequenter opera omnia, quę sine his ei obire non licet, qualia sunt sequentia. Confirmare, ordines conferre, altaria, Virgines, calices, & Ecclesias consecrare, quare Missam priuatim celebrare, ad populum dicere, confessiones excipere, ius in prætorio reddere, causas audire potest Episcopus licitè ac validè, cum ad ea ministeria, pallium, cæteraque id genus Episcoporum insignia, non sint absolutè necessaria.

Septimum, *An suspensus noui beneficij sit capax.*

Huius grauissimæ quęstionis explicator est Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 34. dub. 22. num. 116.* tribusque canonibus conficit, suspensum sine scelere non posse, ac effectus nullitate, beneficium admittere, quam sententiam subscribi video à Toleto *in summa lib. 1. cap. 14. parag. vlt.* Sayro *de censur. lib. 4. cap. 5. num. 5. & 6.* omnium eadem sunt argumenta, eaque petita *ex ca. dilectus 8. de consuetud. ca. cum inter 16. de elect. ca. cum bonæ 8. de ætate & qual. ordinand.*

Verum enim, pace eorum sit dictum, ex illis colligi tale nihil potest, sed suspensi electionem, aut factam ei collationem de vacante beneficio, irritandam, non autem ipso facto esse irritam, nam in *cap. 8. de consuetud.* Innoc. III. ait se *electionem à suspensis, & de suspenso celebratam, iustitia exigēte cassare*, non fuit hæc ergo iure ipso inutilis, cassa, ac nulla, *cap. autem cum inter 16. de electione*, præcipit Abbati de Cella S. Petri, *vt si constiterit, quod electio facta fuerit à suspensis, ea omnino cassetur cap. vero 8. de ætate*, consultus Cœlestinus Papa tertius, vtrum *qui beneficium in suspensione sunt adepti, rationabiliter retinere illud possent*, respondit, *quod non licet eis illa, quæ habuerunt beneficia, vel quæ postmodum sunt adepti aliquatenus retinere*, itaque Baranensi *Archiepiscopo dedisse se in mandatis, vt eos pro tanta pertinacia, & contemptu Apostol. beneficiis quæ haberent, non differret spoliare*, quæ verba haud dubiè, electionem non irritam, sed irritandam denotant, proindeque non sententiam latam, sed ferendam tantùm.

Itaque etsi sit electio de suspenso, aut facta ei beneficii collatio illicita, non est tamen ipso iure nulla, quam sententiam docent Suarez *de censuris disp. 26. sect. 3. num. 7. & disp. 27. sect. 5. num. 25.* Sylu. *verbo excomm. 4. num. 4.* Innoc. *in cap. nosti de concessione præb. num. 1.* eamque vt non improbabilem defendi posse scribit Less. *lib. 2. cap. 34. dub. 22.* nam Pontifex *in cap. cum bonæ de ætate*, eodem modo de beneficiis ante suspensionem

nem habitis loquitur, ac de acquisitis post eam, at illa sponte non tenentur dimittere, ergo nec ista, est ergo facta de iis collatio valida, rataque, eiusmodi tamen, rescindere non sit nefas.

Octauum, *An suspensus à beneficio eligere possit ac eligi, conferre beneficium, aut ei nouum aliquod dari.*

Licitè ac valide, vtrumque posse suspensum facere vt credam, faciunt argumenta sequentia.

Primum, quod suspensum à beneficio tantum, nihil sit quod impediat quominus quæ sunt sui muneris, exequatur ac obeat, secundum Sayrum *lib. 2. de censur. cap. 6. num. 4.*

Secundum, est suspensio à beneficio, ab ea quę vsum officii prohibet diuersa, nã vtriq; eadem non subest notio, sed distincta, vt verba ipsa præ se ferunt, ergo cum dicta in aliquem suspensionis sententia vim habeat, vocibus conformem, quibus est concepta, qui erit à beneficio suspensus, & non ab officio, istius vsum retinebit liberum, vt ante, & non vllo modo prohibitum: quare si ei competit electio, eligere vt prius poterit, & conferre, & quoniam officii causa, conferri beneficium solet, cum qui ab isto est suspensus, impeditum officium non habeat, suspenso à beneficio licite potest ac validè nouum dari aliquod ab Episcopo, aut alio ad quem spectat eius collatio, Fagundez *in 5. præcept. lib. 5. cap. 2 num 49.* Si tamen conferendi beneficii ius ac potestas suspenso competerent, eius occasione ac causa, tali iure per suspensionem excideret, factaque proinde ab eo collatio, illicita foret ac nulla, quia principali prohibito simul & quæ ei sunt annexa, ac quasi accessoria, vetari constat.

Nonum, *An suspensus ab ordine, ab horarum liberetur onere.*

Id qui putet, esse credo neminem.

Primo, quia precum solutio, propriè non est ordinis actio.

Secundo, quia abhorret à vero, Ecclesiam velle, vt quis commodum ex turpi aliquo suo opere, nedum ex crimine referat, quod tamen accideret, si ab exoluendo solito horarum penso liber esset, id autẽ nolle Ecclesiam (quod fuit in maiori) sit vel hinc perspicuum, quod censuris id suis agat, vt in pœnam admissorum à se criminum, bonis suis, ac opibus fideles priuentur, non autem nouis vt commodis augeantur. Sic Sotus *lib. 10 de iustit. qu. 5. art. 3.* Sanch. *lib. 7. consil. cap. 2. dub. 54.*

Quid si eas cani oportet, quid si publicè in choro dici?

Respondend. à suspensione ab ordine A huic pietati erga Deum, moram nullam aut impedimentũ obiici, nam per eam Clericus ab administratione Sacramentorum duntaxat, executione iurisdictionis Ecclesiasticæ, & susceptione ordinum remouetur, non autem à cantu & precibus, apprecari tamen populo Dei præsentiam his vocibus *Dominus vobiscum* non potest, quia est actus ordinis à quo per suspensionem priuatur.

Decimum, *An suspensus ab officio, sit quoque suspensus à beneficio.*

Ita censuere inter Summarum interpre-
B tes viri eruditione nobiles Cardinal. *in Clement. primam q. 7. de priuileg.* Gloss. *in Clement. cupientes verbo suspensi de pœnis*, Imola *in ca. dum dilectus de consuetud.* Turrecrem & Ostiensis apud Comitol. *respons. lib. 6. q. 42. nu. 7.* Salsedus *in practica criminali cap. 230. q. 42. num. 7.* ita illis opinandi causæ admodum duæ.

Prima, quod *beneficium datur propter officium de rescriptis in 6. cap. 15.* ergo suspensus ab officio, censetur quoque suspensus à benefi-cio, nam accessorium principalis naturam
C sequitur, ergo cum beneficium, officii sit accessorium, istius suspensio, futura quoque est alterius, id est beneficii, non amissio, quidem, sed fructuum, iurisque ad illos, suspensio.

Secunda, excommunicatio beneficii possessi obuentionibus tam diurnis quam annuis excommunicatum spoliat, ergo & suspensio.

Consequ. probatur, est excommunicatus eam ob rem beneficii fructibus priuatus, quod censura quæ eum obstrictum tenet,
D cum quoque omni Ecclesiastici officii vsu priuet. At idem operatur suspensio in suspenso.

Loquuntur his meo sensu prudentius, qui contra quàm illi, docent & sentiunt, Toletus *lib. 1. summæ cap. 43. num. 5* Nauar. *lib. 5. consil. 51. de homicid. & cap. 27 manual. num, 160.* Sa *verbo suspensio num.* Auila *disp. 2. dub. 1. conclus. 6.* Coninch. *dub. 2. conc. 1.* Fagundez *in 5. præcept. Decal. cap. 2. num. 36 & 40.* Suar. *tomo 5. de censuris disp. 26. sect. 3 num. 24.*

Ratio est, quod officium, & beneficium,
E res sint disparatæ, inuicem non necessario coniunctæ, separari ergo vna potest ab alia, ergo qui ab officio duntaxat est suspensus, non idem quoque est à beneficio.

Confirm. cum de multiplici suspensionum varietate supra est actum, ex communi, vera tamen Doctorum opinione est dictum, præcipuas huius censuræ species tres esse, ab officio tantum, à beneficio, & ab officio & beneficio simul, quæ partitio esset haud dubiè inanis, ac superflua, si suspensio

ab officio, ex natura sua secundam hanc includeret, quæ est à beneficio, quam tamen vt à priori distinctam agnoscunt iura *cap. inter 10. de canonica purgat* his verbis: *Licet Ecclesiastica constitutio tales ab officio tantum, vsque ad purgationem canonicam doceat suspendendos, quia tamen etiam eum à beneficio propter immanitatem suspendisti, nolumus improbare.*

Confirm. legis aut sententiæ quæ pœnam infert, verba propriè intelligi debent, in eoque sensu, quem à prima sui institutione sunt sortita, at huic voci *Officium*, vim eandem ac potestatem subesse nemo dicet, ac isti *Beneficium* primũ enim illud ab efficiẽdo dicitur, estque id quod vnusquisq; efficere debet, vt nulli officiat, seruata scilicet honestate, quid loco, quid tempori, quid personis conueniat, ita inofficiosus dicitur, qui contra publicam honestatem quid facit, inofficiosus parens, qui sanguinis ex se procreati, & pietatis obliuiscitur.

Beneficium autem in iure ciuili proprie pro priuilegio sumitur, hoc est pro iure præcipuo, quod certæ personæ, ætati sexui, vel conditioni est attributum, Ecclesiastico autem, est ius percipiendi fructus propter officium spirituale quod obitur, quæ ab officio diuersa esse, distinctaque, cui non compertum? suspendi ergo ab eorum altero, non est prohiberi ab vtroque.

Confir. sunt suspensiones, pro varietate rerum quibus priuant, variæ, at suspendi ab officio, pœna est, ab ea quæ beneficii priuationem habet diuersa, prior enim administrationem beneficii impedit, constitutionem Vicarii, absolutionem à culpis, renunciationem digni alicuius hominis pro beneficio vacante, inflictionem censurę, cohortationem ad populum, posterior autem quæ est suspensio à beneficio, iure priuat colligendorum fructuum, aut eius administrandi temporaliter, quæ ab inuicem seiungi posse quis non videt? ergo & suspensiones, quæ ergo est ab officio, hæc non necessario suspensionem infert à beneficio.

Ad argumentum, pro contraria sententia allatum.

Respondendum primo, negando consequentiam quia cum ex natura rei, vnum non sit adnexum alteri, beneficio officium, vel contra, ab inuicem separari ambo possunt, proindeque & vna suspensio, exequutioni mandari sine alia.

Ad confirm. dicendum, non quodlibet officium, instituti, ac instituendi beneficii causam esse, sed horarum, id est fundendarum precum pro Ecclesia, beneficii patronis ac fũdatoribus, ab eo vero officio eximi,

A Episcopi priuata lege posse neminem, cum
Concil. Constant. maxime, regnorum praxis omnium, ac prouinciarum, Pii V. auctoritas in Bulla speciali ea de re, ac recepta vbiq; consuetudo, horas canonicas, quod est beneficii præcipuum onus, aut eius pars maxima, potissimaque, ab eius possessore dici, religiose integre, ac deuote, quot hebdomadis ac diebus exigant.

Vndecimum, *An suspensus ab officio in perpetuum, per iudicis sententiam, à beneficio quoque sit suspensus.*

B Esse, dixit Toletus *in summa lib. 1. cap. 43. nu. 3.* Cardosa *in praxi iudiciali verbo* Graph. *lib. 4. decision. aureár. ca. 25 num. 7.* Laym. *lib. 5. tract. 5. par. 3. ca. 1. nu. 3.* Sayrus *lib. 4. ca. 6. num. 17.* Sanch. *de matr, lib. 3. disp, 51. num. 13.*

Firmamentum eorum vnicum est, quod perpetua ab officio suspensio, perpetua sit suspensio à beneficio, eiusq; priuatio, quid ita vero? quia datur beneficium (inquiunt) ob officium, ergo si defungi officio non datur, neque beneficio frui, eiusque fructibus
C permittitur.

Contra pugnant è Theologorum schola scriptores non vltimi, Viuald. *in eand. tract. de susp. num. 17. concl. 1.* Henriq. *lib 13. de excom. & susp. ca 32.* & alii: Pro opinionis suæ fide, rationem hanc proferunt, quod suspensio ab officio, diuersum quid sonet à suspensione à beneficio, nec habet à perpetuitate, naturam vt aliam induat, aut vim maiorem producendi effectus habeat in beneficium, à suspenso possessum, ergo vt suspensio ab officio quæ est ad tempus, non est priuatio be-
D neficii, ac eius fructuum: ita nec quæ definito tempore non clauditur, beneficii suspensionem infert aut carentiam.

Secundo, in pœnis non datur locus argumentis à simili, aut earum extensioni ad alia, à rebus in quas cadunt vere diuersa, ergo cum suspensio sit pœna, ab officio eiusque vsu, trahi hæc ad beneficium non poterit.

Negare tamen non ausim, quin ei, cui interdicta sunt in perpetuum officii sui munera, incumbat illo decedere, per simplicem cessionem, aut resignationem in fauorem
E tertii, quod potest, quandiu eo per iudicis sententiam necdum est priuatus.

Pars prima probationem habet facilem, quæro enim quorsum, & quamobrem vocatur quis ad Ecclesiæ, beneficiique regimen? Nempe vt hoc, & illam ex fide curet, propria vtriusque negotia gnauiter procuret ac sedulo, vno verbo beneficiarii munera obeat omnia, vnum de multis ex negligentia, incuriaque prætermittere, est officio, sibique ac conscientiæ deesse, nec proinde sine

crimina,

crimine: ergo si erit perpetua suspensio, si nullo circumscripta temporis interuallo, nunquam erit, cùm quæ magistratus Ecclesiasticus quem gerit, munera postulat, hæc faciat, ergo ne contra officium peccasse aliquando arguatur, non præstando quæ beneficii ratio exigit, aut illud relinquet vltro, aut resignabit alteri minime impedito: quod eum posse, quæ pars responsionis altera fuit. sic probatur, Ob suspensionem ab officio perpetuam, non est Clericus beneficiarius, ipso iure, & facto, suo priuatus beneficio, sed priuandus, ergo dum priuatio per iudicis sententiam accidat, de eo iste arbitratu suo statuere, ac disponere in alterius gratiam, per resignationem poterit.

Tertio suspensio ab officio quamuis perpetua, à suspẽsione quæ est à beneficio, semper est diuersa, ergo non necessario illatiua est alterius, cum in pœnis non detur extensio, nec sit beneficium officii accessorium.

Argumenti pro contraria parte allati, neganda est consequentia in eo sensu sumpta, quem intendunt aduersarii, volunt enim suspensionem à beneficio, & fructibus illius, sic includi in perpetua suspensione ab officio, vt hæc illã necessario inferat, & hoc est quod negamus, nam etsi suspensus in perpetuum ab officio, beneficio renunciare debeat, cum enim detur ob officiũ, si hic istud implere nequit indirectè manet obligatus ad illud resignandum, non tamen ex defectu præstandi officii, aut suspensione ab illo, infertur illico suspensio à beneficio, aut eius priuatio, cum suspensus ab officio, illud resignare possit, & in rigore per alium exequi officium, vt sunt litare superis, Missæ sacrificium diebus festis dicere, concionari, confessiones excipere &c. in quo casu, adiuncta beneficio suo commoda, fructusque tanquam debitos, vindicare sibi, ac petere poterit.

Dubium duodecimum, *An suspensio verbo tantum lata, & non scripto, officio priuet & beneficio.*

Dico primò, *Peccare mortaliter, qui quæ sibi sunt per suspensionem prohibita, facere apparat,* quia in re graui, & quam interest boni publici non fieri, superiori non obedit, Portelius *in dubiis regular. verbo suspensi num. 2.* non est tamen irregularis ob solam executionem officii, contra præceptum superioris aut Episcopi, sed est eius puniendus arbitrio, Suar. *de censur. disp. 26. sect. 2. num.* 30. Portelius *loco citato proxime num. 2.*

Dico secundò, *Suspensionem proprie sumptam non esse, cum Prælatus solo verbo alicui opus aliquod vetat, aut præcipit, sub ea pœna,* ita Na-

Pars secunda.

A uar. *consil. 62. de sentent. excomm.* Auila 3. *par. disp. 3. concl. 4.* quia hæc nullarum est virium nisi à legislatore hoc est Episcopo, eam infligente sit volita, at eam Episcopum aut Prælatum velle, cum verbo tantum, mentem suã eloquitur & non scripto, quis honeste credat ac prudẽter? nemo enim in dubio præsumendus est peccare, at peccat, qui suspensionis sententiam dicit in aliquem solo verbo, cum eam Innoc. IV. in scriptis proferri imperet, *& causam excommunicationis & suspensionis conscribere, propter quam excommunicatio proferatur, vel suspensio. Qui autem*

B *iudicum huiusmodi constitutionis temerarius existit violator, per mensem vnum ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis ipso facto, est suspensus,* Innoc. IV. *in cap. cum medicinalis primo de sentent. in 6.* ergò cum ab intentione suspendentis, suspensio dependeat, eaque verisimiliter careat, qui ad verba, scriptum non addit, quod dictam à se sententiam, eiusque causam contineat, talis suspensio verbo tantum prolata, probabiliter est nulla.

Quia tamen in dubio intentionis Prælati obligare volentis, stat pro præcepto possessio,

C quæ non possessione est potior, eam ob rem existimo sic suspenso abstinendum esse officio, administratione beneficii, eiusque fructibus, quod si non fecerit, non est futurus ideo irregularis, nisi actum aliquem ordinis exerceat, Portelius supra, qui etsi illicitus, validus tamen erit ac ratus, absolutione Sacramentali dempta, quæ indubitãter est nulla, secundum Suar. *tomo de censur. 5. disp. 26. sect. 2. num.* 30. & Portel. proxime citatum.

Dubium decimum tertium, *Quæ sint operà*

D *à quibus sibi temperare suspensi à beneficio debeant.*

A sola perceptione fructuum, eiusque administratione temporali, vt est fructuum locatio, contractuũ super his renouatio, Lay. *lib. 1. par. 5. c. 1. tract. 5.* quare ita suspenso Oeconomus est constituendus, qui quæ sunt eius officia, in eiusdem beneficii temporali regimine, gerat ac suppleat, ingerens se administrationi illi prohibitæ, iure canonum beneficio est priuatus ipso iure, decreto Nicol. III. *in decretali cupientes de elect. in 6. parag. cæterum.*

E Dixi *A sola perceptione fructuum, ac temporali administratione beneficij,* nam si fides est auctori citato proxime *num. 3. parag. Corrollarium 3.* suspensus à beneficio, suo debet officio satisfacere, & iurisdictionem, vel administrationem ratione officii competentem exercere, itaque si sit Episcopus, initiare sacro ordine, in Clericorum numerum per tonsuram allegere, reos ac contumaces

excommunicationis mucrone ferire, vulneratos absolutione sanare poterit, quæ est communis sententia Doctorum cum Glossa *in cap. Vintoniensis de elect.* Toleti *in summa c.43.n.4.* Nau. *in summa c.27.nu. 151. versi 6.*

Si tamen ea iurisdictio adnexa erat beneficio, non officio, tunc suspensus à beneficio, eo ipso suspensus erit à tali iurisdictione quæ illi est accessoria iuxta opinionem Fagund *in 5. præceptum Decal. lib.5. ca.2.* cuius rei est hæc ratio, quod accessoriũ naturã principalis sui sequi soleat *de regul. iuris in 6. regul. 43.*

Dubium decimum quartum, *Cum suspensus à beneficio, fructus suos non faciat, cui eos restitui est necesse?*

Suppono primo de diuite, nulliusque rei indigo homine, sermonem esse, pauperem enim, cui ad victum, & depensum quotidianum, tantum in ære, aut re familiari non suppetit, quantum est ad decentiam necesse, de fructibus collati sibi beneficii vendicare sibi tantùm posse, quantum ad sui, suorumque sustentationem decentem ac honestam ratio exigit: Sayrus *lib. 4 thesauri ca.16. num. 12. & de censur. li.5. ca.6.* Nauar. *ca.25. nu.124.* Suar. *disp.27. sect. 2. dub. 2. concl. 6.* Fagundez *supra num. 49.* debet tamen de absolutione sua, sic suspensus esse sollicitus, quam culpa sua nulla, impetrare cum valeat ni faciat, à culpa non liberabitur.

Suppono secundo, ad suspensum à beneficio, mercedes eius, non pertinere, quod probatur auctoritate canonis, ratione, & auctorum sententia. In canone præter *6. dist. 32.* cauet his verbis: Alexand. II. de concubinario loquens, quem Leo, & Nicolaus, à sacrorum vsu decretis suis vt suspensum remouent. *In Presbyterio ad diuina officia, cum his, qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint, non maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat.*

His addenda ratio cum quid datur alicui sub conditione, ea non posita, donatio est nulla, sed beneficiario, ea lege committitur beneficium, vt Ecclesiastica munera præstet, quæ debet, datur enim beneficium propter officium quod Ecclesiæ præstari oportet ex *ca. extremo de rescript. in 6.* ergo cum suspensus à beneficio, Ecclesiastica lege sit impeditus, quominus in actionum administratione versetur, quas beneficii status, conditioque exigit, fructus ex eo, vt suos colligere non poterit.

Huius sententiæ comprobatores sunt, Fagundez loco ante citato, Angel. *in verbo suspensio, num. 3.* Tab. *eod. tit. num. 5* Glossa *in ca. pastoralis de appellationib. in verbo subtrahantur,* sic enim loquitur. *Suspensus ab officio, nihil debet de beneficio Ecclesiæ attrectare, alias* A *est deponendus, & in hoc æquiparatur excommunicato.* Sensus idem opinioque extitit Steph. de Auila *3. par. disp. 2. dub. 1. nostra, inquit, conclusio generaliter loquitur. scilicet suspensionem à beneficio solum extendi ad fructus.*

Nihilominus, quia mercedes solitæ, diurnæque obuentiones, ac annuæ, non penduntur tantum pro beneficii administratione temporali, sed multo maximè pro horis, ac cæteris oneribus, quæ subire Clericum beneficiarium est necesse, eam obrem existimo, non omnibus illum priuatum esse, sed iis B duntaxat, quæ curæ sunt pares, quam cum pro temporali eiusdem beneficii regimine subire oportuit. Nam suspensus à beneficio, non est similiter ab officio, Auila loco proximè citato, non quidem ab eo quod illi conuenit ratione beneficii, cuiusmodi est eligere, idem ib. Tabiena *verbo suspensio nu. 4.* ergo ei vacandum est, ex præscripta forma Ecclesiæ, ergo cum id gratis facere non debeat, huic eius operæ correspondere partem aliquam fructuum mercedis nomine est necesse, non sunt ergo suspenso à beneficio negandi omnes, sed ii tantum qui sunt illi C debiti, ratione administrationis temporariæ beneficii, aut eius officii, seu actus à quo est suspensus, Auila *3. disp. 2. concl. 6.* quos proinde, vt non suos seruare nequit, sed perceptos tenetur reddere. Sed enim cui? Turrecremata & Præpositus, secuti Glossam in Clement. II. *de vita & honest. Clericor.* aiunt, fructus è quotidianis distributionibus collectos, iis accrescere, qui diuinis intersunt officiis, cæteros quos beneficium parturit, debeRi Ecclesiæ, ac in eius commodum ac vtilitatem conuerti oportere, quam in senten- D tiam, vt communem, Doctores fere omnes, ipseque eorum exemplo, ac auctoritate victus, concedo.

Dubium decimum quintum, *An suspensus à iurisdictione, exercere possit actus ordinis, & contra suspensus ab ordine, actus iurisdictionis.*

Dico primò, *Suspensum ab ordine, ea omnia obire posse iurisdictionis opera, quæ actualem vsum Ordinis non requirunt,* Caiet. *verbo suspensio,* Henriq. *ca.32. num.4.*

Ratio est, quod pœna ad alia extendi non E debeat, quam quæ per legem, aut superioris voluntatem sunt expressa, at pœnæ est instar, eiusque nõ vulgaris ac minimæ, quod quis potestate vti sua non sinatur, quæ pœna tamen non significatur suspensione ab ordine cum hic à potestate & iurisdictione differat: quare vt Episcopo suspenso ab ordine, fas est excommunicare & suspendere, eo quod hæc duo ab ordine non pendeant, vt colligitur ex *cap. transmissam 15. extra de elect.* in quo Cœlest. III. asserit,

Episcopum,

Episcopum, nullo licet sacri ordinis charactere insignem, *ex quo, electionis suæ confirmationem accepit habere de talibus & consimilibus (hoc est reis) quod iustum est, & Ecclesiasticæ conuenit vtilitati, statuendi liberam facultatem*, ita ex opposito confessiones excipere, sacro Christi Seruatoris corpore fideles non potest pascere, eo quod hæc actualem Ordinis vsum exigant, alteri tamen absoluendi potestatem committere non vetatur, Layman. *supra num.* 5.

Dico secundò, *Suspensum à iurisdictione, eos omnes actus exercere posse, ordinis, aut spiritalis officij, qui iurisdictionem non postulant actualem*, Suarez *disp.* 26. *sect.* 4. *num.* 16. ratio eadem quæ superioris assertionis.

Deinde suspenso à iurisdictione ea tantum sunt prohibita, quæ proprie denotantur iurisdictionis nomine, aut cum ea connexionem habent necessariam, at vt est hæc distincta ab ordine, ita cum non significat proprie, nec in multis, vt exerceatur valide, requirit actualis vsum iurisdictionis.

Vera est ergo assertio ex qua sequuntur hæc corrollaria.

Primum Episcopo, aut alteri prælato, à iurisdictione suspensis auctoritate Pontificis, impune esse sacro Missæ sacrificio interesse, in choro psallere, præcẽtorem agere, in ara rem diuinam facere, quia hæc sine iurisdictione esse possunt ac fieri, cum cantus plebeis sit ac Sacerdotibus communis, audire autem Missam, vel facere, promiscue possint Sacerdotes simplices, ac Laici, quos tamen Laicos auctoritate sua, vel Ecclesiæ, iurisdictionem in quenquam exercere posse, nemo opinor existimat.

Corollorium secundum, quia suspensus à iurisdictione, obire ea opera, muniaque non potest, ad quorum substantiam, necessaria est iurisdictio, ei non licet à peccatis absoluere, si facit, operam ludit, pœnitenti non proficit, & si est Parochus, Sacramenta suis non præbebit ouibus, vt pastor ordinarius, si Episcopus subditos suos sacris non initiabit ordinibus, quia hi actus ordinis, sacraque officia, sine iurisdictione rata non sunt ac valida, ergo ab ea suspensus qui erit, illa non nisi illicitè ac cum crimine exercebit.

Dubium decimum sextum, *An suspensus à Diaconatu vel Subdiaconatu diuisiue, ab ambobus, eorumque propriis actibus sit suspensus.*

Nequaquam, sed nec ab eorum aliquo.

Causa est, quod nulla sit ratio quamobrem ab vno, abstinere potius hic debeat, quam alio, à neutro ergo est suspensus, Stephan. de Auila 3. *part. disp.* 2. *dub.* 2. *concl.* 7. contra

A absolute qui est suspensus ab ordine, ab vsu maiorum & minorum est ordinum suspensus, quia cum hæc propositio *Suspendo te ab ordine*, sit inde finita, ex parte prædicati, æquiualet in hac materia vniuersali, & ita quandiu durat hæc pœna, de nullo potest Episcopus bene mereri, collatione ordinis vllius sacri.

Similiter suspensio ab officio Sacerdotis, ab omni excludit actu Sacerdotis proprio, quales sunt sacrificare, Sacramentum Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Vnctionis extremæ ministrare, solemniter baptizare & benedicere, non autem Euangelium aut Epistolam legere, quæ ad Diaconi, & Subdiaconi munera pertinent.

B

Dubium decimum septimum, *An Suspensus à beneficio possit eligere, & eligi.* Eligendi ius ei omne per suspensionem adimi, scripsit Nauar. *ca. manual.* 27. *nu.* 193. Henriq. *lib.* 13. *cap* 32. *parag.* 4. Sayrus *lib.* 4. *ca.* 6.

Contra pugnant hi authores Stephan. de Auila *par.* 3, *disp.* 2. *dub.* 2. *concl.* 4. Sayrus *lib.* 4. *ca.* 6. Suarez *disp.* 27. *num.* 34. Coninch. *disp.* 5. *dub.* 2. *concl.* 5. tuetur se hæc opinio authoritate Innoc. III. *in ca. cum Vintoniensis* 25. extra de electione, vbi quosdam de capitulo, eligere posse ait, quamlibet eligendi iure culpa sua priuati forent. *Nos*, inquit, *attendentes, quod isti post primam electionem, admiserant illos ad celebrandam secundam, & quod decretum concilii memorati, decreuit huiusmodi præsumptores vna vice duntaxat, eligendi potestate priuatos, quoniam electio, quã coram nobis celebrare volebant, non iam secunda, sed tertia concurrebat, ad eligendum, illos censuimus admittendos.* Auctoritatem hanc confirmat hæc ratio. Non nisi ab his actibus suspensio à beneficio excludit, qui significantur nomine beneficii, at ea voce, fructuum perceptio duntaxat intelligitur in hac materia, quæ ei etiam solum est prohibita, Auila supra *concl.* 4. Laym. *par.* 3. *libri primi ca.* 2. *num.* 4. non autem quæ sunt officii, aut certe iurisdictionis, ad quorum alterum electio pertinet; ergo suspenso à beneficio, eligere, ac ad magistratus Ecclesiæ suffragio suo vocare dignos, non est canonica lege vetitum.

C

D

E

Eligi tamen, aut beneficium nouum non potest consequi, probant id Pontificum decretales variæ, *cũ dilectus* 8. *de consuet.* Innoc. III. *cap. cum inter R. Seniorem decimo sexto de elect.* Cœlestin. III. *cap. cum bonæ octauo de ætate & qualitate ordinandorum*, ibi consultus Pontifex, ecquid Clerici in quos suspensionis sententia promulgata fuerat, digni viderentur, quibus noua conferrentur beneficia respondit, *quod non liceret eis illa, quæ habue-*

rāt beneficia, vel quæ postmodum essent adepti, aliquatenus retinere, proindeque hos illis spoliandos videri.

Causa est, quod beneficium detur propter officium, ergo qui officii prestandi, idem quoque incapax est beneficii Gregor. IX. *ca. vlt. de Clerico excomm. ministrante. Eius,* inquit, *electio est irritanda, pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à sanctis Patribus est priuatus.*

Ex hoc tamen loco videtur confici, quod etsi suspensio, tam quæ est ab homine, quam quæ à iure, hominem beneficio indignum faciat, eiusque collatione, hanc tamen non esse ipso iure irritam, sed infirmandam, & ita non teneri beneficiarium ea ablata per superiorem, illud sponte dimittere, quæ sententia est Less. *lib. 2. ca. 34. dub. 22. num. 116.* Suar. *de censur. disp. 26. sect. 3. num 7. & disp. 27 sect. 5. num. 25.* Laym. *loco ante citato num. 3.* tutaque in conscientia, nec plus *ex c. dilectus,* colligi potest: quod autem ex Cœlest decretali cum bona de ætate producitur in contrarium vim non habet,

Primo, quia in ea, dicuntur Clerici, de beneficiis suspensione durante prouisi, spoliandi his esse non spoliati.

Secundo, affecti sunt hac pœna prædicti Clerici, non absolute & præcise, quod suspensi essent, sed quod triennio integro per contumaciam, summamque salutis suæ incuriam in ea censura permansissent, quod indicant hæc verba. *Vnde Archiepiscopo dedimus in mandatis, vt eos pro tanta peruicacia, & contemptu Apostolico, beneficiis quæ habent, non differat spoliare.*

Dubium decimum octauum, *An suspensus ab ingressu Ecclesiæ, Sacramentorum sit capax.*

Omnino, nam quid habet ingressus Ecclesiæ, commune cum Sacramentis, aut eorum tam passiuo, quam actiuo vsu? ergo cum aditus in Ecclesiam, aut commoratio in ea, priuationem Sacramentorum non significet, aliud autem sententia sua prohibitum Clericis, iudex esse nolit, quam quod verba quibus est concepta exprimunt, suspensus ab Ecclesiæ ingressu, præcise vi talis pœnæ, non est Sacramentorum futurus incapax, sed tantum executionis ordinum intra Ecclesiam, & auditionis diuinorum officiorum. Quare percipere Sacramenta in Ecclesia, orare, quo tempore non celebrantur diuina officia, horas legere solus potest, aut cum alio, dummodo submissa voce, hæcque est causa, cur nonnulli existiment, cum quis aditu prohibetur Ecclesiæ, non tam suspendi, quam interdici, eo quod suspensio, diuinis hominem officiis non priuet, eorumque auditione, multoque minus sepultura, quod tamen facit suspensio ab ingressu templi, ita Henriq. cum Steph. de Auila *par. 3. disput. 2. concl. 13.* non est ergo suspensio sed interdictum.

Dubium decimum nonum, *An vitandi sint suspensi, in iis rebus, in quibus sunt suspensi.*

Quæst. est hic sensus, an communicare cum suspenso, in his ipsis rebus, à quibus est suspensus, culpa sit, eaque mortalis.

Dico primò, *Ex vi precepti Ecclesiastici, congressum nemo, colloquiaque vitare suspensi debet,* quæro enim, quæ literæ, qui libri id mandent, quo tempore & Pontifice, id sit in commentarios, & cuius maximè, relatum? communicare ergo cum suspenso quia nusquam est prohibitum, rem negotiaque cum eo in communi vita, humanisque commerciis, habere, cuique est licitum.

Dico secundò, *Cum eo tamen in actibus communicare, à quibus à iure est suspensus, aut ab homine, peccatum est in duobus casibus.*

Primus est, cum ad eos inducitur.

Secundus, cum ab eo postulantur ii actus, qui ob suspensionem sunt nulli.

Pars prima probatur, in fraudem aliquem impellere, eique peccandi causam esse, malum est & exitiabile, impellitur autem, cum qui actus ei sunt prohibiti, ad eos verbis inducitur aut precibus, ergo cum culpa.

Alterius eadem ferè est probatio. Facere, vt actum quis in fauorem alterius exerceat, qui sit nullus, culpa est, eaque caritati opposita, id efficit quisquis est causa vt actum iurisdictionis quis exerceat, à qua est priuatus per suspensionem, V. C. vt Sacramentaliter absoluat, aut quæstionem de crimine instituat, quod tamen nequit, quia est ab officio & iurisdictione ob crimen aliquod suum suspensus. Extra hos duos casus, cooperationis scilicet peccato suspensi, & actui iurisdictionis, à qua est per hanc censuram priuatus, malum non est vti eius opera.

Nunquam autem: primo cum est iusta aliqua causa adhibendi eum ad illa ministeria, quæ tum, id est premente necessitate postulantur.

Secundo cum se sua sponte, vltroque, ad ea offert, cuiuslibet gratia.

Tertio cum non est denunciatus, quia à Conc. Constantiensis temporibus *in Extrauag. ad euitanda,* nulla est necessitas euitandi suspensos, aut excommunicatos, quos Ecclesia tolerat.

Dubium vigesimum, *Quando & quo tempore vitari suspensus debeat.*

Quando est denuntiatus publice talis, non ante, nec alias, ita Basileensis & Constantiensis constitutio Mart. V. Pontifice

edita

edita: est autem Basileensis his verbis digesta *Ad vitandum scandalum, ac multa pericula, subueniendum quoque conscientiis timoratis, statuit quod nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum administratione, aut aliis quibuscunque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit, vel contra personam, colloquium, vel vniuersitatem Ecclesiasticam, aut locum certum, aut certam personam à iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expressè, aut si aliquem ita notoriè excommunicationis sententiã incurrisse constiterit, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo iuris suffragio excusari.*

In quo Basileense decretum à Constantiensi seiungitur, vult enim Basileense vt ex eius contextu patet, vitari quemlibet notoriè excommunicatum, id quod de notorietate facti intelligi oportere, verba ipsa decreti indicant, probatque Couar. *in relectione ca. Alma mater par. 2. parag. 2. num. 7.* cum Constant. de eo nihil præcipiat, sed de duplici duntaxat excommunicatorum genere, primum est eorum, quos sententia iudicis damnauit, ac denunciauit. Alterum eorum, qui tam perspicuè, ac manifesto, vim intulere Clerico manuum in illum iniectione, vt factum nulla possit tergiuersatione, iurisque suffragio excusari.

In quo autem (inquies) vitari suspensus denunciatus debet? Non in coitione mentium, non in colloquiis ac sermone vt fit familiari plurium, non in congressu ac negotiis, sed iis duntaxat actibus, à quibus eum auctoritate publica, & Ecclesiæ, suspendi placuit, vt si est à celebratione Missæ prohibitus, si ab vsu Ordinum, ab eo sacrificium petere, cum illi ex more dat operam, ei interesse, ab eo ordinē postulare, vel recipere, si est Episcopus, nulli licet lege Ecclesiæ.

Dubium vicesimum primum, *An suspensus ab ordine, officio, aut iurisdictione, prohibeatur vbique actus exercere, quos ei per suspensionem, iudex voluit esse prohibitos?*

Omnino, quia censura non locum, sed personam afficit, ergo quocunque eam casus, aut fortuna detulerit, censuræ in eam latæ nexus, tenebit arctissimè vagantem qualibet, *Excommunicatio*, inquit Abb. *in ca. ad reprimendam de offic. ordinarii: afficit personam, eamque sequitur, sicut lepra leprosum*; at quod in hoc censuræ genere valet, valere quoque est censendum in aliis, Laym. *supra ca. 1. num. vlt.*

A Dubium vicesimum secundum, *An sit suspēsioni essentiale, & intrinsecum, quod feratur in scriptis.*

Alienis verbis non meis quæstioni propositæ satis faciam, sic ergo Portelius *in dubiis regularib. verbo suspensio num. 9. Suspensio poni debet in scriptis alias non obligat, & ponens illam, peccat mortaliter*, Rodrig. *to. 4 addition. c. 143. num. 11.* vbi ait quod si Prælatus, dicat *verbo tenus alicui Religioso, ne ministret tale, aut tale Sacramentum, talis prohibitio, non est suspensio, neque censura, & proinde contra faciens peccabit mortaliter, sed non erit irregularis.* Hæc ille.

B Secus quam ille, Suarez sentit *de censuris disp. 2. sect. 13. n. 8.* sententiam enim sine scripto dictam, aut literis, mortalem quidem asserit, sed non inualidam, verum enim id in excommunicatione valere ait, in suspensione minimè, cuius diuersitatis causam, inter vtramque, cum ambarum eadem videatur esse ratio, vt verum fatear, non agnosco, & tamen Portelii sunt hæc verba, *de suspensione Doctores strictius loquuntur, & in illa non admittunt excusationem, si feratur absque scripto.*

C Dubium vicesimum tertium, *Quomodo cognosci possit, quod suspensio iure incurratur ac facto.*

Suspensionem non esse latæ, sed ferendæ sententiæ, his internosci documentis potest.

Primum si constitutio, aut lex, post suspensionem pronunciatam adiungat, ipso iure, ipso facto, aut eo ipso, continet latam sententiam, ferendam autem, cum quid præcipit aut vetat sub pœna eius incurrendæ, Piasec. *praxis Episc. parte 1. ca. 4. art. 12. num. 10.* Alfons à Castro *in 2 lib. de lege pœnali ca. 1. parag. 1.* Glossa *in ca. 1. de Sagittariis.*

D Causa est: quod pœnæ interminatio, eam supponat needum impositam, sed imponendam, cum enim futura pro obiecto habeat, non præterita, aut præsentia, ratio indicat ab ea sententiam confici, non quæ iam sit lata, sed ferēda auctoritate iudicis, ac opera, præmissaque vti ius imperat, monitione canonica, Glossa *in ca. vnic. de Sagittar.*

E Erit autem suspensio latæ sententiæ, si verbum vnum aliquod præsentis temporis, aut plura habeat, aut aduerbium quod moram omnem temporis excludat vt si iudex dicat, *suspēdo te si, &c. aut statim, illico ac hoc, aut illud feceris, scito te suspensum esse*, sed plura de hac re *in tract. de censuris in communi.*

Similiter habet decretum iudicis, aut constitutio suspensionem irrogans, latam sententiam non ferendam, cum verbis vtitur, vno, aut pluribus, ministeriū quæ nullum iudicis, aut munus hominis ad eā infligēdā po-

stulant vt cum participio adiungitur verbum *sit aut erit*. Thesaur. 2. *part. praxis Ecclesiast. vel monialis ca.* 2.

Ratio est, quod verbum *sum* verbum sit existentiæ, ergo quocunque modo pronunciatum eam denotat, nec actionem vllam hominis aut passionẽ, quæ sit ab ea, quæ est suspensi aut excommunicati distincta, postulat, quare cum iudex dicit *sit suspensus* de suspensione latæ sententiæ eum loqui, verbaque quibus est concepta, ita intelligi non est dubium, quod est contra Gloss. *in can. si quis dist.* 13. & aliam *in ca. si quis ex Clericis de vita & honest. Clericor.* quæ in hoc, vt in plerisque aliis, audiri non debet.

QVÆSTIO IX.

A quo & quomodo suspensio tolli possit.

PRima assertio, *Quando suspensio est à iure siue generalis siue specialis in particulares, imposita propter contumaciam, cum expressa, aut tacita conditione, vt tunc, & non ante relaxetur quam suspensus à contumacia destiterit, nisi expresse Papæ reseruetur, potest à suspensi ordinario auferri*, colligitur ex *ca. nuper de sent. excom. ca. ex literis de constitut.* traduntque Henriqu. *lib.* 13. *ca.* 35. *litera P.* cum aliis quos ibi citat. Sa *verbo suspensio num.* 14.

Causa non est alia quam quæ est allata *tract. de excomm.* eaque petita ex Pontificis concessione tacita, nam hoc ipso, quod hic illam sui iuris, forique non facit eam sibi reseruando, censetur tacite eius absoluendæ potestatem communicare Episcopis, quæ illis etiam competit in omnes casus Papæ reseruatos, licet vt puræ pœnæ, seu in perpetuum, seu ad certum tempus sint decretæ, modo ex occulto crimine nascantur, eoque non deducto ad forum contentiosum, vt est in Concil. Trid *sess.* 24. *ca.* 6.

Secunda assertio, *Suspensio absolute lata, si est ab homine, ab illo tantum remittitur, qui auctor est iuris, vel statuti quo iubetur incurri, vel eius successore, superiore, aut aliquo ab eis delegato.*

Quia eiusdem est soluere quæ ligauit, aut certe eius qui parem cum illo, aut maiorem habet potestatem, & in tribus casibus, potest hic omnium consensu, licite ab inferiori suo suspensum absoluere.

Primus est, cum quæ iure statuuntur *in ca. cum medicinalis de sent. in* 6. in ferenda suspensione non seruauit,

Secundus, cum est ab eo appellatum ad eum qui est illo dignitate ac potestate superior, nã etsi communiter remitti debeat ad

A suum ordinarium, id est eum, à quo appellauit, absolui tamen à superiore poterit, si inferior rogatus, id facere renuerit, iuxta dicta *tract. de excommunicatione.*

Tertius est, quando suspensio non est reseruata, lataque est ab homine per generalem sententiam.

Vbi notandum est, quod etsi ordinarie qui suspendit, suspensum absoluere valeat, tria tamen esse tempora, quibus id ei permissum esse desinit.

Primum est, cum sæculares aut regulares

B Clerici, ab Episcopo vel ordinariis, priuantur officio, ob admissionem hæretici denuntiati ad Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam, vel quando eleemosynas sibi aut alia ab eodem oblata recipiunt, tunc enim suspensi, aut officio suo priuati, ab Episcopo restitui nequeunt, sed à Papa duntaxat, *cap. excommunicamus* 13. *parag. credentes de haret.* Innoc. III. in generali Concil. ex quo est desumptus canon citatus, verba eius sunt talia, *Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta, nec eos Christianæ præsumant sepulturæ tradere, nec eleemosynas, aut*

C *oblationes eorum percipiant, alioqui suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto sedis Apostolicæ speciali: similiter quilibet regulares, quibus hoc etiam infligatur, vt eorum priuilegia, in illa Diœcesi non seruentur, in qua tales excessus præsumpserit perpetrare.*

Tempus secundum, in quo suspensio ab eius authore tolli nequit, est, cum quis à proprio est Episcopo degradatus, *ca. extra deuotionis* 11. *de Clerico non residente*, ibi enim Innoc. III. rebelles ac contumaces Clericos, ab Episcopis per suspensionis & excom-

D municationis sententiam, ad obedientiam, officiumque, sic cõpelli oportere ait, *vt in eos tamen degradationis sententiam, non promulgent, vt cum eis misericorditer agi possit*, nempe quia degradatos ab iis restitui non posse censebat.

Postremum, cum quis beneficia indignis contulit, & semel ac iterum, à Concilio Prouinciali admonitus, nec culpæ suæ modum faciens, ab eodem in pœnam peruicaciæ, ab eorum collatione suspenditur,

E nam tunc, ab hac eum suspensione, nisi per Papam, aut Patriarcham absolui posse, negauit Innoc. III. *in decretali graue nimis* 29. *de prebendis*, Metropolitanus tamen à Concilio suspendi non debet, sed ab eo denuntiari Pontifici, *Metropolitani delictum*, inquit ibi Innoc. *superioris iudicio relinquatur, ex parte Concilij nuntiandum, vt autem hæc salubris prouisio, pleniorem consequatur effectum, huiusmodi suspensionis sententia, præter Romani Pontificis authoritatem, aut proprij Patriarchæ, minime relaxetur.*

Tertia

Tertia assertio, *Si suspensio feratur ad certum tempus vt mensem, aut annum, hæc finitur cum illo, sine vlla alia absolutione*, Hurtadus *de suspens. difficult.* 12. colligitur *ex ca. præterea de Cleric. percussore*, vbi Sacerdos quidam cuius imperio mulier fustibus cæsa fuerat, suspenditur ad bimestre ab administratione Missarum, à qua suspensione, nulla tamen dicitur ei necessaria absolutio, vera est ergo propositio.

Secundo, lex non obligat nisi secundum intentionem Legislatoris, sed suspensio lex quædam est, pœnalis tamen, ergo ad voluntatem suspendentis reuocanda est eius efficacia, ac duratio, sed Prælatus ex hypotesi, extra illud tempus, annum V. C. aut mensem, suspensionem prorogari non vult aut extendi, ergo eo finito, finietur & ipsa: ita Graff. *lib. 4. decis. ca. 25. num.* 14.

Eademq; est ratio suspensionis, ad tempus indeterminatum latæ, cum ordine tamen ad suspensi voluntatem, cui præcipitur vt satisfaciat V. C. aut pœniteat, vt ab ea liberetur, alterutro enim posito, id est satisfactione, aut pœnitentia, aut conditione qualibet alia impleta, quam petebat superior, per seipsam suspensio, sine alia superioris declaratione cessat, ac desinit, Nauar. *c. 27. num.* 161. Henriq. *lib. 13. ca.* 35.

Ratio eadem est quæ assertionis prioris, ac petenda à iudicis voluntate, qui sententiam suam ad illud tempus contrahit, nec extra illud, eam porrigi vult & extendi quare eo elapso, aut opere facto, quod iudex imperat suspenso ex seipsa, absque alia relaxatione, seu ablatione definit.

Quarta assertio, *Si pro pœna, lata est suspensio à Pontifice, aut canone, ad tempus ante illud finitum, subditum suum absoluere Episcopus nequit.*

Primo, quia illa temporis definitio, habet reseruationis instar.

Secundo, si suspensionis remissio, esset tum in Episcopi iure, qui ea astringitur ante expletum eius tempus, ea se solui vellet, idque Episcopus vt faceret, sæpe precibus suis exprimeret, sicque illuderetur canoni, eiusq; pœnę, quod concedi vlli non debet facile, si esset tamen ob debitum incursa, in quo Episcopo dispensare est integrum, absoluere etiam ab ea posset, si autem lata foret pro contumacia, vel vt per eã culpæ satisfiat à suspẽso admissę, nulla est ei necessaria absolutio, si esse cesset contumax & satisfaciat, quia vbi reus contumaciam ponit, vel parti satisfacit, voluntati quoque superioris satisfacit, ergo cessat ipso iure suspensio, patet ex *ca. Presbyter 13. causæ 2 q. 5.* vbi ex Cõcilio Illerdensi, hæc leguntur *suspẽdatur Presbyter vsque ad condignã satisfactionem, digna vero satisfactio est, quando siue secundum canones, siue ad arbitrium Episcopi, septem sibi collegas adiungit, & iurat in sacrosancto Euangelio coram posito, quod crimen sibi illatum non perpetrauit, & hac satisfactione purgatus, secure deinceps suum exequatur officium.*

Si tamen erat suspensus, in publico vrbis cœtu denunciatus, vitandi scandali gratia, de re vniuersa docebitur populus, eumque pro absoluto haberi oportere, ac reconciliato Ecclesiæ, quam clare poterit addiserte commonebitur, Vgolin. *loco citato num.* 5.

Quid si certum nullum tempus durationi suspensionis statutum esset, vt accideret, si sententia, verba hæc haberet, *suspendo te ad tempus*, non alia?

Eius durationem decennem tunc foredixit Felinus, quo fundamento fretus non video: hoc vnum pro certo habeo, durationis eius spatium, longius vita, aut iurisdictione suspendentis, esse non posse.

Quid si ad eius beneplacitum lata esset? quid si durationis eius non alii termini essent, quam quos sibi fore gratos ait?

Responsio eadem quæ quæstionis superioris, suspensioni finem eundem fore qui vitæ, nisi forte beneplacitum dignitatẽ respiceret, Vgolin. *n. 9.* tunc enim ad successorem prorogabitur, maxime si sit hæc suspensio ad beneplacitum sedis Apostolicæ, *ex cap. si gratiose de rescriptis in 6.* quæ enim ibi à Bonifac. VIII. de beneficiis ad Papæ *beneplacitum* concessis alicui, sunt scripta, ad institutũ traduci nostrum possunt, sic ergo ille, si gratiose tibi à Rom. Pontifice concedatur, vt beneficia quę tempore tuæ promotionis obtinebas, posses vsque ad suæ voluntatis beneplacitum retinere, huiusmodi gratia per obitum (per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur) eo ipso explicat. Secus autem, si vsque ad Apostolicæ sedis beneplacitum, gratia concedatur prædicta, tunc enim quia sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi à successore fuerit reuocata.

Quid si suspensio per definitiuam sententiam simpliciter sit lata, & in pœnam?

In perpetuum tũc lata intelligitur, nec sine absolutione tollitur, quemadmodum seruus simpliciter ad vincula damnatus, nõ ad annum aut mensem, sed in perpetuum damnatus creditur *lege seruus Cod. de pœnis.*

At enim quid est suspensionem ferri vt censuram? quid vt pœnam.

Fertur vt censura, quando fertur ob contumaciam, respectu Ecclesiæ, & medicinali-

ter, hoc est corrigendi rei causa, quod cum ipse fecit, estque censura Ecclesiæ factus melior, debetur ei absolutio vt habetur in *ca. sacro 48. de sent. exco.* non est suspẽsioni tamen censuræ nomen, nisi eam præcesserit monitio, eaque triplex. aut vna pro tribus *ca. cum medicinalis primo de sent. excom. in 6.*

Est hæc in pœnam, cum fertur ad tempus certũ vt *in c. præterea 2. de Clerico percussore*, aut in perpetuũ, aut quando fertur ab homine, & non præcessit admonitio, & in nullo ex his casibus, etsi emendatio ponatur, absolutio est debita, Hurtadus *de suspens. diffic. 11. num. 28.* sed ex re ipsa, impleto termino siue temporis, siue operis, ad quem vsque est lata, aut ante illum completum, cessat per Superioris dispensationem.

Quinta assertio, *Quando suspensio lata est non vt censura, sed in pœnam, siue ab homine siue à iure generaliter, tolli non potest, nisi ab eo qui in eo iure dispensare potest, aut à Papa quando lata est ab homine.*

Ratio est, quod in pœna legis, dispensare nequeat qui est eius auctore inferior, at suspensio absolutione non tollitur, sed dispensatione. nam non est culpa, sed eius pœna: ergo, &c.

Præter Episcopos suspensionem auferre Prælati Regulares possunt.

Et primo quidem dispensant cum subditis ordinatis ante ætatem, vel absque licentia: quemadmodum & in irregularitate contracta ex ministratione illius Ordinis, durante suspensione: Capucinus *in compend. verbo ordines sacri fol. 282* Portelius *in dubiis regularibus verbo Ordinis suspensio*, Viuald. *in candelab. titulo de Sacramento Ordinis tit. 15.*

Dissentit Sayrus *lib. 6. de censur. c. 12. n. 13. & seq.* de suspensione cuius incurrẽdæ causa, est ordinis ante ætatẽ legitimã susceptio, quod per Conc. *sess. 23. c. 12.* derogatum sit priuilegiis regularium. Est tamen nostra opinio plena verisimilitudinis. Nam Episcopum constat, per se aut Vicarium suum, dispensare posse cum ordinato, si ante legitimam ætatẽ celebrauerit, sitque delictum occultum, nec deductum ad forum contentiosum, Viuald. *in candelab. titulo 15. de Sacram. Ordinis titulo de temper. ordinationum*, Henriq. *lib. 14. ca. 20. num. 3.* Imo & cum est res publica, delictumque nemini non cognitum, in eo dispensare Episcopum posse, opinio est Viualdi *supra*, & Lud. Portelii *in dub. Regul. ver. Ordinis sacri suspensio*, dummodo tamen non sit hoc deductum ad forum contentiosum, sed quod Episcopis, iure communi est in subditorum suorum causa licitum, idem quoque Prælatis regularium, Pii quinti benignitate, ac priuilegio, Prioribus Dominicanorum

A concesso, est permissum, quo de priuilegio Portelius *in ver. Abbas num. 6. & verbo dispensare verbo Confessor erga fratres, & ver. Prelatus quoad absoluendos fratres*, quibus locis diserte asserit, Prælatis concessione Pontificum fas esse, subditos à quibuscunque peccatis & censuris reseruatis sedi Apost. absoluere. At est suspẽsio promoti ante ætatẽ legitimam, censura Ecclesiastica, ergo de earũ numero, quæ in Episcoporum sunt iure, quoad absolutionem, ac dispensationem tam ab illa quam irregularitate, ob celebrationem contracta, suspensione durante, quæ
B etiam est opinio Rodrig *tom. 1. q. 20. art 14.* Ludouici de Beia *parte casuum 4. casu 37.*

Ad argumentum Sayri respondendum est, reuocata quidem esse à Concilio priuilegia, concessa Regularibus, quibus ante ætatem præstitutam ibi à Concil. iisdem licebat sacris adiungi ministris per Ordinem, non autem, quæ Episcopis absoluendi, & dispensandi in censuris ac irregularitatibus, facultatem tribuunt.

C Secundo dispensant Prælati regulares cum suis, vt sine dimissoriis literis Episcopi, in cuius Diœcesi morantur, ordinari possint à non suo Episcopo, sed alieno, idque Alex. quarti priuilegio, (de quo *Rodrig. in Bullario fol. 54.*) & Pauli III. vt enim ille Patribus Franciscanis, ita & iste Religiosis Societatis IESV indulsit, vt à quocunque Episcopo non impedito per Ecclesiam, ac *habente* communicationem & *gratiam sedis Apostolicæ*, ordinari possint. Compend. Societat. *verbo Ordines parag. 1.*

Tertio, & hoc Religiosis permissum esse
D voluere Pontifices, vt extra tempora, ordinari possint testimonio Rodrig, *to. 3 q. 2. art. 5.* & Ioann. *à Cruce in Epitome lib. 2. ca 8. dub. 1.* vbi id à Clem. VIII. Patribus Congregationis S. Ioann in Lusitania, recenti Patrum nostrorum memoria, concessum tradit.

Quarto dispensant cum subditis promotis per saltum, si est hoc eorum delictum occultum, Portelius *in dubiis verbo ordinis sacri suspensio*, non autem si publicum, quia id per Trid. *sess. 23. c. 14.* Episcopo non est licitum.

Quinto, in Compendio Societatis IESV
E *parag. 6. verbo absolutio*, conceditur vt omnes illius Religiosi, per Generalem aut ab ipso deputatos, possint absolui ab omnibus peccatis, ante, vel post ingressum religionis cõmissis, *itemque ab omnibus sententiis, censuris & pœnis, à iure, vel ab homine*, Portelius supra, exceptis quatuor, hæresi scilicet, schismate, falsatione literarum Papæ, & delatione armorum ad infideles Vega *1. par. summæ cap. 49. versu casus reseruatus, casu. 1.* Portel. *verbo Abbas Prior num. 10.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO X.

Quibus verbis constare debeat absolutio à suspensione.

NOn aliis necessario, quam quę explicandæ absoluentis menti sint satis, communiora tamen sunt ista, *absoluo te à suspensione quam incurristi ob tale crimen, vel causam hanc, & illam, & restituo te executioni tuorum ordinum*, præmittendæ tamen ei sunt certæ ceremoniæ ex præcepto Ecclesiæ.

Prima est, exactio iuramenti à suspenso, de stando in posterum mandatis Ecclesiæ, vel absoluentis *cap. super eo 51. cap. venerabili 52. & cap. ex tenore 10. extra de sentent. excom.* quod maxime locum habet, cũ hic ea pœna est affectus, ob crimen insolens ac graue, Nauar. *Enchir. cap. 27. num. 161. parag. 6.*

Secunda, vt in virtute iuramenti præstiti, præcipiatur illi, ne in posterum in idem delictum incurrere, aut illud admittere audeat.

Tertia, vt parti læsæ satisfaciat, si crimen cuius causa suspensus fuit, damnum alicui intulit, *cap. porro 7. & cap. Parochianis 9. de sentent. excomm.* in quorum priori Alexand. III. sic loquitur: *Monere debes & inducere, vt his quos læserunt congrue satisfaciant, & Apostolico se conspectui præsentent.*

Quarta vt virtute prædicti iuramenti, imponatur ei moderata aliqua pœnitentia, vt discat amplius non peccare.

QVÆSTIO XI.

Quomodo interrumpatur suspensio

PRima assertio, *Suspensio interrumpi potest & suspendi, ante absolutionem, quoad effectum, authoritate Papæ, vel illius à quo lata est, vel ab eius successore aut superiore.*

Probatur, etsi ferendæ censuræ potestas, iuris sit diuini, est hæc tamen quoad determinatos modos, & effectus humani, potest ergo Ecclesia eius effectum suspendere, vt facit, quoties & quando eius liberalitate nobis est integrum, communicare cum excommunicato, aut hic ad cautelam absoluitur, nempe vt tam illi nobiscum, quam nobis cum illo congredi liceat, ergo à pari, sic per superiorem suspensionis effectus suspendi poterit, vt cum ea celebrari sine irregularitatis, aut alterius censuræ metu, suspenso sit permissum, ita Innoc. *in cap. cum inter de consuet.* Panormit. *in cap. dile-*

A *ctus num. 22. de appellat.* nam quod existens in peccato mortali celebrare nequeat iuris est diuini, quod autem id facere suspenso aut excommunicato non sit licitum, iuris est Ecclesiastici, in quo Papæ dispensare est liberum, ex *cap. alma mater 24 de sent. in 6.* vbi permittitur interdictis, quatuor anni festiuitatibus, interesse diuinis, *In festiuitatibus*, inquit canon, *natalis Domini Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis, pulsentur campanæ, & ianuis apertis alta voce diuina officia solemniter celebrentur.*

B Secundo potest suspensio in totum tolli à Papa, aut Prælato qui eius est author, ergo & ad tempus interrumpi, cum hæc vim non habeat, nisi à voluntate proferentis, & quidem quantam cupit, nec ampliorem, nec minorem, sed eius voluntati consentaneam, ac conformem.

Secunda assertio, *Potest item Episcopus effectum huius censuræ suspendere*, quia eam integre tollere potest, ergo & partem id est effectum eius aliquem, illa interim remanente in suo esse, tollitur autem cum interrumpi-
C tur, cum obligatione in suspenso reincidendi, hoc est relabendi in illam post certum tempus, Nauar. *ca. 27. num. 155.* Couar. *in ca. alma parte 2. parag. 2. num. 4.* Reginald. *lib. 32. c. 22. num. 42.*

Tertia assertio, *Appellatione item legitima impeditur suspensionis effectus, & quidem, si illa hanc præcessit, eam omnino impedit, ne sit valida*, quia vt habetur in iure, appellatio præcedens sic ligat, (vt aiunt) manus iudicis, vt progredi in causæ cognitione valide nequeat *cap. ad hæc 37. de appellat. & ca. cum con-*
D *tingat 36. de officio delegat.* cuius author Innoc. III. quo loco negat excommunicationi post interpositam appellationem ad sedem Apostolicam, aut censuræ alteri, vim inesse vllam. *Noueris*, inquit Lucius III. *in cap. ad hæc citato, quod sicut post appellationem excommunicari non possunt, sic interdictum non possunt, cui ante appellationem constat suppositos: declinare.*

Quod si suspensionem sequatur appellatio, tunc si illa à conditione futura pendeat, ante eam positam, impeditur ne effectum habeat, colligere id facile *ex can. ad hæc* 30.
E *& ca. dilectis 55. de appellat.* vbi negat Innoc. III. in Decani iure fuisse, post appellationem ad Metropolitanum interpositam, sententiam in reum dicere.

quid si suspensio sit absoluta, vt cum dicitur simpliciter, suspendo te V. C. à sacro, & eam sequitur appellatio?

Si suspensio, officii vsum interdicat, si ingressum in Ecclesiam, si res spiritales, nullo hæc modo per appellationem sequentem suspenditur Bonifac. VIII. *cap. is qui 20. de*

sent. in 6, & Gloss a ibid. *sicut excommunicatio sic ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per appellationem sequentem minime suspenduntur.* Bonifac. loco citato.

Quid si suspensio sit ab officio temporario? V.C. ab ingressu in possessionem?

Eiusmodi appellatio sequentis sententiæ effectum suspendit, habetur *lege neque tantum ff. de appellat.* etiam & per appellationem impeditur suspensio à beneficio.

Causa est, quod suspensio quæ pro obiecto habet beneficium, non aufert titulum, sed solum receptionem fructuum impedit, ergo cum fructus sint temporales, & ad beneficiarii vitam necessarii, appellatio quæ sententia suspẽsionis erit posterior, eandem impediet, ne vim suam exerceat in appellantem Innocent. *in ca. ad hæc de appellat.*

QVÆSTIO XII.

Quomodo violetur Suspensio.

PRimo exercendo actum per eam vetitum.

Secundo communicando cum suspenso. De his ergo duobus modis hic est agendum, videndumque an obiri hi sine peccato queant, pro responsione sit

Prima assertio, *Qui exercet actum à quo est suspensus, peccat ex genere suo mortaliter*, quia facit contra graue præceptum Ecclesiæ, Stephan. de Auila 3. *parte disp. 2. dub. 2. conclus. vnica.*

Excusant tria, primo indeliberatio, vt si operans non aduertat se suspensum esse.

Secundo leuitas materiæ, vt si hic actum minoris ordinis, sine solemnitate exerceat, in quo etsi contrarium habeamus Nauarrum *in cap. citato num.* 163. absolute tamen sententia nostra & tuta est, & probabilis, quia minorum ordinum actus est nullus, qui fieri à Laico non soleat, si tamen consuetudo esset alia, crederem peccaturũ mortaliter, qui ab his ordinibus suspensus, eos solemniter ac cum superpelliceo obiret in Ecclesia.

Tertio excusat à mortali exercentem actum, à quo est suspensus, charitas, quæ scilicet eum in alterius gratiam versari in eo ministerio imperat, quia vt ab excommunicatione, ita & à suspensione, quoad actus non exercendos per eam prohibitos, excusant.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Secunda assertio, *Communicare cum suspenso denuntiato in temporalibus, peccatum est veniale, in diuinis mortale.*

Quia à leuitate materiæ habet actio, vt sit venialis, à grauitate lethalis, sed congredi cum suspenso in politicis, leue quidpiam est, graue in sacris, qui tamen eo cōvtitur, in diuinis, nec est suspensus, nec irregularis, nec censura vlla alia implicitus, quia talis pœnæ non meminere vspiam canones.

Tertia assertio, *Actus ordinis in suspensione factus est validus, etsi sit culpabilis, & irregularitati coniunctus.*

Prob. validitas actionis sacræ, quam minister, id est initiatus sacris ordinibus obit, tã à potestate eius ac intentione, quàm necessariis ex parte materiæ formæque pendet, at adhibere hæc omnia in Sacramẽtorum vsu, Clericus suspensus potest, vt enim est Ordinis sacri character indelebilis, quęque ei sacrarum functionum potestas est adiuncta, à Christo Seruatore, vt capite ac fonte, non ab Ecclesia principaliter pendet, sic hæc non potest vim eius, & efficaciam tollere, ad quam, quid est causæ, quamobrem ad materiam & formam debitam afferre minister intentionem rectam, Christique voluntati, consentaneam nequeat? sunt ergo ordinis sacri actus, quos suspensus contra quàm ei est permissum, priuatim obit, aut publice, validi: sola Sacramentalis absolutio excipitur, quæ ita est actus ordinis, vt ab ea fieri postulet, qui iurisdictione polleat, ergo si ea per suspensionem Clericus priuetur, vt accidit, quando & quoties suo interdicitur officio, data per eum absolutio, rata non erit.

QVÆSTIO XIII.

De Suspensionibus à iure.

DE hac re, etsi scripsere varii varia, de earum tamen numero, certi mihi nihil videtur posse statui, nam si Pontificum Bullas omnes spectaueris, earum infinitus prope est futurus numerus, ius tamen canonicum non nisi certo definitas numero complectitur.

Barthol. Med. *lib. 1. instruct. Confess. cap. 1.* ponit tantum quinque, Sa *verbo suspensio*, huic numero addit alias quindecim, sic vt eius opinione non sint nisi viginti in iure, Nauar. *ca. vltimo agnoscit* 16. Toletus *lib. 1 ca.* 48. *recenset* 28. Tabiena 36. Angelus 37 Syluester *verbo suspensio quadraginta*, Glossa *in Clem. fin. de pœnis plusquam* 50. Raphael Rastellius *de censur. in particulari q. 9. art. 1.* paulo *plures* 60. quarum suspensionum quindecim, receptionem Ordinis impediunt, eius recepti exercitium sex, administrationem beneficii octo: præter quas, & alias 8. numerat

rat quas defectus varii pariant.

Contra Episcopos extant plurimæ, quarum duæ suam ab eorum promotione ad Episcopatum, ducunt originem, vndecim ab ordinibus male per eos collatis, duæ à beneficiis vitiose distributis, ab aliis defectibus tredecim, contra Religiosos totidem, præcipuæ sunt quæ sequuntur.

QVÆSTIO XIV.

Recensentur suspensiones quæ iure sunt contra Regulares latæ.

PRima est contra recipientes ordines sacros absque Prælati sui dimissoriis literis, hi enim decreto Concil. *sess. 6. ca. 5. 23. ca. 8.* sunt suspensi à suorum ordinum executione, quandiu eorum ordinario visum erit, & absolutio reseruatur arbitrio ipsorum Ordinarii, Trid. supra Thesaurus *Verb. Apostata parte 2. praxis & Verbo Ordo ca. 25.*

Secunda contra Prælatos alienantes bona suorum Conuentuum absque debita solemnitate, Rodrig. *tomo 1. q. 27. art.* 10. est hæc porro solemnitas in eo posita, quod eorum consensui, adiungatur etiam consensus maioris partis Conuentus, illorum sine istius, & vice versa huius, sine illorum, hoc est Prælatorum consensu, non sufficit, Portelius *in dubiis Verbo alienare num.* 1. quem ad consensum, accedere quoque debet euidens Ecclesiæ, aut Monasterii vtilitas, iure canonum rerum quæ ab iis possidentur alienatio est nulla, nisi eidem Ecclesiæ perspicuam vtilitatem adferat, Rodriguez *to. 1. q. 27 & in Clement. de rebus Ecclesiæ non alienandis ca. 1.* Item fundi Ecclesiastici locatio, quæ tribus annis sit diuturnior, nulla est in omni foro, secundum Comitol. *lib. 3 respons. q. 4. num. 4.* per Extrauagantem Pauli II. *ambitiosæ de rebus Ecclesiæ non alienand.* quæ ab aliis recentioribus Pontificibus Paulo IV. & Pio V. confirmata est.

Tertia est contra Prælatum, bona Ecclesiæ immobilia, eiusque iura Laicis subiicientem absque Papæ licentia, nunquam enim non fuit, quin Romani Pontifices hanc in regularibus odissent licentiam, domibus suis noxiam, fuit enim interdicta à Symmacho, Leone I. Leone IV. Gregor. I. & Gelasio quorum decretales sunt *in causa 12. q. 2.* his adiungendi Alexand. II. Cœlestin. III. Innoc. III. quorum sanctiones sub titulum sunt subiectæ *de rebus Ecclesiæ non alienand.* Clem. V. *in Clementina eodem tit.* Paulus II. *in Extrauag. ambitiosæ eodem tit.* Paulus IV. *in constitutione iniunctum nobis*, quorum omnium

A maxime vero *Clement. V. in Clem. citata*, decretum hoc fuit, vt ipso facto dicti Prælati suspensi essent ab officio, tam diuinorum quam temporalium administratione, hoc est prælaturæ, procurationis cellarii, &c.

Quarta est contra Religiosos, vsurpantes sibi decimas Parochiæ absq; priuilegio, estque hæc suspensio ab officio & beneficio, si requisiti per illos quorum interest, infra mensem non desistant, vel vsurpata aut retenta, infra menses duos non restituant: *de decimis ca. 3. Fœlicianus supra.*

B Quinta est contra Prælatos, qui intra Monasterium admittunt fœminas.

Sexto Religiosi qui in contemptum disciplinæ Ecclesiasticæ, sacris se ordinibus initiandos offerunt, ab ordinis sic suscepti executione sunt suspensi, si vero id ex ignorantia iuris, aut facti fecerint, à suo Prælato dispensari queunt, ita Pontifex *in cap. cum illorum 32. de sentent. excommunic. & can. si quis dist. 58.*

Septimo ipso facto regulares non professi, sine titulo ordinati, sunt suspensi decreto

C Pii V. in diplomate ea de re speciali, cui initium *Romanus Pontifex sacrorum Conciliorum auctor*, ibi enim decernitur eiusmodi homines, *executione ordinum omnino carere, nullasque prorsus & irritas promotiones existere, sicque promotas personas, in altari ministrare non posse, quinimo ministrantes priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & aliis gratiis Clericis concessis, omnino priuari.*

Octauo suspensionem à diuinis incurrit Religiosus, qui in statu Apostasiæ, sacros ordines suscipit, *ex cap. finali de Apostatis* & ni-

D si dispensetur à Papa, etiam reuersus ad Ordinem, ab eorundem exercitio ordinum cessare debet Sanch. *lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 24.* Suar. *to. 4. de relig. lib. 3. cap. 1. nu. 29.* Est item cum habitu dimisso minores suscipit, ab eorundem executione suspensus in perpetuum, *per cap. cum illorum de sentent. excomm.* Suar. *de censur. disp. 31. sect. 1. num. 57.* Bonac. *de Sacram. ordinis punc. 5. parag. 1. num.* 11. & super tali suspensione dispensat solus Papa, Thesaur. *par. 2. praxis Verbo Apostata*

E *cap. 1. num. 3.* si res tamen occulta foret, dispensaret Episcopus, vi priuilegii illi concessi in Trid. *sess. 24. cap. 6.* Emman. Sa *Verbo irregularitas ex ordine num. 9.*

Nono, recipiens ordinem in excommunicatione pro manuum iniectione, si est Clericus sæcularis est deponendus, si regularis ab executione ordinis est suspensus, nisi probabilis eum ignorantia excuset & factum non sit graue Innocent. III. *in cap. cum illorum 32. de sentent. excomm.* cum eo quia *Archiepiscopi & Episcopi absque mãdato specia-*

li sedis Apostolicæ dispensandi facultatem non habent, quibus etiam absolutio talium interdicta est, cũ maiora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora, Romani Pontificis auribus intimari debebit, *vt ab eo secundum rigorem, vel æquitatem responsum prodeat, prout discretio sua viderit faciendum, c. cum illorum citato.*

Decimo venationi aut aucupationi clamorosæ Monachi nigri cum intersunt, aut vacant, pœnas suspẽsionis à beneficio, & inhabilitatis ad aliquod de nouo acquirendum incurrunt, *Clementina ne in agro.*

QVÆSTIO XV.

Recensentur casus in quibus suspensio iure communi, & antiquo, incurritur ipso iure, aut facto à sæcularibus.

PRimo quorundam opinione fornicarii notorii, ac concubinarii, antiquo sunt iure suspensi Concil. Roman. sub Leone IX. cuius decretum renouatum est ab Alexandro II. *in can. præter 6. dist. 32. & in can. nullus 5. eiusdem dist.* ibi enim Nicol. prohibet, *ne quis Missam audiat Presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem, & can. præter ead. dist.* Alex. II. *ex parte Omnipotentis Dei & authoritate Beatorum Apostolorum Petri & Pauli præcipit, & omnino contradicit, vt qui concubinam palam duxit, omnino Missas non cantet, nec Euangelium, aut Epistolam, ad Missam legat, neque in Presbyterio ad diuina officia, cum his qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat*, ex his verbis diiudicata nostra manet opinio, in qua conspirant Glossa *in cap. postremum de cohabitat. Clericorum & mulierum*, & *in canon præter dist. 32.* Panormitan. *in cap. vestras de cohabitat. Cleric. cor. & mulier. in 6.* Innocent. *in cap. vestra de cohabitat. Clericorum. Notorij fornicatores*, inquit, *sunt ipso iure suspensi*, astipulantur Rosella *in verbo Clericus 3. num. 6.* Angelus *in verbo concubinarius num. 2.* S. Antonin. *in 3. par. tit. 27 cap. 3.*

Secundo suspendi debet Clericus, prouocans ad duellum, aut illud acceptans Alexand. III. testimonio in *cap. 1. de Clericis in duello pugnantibus*, cum enim siue duellum obtulerit, siue oblatum susceperit, deponendum esse ait, quæ verba cum ad Episcopum referuntur, sententiam ferendam indicant, non latam Nauar. *cap. 27 num. 156.* Henriq. *lib. 13 cap. 39.* Suar. *de censur. disput. 31. sect. 4. n. 23.* Suspenduntur itẽ iudices qui sine monitione præuia excommunicant *cap. sacro extra de sentent. excommunic*, estque hæc suspensio tam iuris quam facti.

Tertio qui excommunicat absque scripto, in quo sit causa censuræ latæ, aut qui exemplum huius scripturæ excommunicato intra mensem non tribuit, cum de eo requisitus fuerit, est suspensus ab ingressu in Ecclesiam per mensem, contemptaque talis suspensio, irregularitatem parit, quam solus Pontifex dispensatione tollit Innoc. IV. *in cap. 1. cum medicinalis de sent. excom.*

Præterea sic excommunicans, est à diuinis officiis suspensus, modo ne sit Episcopus, quia nisi peculiaris, expressaque eius fiat mentio, Innocent. IV. decreto *in c. a, quia periculosum 4. de sentent. excom. in 6.* sententiæ de suspensione, tam quæ est à iure, quam quæ ab homine non subest, Genuens. *in praxi ca. 24. num. 5.*

Ad incurrrendum tamen hanc pœnam requiritur temeritas, Suar. *de censuris disp. 37. sect. 1. num. 2.* non scientia, Thesaurus *2. parte prax. in verbo censura c. 2. declarat. 3.* ignorãtia crassa, seu culpa lata, sufficit Genuens. *c. 24. num. 1. praxis*, quia temeritas non dicit dolum, sed fatuitatem: Thesaur. loco cit. est enim defectus concilii, seu species imprudentiæ S. Thom. authore *in 2. 2. q. 35. art. 25.*

Quarto, ab officio & beneficiis ipso facto sunt suspensi Clerici, *Donec plene restituerint*, qui Episcopi mortui aut Prælati regularis *bona relicta diripiunt, dilapidant, dissipant, consumunt*, aut sede vacante successori debita, sibi attribuunt *de elect. in 6. ca. 40. quia sæpe contingit*, Episcopi autem, & eorum superiores ab ingressu Ecclesiæ, qui in dignitatibus, prioratibus sibi subiectis, bona occupare præsumunt inuenta, morientibus corũ rectoribus *ca. præsenti nono de officio ordinarij.*

Quinto, iudex Ecclesiasticus qui contra ius, & conscientiam, in iudicio quidquam facis per gratiam ac pecuniam, & ita parti alteri est grauis, iure est suspensus, ac facto, Innoc. IV. *de sent. & re iudicata in 6. ca. 1.* his verbis: *Si quis autem iudex Ecclesiasticus ordinarius, aut etiam delegatus, famæ suæ prodigus & proprii persecutor honoris, contra conscientiam & contra iustitiam in grauamen partis alterius, in iudicio quidquam fecerit per gratiam, vel per sordes, ab executione officii per annum, nouerit se suspensum: ad æstimationem litis parti quam læsit, nihilominus condemnandus*, qui autem procedere in crimine hęresis negligit, contra eum aduersus quẽ erat procedendum, suspensus est per triennium ab officio *de Hæreticis in Clement. ca. multorum 1. parag. 5.*

Sexto, toto triennio suspenduntur à beneficio habito & habẽdo qui Episcopum eligunt non legitimum, aut legitima ætate, scientia, & moribus non præditum, Alex. III.

III. in Concil. Lateran. *can.3.* & refertur *in cap. cum à cunctis 7. de elect. præsenti decreto statuimus, ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui trigesimum ætatis annum exegerit, & de legitimo matrimonio sit natus, qui etiam vita & moribus commendabilis demonstretur.* Deinde addit *Clerici si contra formam istam quenquam elegerint, & eligendi tunc potestate priuatos, & ab Ecclesiasticis beneficiis triennio nouerint se suspensos, Episcopus autem, si contra hæc fecerit, aut consenserit fieri, in conferendis prædictis officiis, & beneficiis, potestatem amittat, & per capitulum, aut Metropolitanum, si Capitulum concordare nequiuerit, ordinetur.* Idem ab Innoc. IV. decretum *in Concil. item Lateran. cap.25.*

Quod autem de Clerico eligente contra formã, ab Alexand. dicitur, intelligi debet, primo de sciente, secundo de eo, qui ad Episcopatum, & non ad alia inferiora eligit, Nauar. authore *ca. 27. num. 155.* Viualdo *de suspens. num.66.* Tabiensi *ver. suspensio parag. 6. casu 6.* Thesauro *praxis Eccles. par.2. cap.3. verbo electio notab. 2.* hæc tamen, id est beneficia, quæ Episcopatu sunt inferiora, contineri etiam in decreto Alexand. III. dixere Suar. *de censur. disp.31. sect. 3. num.10.* Bonac. *de censuris in particulari disp. 3. q.4. pun.1. nu.10.* sed prior opinio, vt communior, ita quoque est secunda, securior & mitior.

Tertio notandum, hanc suspensionem quæ verè est latæ sententiæ, iuxta Sanchez *in opusc. lib.3, ca. 1. dub.6. num.25.* de beneficiis tantùm intelligi, quæ in ea sunt Ecclesia, ad quam fuit electio, Thesaurus loco ante citato, Sanch. *in consil. 4. lib. 2. ca. 1. dub.6. n. 16.*

In communionem eiusdem pœnæ cum aliis adiungendi, primo excommunicatus excommunicatione maiore, secundo non seruantes interdictum, vt enim illi sunt ab omni actu legitimo suspensi *de sententia excomm. in 6.* ita illi sunt ab officio, beneficio & omni iurisdictione interdicti, *de excessibus prælatorum ca. tantum 18.*

Similiter qui probare, eiusque rei fidem, quam electo ad dignitatem, vel personatum obiecit, facere nequit, à beneficiis quæ possidet, triennio est suspensus *ad quæ si intra illud tẽpus, propria se temeritate ingesserit eis ipsis perpetuo est priuatus, nullam super hoc, de misericordia spẽ, aut fidem, aut fiduciam habiturus* Innoc. IV. *ca. 1. de electione & electi potest.*

Octauo, *qui scienter celebrant aut celebrari faciunt diuina in ciuitatibus, villis, castris, seu locis aliis interdictis ab ordinariis, siue delegatis iudicibus, vel à iure, aut excommunicatos publice aut interdictos, ad diuina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam, admittunt, ab ingressu Ecclesiæ sunt suspensi, donec de transgressione huiusmodi, ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserint, satisfecerint competenter*, Bonifac. ca. 8. *de priuilegiis in sexto.*

Nono, etiam ipso facto est suspẽsus qui ad præsentationem alicuius ordinatur, cũ pacto nihil petendi ab eo: Greg. IX. sanctio sic habet, *in ca. 45. de Simonia, Si quis ordinauerit seu ad ordinem præsentauerit aliquem, promissionem vel iuramentum ab eo recipiens, quod super prouisione sua non inquietet eundem, ordinator à collatione, præsentator vero ab executione ordinum, per triennium, & ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationẽ super hoc per sedẽ Apostolicam obtinere meruerint, nouerint se suspensos, &* *in ca. per tuas 37. eod. titulo,* fit mentio cuiusdam qui cum titulum certum non haberet, quendam Presbyterũ exorauit, vt ipsum ad Ecclesiæ suæ titulum præsentaret, cum pacto, quod ab eo nihil in posterum peteret: qui cum anceps esset, ac dubius, ecquid ad superiores ordines trãsitus ei liber esset, respondit Innoc. III. in ea decretal. *quod nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum, nec ad superiores ascendere, nec in suscepto deberet ordine ministrare,* quas pœnas à Trident. innouatas in *sess. 21. ca. 2. de reformat.* docent Henriq. *li. 13. ca. 37. num. 2.* Auila *2. par. disp. 2. dub. 5 concl. 1.* Thesaur. *praxis Eccles. parte 2. verbo Ordo ca. 11. parag. 4.*

Decimo, ab executione suorum est ordinum iure suspensus qui se his Simoniacè id est oblato pretio initiari est passus Paulus II. *in Extrauag. cum detestabile 2. de Simonia declaramus inquit quod omnes illi qui Simoniace ordinati fuerint, à suorum sunt ordinum executione suspensi,* hoc ipsum tradidere S. Antonin. *in 3. par. tit. 27. ca. 2.* Comitol. *lib. 6. q. 41.* & quoniam de ordine sermo incidit, placet hic earum suspensionum breuem indiculum addere, quas ex culpa circa ordines, aut eorum collationem, vel receptionem admissa, incurri iura volunt.

QVÆSTIO XVI.

Quæ suspensiones ex mala ordinum receptione sequi iure soleant.

PRimo est ex indebita ordinis receptione suspensus qui cum sibi conferri patitur, ab eo qui renunciauit Episcopatui, quoad locum ac dignitatem, *ca. vnico de eo qui Episcopatui renunciauit.*

Secundo qui eum recipit ante legitimam ætatem, & à Trident. præscriptam *in sess. 23. ca. 12.* & à Pio II. in Bulla de ea re speciali.

Tertio, suspensus est Clericus, qui ordi-

natus fuit ab alieno Episcopo, sine proprii licentia, *can si quis ausus dist. 71. Concil. Nican. can. 16.* Pius II. in Bulla de qua Rodriguez *in Bullario fol. 297.* & Gratian. *9. q. 2. can. 2.*

Quarto, qui extra tempora his est sine dispensatione initiatus *ca. sane de tempor. ordination.*

quinto, non seruatis interstitiis, Trident. *sess 23. ca. 2.*

Sexto, per saltum, *ca. Vnico de Clerico per saltum promoto.*

Septimo, ab Episcopo excommunicato declarato, vel notorio Clerici percussore, vel suspenso, vel interdicto declarato, vel notorie hæretico, *ca. 1. & 2. de Schismaticis, & can. ordinationes 9. q. 1. & ca. per tuas de Simonia 35.* Nauar. *in manu. ca. 27. num. 24.* Portelius *in dubiis regular. Verbo irregularitas numero 7.*

Octauo, Clerici sæculares si scienter promoueri se fecerint in excommunicatione positi, aut suspensione, indispensabiles sunt, & à susceptis ordinibus deponendi, si vero ex ignorãtia iuris vel facti id fecerint, à solo sunt Papa dispensabiles, *ca. cum illorum 32. de sent. excom.*

Dixi *scienter* nam ea pœna non teneri bona fide promotum docet Thesaurus *in 2. par. praxis Ver. Ordo ca. 4.* quemadmodum nec qui minores tantum ordines dari sibi cum ea censura est passus, Auila *7. par. disp. 2. sect. 1. dub. 5.* Nauar. *consil. 48. de sentent.*

Nono, qui ordines furtiue recipit, est ipso iure, factoque à susceptis suspensus, irregularis autem quoad suscipiẽdos *ca. 1. 2. & 3. de eo qui furtiue ordines suscipit* Laym. *de sacra ordinat. ca. num. 1.*

Decimo, suspenditur qui sine titulo, hoc est idoneo ad vitam, commeatu destitutus, sacris donari se sinit ordinibus Vrbani II. decreto *in can. Sanctorum distinct. 70.*

QVÆSTIO XVII.

Recensentur suspensiones à male ordinantibus incurri solita.

PRimo, ordinans ante legitimam ætatem est suspendendus, non suspensus à collatione ordinum *can. Vel non est compos de temporib. ordination.* Tolet. *lib. 1. ca. 61.*

Secundo conferens tonsuram ante septennium completum, est suspensus per annum ab eius collatione *ca. final. de temporib. ordinat.*

Tertio, publico pœnitenti ordines conferens est suspendendus, non suspensus, *dist. 55. can. nullus pœnitentem.* Auila *par. 3. disput. 5.*

A *dub. 8. parag. septimus.*

Quarto, conferens tonsuram illiterato, ipso facto est suspensus ab eius collatione per annum *ca. fin. de tempor. ordinat.* non afficit tamen hæc pœna, nisi eum qui penitus est illiteratus Tolet. *lib. 1 ca. 64. parag. 3.* idest qui neque legere nouit, nec scribere Sayrus *lib. 4. ca. 12. num. 8.* Henriq. *lib. 13 cap. 38. num. 2.* Thesaur. *Ver. Ordo ca. 9. nu. 2.*

qui autem Sacerdotem non sufficienter literatum ordinat, ordinationis iure excidit pro futuro tempore, *can. si quis Episcopi 1. q. 1.*

B quam suspensionem latæ sententiæ esse à collatione talis ordinis immerito dati, docent Maiolus *lib. 1. ca. 6 nu. 2.* Sayrus *lib. 4. nu. 17.* ferendæ autem tantum, Suar. *disp. 40. de censur. sect. 8. num. 5* Bonac. *de censur. partic. disp. 3. q. 2. pun. 3.* Glossa *in eum can. Verbo ordinationis.*

Quinto sacros ordines duos eodem die vni & eidem conferens, est ipso iure ab eorum ordinum collatione suspensus, *per ca. literas de temporib. ordinat.* & Maiol. *lib 3 c. 24. num. 13.* secundum alios suspendendus, ita Suarez *disp. 31. sect. 1. num. 40.*

C Sexto, conferens ordines subdito alieno sine illius Ordinarii dimissorialibus literis, aut licẽtia, incurrit suspensionem ipso facto per annum, à collatione ordinum, *ca. eos qui de tempor ordinat.* Suar. *de censur disp. 31. sect. 5, n. 3* & non tantum à male collato, vt est Archidiaconi opinio in eũ canonẽ, sed aliis etiã vt est in Conc. Trid. *sess. 23. c. 8. de refor.* his verbis: *Vnusquisque à proprio Episc. ordinetur, quod si quis ab alio promoueri petat, nullatenus id ei, etiã cuiusuis generalis, aut specialis rescripti, vel priuilegii prætextu, etiam statutis temporibus per-*

D *mittatur, nisi etiã probitas ac mores, ordinarii sui testimonio cõprobentur, si secus fiat ordinans à collatione ordinum per anum, & ordinatus à susceptorum ordinum executione, quandiu proprio ordinario videbitur: sit suspensus.*

Septimo, est Episcopus suspensus à Pontificalibus, qui rogatus ab Episcopo vt ordines in suo Episcopatu conferat, eos aliis præbet, quam qui sunt eius Episcopi subditi, à quibus est rogatus, *de ordinat. ab Episcop. qui Episcop. renunciauit ca. 1.* Trident. *sess. 6. cap. 5. de reformat.*

E Octauo, si quis ordinet coniugatum ad primam tonsuram, per annum est ipso iure suspensus à collatione ipsius tonsuræ *ca. nullus de temporib. ordinat. in 6.* ordinans bigamum aut maritum viduæ, aut corruptæ, aut repudiatæ, priuatur potestate ordinandi *can. ex pœnitentibus, dist. 50. & cap. 2. de bigamis non ordinand.* & per annum celebratione Missæ *can. nullus pœnitentem 2. dist. 55. qui sumptus est ex Concil. Arelat. 3. can. item 3.*

Similiter

Similiter qui irregularem ad ordines recipit, indignus est, qui eos postmodum conferat, Abb. *in ca. Veniens de filiis Presbyter*, nisi ea irregularitas sit in eius potestate, & sciens ordinauerit, nam tunc in ea dispensasse censetur Fœlic. supra.

Nono, qui ordinant neophytum, id est disciplinis Ecclesiasticis non imbutum, Zozimi Papæ decreto, carent potestate conferendi eius ordinis, *quem sine ordine, contra præcepta Patrum, crediderunt præsumendum dist. 5. can. qui Ecclesiasticis* 1. eadem pœna plectitur, qui indignum sublimare non metuit, *facilius enim est, vt hanc dignitatem tali dando ipse amittat ordinator, quam eam obtineat ordinatus. Cui conuicto sociabitur, qui sibi eum credidit, largiendo Pontificium, sociandum, qualis enim ipse sit, quisquis tales ordinauerit, ostendit,* Cœlest. ad Episcopos Galliæ *epist. 2. cap. 3.*

Decimo, *Qui in aliena Diœcesi ordinat alienos Clericos, vel consecrat altaria, anno à Missarum celebratione,* cessare debet Aurel. Concil. 3. *can. 7.*

Vndecimo, *Qui contra canones bigamum ordinauerit, Vnius anni spatio se sciat esse suspensum à Sacerdotio* Concil. Aurel. 4. *can. 10.*

QVÆSTIO XVIII.

An aliquæ ex suspensionibus memoratis, vsu sint contrario abrogatæ, an è contra receptæ omnes.

Dico primò, *Ex suspensionibus quas recensent authores & habentur, octo numero in Tridentin. Concil. nullas vt sic, obligare in Gallia.*

Primo, quia vt Antistitum authoritate innotuere Gallis nunquam, ita nec ab eis fuere receptæ, his ergo illos teneri non est probabile.

Secundo, non est earum authoritas, visque maior, quam decretorum eiusdem Concilii, quæ ad fidem, aut Sacramentorum administrationem non pertinent, at hæc in Gallia non obligant, vt ostensum est antea, Nauarri ac aliorum testimonio, ergo nec istæ.

Dico secundò, *Harum suspensionum quæ octo sunt numero, primã ad Episcopos pertinere, cuiusuis priuilegij prætextu, exercentes Pontificalia in aliena Diœcesi, sine licentia ordinarii loci, aut si cum illa, saltem in alios, quam qui ipsis subsunt, sess. 6. ca. 5.* quos eam ob rem vsu Pontificalium priuatos ad annum voluit, ordinatos autem ab illis, executione suorum ordinum Trident. *sess. 23. cap. 8.*

Notandum vero, nomine Pontificalium, intelligi actiones Episcopalis ordinis propriæ, vt sunt consecrationes vasorum Ecclesiarum, Virginum, & Chrismatis, Confirmatio, benedictio vestium, & corporaliũ, Sanchez *lib. 7. consilior. ca. 1. dub. 50.* Sayrus *lib. 4. ca. 16. num. 29.* Eodem pertinent actiones omnes Sacerdotales, quæ sine apparatu Pontificali, hoc est mitra, ac baculo exerceri nequeunt, Barbosa *allegat. 6. num. 5.* Tonsura item, opinione Thesauri *praxis Episc. par. 2. ca. 4.* Thomæ, Sanchez *lib 7. consil. ca. 1. dub. 50.* quibus non assentiuntur Henriq. & Bonac. à Thesauro citati loco qui supra.

Notandum secundo, Episcopum censuram hanc non incurrere, exercendo Pontificalia in sua Diœcesi erga personas alterius Diœcesis, citra collationem ordinum, Armilla *verbo Confirmatio num. 3.* Viuald. *de Sacramento Confirmat. num. 30.* Henriq. *lib 3. ca. 6. num. 6.*

Causa est, quod id iure nullo sit cautum, quare confirmare potest, ad se ex aliena confluentes Diœcesi, si non licite, saltem sine censura, ac suspensione, Henriq. *lib. 3. ca. 6. num. 6.*

Secunda habetur *sess. 7. ca. 10.* respicitque capitula literas dimissorias concedentia alicui, *qui occasione beneficii recepti, aut recipiendi arctatus non est,* aut Episcopo licentiam, ordinandi sede vacante intra annum à die vacationis, nam sic ordinati *si in minoribus sunt constituti, nullo priuilegio gaudent in criminalibus, in maioribus autem ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati, sunt ipso iure suspensi Trident. sessione 7. ca* 10.

Tertia, habetur *sess. 14. ca. 1.*

Quarta, *sess. 23 ca. 2.*

Quinta, *sess. 23. ca. 10.*

Sexta, *sess. 24. cap. 1.*

Septima, *sess. 25. cap. 13.*

Octaua, *eadem sess. ca. 14* quarum commemoratione supersedeo, quia maximam partem, Abbates spectant aut Episcopos, quæ quia non sunt promulgatæ, nec receptæ ab his, quorum interest in regno, non obligant.

Sunt & suspensiones pleræque aliæ contra Episcopos per totam *dist. 50.* quas non esse latæ, sed ferendæ sententiæ, dixit Glossa *in ca. 2. de foro compet.*

Ex eorum numero infantem quisquis ordinat, illiteratum, bigamum, solemniter pœnitentem, vel indignum, suspenditur per annum à collatione ordinum, in quibus peccauit *dist. 55. can. nullus can. si quis Episcopi 1. qu. 1. & cap. finali de temporibus ordinat. in 6.*

Aliorum tamen opinio ea que non improbabilis habet, suspensionem hanc contra ordinantem non esse latæ, sed ferendæ sententiæ, ita Auila *parte 3. disp. 5. dub. 8.* Bona-

cina *de suspensionib. particularib. q. 2. puncto 6.* Pœnitens autem, si solemniter & non publice tantum pœniteat semper est irregularis, proindeque & suspensus Couar. *in Clementin. si furiosus parte 1. num. 10. de homicid.* Bonac. *loco citato.*

Nec refert quod à Sixto Papa V. in bulla contra male promotos 91. quæ incipit *Sanctum*, dicta sit in eum qui bigamum ordinat suspensionis incurrendæ ipso facto sententia, nam hæc Sixti constitutio quoad hoc à Clemente abrogata fuit, & rescissa, vt notat Thesaurus *2. parte praxis Ecclesiast. verbo Ordo cap. 2. parag. aduerte.*

Sunt & aliæ contra Episcopos latæ suspensiones numero prope infinitæ, sed aut nunquã fuere hæ promulgatæ, aut si fuerũt, iudicis sententiam exigunt, vt ligent, effectumque habeant, magis vrgent, vt pote quæ ad plures pertinent, quę sequuntur, positæ à iure in Clericos, & primò.

QVÆRITVR.

An Pij II. Constitutio cui initium cum ex sacrarum *quæ pœna suspensionis eos, ipso iure factoque afficit, qui siue legitima ętate, vel facultate, vel extra tempus legitimum, sacros ordinas accipiunt, in vsu sit extra Italiam.*

EQuidem an hęc pœna ipso iure, & facto, Clericis sit inflicta, summarum disceptatores in controuersiam vocant.

Et in partẽ affirmantẽ Romani scriptores fere oẽs abeunt, ob hoc argumentũ, quod Xistus V. noua quadam sua constitutione contra male promotos, antiquam illam Pii II. & confirmarit & innouauerit, cuius exẽplum sequendum sibi cum censuisset, Clem. VIII. pœnas Clericorum in suscipiendis ordinibus peccantium, sic probauit, vt tamen inflictas à Xisto ad hunc modum sit moderatus *motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutione, prædictas literas ad terminos sacrorum canonum, ac constitutionis fœlicis memoriæ Pij II. sub data Rom. apud S. Petrum ad Kalendas Decemb. anno Domini 1461. cuius tenorẽ præsentibus pro expressis haberi volumus, & ad dispositionem decretorum sacri Tridentini Concil. restringimus, & reducimus, nec non censuras, & pœnas, in iisdem Xisti literis, contra quoscunque, præterquam contra simoniacè ordinantes, & ordinatos, inflictas, quas volumus in suo robore permanere, aliis etiam pœnis & censuris per constitutionem Pij II. Conciliumque Trid. iniunctis saluis, & firmis remanentibus moderamur & abolemus. Datum Romæ apud S. Petrum* A *anno Incarnationis Dominicæ 1595. pridie Kalendas Martij.*

Ad hæc Pontificum decreta addunt scriptores Itali Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, quæ sic promotos pro suspensis habet, vnde inferunt, sensum hoc tempore nostrum non oportere esse alium, ac proinde eos qui contra Pii II. legem committunt, ipso iure & facto esse suspensos quoad ordines male susceptos, non autem quoad alios, rite ante collatos, Suar. *de censuris disp. 31. sect. 1. num.* 31. Alterius *to, 2. disp. 10. ca. 1. dub. 2.* Thesaurus *parte 2. praxis Ecclesiast. verbo Ordo ca. 1.* B Diana *resol. 152. tract. 4. par. 2.* Bonac. *de susp. partic. q. 1. punct. 1. num. 8.*

Ne tamen ipsis assentiar, cum ratio, tum grauissimorum hominum facit authoritas.

Dico ergo, *Non videri suspensos ipso facto in Gallia, qui Sacerdotii ordinem in ætate non legitima suscipiunt, & si suspensi essent, tamen ab Episcopo absolui posse.*

Pars prima probatur primo, quia dicta Pii constitutio, contrario est abrogata vsu, id dixisse, ac sensisse, qui de hoc genere contro- C uersiæ summas sunt elucubrati in Italia, viri eruditione iuxta, ác virtute præstabiles, scribit Comitol. *lib. 6. respons. q. 37. num. 1. & q. 43.* item primo, proinde ordinatos, contra dictam sanctionem ipso iure suspensos non esse, sed suspendendos. Dixere idem Antonin *3. par. ca. 16. Maior in 4. dist. 24. q. 5.*

Secundo, facit ad eiusdem rei fidem, quod Pii sanctio, nusquam extet in corpore iuris scripti, quod solum tamen, aut maxime obligat in Gallia.

Tertio non sunt ordinati ante ætatem le- D gitimam, suspensi facto & iure, nisi quia id Clementi VIII. constituere placuit in suo diplomate, quo Xistinam constitutionem, quod nimium acris esset, est moderatus, nam ante illa tempora, scriptores omnes vno Nauarro excepto, crediderunt hoc Pii II. decretum, de quo in præsenti agimus, non fuisse vsu receptum, atque ideo ordinatos ante ætatem præscriptam per Concilia, non fuisse suspensos, sed suspendendos, ita Comitol. *lib. 6. respons. qu. 37. & qu. 42. eiusd. libri,* propterea quod (inquit) Piam sanctionem E vsu contrario abrogatam censebant. At Gallis Clementina hæc sanctio, nunquam innotuit, ab ea ergo nulla eos obligandi vis dimanat ac fluit.

Quarto legi non promulgatæ nec receptæ, non necessario parendum est sub crimine, sed in multis locis Piana constitutio non est recepta, vt testantur Fumus *verbo irregularitas*, Corduba *in summa casu 144.* nec in Gallia, promulgata vnquam fuit Nauarro teste *lib. 5. consil. 44. de sentent. excommun.*

iuxta

iuxta secundam editionem num.15 de temporibus ordinat. lib. 1. consil. 1. quare cum bullæ non publicatæ non obligent, Salas de legibus disp. 21. sect. 13. num. 23. Emm. Sa verbo lex num. 23. Suar. de legib. lib. 6. ca. 1. num. 3. Thesaurus in praxi Eccles. par. 2. verbo clausura regular. ca. 5. præsens de non recipiendo sacro ordine ante legitimam ætatem, suspensionem eam violanti non inferet.

Scio quidem in Tholosana Prouinciali Synodo, habita anno 1590. 3. parte parag. 7. admissam esse, sed Episcoporum vnius prouinciæ præiudicium, toti regno ius dicere posse quis existimet? Sane constat, etiam in iis locis, in quibus aliquando recepta fuit, eum suspensioni per eum latæ non subesse, qui bona fide ante ætatem lege necessariam, initiari se Presbyterio patitur Caualer. decisione 1. Rota parte 2. decis. 200. Nauar. ca. manual. 27. num. 155. Diana tract. 4. de Sacramentis resol. 182. Portelius in dubiis regularibus verbo Ordines sacri n. 13.

Primo, quia pœna suspensionis per Pium inflicta, præsumentes tantum afficit, at qui bona fide quid facit, aut ordines recipit, credendo se habere ætatem ad ordines idoneã, proprie præsumere dici nequit, præsumit enim qui sciens tentat, aut aliquid contra ius audet, sic Alex. III. in Conc. Later. loquens de Clericis vel Monachis, sed nec procuratores, inquit, villarum, aut iurisdictiones etiam sæculares sub aliquibus principibus viris, vt eorum iustitiarius fiat, Clericorum quisquam exercere præsumat, id est tentare audeat, quare ad incurrendam hanc censuram Doctores exigunt scientiam, seu ignorantiam affectatam vt Toletus lib. 1. ca. 61. Suarez disput. 31. sect. 1. num. 26.

Quid si (inquies) ordinatus ante ætatem in Gallia, discat cum tempore, eam quæ est ad ordines necessaria, sibi defuisse cum est factus Sacerdos, & cum ea notitia celebret?

Respondent aliqui irregularitatem incurrere, sed id Peirino nõ probatur, in priuilegiis Minimorum to. 1. constit. 1. Iulii II. nec Dianæ loco ante citato, quia ordinatus bona fide, non fit irregularis, quid ergo est causæ, cur talis sit, & audiat, celebrãdo cum conscientia violatæ legis Ecclesiasticæ, qua non tenebatur, eo quod non esset in ea prouincia vbi degit, promulgata, & recepta, prohibet quidem Concilium, ordines suscipi ante legitimam ætatem, sed vt notat Ledesma, in summa to. 1. de sacram. ca. 7. conclusione 1. nihil dixit de his qui celebrant postea cum fide, notitiaque violatæ dictæ legis, quos non peccare mortaliter sic faciendo, idem author asserit loco citato, & apud Dia-

A nam resol. 182. de Sacramentis.

Quid si ordinatus, ordines ante legitimam ætatem recipiat, quia in inquirendo an eam attigisset, diligentiam officio parem non attulit?

Respondent Villalobos tom. 1. tract. 11. diffic. 11. num. 6. Diana de Sacram. resol. 192. hoc censuræ genus, ac suspensionis, sine præsumptione non contrahi, proindeque omnem ignorantiam, etiam crassam, modo non sit affectata, à suspensione & irregularitate excusare, & quanquam non sit Episcopus, ad

B maiores ordines minorem annis quàm ius exigat, promouens, ipso facto ac iure suspensus, est tamen ab eorum collatione suspendendus, vt est in ca. vel non est compos de temporib. ordination. docetque Maiolus lib. 1. ca. 30. num. 9.

Maiores ordines dixi vt tonsuram excluderem, quam qui confert ante septenniũ completum, suspensionem incurrit per annum à collatione tonsuræ, per ca. finale de temporib. ordinat. in 6. estque hæc suspensio Papæ reseruata intra annum, Thesaur. verbo Ordo ca.

C 1. parag. 5. si tamen esset culpa Episcopi occulta, nec casus proinde vlli cognitus, posset hic à suo Confessario absolui vigore Trid. Concil. sess. 24. ca. 6. si hanc ei facultatem dãdam crederet: Et licet essent, quæ à nobis sunt dicta de non receptione Pianæ bullæ in Gallia, minus vero conformia, nihilominus pœnis ea contentis non subesset, ordines ante præscriptam ætatem per canones recipiens, nisi cum his conditionibus.

Prima est, vt hic eos mala fide dari sibi postulet, vereque recipiat Caualer. decis. 1.

D Thesaur. praxis Ecclesiast. par. 2. ver. Ordo 1. limitat. 3. imo multi, vt testatur hic auctor, præsumptionem, seu scientiam aut ignorantiam affectatam ad hanc pœnam incurrendam exigunt vt Tolet. lib. 1. ca. 61. Suar. disp. 31. sect. 1 num. 26. quia ea constitutio fertur ad temeritatem reprimendam, qualis nulla reperitur, cum scientia malitia rei in qua quis versatur, ignoratur, aut non affectatur & quæritur, contenti sunt alii ignorantia crassa vt Laym. de Sacramento ordin. ca. 16. parag. quartum, Bonacina parte 1. num. 3. est v-

E traque opinio probabilis ac tuta.

Secunda conditio necessaria subeundæ huic pœnæ est, vt Ordines qui suscipiuntur sint sacri, qui donatur minoribus, non est proprie suspẽsus, sed suspendendus, per cap. vel non est compos de tempor. ordinat. cui suffragantur Salzedo ad Diaz ca. 26. verbo ante ætatem Thesaurus ver. Ordo ca. 1. num. 3. quare ante sententiã suspensionis latam, celebrans in minoribus sic susceptis, hoc est ante ætatẽ legitimam, nõ fit irregularis, Auila disp.

5. *de suspens. dub.* 7. Filliuc. *tract.* 29. *num.* 175.

Pars altera est clara. Quæ enim suspensio Papæ non est reseruata, hæc in Episcoporum est iure, at præsentem sibi non reseruauit Pontifex Pius II. vt notarunt Bonac *de suspens particul.q.1.nu.11.* Thesaurus *prax. Episc. par.2. Verbo Ordo ca.1.* & quanquam eam Xistus eius nominis V. sibi postea reseruatam esse voluerit, hanc tamen reseruationem Clem. VIII. sustulit, pœnasque reliquas, ac illam intra terminos iuris restrinxit in Bulla sua 40. quæ incipit *Romanum Pontificem* de qua Quaranta *Verbo Ordo pa.387.*

QVÆSTIO XIX.

Sitne ipso facto suspensus qui ordinem sacrum ementito titulo patrimonii aut beneficii à suo Episcopo suffuratur.

SEnsus est an qui sine titulo seu beneficio Ecclesiastico, aut patrimonio ordinari se sinit ab Episcopo, sit suspensus tam iure quam facto.

Dico primò, *Peccare contra ius canonum, qui Episcopum decipit, falsum ei titulum tam patrimonij, quam beneficii obtrudendo, vt eius intuitu ac causa, sacro aliquo donetur ordine,* quia est id Clerico prohibitum ab Vrbano II. in Concil. Placentiæ habito, & à Chalced. *in can. 6.*

Dico secundò, *Qui ordinem sacrum est adeptus sine titulo, iure antiquo suspensum esse,* verba Concil. Chalcedon. aperte sensum hunc habent, *Neminē absolutè* (idest vt exponunt ibi Glossa *sine titulo* & Thesaur. *in praxi Eccl. Verbo Ordo ca. 11.*) *ordinari iubemus Presbyterum vel Diaconum, nisi manifeste in Ecclesia suæ ciuitatis, siue possessionis, aut in martyrio, aut in Monasterio, hic qui ordinatur, mereatur ordinationis publicæ vocabulum. Eos autem qui ordinantur, decreuit sancta Synodus vacuam habere manus impositionem, & nullum tale factum valere, ad iniuriam eius qui ordinauit.*

Sunt ab his non dissona, quæ petuntur ex Vrbani II. canone in Cōc. Placētiæ habito, qui canon habetur *dist.* 70. his verbis: *Nos Sanctorum canonū statutis consona decernimus, vt sine titulo facta ordinatio, irrita habeatur.* Ad eos canones addenda Xisti quinti constitutio, qua suspensos esse sæculares sancit, qui sine titulo sufficientis patrimonii, aut beneficii, initiantur ordinibus, in qua parte, non est illa à Clem. VIII. emendata, sed authoritatis nouæ accessione firmata.

Dico tertiò, *Suspensos hoc tempore ipso facto non esse, qui destituti sufficienti ac idoneo ad vitam commeatu, sacros sibi ordines procurant:* ita

A Piasecius *in praxi Episcop. lib. 1. par. 1. cā. 1. an 7.* his verbis: *Tenendum est non incurrere ipso facto suspensionem, ordinatum sine prouisione sufficienti.* Turrianus *de censur. lib. 5. disp 46. dub. 1.* Auila 3. *par. disp.* 5. *dub.* 5. *conclus.* 5. Hurtad. *de suspens. diff.* 13. *num.* 48. Ægid. *dub. 5. num. 38.* Villal. *tom. 1. diffic.* 10. *tract.* 18. nec desunt ad eius fidem argumenta, eaque non infirma.

Primū, quod quæ eam pœnā statuant, iura sint nulla, canonicæ leges nullæ, quod si aliquarum est copia, eas produci nobis ab ad-

B uersario petimus, quæ enim in canone neminem, & *can. Sanctorum dist.* 70. contineri videbantur, sunt hę ab Innoc. III. abrogatæ *in ca. cum secundum 16. de Prebendis,* his verbis: *Licet autem prædecessores nostri ordinationes eorum qui sine certo titulo promouentur in iniuriam ordinantium, irritas esse voluerint & inanes, nos tamen benignius agere cupientes, tandiu per ordinatores vel successores eorum prouideri volumus ordinatis, donec per eos Ecclesiastica beneficia consequantur.*

Verum enim etsi priorum canonum vim constitutione illa sua abrogarit Inno-

C cent. reuixere hi tamen (inquies) decreto Concilii *in sess. 21. ca. 2.* in quo *Antiquorum canonum pœnas innouando,* idem quod ab Vrbano olim II. sancitum fuerat: Patribus in hac materia statuere placuit, ita aduersę partis propugnatores apud Comitol. *lib. 6. q. 38.*

Respondendum primo de *mente Concil.* non constare certo ac *perspicuè,* secundum Piasec. loco citato proximè.

Secundo dicendum cum Diana *to. 1. miscellaneo. 2. resolut. 5.* non alias à Concil. renouatas esse pœnas, quam quæ ab Innoc.

D III. *in ca. cum secundum Apostolum extra de prebend.* decretæ sunt in Episcopum, qui contra quàm præcipiunt antiqui canones, Clericum rebus ad vitam necessariis, hoc est titulo sufficientis patrimonii, aut beneficii destitutum initiant, & ita censuisse Congregationem dirimendis Concilii controuersiis præpositam, est opinio Toleti *lib. 1. cap. 48. numero* 5. Coninch. *de Sacrament. disput. 16. dub. 5. num. 38. Garsiæ de benefic. to. 1. parte 2. ca. 5. num. 28.* Cenedo *collect. 33. num. 2.* Hen-

E riq. *in summa lib. 13. de excommunicat. ca. 37. nu. 2.* & in Glossa *litera G.* Paris. *de resignat. lib. 1. q. 6. num. 18.* Gonzal. *supra octauam Regulam Cancellariæ Glossa 5. parag. 10. num. 24* quę declaratio Toleti opinione *lib. 1. ca. 48. num. 20.* & Piasecii tenēda est, cum in pœnis sequenda sit pars benignior *can. odia regul. 15. can. in obscuris reg. 30. & can. in pœnis de Regulis iuris 6. regula 49.* vbi habetur *quod in pœnis benignior interpretatio sit facienda,* alibi vero quod pœnæ *legum interpretatione sint molliendæ non augendæ,*

augendæ, non est ergò ordinatus sine beneficio, pensione, aut patrimonio, suspensus ipso facto, Diana expresse supra Auila 3 *par. disp.* 5. *concl.* 2. Henriq. & Coninch. supra, nec vero suspendi debet, si his rebus destitutus ad ordines arrepsit, sciente & consentiente Episcopo, aut saltem non repugnante, Thesaurus 2. *par. prax. Verbo Ordo ca.* 11. & in hoc casu debet ipse, aut eo deficiente eius successor, taliter ordinato prouidere de necessariis ad victum, *ca. Episcopus & ca. cum secundum* 15. *de præbendis.*

Quid si hic non peccauit, sed examinatorestantum?

B Respondendum, cum distinctione, nam vel Ordinatus mala arte, doloque irrepsit ad ordines, asserendo verisimilibus argumentis, suppetere sibi necessaria ad vitam, vel bona fide, si primum ordinatus est suspensus, & Episcopus ad nihil obligatur. Decius *in ca. Episcopus num.* 14. Thesaurus supra: Enimuero non aliũ coerceri pœnis decet, quã qui est reus, at cuius culpæ cõscius potest esse tum Episcopus? falsis ei instrumentis ac literis est à Clerico impositum, culpari hic debet, non ille, cui Clerici fides suspecta, esse non debuit, ne ergo ex culpa sua, consequatur commodum ac laudem quod non decet, cum nemini fraus sua patrocinari debeat, *ca. sedes Apostolica de rescriptis*, de prouisione ei curanda Episcopus sollicitus esse non debet. Quod si econtrario, bona se fide Episcopo, aut eius nomine examinatoribus, sine vlla se prouisione obtulit, & tam hi quam ille, eum ad ordines admittendum crediderint, tùm enimuerò tenebitur Episcopus reparare quicquid illi peccauerint, nam de facto, eorumque culpa, quorum opera ministerioque, ad res suas vtitur, illum eiusque similes teneri dixit, Glossa *in ca. ad hæc offic. Archidiac.*

Patet ex dictis, aduersariorum confessione ac sensu ordinatum ex defectu tituli, non esse suspensum, nisi cum Episcopo imponit, fingitque sibi non deesse, cum tamen omni careat.

In contrariam partem transgressi sunt hi authores inter Canonistas non vltimi Nauar. *Enchir. ca.* 27. *num.* 58. & Medina *in summa ca.* 11. *parag.* 8. sunt hæc eorum præsidia.

Primũ, Decretalis Innoc. III. *per tuas literas* 37. & Gregor. IX. *si quis ordinauerit* 45. *de simonia*, in qua ab vsu amouentur ordinũ, qui sunt his initiati sub emendicato, & non veraci titulo, *si quis ordinauerit*, inquit Greg. IX. *seu ad ordinem præsentauerit aliquem, promissionem vel iuramentũ ab illo recipiẽs quod super prouisione tua, non inquietet eundem, ordinator à* A *collatione, præsentator ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine suscepto donec dispensationem super hoc obtinere meruerint, nouerint se suspensos.*

Secundum est, *in Extrau. Pii II. cum ex sacrorum*, vbi suspenduntur ipso facto, qui sine proprii Præsulis commendatitiis literis, ab alieno, hoc est Episcopo non suo, sacro impertiuntur ordine, at has ille literas negaret haud dubie, si patrimonium, quo sibi illi aditum patere voluit ad ordines, falsum esse sciret, ac fictum, ergo cum facultas, quæ vltra concedentis voluntatem datur, non se efferat extendatque, nec hic in ordinationem consentiat decipientis se Clerici, eius recipiendæ facultatem, illi suis literis indulgere, quis putet?

Responsio expedita & facilis.

Primis nempe illis canonibus, de patrimonio non agi, sed beneficio, iureque ad illud, quod tamen ex pacto beneficiati, & Clerici præuio, cum re temporali, aut eius remissione, mutabatur non sine Simonia, nam in *can. per tuas* 37. ordinandus petit ad C titulum Ecclesiæ alienæ præsentari Episcopo, cum pacto quod eius Ecclesiæ portionem nullam recipiet, at hoc est ius spirituale pro temporali relinquere, quod est Simoniacum.

Secundæ probationis solutio, nihilo est priore difficilior.

Primo enim dicendum videtur, ex bulla Pii II. argumentum peti firmum nullum posse, nam cum non sit recepta extra Italiam, ex ea obligatio manare in nos nulla potest.

Secundo, vt esset hæc Pii II. Extrauagans, D moribus recepta, nullum tamen nobis ex ea in præsenti præiudicium timendum foret, in eum enim animaduertit, qui ordines sine Reuerendis suscipit, quod non facit, qui patrimonium, aut beneficium simulatum ad Episcopum cum attulisset, ab eo dimissorias literas obtinuit, etsi per fraudem, non tamen sine eius licentia, quod si se hic deceptum super eius patrimonio queratur, aut titulo, sibi imputet cui incumbebat ex officio discutere, ecquid afferens, vera narraret nec, E ne.

Quid si pactum intercedat Clericum inter, & alium, quod patrimonium, super quo ordinari satagit, ei restituet illibatum, & integrum, nec ab eo victum petet?

Respondend. valere pactum & à promittente implendum in foro conscientiæ, nec ideo tamen ordinatum suspensum esse, Turrian. *lib. de censur.* 5. *disput.* 46. *dub.* 1. Fornarius *ca.* 8. *num.* 8. *de ordine.*

Ratio est, quod pœnæ constitutæ *in ca. per tuas de simonia*, non procedunt in casu, quo

quis patrimonium conſtituit promouendo, cum pacto fiduciario de eo retrocedendo, aut fructibus illius, quia tam canon ille quam penult. loquuntur de accommodato beneficii titulo Theſaur. *in par. 2. prax. verbo Ordo ca. 11.* Tolet. *lib. 1. ca. 35. num. 134.* Quaranta *verbo Ordo parag. verbo reſolutiue.*

Secus tamen ſentiendum in Nauarri & aduerſariorum opinione, quia ordinatus cum tali pacto peræque ſe habet, ac ſi ſine titulo aut patrimonio ad ordines promotus eſſet.

Quid ſi de facto reſtituatur ac vere?

Si patrimonium fictum erat, valebit retrodonatio in foro conſcientiæ. Stephan. de Auila 3. *diſp. 5. concluſ. 3.*

Primo, quæ noſtri non ſunt iuris, ſed alieni, hæc veris reſtituenda ſunt dominis, patrimonium quod fingitur dari, nec datur tamen, non eſt noſtrum ſed alterius, ergo, &c.

Secundo, quod re ſua priuetur, qui dare ſe illam futuro Clerico ad victum mentitur, ac fingit, pœna eſt, ergo imponenda à iudice per ſententiam, non ab initiando, aut initiato Clerico, reddere ergo ei eſt licitum, quod ab amico verbo tenus beneficium recipit, aut patrimonium.

Dixi *in foro conſcientiæ*, nam in externo, donans eo priuabitur, & retrodonatio ordinati reſcindi ab Epiſcopo poterit, aut alio, in pœnam fraudatæ ac deceptæ per eum Eccleſiæ, ſi vero patrimonium verum erat donatio tam ante quam poſt ſuſceptos ordines non valet, quia Trident. *ſeſſ. 21. ca. 2.* ad eius validitatem exigit conſenſum Epiſcopi, ſine quo ait patrimonium donari non poſſe, ergo cum hæc dictio *nullatenus* nullitatem ipſo iure inducat, iuxta Gloſſ. *Clement. 2. de ſequeſtratione*, quam ſequitur Nauar. ſupra Henriq. *lib. 13. de excomm. ca. 28.* Auila ſupra, donatio patrimonii, ſuper quo quis eſt ordinatus, ab eo facta, non valebit, niſi fiat pēſione ſibi ex eo reſeruata, quæ ad victum ſufficiat, aut dictum patrimonium reſtituatur, acquiſito beneficio,

---

QVÆSTIO XX.

An promoti per ſaltum, iure ſint ſuſpenſi.

AFfirmatiua multis placet quod in *ca. 1. 2. & 3. de eo qui furtiuè ſuſcipit ordines*, Alexand. III. Lingon. Epiſcopo & aliis prohibeat ne ſic promotos in ſacris ordinibus miniſtrare permittant.

Negatiua tamen eſt probabilis, tutaque in conſcientia, eiuſmodi nempe homines ſuſpenſos vere non eſſe, ſed ſuſpendendos, A proindeque nec irregulares fieri, ſi in ſuſpenſione celebrent, peccare tamen, quia in legem Eccleſiæ committunt, nec Pontificibus obediunt, dixere Tabiena *verbo irregularitas 4.* Henriq. *lib. 13. ca. 35. parag. vltimo*, habetque expreſſe *can. ſollicitudo primus diſt. 52.* vbi Alexand. II. Conſtantinop Epiſcopo ſcribit in hæc verba, *Nos charitati tuæ mandamus, vt ab officio Sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum ieiunio, Subdiaconatus miniſterium ſibi rite imponas.*

Quæ verba ſententiam haud dubie ferendam, non latam ſonant.

B Secundo, dixere quoque ſic ordinatos, impeditos eſſe, ne licite in receptis ordinibus per ſaltum miniſtrent, donec accipiant omiſſum, ita Canoniſtæ apud Tolet. *lib. 1. ca. 71. num. 7.* Angel. *verbo irregularitas 1. num. 36.* Armilla *eod. numero 68.* Tabiena *eod. 4. parag. 4. concluſ. 5.*

Tertio, indicant verba citata promoueri per ſaltum, idem eſſe, ac omiſſo inferiori ordine, ſuperiorem recipere.

Quarto, fieri id validè, non tamen licitè, nec proinde iterari oportere, eo quod ſuperior, C virtualiter inferiorem contineat, Nauar. *ca. 27. nu. 242.* Tolet. *lib. 1. ca. 71. num. 8.* Scio Canoniſtas ſecus ſētire ac dicere, apud Henric. *in ca. 1. de Cleric. per ſaltum promot.* cum ordines collatos ante tonſuram inanes eſſe, nulloſque tradunt, proindeque iterandos, ſed contraria ſententia, vt pote Doctorum communis, eſt tenenda, *Theſaurus praxis Eccleſ. parte 2. verbo Ordo ca. 13.* quemadmodum & Canoniſtarum de ſuſpenſione incurrenda, non incurſa, promotione Clerici per ſaltum.

D At enim (inquies) Trid. *ſeſſ. 23. c. 14.* Epiſcopis permittit vt ex legitima cauſa cū ita promotis diſpenſent, quod ſuperflue ſane fieret ac ſine cauſa; ſi illi ſuſpenſi non forent.

Reſpondendum, eam conceſſionem de his intelligendam videri, qui per ſententiam iudicis ab ſuorum ſunt vſu ordinum remoti.

Vt vt ſit, conſtat pœnam hanc non incurri à promoto per ſaltum in minoribus, quia expreſſe de Subdiaconatu loquitur *can. ſollicitudo cit.* de Diaconatu autem E *ca. 1. extra de Clerico per ſaltum promoto*, at quæ de vno dicuntur, non ſunt hæc ſine cauſa deflectenda alio, vt notauit Nauar. *lib. 3. conſil. conſil. de voto 4.* nec in odioſis pœnas extendi conuenit, ſed reſtringi. Idem *conſil. 3. de temp. ordin. num. 2. iuxta ſecundam editionem & conſil. 28. de ſent. iuxta primam.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXI.

An ordinum collatio sine reuerendis ordinarii, suspensionem iure factoque annexam habeat.

DIco primò, *Videri mihi probabile in Gallia locum suspensioni in eos latæ, qui ordinantur sine literis dimissoriis nullum esse, etsi cum his initiandos alieno Episcopo se tradunt peccent mortaliter.*

Partem primam commendauere scriptis suis Suar. *disp. 31. sect. 1 num. 4. Ioan. Andr. in ca. quod translatus de temporib. ordination.* Nauar. *cons. 27. nu. 5. eod. tit.* probatur.

Ordinati sine dimissoriis ipso facto non sunt suspensi nisi per Extrauag. Pii II. relatam à Rebuffo *parte 2. praxis beneficiariæ tit. de Clericis male promotis & per Trid. sess. 23. ca. 8.* at nec illa, nec istud, in Galliæ sunt recepta prouinciis, ergo nec hæc suspensio, Rebuffi sunt hęc verba: *promoti ab alieno Episcopo sine dimissoriis ad sacros ordines, suspensi sunt ab ordinum executione quoad se, non alios, quod, si interim in eisdem ordinibus susceptis ministrent, non incurrent irregularitatem de iure.* Ioan. Andreæ idem iudicium cum in *ca. quod translatus de temporibus ordinationum*, hanc pœnam suspensionis aliunde quam ex constitutione Pii II. non aduocet, cum ergo sit hæc in Gallia & Hispania sine vi & momẽto, vt scripsit Nauar. *lib. 1. consilior. consil. 1. de temporib. ordinationum*, non est illatura pœnam suspensionis ipso iure ac facto,

Opponunt aduersæ partis defensores ac patroni quod est in Concil. Nicæno *can. 17.* sancitum his verbis: *Si quis aliquem qui ad alterum pertinet, ordinare ausus fuerit in sua Ecclesia, cum non habeat consensum ipsius Episcopi à quo recessit Clericus, irrita erit eiusmodi ordinatio* hoc est vt 9. *q. 2. can. 1.* Gelasius Papa ait, nullas vires habitura, quod à Sardicensi quoque Concil. *can. 19. ab Antiocheno can. 21.* statutum video, quare cum ordinationem esse irritam, idem sit ac executionem eius impeditam esse, sequitur ordinatum sine literis dimissoriis, hoc est vt loquitur Concil. Antioch. supra, *sine consilio & voluntate regionis illius Episcopi*, vnde est oriundus Clericus, suspensum esse, quæ est etiam Concil Trident. sanctio *sess. 14. ca. 2. & 23. ca. 8. de reform.* vbi sic ordinatum ab exercitio ordinis suscepti, ad beneplacitum proprii Episcopi suspendit.

Respondendum primo, habere citatos canones ferendam sententiam non latam, nam primus verbo futuri temporis. *Erit* est conceptus, non præsentis.

A Secundo, dicendum, Concilii mentem in eo esse, non quod ordinatus, ordinibus eorumque vsu careat, sed quod celebrando peccet, antequam proprius Episcopus eam ordinationem ratam habuerit, nõ tamen quod sit suspensus, aut irregularis, ita Glossa *in ca. eos de temporib. ordination. verbo statuit*, Suar. *disp. 31. sect. 1. num. 14.* Armilla *verbo Ordo num. 16. & alij apud Thesaur. in praxi verbo Ordo ca. 16.* qui hanc sententiam tam de promoto ad sacros ordines, quam minores & primam tõsuram, ait esse probabilem,

B & proinde factam ei collationem de beneficio validam esse, in quo ei assentiuntur Nauar. *cap. 27. & consil. 29. num. 1. de temporib. ordinat.* Guido Papæ *decis. 449.*

Ad id quod additur renouasse Patres in Trident. Concilio ius antiquum, quo sine literis Episcopi dimissoriis, ordinati de facto suspensi erant.

Respondendum, minorem falsam esse, nam per illud sic promotus (vt ostendimus) suspensus non erat sed suspendendus Toleto teste *lib. 1. ca. 49.* & habetur expresse, *extra de tempor. ordin. ca. quod translationem 11.* & *de*

C *officio Archidiaconi ca. significasti 8.* vbi Pontifices à sacris ordinibus, eorumq; vsu remoueri imperant, ordinatum ab Episcopo alieno, sine proprii licentia, quam commendatitiæ id est dimissoriæ cõtineant: Innocentii III. *in ca. quod translationem 11.* sunt hæc verba. *Cum Clericus Græcus Episcopo Latino subiectus, à Græco Pontifice ordinatus, nisi de mandato, vel licentia sui Episcopi fiat, interdicenda est ei ordinis executio sic suscepti, tanquam ab alieno Pontifice, sine mandato vel licentia sui Episcopi*

D *ordinato, ca. autem significasti 8. de officio Archid.* hæc habet, *interdicas Archidiacono tuo, ne sine conscientia tua, & authoritate, literas suas promouendis concedat, & eis etiam præcipias, ne ad ordines audeant conuolare, quod si contra prohibitionem tuam venire præsumpserint, executionem eis ordinum susceptorum totaliter interdicas*, est ergo hæc pœna non latæ sed ferendæ sententiæ.

Contraria tamen opinio est in praxi tutior, ob decretum recentiorum Pontificum, à quibus ipso sunt facto suspensi saltẽ Vltramontani, ab Episcopo tam Citramontano,

E quam Italo, sine literis dimissoriis sacris initiati ordinibus, quam pœnam sibi quoque reseruatam volunt,

Dixi (*sacris*) nam non sacrorum susceptio, suspensionem adnexam non habet quia in Bulla Pii II. de anno 1465. sacrorum fit mentio, at vnius expressio alterius est tacita negatio *ca. nomine de præsumpt.* cum si de sacris quoque constitutionem suam intelligi voluisset Pontifex, eius rei monumentum

haud dubiè aliquod verbo vel scripto dedisset *ca. ad audientiam de decimis*, quod cum sibi agendum non crediderit, argumento est pœnam hanc ad minores non pertinere ordines.

QVÆSTIO XXII.

An qui concubinam domi suæ alit, iure sit suspensus.

IN hunc sensum ferme Doctores omnes coeunt, concubinarium publicum, seu notorium, qui est Sacerdos, vel etiam non Sacerdos, modo sit Clericus iure antiquo suspensum esse.

Præcipui sunt Archidiaconus *in ca. postremum de cohabitatione Clericorum & mulierum*, Turrecremata *in can. præter dist. 32.* Panorm. *in ca. Vestra de cohabitatione Clericorum & mulierum num. 6.* Innocent. *in ca. Vestra eodem tit.* & in calce commentarii vbi sic ait, *notorii fornicatores sunt suspensi ipso iure.*

Affirmant idem Diu. Antonin. *in 3. parte tit. 27. ca. 3* Sylu. *in Verbo concubinarius qu. 4.* Rosella *in Verbo Clericus 3. num. 2.* Angelus *in Verbo concubinatus num. 2.* Nauar. *ca. Enchirid. 25. num. 76. & 77.* Rebuff. *in concord. titulo de publicis concubinar.* Maiolus *lib. 5. ca. 37.* Boerius *decis. 558.* Comitol. *lib. 1. responsion. qu. 57. & lib. 16. qu. 42.* Tolet. *lib. 1. ca. 47. Verbo aduerte 2.* Fœlician. *de suspens. ca. 14.*

Mea tamen est opinio, concubinariū ipso facto, iure nouo suspensum non esse, sed suspendendum, author ita mihi sentiendi, Hurtado *de suspens. difficult. Vltima nu. 4.* Couar. *in Clement. si furiosus 1. parte parag. 1. num. 5.* vbi sic loquitur, *non auderem secundum eam iudicare quenquam irregularem, tametsi consulerem Vt dispensatio peteretur à Romano Pontifice,*

Stat à Couarr. Scotus *in 4. dist. 13. q. 2. art. 1.* non longe ab extremo, nam cū neget eum Presbyterum irregularem esse, qui tenet concubinam, & interim celebrat, dicere quoque debet, ei suspensionem timendam nullam esse, nam si ipso iure foret suspensus, celebrando irregularitatem contraheret. Cum vtroque sentiunt Laym. *lib. 1. tract. de irregul. ca. 4 num. 11.* Suar. *disp. 31. sect. 4. num. 1.* Bonac. *tract. de susp. q. 7. parte 4. num. 2.* Lambertinus *de iure patronat. p. 1. lib. 2. q. 1. art. 20.* Thesaurus *2. par praxis Verbo concubinatus primo.*

Firmamentum opinionis huius primum est, quod canonica lex sit nulla, quæ directè ea pœna concubinum publicum afficiat, & si aliquando fuit aliqua, modò tamē exoleuit, planeque in vsu esse desiit. Medina *in sum-*
A *ma lib. 1. ca. 11. parag. 8.* Suar. *disp. 31. sect. 4.* Thesaurus *supra*, *hodie*, inquit, *illa suspensio est desueta, & nullam censuram incurrit concubinarius publicus.*

Secundum quod Concil. *sess. 25. ca. 14. de reform.* concubinarios eiusmodi si Episcopis sunt inferiores, suspensione coercendos esse dicat *quoad Ordinarius, vti sedis Apostol. delegatus arbitrabitur*, quod ab eo dictum foret superflue, ac sine causa, si iure illi factoque suspensi essent.

Hanc nobiscum sententiam docent Tur-
B rian. *lib. 5. de censuris disp. 46. dub. 5.* Gutierez *in quæstionib. canonicis lib. 1. cap. 5. num. 43.* Auila *parte 3. disp. 5. dub. 2.* Et quanquam ob facti infamiam scortator Clericus, & fornicator notorius, pœnam mereantur, non sunt tamen præcisè, ob hanc facti infamiam irregulares, sed tantum ob notorium adulterium, vt ait Henriq. *ca. 36.* qui addit consuetudine interprete, ob notorium concubinatum non incurri suspensionem ante iudicis monitionem, quæ aperte à Trident. Synodo docetur *sess. 21. cap. 6. & sess. 25. cap. 14.*
C vtrobique *de reformatione*, sic enim illa in cap. *citato. Si à superioribus moniti, à concubinis non se abstinuerint, tertia parte fructuum, obuentionum ac prouentuum beneficiorum suorum ipso facto sint priuati, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur, sin vero in delicto eodē cū eadem, vel alia fœmina perseuerantes, secundæ monitioni non paruerint, à beneficiorum suorum administratione, quoad ordinarius arbitrabitur, suspendantur, & si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cū iis etiā versentur,*
D *tunc beneficiis, prouentibus, pensionibus, officiis quibuscunque priuentur, & inhabiles, &c.*

Vbi notandum primo, quod etsi ipso facto, fructuum parte tertia priuati dicantur, sitque proinde hæc pœna latæ sententiæ, non obligare tamen ante sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, ita Thesaurus *supra n. 4.* & apud eum Garcias *parte 11. ca. 10. num. 190.* Sanch. *tom. 1. in Decalog. lib. 2. cap. 5. num. 10.*

Notandum secundo, cum Lucii III. testimonio in decretali vestra quæ est *septima tituli de cohabitat. mulier: crimen notorium sit, de*
E *quo Presbyter canonice condemnatur, aut quando non diffitetur*, Clericus concubinarius erit notorius ex *ca. quæsitum de cohabitatione Clericorum & mulierum*, qui vel in iudicio de tali crimine conuictus, confessusue est, vel qui ita viuit, vt eius concubinatus nulla possit tergiuersatione cælari, nec proinde suspendendum, *nisi peccatum eius sit notorium per sententiam, seu confessionem factam in iure, aut per euidentiam rei, quæ tergiuersatione celari non possit*, Greg. IX. *ca. quæsitum cit.*

Addit

Addit Leo X. *in constitutione quæ incipit in eminenti de anno* 1516. eos quoque esse publicos concubinarios, qui mulierem de incontinentia suspectam, & diffamatam tenent, & per suum superiorem admoniti, eam reipsa non dimittunt, *Publici*, inquit, *Leo X. in concordat. titulo de publicis concubinariis, intelligẽdi sunt. non solum hi quorum concubinatus per sententiam, aut confessionem in iure factam, & per rei euidentiam, quæ nulla possit tergiuersatione celari notorius est, sed etiam qui mulierem de incontinentia suspectam, & diffamatam tenent, & per suum superiorem admoniti, ipsam cum effectu non dimittunt*, quid autem sit in hac materia Galliæ proprium, declarauit Leo X. ibidem.

Vult enim concubinarios post habitam constitutionis suæ notitiam, quam præsumendi sunt, post menses duos posse acquirere, à perceptione omnium fructuum suorum beneficiorum, trium mensium spatio, ipso facto suspensos esse, *Statuimus*, inquit, *quod quicunque Clericus cuiuscunque conditionis & præeminentiæ fuerit, qui post præsentium notitiam (quam habere præsumitur, per duos menses post earundem præsentium publicationem in Ecclesiis Cathedralibus) fuerit publicus concubinarius, à perceptione fructuum omnium beneficiorum suorum trium mensium spatio sit ipso facto suspensus concord. in rubrica de public. concubinariis parag. & insuper primo*, vult insuper vt qui concubini est superior, vbi primum talem eum esse certo nouerit, ei præcipiat, vt intra certum tempus concubinam dimittat, & si illam non dimiserit, vel dimissam, seu aliam publice resumpserit, ipsum omnibus suis beneficiis priuet, hominemque ad quoscunque honores dignitates, beneficia, & officia inhabilem renuntiet: sic tamen vt in eius sit potestate, cum illo in his post dimissam concubinam, vitæque manifestam emendationem dispensare, quod mutato consilio ad priora vitæ studia, libidine sua fœda redierit, tum enimuero vult eum spe omni sublata dispensationis obtinendæ in posterum, ad prædicta prorsus esse inhabilem, quæ omnia aliquanto post tempore, diplomate *cui initium cum primum Apostolatus*, innouauit Pius Papa quintus.

Confirmauit autem Concilium *sess. 25. ca.* 14. auxitque, nam concubinarios si beneficia non habuerint, carceris, suspensionis, inhabilitatis ad obtinenda beneficia, & aliis pœnis puniri voluit, nulla appellatione obstante, idque summarie, ac sine iudicii forma vlla, quod tamen, *non ad Archidiaconos. Decanos aut alios inferiores sed Episcopos pertinere voluit, vt sine strepitu & figura iudicii procedant.*

A

QVÆSTIO XXIII.

An ipso iure, factoque sit suspensus, qui ordines non seruatis interstitiis confert aut recipit.

Tempus inter vtrumque ordinem intercedere aliquod est necesse lege Ecclesiæ, & quidem inter tonsuram, & minores ordines, vnius diei spatium exigunt aliqui ne quis eadem die, Clericus sit simul &
B Laicus, quod non probant hi Theologi Sayrus *de censur. lib. 7. ca. 10. num. 20.* Auila 7. *parte disput. 9. sect. 1. dub.* 4. Thesaur. *in praxi parte 2. verbo Ordo ca. 16.* ob eam causam quod de eo non loquatur Concil. praxisque sit opposita Episcoporum omnium, quare qui eadem die, tonsuram, & minores dari sibi ordines patitur, censuram nullam contrahit: Sayrus *loco proxime citato n. 22.* Suar. *nu. 43. disput. 31. sect. 1.* incurreret autem, si cum minoribus, sacrum aliquem ordinem susciperet, Nauar. teste *ca. 25. num. 71.* auctore autem Cœlesti-
C no III. *in ca. 2. de eo qui furtiue ordinem suscepit*, vbi de eo consultus qui Subdiaconatum cum minoribus, vno eodemque die temerario ausu receperat, respõdet in hæc verba: *Quia ille Clericus in hoc multum excessit, mandamus quatenus eum in minoribus duntaxat ordinibus celebrare permittas*, est ergo à posteriori sibi collato ordine suspensus, qui non seruatis interstitiis, duos eodem die recipit, quorum alter tantum sit sacer, nam ordinati in susceptis ordinibus (duobus maioribus scilicet) *de iuris rigore ministrare non debent*, Cœlest. III.
D *in ca. innotuit nobis 3. de eo qui furtiue ordinem suscepit.*

Verum enim, quanta inter vtrumque ordinem fluere temporum spatia est necesse? Minores eodem die dari omnes possunt dispensatione Episcopi Sanch. *lib. 7. opuscul. ca. 1. dub.* 27. Thesaurus supra, aut sine ea, si ita habet consuetudo prouinciæ Cœlestin. III. *ca. 2. de eo qui furtiue ordinem*, ad sacros autem, non nisi post annum à susceptione postremi gradus, promoueri est licitum: Tridentinum
E *sess. 23. ca. 11. nisi Ecclesiæ vtilitas, aut necessitas aliud iudicio Episcopi exposcat.*

Dico iam ergo non receptam esse hanc legem, qua iubentur singuli, non nisi seruatis interstitiis temporum, ordinari.

Primo, quia ea sibi seruanda non credunt Episcoporum plerique in Gallia, vt res ipsa per se loquitur.

Secundo quod in eo tempore dispenset Episcopus, cum ante illud expletum ad ordines initiandos admittit Portel. *in dubiis regularib. verbo suspensio.*

quid? quod Sixti quinti diploma Pontificium, quo id Episcopis iuxta ac Clericis sub suspensionis pœna præcipit, nūquam plebi, nunquam Clericis, Episcopísque innotuit? multominus eorum auctoritate, ac istiusmodi decreti approbatione, vim ac pondus in eorum Diœcesibus habuit.

Quid? quod Gregorius alio diplomate hanc suspensionem sustulit? vt tradunt Suarez *de censur. disp. 31. sect. 1. num. 43* Reginald. *to. 2. lib. 22. tract. 2 num. 71.* Portelius *par 3. casu 40. num. 1.* quod Trident. cui de interstitiis præcipere placuit in sessione 23. *ca. 13. & 14.* eorum custodiam hac seueritate pœnæ non mandarit vt ea non seruanti subeunda esset in peccati pœnam suspensio? quare cum quæ scelera legibus non plectuntur, nec hæc à priuatis coerceri supplicio vllo oporteat, vt tradit Zerola *6. par. praxis Episcopalis verbo Ordo parag. 8.* facere mihi illi Antistites rectè videtur ac prudenter, cum isti pœnæ locum in Diœcesi sua nullum esse putant.

Obligant tamen hic & vbique suspensiones quæ sequuntur.

QVÆSTIO XXIV.

Quæ Suspensiones obligent.

PRimo suspēdi potest ad arbitrium Episcopi proprii, qui sine literis eius dimissorialibus ab alieno Episcopo ordinari se patitur, tā Trid. Conc. decreto *sess. 23 c. 8.* quàm *Aurelian. 5. canone 5. Nullus Clericum seu lectorem alienum, sine sui concessione Episcopi, vel promouere, vel sibi quibuslibet conditionibus audeat vindicare. Quod si quis fuerit hanc constitutionem transgressus, memoratæ personæ ab honore, vel officio suscepto iuxta arbitrium sui Episcopi suspendantur.*

Secundo valet suspensio, quæ Clericis Vltramontanis ordinem suscipientibus ab Episcopo Italo, inflicta legitur à Clemente IV. *in cap. sæpe contingit primo de temporib. ordination. in 6.* vbi est his verbis: *Statuimus vt nullus Episcoporum Italiæ, de cætero Vltramontanum Clericum ordinare præsumat, nisi à nobis licentiam specialem habeat, vel ab Episcopo de cuius Diœcesi traxit originem ordinandus, vel in cuius Diœcesi beneficiatus existit, eos vero quos contra præmissa contigerit ordinari, manere volumus absque spe dispensationis super hoc à sede Apostolica obtinendæ suspensos, ac ordinantes pœnitentia condigna puniri.*

Ab hac censura excusat primo ignorantia inuincibilis, ac vero etiam secundum quosdam, moraliter vincibilis, enmuero vt est *in ca. 2. tituli de constitut. in 6. ordinariorum*

A *sententiis per statuta prolatis non ligantur ignorantes,* at suspensionis inferendæ communis modus, ac ratio, est per sententiam, ergo cum indefinita propositio (vt aiunt) vniuersali æquiualeat, non de excommunicatione modo, sed suspensione & interdicto, intelligenda erit Bonifacii sanctio.

Confirmatur, non nisi contumaces censura afficit, Nauar. teste *ca. 27. num. 59.* at legis, at iuris inscius, qui factum aliquod suspensione plectitur, non est contumax, non superiori, eiusque iussis immorigerus, ca ergo non tenetur.

B Confirmatur, cum culpam sibi aliquam absoluendam, in eius odium reseruat Pontifex, vt fecit Sixtus quintus delictum male promoti ad ordines, qui legem ignorat inuincibiliter, qua tale facinus iuris sui esse vult, ab ea est pœna liber, quam à transgressore subiri illi placuit, etsi peccare se non nesciat, Portelius *in dubiis regularib. verbo ignorantia num. 21.* est enim talis reseruatio pœna, in delinquentis odium posita, at ignorantia pœnę, ab ea illos liberat, qui in

C legem committunt: ergo, &c.

Secundo à suspensione contrahenda ab Vltramontano, ob ordines ab Italo Episcopo receptos, excusat triennalis apud illum commoratio, ad modum domestici, nam tunc per Concil. illum promouere Episcopo est permissum *sess. 23. de reform. ca. 9.* modo ne sit titularis, nam isti talis est interdicta promotio *in sess. citata & 14. ca. 2. de reformatione.*

Tertio, excusat Gregor. X. constitutio *in ca. eos qui 2. de temporib. ordinat. in 6.* qua

D Clerico licitum esse voluit, ordinum causa adire quemlibet è vicinis Episcopis, quando proprius, id est suus, suspensus est ab eorum *collatione in pœnam male ordinati alicuius Clerici, Clericis quoque parochiæ taliter suspensorum, postquam eorum suspensio fuerit manifesta, absque ipsorum etiam licentia, interim recipiendi ordines, ab aliis Episcopis vicinis, aliàs tamen Canonicè, liberam concedimus facultatem.* Gregor. X. *in cit.*

Tertio inter suspensiones, & hæc quoque est adnumeranda, quæ ab ordinato incurri-

E tur ob pactum, quod ab ordinante necessarios ac vtiles traducendæ vitæ commeatus non exiget etsi horum inops sit, ac indigus, huius censurę author Gregor. IX. *in decretali si quis 45. de Simon.* idemque reseruator, hic enim ordinatum, ab ordine suscepto abstinere vult *donec dispensationem per sedem Apostolicam obtinere meruerit.*

Quarto valet suspensio, ligatque tam hic, quam alibi, incurrenda aut contracta ab eo, qui ad Sacramenta, aut sepulturam eum admittit

misit, qui erat nominatim excommunicatus, vel interdictus ab homine, & publice denuntiatus, talis enim suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfecerit ad excommunicantis, aut denuntiantis arbitrium, *qui contra præsumpserint, (præter alias pœnas iure statutas) ingressum Ecclesiæ sibi nouerint interdictum donec de transgressione huiusmodi ad arbitrium eius cuius sententiam contempserint, satisfecerint competenter*, Bonifac. VIII. *de priuileg. in 6. ca. Episcoporum 8.* locum tamen hæc suspensio non habet nisi contra exemptos si Nauarro est fides, *cap. 17. num. 157.*

Quinto est suspensus ab ordine, qui sacris initiatur cum pacto, non petendi à Patrono, aut beneficiario, ad cuius præsentationem fuit ordinatus, necessaria ad vitam, *cap. penult. de Simon.* estque huius suspensionis dispensatio reseruata summo Pontifici ibidem.

Ratio est, quod sit hæc pactio, Simoniæ coniuncta vitio, ordinatio enim ac præsentatio, quæ sunt opera naturam superantia, componuntur cum re temporaria, cessione scilicet victus, ac alimoniæ, qua contra ius, fasque omne, redimi illa opera placet, quod Simoniæ labe non caret.

Sexto, qui ordinem ab Episcopo recipit nominatim excommunicato, vel à collatione ordinum suspenso, publicéque denuntiato, aut qui Episcopatui, quo est aliquando functus, nuntium remisit, ab eius est suspensus vsu, *extra de ordinatis ab Episcopo qui renuntiauit Episcopatui ca. 1.* nam ibi Alex. III. vult eum qui à tali aliquo Episcopo, *ordines sacros recepit quia indignum se fecit executionem officii non habere*, quod est ab eo suspensum esse.

An autem ignorantes, ea quoque pœna afficiat, controuersantur authores, qui eos sibi non tuendos existimant, cum Cypriano contendunt, *omnia quæcunque faciunt excommunicati & hæretici, carnalia esse, inania, ac falsa, ita vt nihil eorum quæ illi gesserint, à nobis probari debeat 1. q. 1. can. 70.* consequenter nec ordines, quorum actionibus Dei gloriam haud dubiè, salutemque mortalium contineri non nescimus.

Deinde suspensionem hanc pœnam esse negant, proindeque culpam aliquam cum ratione ab his posse sẽper exigi, quos ligat.

Ex quo inferunt, ea lege ignorantes non magis quam sceleris expertes & vacuos comprehendi, quod Vrbanus Papa II. *ab excommunicatis, quondam tamen Catholicis ordinatos, si eorum religiosior vita, & doctrinæ prærogatiua visa fuerit promereri, in ipsis quos acceperunt ordinibus, permanere sinat*, nulla culpæ, aut affectatæ ignorantiæ, vel Ecclesiasticæ

A legis, per eos contemptæ, facta mentione, quod est indicio, censuisse Pontificem, non reos modo, sed & innocentes, ab alienis ab Ecclesia, resciſsisque hominibus ordinatos, hac teneri censura posse, proindeque & ignorantes.

Ne ad eorum tamen partes transeam, facit hæc vna ratio, quod nocentes, quod culpabiles, quod Dei aut Ecclesiæ iurium transgressores, pœna duntaxat feriat, non pios, non obsequentes, ergo cum suspensio sit pœna, ad eos non perueniet, sed ignorantia,
B eaque maxime quam probabilem nominant, non modo culpam, sed eius quoque suspicionem omnem, ab operante dimouet, non est ergo à suorum executione ordinum suspensus, qui eos sibi ab homine, quem nesciebat excommunicatum, aut suspensum esse, conferri est passus.

Ita nobiscum Turrianus *de censuris lib. 5. disp. 46. dub. 2.* Diana *par. 5. tract. 15. resol. 39.* Atenim (inquies) ordinatos quoque non scienter, suspensos esse Alexand. asserit, *ca. primo de ordinatis ab Episcopo, &c.* non est ergo ignorantia de earum genere rerum, quæ
C ab hac suspensione liberant.

Duplex est ignorantia, inuincibilis vna, crassa & vincibilis altera; excusat prior, non secunda, & de ea tantum Alexandro in sua decretali est sermo.

Porro in hac suspensione à sciente contracta, dispensat solus Papa, *vbi autem non scienter, nisi crassa & supina fuerit negligentia, discretus Pontifex dispensare poterit*, Alexand. III. *ca. 1. de ordinatis ab Episcopo qui renuntiauit Episc.* & *ca. 2. eiusdem tit.* Gregor. IX. *cum Clericis qui ab excommunicato Episcopo ignoran-*
D *ter*, inquit, *ordines receperunt, per suos poterit Episcopos dispensari.*

Septimo, ipso sunt iure, & facto suspensi, qui in consequendo sacro ordine Simoniam admisere, qua de suspensione, Summistæ pleraque satis implicate colligunt, ex toto tit. de Simonia, quàm benè nihil ad præsens negotium, legendi Viuald. *de suspensione & num. 26. ad 43.* Fœlicianus *ca. 14.* Henriqu. *lib. 13. ca. 37.* Sylu. *verbo suspensio num. 7.* Couar. *in ca. si furiosus 1. parte parag. 1. n. 7.* & alii.

E Dico ergo breuiter ex Bulla Pii V. quæ incipit *cum primum Apostolatus*, in qua constitutiones præcedentium omnium Pontificum, contra Simoniam renouat, præsertim autem Pauli II. *quæ habetur extra cum detestabile de Simonia.* Dico inquã 1. *Qui Simoniam in cõsequendis ordinibus commisisse est conuictus, eo ipso ab illorum executione, per decennium sine spe dispensationis suspensum esse, & per annũ carceribus mancipandũ*, ita Põtifex quæ vt patet de foro exteriori, magna ex parte debẽt intelli-

gi, at Paulus II. decernit vt simoniace ordinati, tā manifesti, quam occulti, à suorū sint Ordinū executione suspensi, nec hoc modò sed vt explicat Henriq. *in loco cit. num. 3. in fine*, Sylu. *verbo suspensio num. 7. versu primo & tertio*, Viuald. *nu. 36.* etiam ab ordinibus priùs rite susceptis, & à superioribus accipiendis eos vult impediri, deinde vt eiusmodi culpæ absolutio summo sit Pontifici reseruata, sicut excommunicationis, quæ ipso facto incurritur, & irregularitatis dispensatio, si suspensio, & excommunicatio violatæ fuerint, per celebrationem sacrosancti sacrificii, patet id totum, ex eadem Extrau. Pauli II. cui Diu. Antoninus *in tert. part. tit. 27. ca. 2.* Comitol. *l. 6. q. 41.* assensi leguntur.

Quid si ordinatus ab eo qui contulit ordinem, aut amico seu consanguineo suo admissam esse Simoniam ignoret? Cum eo dispensare ordinator non poterit, sed eius successor, vel ordinarius, qui Diœcesi præerit, in qua sic ordinatus habebit beneficium, ac domicilium, quod si scelus Simoniæ erit admissum ab ordinato, ordinante inscio, poterit hic ei concedere, vt ministret, non in eo ordine, quem per labem Simoniæ recepit, sed alio rite suscepto ad superiores tamen nūquam ascendet. Comitol. *lib. 6. q. 41. responsion.* Sylu. & Henriq. *loco cit.* & mediatores incurrent excommunicationem Papæ reseruatam *Paulus II. ibid.* huc pertinet illa Simonia quam castigat *Gregor. IX. ca. penultimo de Simonia*, scilicet vt qui cum pacto, de non petendis ab ordinante alimentis, est ordinatus, sit suspensus ab ordine sic suscepto, donec cum eo à sede Apostolica dispensetur, est enim huiusmodi pactum, vt dictum est antea simoniacum docentque Henriq. *ca. 37.* initio & Sylu. *verbo simon. n. 8. versu 5.* & ratio est quia remittitur temporale, pro spirituali consequendo, nēpe annua pensio, aut ius exigendi ab Episcopo alimenti, quod sine dubio est temporale, pro re spiritali, ordine scilicet sacro.

Dico 2. *Quicūq; ordines simoniacè cōfert de iure cōmuni antiquo, à collatione ordinū omniū est ad trienniū suspēsus, vt ca. penult. de Simon.* vel alii loquuntur in perpetuum Thesaurus *verbo Simonia ca. 5.* & vbi *Bulla Sixti V. 91. sanctum & salutare*, est in vsu, est etiam ab executione munerum Pontificalium suspensus, & ab ingressu Ecclesiæ interdictus quod interdictum Papæ est reseruatum *Sixtus V. in Bulla 9. contra male promotos.*

Dico tertiò, *Quemlibet etiam occultum beneficij, vel officij, aut dignitatis collatorem simoniacum, & mediatorem, præter excommunicationem Papalem, ab executione ordinum suspensum esse, 1. q. 1. can. 109. omnesque eius prouisiones,*

A *confirmationes, ipso quoque iure esse nullas*: Ita Mart. V. *in Extrauag. quæ incipit, sacro*, & alia quæ incipit, *damnabilis*, quas refert Syluest. *verb simon. n. 19. versu 3. est*, quibus consentanea prorsus est Pauli II. Bulla in qua, hanc pœnam, communicari vult cū omnibus qui dando, vel accipiendo quomodolibet simoniam commiserint, sed illud *quomodolibet* ad solos simoniacos in ordine vel beneficio restringendū esse dicunt Sylu. loco cit. & Nau. *c. 23. num. 111. versu septimo*, quod nullum Henriq. *lib. 13. ca. 37. num. 3. litera T.* clarissime B Vrbanus Papa *in Concil. Placent. can. 3. & 4. Qui scienter à simoniacis se consecrari (imo execrari permiserint) eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus*, hoc idem statuerunt Alexand. II. & Nicola. vt refertur *1. q. 1. ca. de cætero 109. & can. 119. eiusd. q. & ca. s.*

Est ergo suspensus ipso iure qui scienter ordinatur à simoniaco, non autē bona fide, aut ignoranter *1. q. 1. can. 108.* similiter & qui in obtinendo Ecclesiastico beneficio simoniacam fraudem admisit, nam quod in C Papæ censuram eamque reseruatam incidat, res est Doctorum fere omnium confessione ac Pauli II *in Extrau. cum detestabile* testimonio certissima.

Ferè dixi, nam nam eū licet simoniacū in beneficio suspensum esse negat, Nau. *in manuali ca. 23. n. 111. dicto 3.* verum potior nobis esse debet summorum Doctorum opinio Diu. Thom. *in 2. 2. q. 111. art. 6. ad 1.* his verbis: *Si verò sit Simoniacus, quia obtinet ordinem simoniacè, vel quia dedit, vel recepit beneficium simoniace, vel fuit mediator simoniæ, si est pu-* D *blicum est ipso iure suspensus, & quoad se, & quoad alios, sed quando est occultum, est suspensus ipso iure, quoad se tantum, & non quoad alios.* In huius viri sententiam pedibus concesserunt hi omnes, Paludan. *in 4. dist. 25. q. 5. art. 1. conclus. 2.* Turrecremata *in canone statuimus 1. q. 1. num. 4.* Antonin. *in 2. part. tit. 1. ca. 5. parag. vlt. art. 6.* Sotus *lib. 9. de iustit. qu. 8. art. 2.* Maior *in 4. dist. 25. q 7.* Angel. *in verbo simonia 6. num. 6.* Rosella *eodem 6. num. 1. ad quartum*, Panormit. *in cap. tanta, & cap. per tuas de simon. & quidem si beneficium est simplex, aut occultum est crimen, aut notum, si fuerit* (inquit E Comitol. *lib. 6 q. 41. occultum, beneficiarius suspensus est*, quoad se, quoad alios autem suspendendus & Episcopus dispensare potest, sicut & in minoribus ordinibus in quibus facta est simonia, *Fœlician. ca. 14 de suspens. Adde tu*, inquit Comitol. supra, *si probatum erit, & si abdicat se Sacerdotio, per flagitium simoniæ adepto, agatque pœnitentiam, post hanc peractam, vti suo ordine, aliisque beneficiis legitime impetratis poterit, quod si crimen manifestum sit, tam quoad se quam quoad alios suspensus erit.*

Hæc ille quæ confirmantur hoc argumento. Est suspensio à beneficio, censura; quæ à fructuum eius perceptione beneficiarium remouet, simonia impedimentum hoc inuehit, paritque, nam in *Extrauag. cum detestabile*, decernit Paulus, *vt electiones, collationes, præsentationes & aliæ prouisiones beneficiorum, per simoniam realem factæ, nullum ius tribuant, & vt prouisi fructus suos non faciant, sed sub periculo animæ suæ, ad horum restitutionem teneantur*, est ergo simoniacus in beneficio, ab eo suspensus iure & facto, esse quoque suspensum ab actibus omnium ordinum scripsit *Fœlician. de suspens. ca. 14.*

Cum eo dispensabit solus Papa, si simonia erit publica, vel deducta ad forum contentiosum, & consentiente beneficiario concepta, Lessius *lib. 2. ca. 35. dub. 25. num. 140. Fœlician. supra*, si occulta, cum eius conscio dispensare posse Episcopum, dixere Syluest. & Comitol. loco citato, dummodo ad eum sceleris contagio non pertineat.

Causæ sic sentiendi duæ.

Prima, quod nusquam eam censuram Papa sibi reseruatam voluerit, saltem quod constet.

Secunda, quod etsi olim iuris illam sui fecisset, cessat tamen hæc eius reseruatio, concessione Concilii *sess. 24. ca. 6.* sub nomine suspensionis, irregularitatis, vel casus occulti, ita Less. supra, Henriq. *lib. 13. ca. 56 de excomm.* dispensare ergo cum simoniaco occulto, vt beneficium retineat circa quod simonia est commissa, Episcopo licitum, quæ tamen ab iis dicta, de simplici beneficio tantum intelligi debere, probat Sylu. *verbo suspensio num. 7.* eo quod *in ca. nobis fuit 27. de simonia, & ca. penult. de elect.* habeatur indulgere Episcopum non posse simoniaco in beneficio, vt ei prælatura concedatur, quo ignorante, fraus fuerat admissa simoniæ, in eius collatione, sed tantum simplex beneficium, est ergo vera Sylu. & Doctorum aliorum animaduersio. Habet his consentanea *Fœlician. in ca. 14. de susp. Si simonia*, inquit, *est commissa ignorante beneficiario, nec vllus dolus Simoniæ est in Episcopo, dispensare cum ipso potest in beneficio talis Episcopus, postquam candide ei beneficium fuerit renunciatum, atque etiam vt ministrare possit in ordinibus ante post beneficium susceptis.*

Quod si simonia committatur circa exequias, sepulturam, officia, consecrationem cœmeterii, aut vasorum, venditionē Chrismatis, in his post factam pœnitētiam secundum *Fœlicianum de suspensione ca. 14.* Episcopus dispensare potest, & si huiusmodi Simonia est occulta, eius opinione non fit irregularis qui suspensioni prædictæ contrauenit,

A sed tantum cum est manifesta.

Similiter dispensat Episcopus cum ordinato simoniacè, quando eo ignorante, à consanguineo, eius causa commissa est simonia, dummodo ipse admissæ tum culpæ conscius non fuerit, nam si ipse in ordine conferēdo peccauit, in gratiam ordinati nihil poterit, eius successor cum eo duntaxat dispensabit, aut alius Episcopus, in cuius Diœcesi ordinatus domicilium suum constituet. Et quoniam pœnæ non sunt extendendæ, etsi qui simoniace ordinem suscipit, ab

B eo fit suspensus, non tamen est, quoad ea quæ sunt iurisdictionis, quare si antea poterat excommunicare, vel absoluere, & alia id genus facere, poterit & suspensus ab ordine.

Insuper peccare, ac suspensionis laqueo implicitum esse existimo, qui contra legem Concilii prohibentis, ne quis sine proprii Parochi facultate, sponsos matrimonio coniungere, aut benedicere audeat, vtrumque tamen facere non veretur, quod ipsum, mecum vt credant, quibus res ipsa est ambigua minusque certa, eo quod non sint decreta

C Concilii recepta in Gallia, facit hæc vnica ratio.

Est Concilii sanctio de matrimonio clam non contrahendo, rata, plenaque roboris, ac firmamenti in Francia, ergo & constitutio, quæ in eos Presbyteros animaduertit, qui diuino timore postposito, in animarum suarum periculum, sine proprii Parochi licentia, sponsis, eorumque pollicitis de coniugio mutuis, intersunt, vt enim lege quæ finem præcipit, eadem quoque indirecte iu-

D bentur media, sic illa admissa, & eam quæ est de mediis, non improbari ac reiici, sed admitti ac volentibus recipi animis est necesse, alioqui prior illa de fine, inanis esset, sine vi ac robore, cum pauci eam sibi seruandam ducerent, violarent spe impunitatis plurimi, quare mihi verba Concil. de matrimonio cogitanti, probabile est, Presbyterum qui contra eius legem, Ecclesiæque consuetudinem, benedictionem sponsis impertitur, & ita se contrahendi matrimonii testem, ac benedicendi ministrum exhi-

E bet, in censuram suspensionis incidere, nam in constitutione illa cauetur, his verbis: *Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos, siue regularis, siue secularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos, sine illorum Parochi licentia, matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure, tandiu suspensus maneat, quandiu ab ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu à quo benedictio accipienda erat, absoluatur*, Trident. *sess. 14. ca. 1.*

Dices constitutionem Concil. eos duntaxat notare, qui id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere cōtendunt, quod minime videtur in omnes Sacerdotes cadere, rudes maxime, nec satis scientes legum Ecclesiæ.

Respondendum primo, crassam & supinam eius iuris ignorantiam, quod cerdonibus, & rusticis, in hac luce temporum, non est incognitum, Sacerdoti ad culpā, eiusque pœnam euitandam, prodesse non posse, æquatur enim dolo à Doctoribus, idcirco mihi oppido est verisimile, tueri se decreti nescientia, ignorantiaque, Sacerdotem nullum nec debere, nec posse,

Responderi secundo potest, Sacerdotem cum alterius Parœciæ sponsos, sine illorum Parochi facultate, matrimonio coniungere, aut benedicere audet, si non verbo ac lingua, re tamen ac opere contendere tacite, id sibi licere, itaque cum taciti, & expressi vis sit in iure eadem, quin in eam legem peccantes Presbyteri, suspensionis vinculo sint astricti, vti sanxit Concilium: non ambigo.



EPITOME TRACTATVS DE SVSPENSIONE.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Suspensio.

EST huius vocis *Suspensio* potestas in iure multiplex, interdum enim idem sonat ac impedimentum, ita Gregor. nonus *in cap. quæsitum* 10. *de cohabitatione mulierum* ait, *quemlibet pro mortali peccato, quoad seipsum esse suspensum,* non tamen euitandum *in officiis, quia quantum ad alios, etiam in casu proposito suspensus non est*, hac enim oratione significat, res sacras, Missæ vero sacrificium præ cæteris, ei vitandū esse, quem culpa mortalis Deo exosum reddit, ab ea tamen impediri fidelium neminem, quo minus cum eo, res negotiaque libere habeat.

Secundo idem valet interdum *suspensio*, quod excommunicatio maior, eaque latæ sententiæ, opinione Palud. *in* 4. *dist.* 11. *q.* 1. *art.* 2. Maioli *de irregular. lib.* 3. *ca.* 16. *parag. ex iis*

A *igitur.* Alterii *tract. de suspens. disp.* 11. *c.* 3. *colum.* 2. vt enim nonnunquam in antiquis Pontificum literis, excommunicationis nomen, pro suspensione capitur, vt notant Glossa *in can. decernimus* 18. *distinct.* Sylu. *ver. suspensio parag.* 6. Tabiena *num.* 7. & Henriq. *lib.* 13. *ca.* 38. *num.* 3. ita suspensio, excommunicationis loco vsurpatur ab iisdem: Thesauro teste *in parte* 2. *prax. Eccles. verbo Concilium ca.* 2.

Tertio, suspensio idem est, sæpenumero ac priuatio, at cuius rei? communicationis cum Deo in augustissimo Sacramento, aut B colloquio ac cōgressu cū hominibus in cōmuni vita, notionis primæ exēplū suppeditat Romana Synodus sub Zacharia *can.* 9. qui refertur, *in can. nullus Episcopus* 57. *de consecrat. distinct.* 1. vbi sanctè ac religiose prohibet Pōtifex, ne quis cum *ad Missarum solemnia celebranda ingressus fuerit, nisi passio interuenerit, vllo modo audeat data oratione recedere, vt ab alio Episcopo, aut Presbytero Missarum solemnia suppleantur, quod si quis præsumpserit, præter quod posuimus agere*, inquit Zachar. citatus paulo antea, *à sacro corpore, & sanguine Domini nostri IESV Christi sit suspensus*, hoc est vt ego C interpretor, priuatus, in eundem trahi sensum debent, quę ab Arelatensi Concil. 2. sub Syuestro sunt scripta *can.* 19. *Si quis adesse neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam dissoluatur Concilium, crediderit deserendum, alienum se à fratrum communione cognoscat*, his enim verbis significant Episcopi, pro authoritate, qua valebant, cæterorum se cœtu Antistitum remouere, ac communicatione cum iis, pro fortunato fœlicique statu Ecclesiæ, exclusos velle, qui ante finitum Concil. domum aut ad suos se reciperet, ita Quaran- D ta *verbo Concilium prouinciale, quæst.* 18. *numero* 7.

Quarto, quod nobis est interdictum, hoc est nonnunquam in iure suspensio, sit pro testimonio, exemploque, quod est *in ca.* 1. *de sentent. excommunic. in* 6. ibi Innocent. Papa quartus, cum de excommunicatione loquitur, eam non nisi scripto, quod eius infligendæ causam habeat, ferri vetat, cuius scripti exemplum excommunicato detur si exigat, super qua postulatione, instrumentum quoque fieri voluit, sigillo consignatum authē- E tico, pœna ei qui secus faceret hac addita, *vt per vnum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis sit suspensus*, hoc est Bonacina interprete *de censur. in communi disp.* 3. *q.* 5. *punct.* 1. *parag.* 2. *num.* 17. Suar. *de censur. disp.* 37. *sect.* 1. *num.* 2. interdictus ab Ecclesia, vsuque tam actiuo diuinorum, quam passiuo.

Quinto (& hæc est propria huius vocis notio apud Theologos,) est suspensio censura, Cœlestinus III. *in ca. quærenti* 20 *de verbor.*

bor. significat, vbi quærenti quid per censuram Ecclesiasticam intelligi debeat, cum in literis Apostolicis ea vox ponitur, respondet *per eam non solum interdicti, sed & suspensionis, & excommunicationis sententiam intelligi.*

Ita vero sumpta, definitur Censura *qua Clericus, ob culpam tam suam quam alienam, à iure, vel à iudice, à beneficiorum vel officiorum, aut ordinum, vel Ecclesiasticæ iurisdictionis, & quandoque ab omnium, aut plurium executione, ad tempus, aut in perpetuum prohibetur*, Breuius *est suspensio censura, qua Clerico inhibetur exercitium potestatis, ei competentis, aut debitæ, ratione officii Clericalis, aut beneficii, aut vtriusque.* Censura generis vices explet, quia est pœna medicinalis, non mortalis, disciplinans non eradicans Innoc. IV. *ca. cum medicinalis primo de sentent. excomm. in 6.* in quo cum interdicto conuenit, particulæ reliquæ ponuntur in ea definitione, loco differentiæ.

CAP. II.

Ab excommunicatione, interdicto, & irregularitate, suspensio quid differat, & quomodo.

Certum est censuras, de quibus facta est in titulo mentio, esse inter se similes in aliquo, dissimiles in plerisque: Inuicem conueniunt in eo, quod ordinum vsu, officioque omnes priuent, nec enim excommunicato operari sacris, litare, psallere in choro cum cæteris publicè, Sacramenta extra necessitatem postulanti dare, fas est conscientiæ, Ecclesiæque iure, in hoc ergo, ei cum suspenso conuenit. Nec est interdicti causa potior, cum extra certa tempora, de quibus nos postea, templum subire, in eo rem diuinam obire, aut audire, sine culpa nequeat.

Differunt autem, à sese hæ censuræ mutuo, quod etsi re vna, eademque priuent, non tamen modo eodem ac simili: excommunicatio eius vsum mortalibus adimit, quatenus est quædam communicatio, per modum societatis cum illis, circa quos versatur, Suspensio vero vt est exercitium, quædamq; Clericalis potestatis functio. Interdictum autem, prout est vsus ille, bonum quoddam participabile ab aliquo, & non vt est ministerium potestatis Clericalis, aut bonum commune fidelibus inter se, aut vni cum aliis Hurtad. *de suspens. difficult. 1. numero 2.*

Ab irregularitate differt suspensio primo quod illa ad Laicos, Clericosque diffundatur absque discrimine, cum ad Clericos tantum suspensio pertineat.

A Secundo, irregularitas sacris initiandos ab ordinum susceptione, susceptorumque vsu prohibet, suspensio non recipiendos, sed obtentorum executionem impedit, irregularitas Ecclesiastica non nisi viros, suspensio fœminas quoque afficit, cum à beneficiis, eaque, quam in moniales, hoc est subditas sibi puellas, potestatem exercent, suspendi interdum Abbatissæ soleant.

Tertio suspendi non potest, quem Ecclesia beneficio, aut ordine non impertiit, cum eius vsu rei, impediri nemo nisi ridicule possit ac soleat, quam non habet, facit hoc tamen irregularitas, quæ suo iure non modo ab obtentis, sed obtinendis quoque, Laicos iuxta ac Clericos remouet.

CAPVT III.

Suspensio quotuplex.

C Suspensionis autem triplex est genus (Panorm. *in cap. si celebrat de Clerico excomm. ministrante* canonistæ *in cap. nostra de cohabitatione Clericor. & mulier.* vnum quoad se tantum, alterum quoad alios tantum, tertium & quoad se, & quoad alios. Primũ est, cum ob peccatum à se conceptũ prohibetur quis ab officio, ita crimẽ quodlibet quod est natura sua mortale, suspensionem dici, ostẽsum est capite huius Epitomes primo, quia impedit, ne quis sancte, ac vt Christianos decet religiose ad Sacramenta, tam recipienda, quàm danda animum applicet.

D Suspensio quoad alios est, cum cui diuinis officiis, sacroque Missæ sacrificio non interdicitur, eiusdem auditio prohibetur aliis, hanc pœnam sanxisse Gregor. VII. in concubinos publicos tum historię, tum hæc eius oratio indicat, relata *in can. si qui dist. 81. si qui sunt Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi, qui in crimine fornicationis iaceant, interdicimus eis, ex parte Dei omnipotentis, & S. Petri authoritate, Ecclesiæ introitum, vsque dum pœniteant, & emendentur, si qui vero in suo peccato perseuerare maluerint, nullus vestrum, officium eorum*

E *audire præsumat, quia benedictio eorum vertitur in maledictionem, & oratio in peccatum.*

Suspensio quoad se, & alios est, cum quis per sententiam canonis, & iudicis, ab officiis suis suspenditur, & hæc suspensio maior appellatur, quæ ad priora genera duo pertinet, minor.

Secundo diuiditur suspensio in propriã, & impropriã propria censuræ sibi rem, nomẽq; vindicat, neutrum altera, isto suspensionis genere, modoq; sunt ab officiis suis suspensi Laici, cum iis fungi prohibentur à potestate

legitima, *ca. si aduersus de hæreticis*, Nauar. *ca.27.num.*153.*in fine*, Henriq. *cap.* 31. *num.*1. cum enim prouincia quam obeunt, munera quæ gerunt, Ecclesiastica non sint ac sacra, non est eorum interruptio, propria suspensio, sic peregrini Clerici, sic Presbyteri sine formatis Episcopi sui literis, aliquò commigrantes, celebratione publica sunt suspensi, *Concil. Antiochenum can.*3.*&* 7.

Sic qui sunt ad opus aliquod inhabiles, aut à præstatione officii, lege canonica aut ciuili cessare iussi, vel ob animi inualetudinem, aut corporis, indigni habiti, qui diuina in altari mysteria Deo Patri offerant, suspensi dicuntur, *in titulo de Clerico ægrotante ministr. in* 6. *& can. communiter* 3. *dist.* 35. & *can. multorum* 2. *dist.*32. *Speciosus Subdiaconus*, (inquit Greg.) *quod à recepto ordine cum Vxore congressus esset, ab administrationis se suspendit officio, & vsque in obitus sui tempus, notarij quidem gessit officium, & à ministerio, quod Subdiaconum oportuerat exhibere, cessauit.*

Tertio diuiditur suspensio in eam quæ est à iure, & aliã quæ est ab homine. A iure quidem, cum lex est, aliqua statutum, aut canon quo hæc pœna peccaturo infligitur, ita infamatus de crimine, suspẽditur à ministerio sui officii Ecclesiastici, donec se purgauerit *can. si mala fama, can. Presbyter* 2.*qu.* 5. *can. nullus can. Presbyter dist.* 32. Ab homine irrogatur suspensio, cum reum ideo ac præceptis Ecclesiæ parum obsequentem hominem, suspensione à suorum vsu ordinum, vel administratione beneficii, in officio cohibet, vt enim excommunicatio est tum ab homine, cum eam Prælatus, auctoritate necessaria ad id præditus, in personam certam, vnam aut plures ob culpam aliquam factam aut faciẽdam intorquet, ita & suspensio, quæ est ab homine, ab homine proficiscitur in hominẽ.

Differt hæc autem à priore, quam iuris dicimus, quod ista futurum respiciat, eos scilicet qui quidpiam contra canonem, aut Pontificiam legem admittent, quæ autem est ab homine, non solum in culpas futuras, aut negligentias animaduertat sed etiam præteritas, fertur enim suspensio in nocentem vt censura, & in pœnam, priori modo contumaciam edomat, errantem in viam reuocat, culpam ne fiat impedit ac retardat, posteriori admissam punit ac castigat.

Quarto diuiditur suspensio tam quæ est à iure, quam quæ ab homine, in absolutam & hypotheticam, absoluta, simpliciter & omnino, fieri quid prohibet, aut iubet. Hypothetica, non ligat donec conditio exter. Quod ad durationem pertinet, suspensio interdum est simplex, aliquando ad certum tẽpus, aut incertũ verbi gratia, quousque sus-
A pensus pœnitentiam egerit, aut satisfecerit, simplex sine notatione ac circumscriptione temporis intelligitur, estque perpetua, cum perinde sit aliquem simpliciter suspendi, atque perpetuo Fœlicianus *de suspensione ca* 11.

CAPVT IV.

De causis suspensionis.

VT cæterarum rerum, ita & suspensio-
B nis causæ assignantur quatuor. Efficiens est, qui suspendit, quod his duntaxat conuenit, qui ius fori externi habent, ordinarium aut delegatum, hoc est puniendi in externo foro, per censuras Ecclesiæ, excommunicando, interdicendo, &c. Nauar. *ca.* 27. *num.* 159. Valentia *disput.* 7. *quæst.* 18. *punc.*1.

Ratio est, quod suspendere ad eos duntaxat pertineat, qui ius possunt dicere, & ad aliquid metu pœnæ cogere, quod iudicis solius proprium est munus, qui cum directiua,
C est etiam coercente potestate præditus, quali non fruuntur, nisi qui iurisdictionem externi fori habent.

Materialis est duplex, remota & proxima, illa, persona est non quælibet, sed Ecclesiæ per tõsuram aut ordines sacra, quam Ecclesiasticam communiter nominant. *Proxima* non tantum est peccatum *mortale, sed etiam* veniale, Caiet, *in summa verbo suspensio*, Nauar. *ca.* 27. *num.*159. Auila 3. *parte disp.* 3 *dub.* 3. cum imponitur ob peccatum alienum, sæpe
D non ligat innocentem, vt cum totum Capitulum suspenditur, qui expers est culpæ ob quam lata est suspensio, ab ea est liber, Martinus *Funes in speculo morali, & practico ca.*14. *num* 13.

Dicunt alii, suspensionis obiectum materiale, iuris priuationem esse, quod Clerico competit, ad ea quæ sunt officii, beneficii, aut ordinis munera propria, cum res, tempusque exigunt, religiose ex antiquorum canonum præscripto, formaque obeunda, formale verò, æqualitatem esse, inter culpam & pœnam, quatenus ius ac facultatem
E exercendæ eius functionis adimit, quæ erat ante Clerico debita.

De fine id tantum habeo dicere, primarium (vt censurarum omnium) id esse, quo salus, ac incolumitas publica continetur Ecclesiæ, ac conseruatio disciplinæ. Secundarium spectare mores, delinquentis Clerici peccata, quæ censuræ huius acerbitate corrigere, ac punire, Iudici Ecclesiastico cum eam infligit, est pro fine.

Eius inferendæ forma, modusque, qui verbis

bis exprimi debeat per canones, definitus est nullus, nonnulla tamen, vt sit rata, iure diuino postulat, Ecclesiastico alia, priore, auctoritatem in suspendente, cum intentione eius pœnæ reo irrogandæ, nam hanc de illo æqualem culpæ repetere, nisi iudici, à Deo, Ecclesia, aut Pontifice, potestatem habenti, non licet.

Est enim suspensio lex quædam, ergo quas hæc vt sit æqua, cõditiones exigit, hæ in suspensione imponenda omitti nequeunt, at lex iusta, seu præceptum iustum superioris Ecclesiastici, aut etiam Laici, ligat in foro conscientiæ ad metas rationis, seu causæ finalis, quæ est S. Thomæ opinio *in 4. destinct. 17. q 3. art. 4. quæstiuncula 1. ad 5. Præcepta*, inquit, *iuris posiuiui, non se extendunt, vltra intentionem præcipientis*. Verum est ergo cum suspensionis ferendæ potestate, eius quoque rei intentionem in suspendente iure naturali exigi.

Sunt & alia quæ ab eo adhiberi vult Ecclesia.

Primo cum in cõtumaciæ pœnam fertur, monitionem triplicem, Innoc. IV. *in cap. cum medicinalis 1. de sentent. excommun. in 6. Abbas in cap. reprehensibilis de appellationib.* quia nemo nisi seruato iudiciario ordine, spirituali vlla plectendus est pœna, Alex. III. *in cap. peruenit primo, de excessib. prælatorum*, nec contumax dici quis, aut esse vere potest, nisi prælati imperia, iussaque, sibi certo nota facere abnuat, nosse autem qui potest, nisi ad se rumore nuncio, aut verius Prælati mandato, ad se delata, est hæc ergo delatio, monitioque, suspensioni præmittenda necessario, præsertim si feratur ob contumaciam, lata in pœnam ea non indiget, *Abbas in cap. Presbyter num. 1. de Clerico excomm. ministr.* Suar. *de censuris disp. 3. sect.* 10 n. 3. Piasec. *par. 2. praxis c. 4. art. 12. nu. 2.*

Secundo postulat Ecclesia vt in scriptis feratur, & cum expressione causæ, propter quam imponitur, aliter, ipso facto iudex, qui eius est causa, à diuinis suspenditur, & ab ingressu Ecclesiæ per mensem, Inno. IV. *in c. cũ medicinalis 1. de sent. in 6. Si quis autem iudicũ, huiusmodi cõstitutionis temerarius extiterit violator, per mensem vnum ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis nouerit se suspensum. Superior autem, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans, latorem excommunicato ad expensas, & omne interesse condemnet, & aliàs, puniat animaduersione condigna.*

Tertio, *Exemplum huius scripturæ tenetur iudex suspenso tradere intra mensem, si fuerit requisitus, super qua requisitione, instrumentum publicum fieri, vel literas testimoniales confici, sigillo authentico consignatas;* Innocent. ibid.

A imperat.

Non est hęc tamen conditio adeo necessaria, vt non valeat, ea deficiente, iuste inflicta suspensio, in quibusuis sentẽtiis, excepta definitiua, Speculum morale practicum ex Martino Funes desumptum cap. 14. num. 5.

CAP. V.

Quos effectus habeat suspensio.

B HAbet autem suspensio effectus genere multiplices.

Primus est priuatiuus, estque in eo, vt suspenso ius ac facultatẽ ea exercendi adimat, quæ ante suspensionem poterat, & quidem si hæc cadat in officium, non modo actiones Ordinis, sed omnes insuper quæ iurisdictionis sunt Ecclesiasticæ, obire non sinitur, quia vtraque potestas tam iurisdictionis, quàm ordinis, est vere officium.

Effectus suspensionis alter, irritatiuus dicitur, eo quod opera quæ à iurisdictione pendent, à qua tamen est quis suspensus, irrita reddat, ac nulla.
C

Ratio est, quod hęc ab eius vsu libero & non impedito, vim suam capiant, absolutio V. C. à potestate Sacerdoti relicta ad reconciliandum pœnitentem, eiusque vsu, at quisquis est à iurisdictione sua suspensus, auctoritate Ecclesiæ publica, hic eius exercitium, vsumque impeditum habet, non liberum, est ergo actio, quæ à iurisdictione pendet, vt sit rata, inualida & irrita, ab eo facta, cuius est iurisdictio suspensa.

Quod in eo tamen locum tantum habet,
D quem Ecclesia non tolerat, *quia vsus exercitus à suspenso tolerato, verè est validus, quia eo ipso, quod Ecclesia illum tolerat in fauorem aliorum fidelium, relinquit illum sufficientem, etiam quando ipse se ingerit, vt valide exerceat actus, erga illos, sub conditione, si ab illis acceptentur,* Hurtad. *de suspens. diff. 5. num. 14.*

Tempus est tamen cum quæ denunciatus operatur, per accidens sunt valida, nempe cum est titulus saltem coloratus, & error communis in populo, Ecclesia supplente
E tum, in vtilitatem fidelium, defectum iurisdictionis impeditæ, & tamen ad ea opera quæ suspensus facit, omnino necessariæ.

Effectus suspensionis tertius, prohibitiui nomen habet, in eoque versatur, vt suspenso, contrahendæ maculæ mortalis sit causa, cum ea obit ministeria, quę sunt ei sub hac pœna prohibita, nisi sint hæc leuia, naturaque sua talia, quæ delicti lethalis nequeant esse materia.

quarto operatur & hoc quoque suspensio, irregularem vt faciat, qui ea impeditus diuina celebrat, à quo effectu quemadmodum & à peccato, de quo paulo ante, excusat primo ignorantia, secundo mortis metus, aut subeundi grauis incommodi, nisi cõtra quàm lex Ecclesiastica prohibet, & diuina, suspensus ea faciat, quæ naturæ aut diuino iure sunt vetita.

Tertio, excusat item leuitas materiæ. Hurtadus *de suspens. difficult.* 5.

Quarto, tolerantia Ecclesiæ, Hurtadi loco proxime citato sunt hęc verba, *Excusabitur à culpa contra prohibitionem suspensionis, & consequenter ab irregularitate, quæ ob eam culpam incurritur, etiamsi exerceat actum Ordinis sacri, adhuc Presbyteratus, quoties non denunciatus exercet id à quo est suspensus, ad petitionem fidelium iuxta Extrauag. ad euitanda in qua est sermo de quacunque censura.*

At enim peccat suspensus (inquies) celebrando cum censura.

Omnino, non tamen fit irregularis ideo: in promptu est ratio, quod hoc impedimentum ob culpam duntaxat incurratur, quæ contra prohibitionem suspensionis admittitur, quod de præsenti dici nequit, cum suspenso, tolerato ab Ecclesia, vacare sacris liceat, cum de eo rogatur à fidelibus, iuxta *Extrauag. ad euitanda scandala*, peccat tamen quia Sacramentis dare operam cum conscientia lethalis culpæ, delictum non est leue, facit id vero, qui peccatum non confessus, ob quod est suspensus celebrat, cũ non nisi expiato culpis animo diuina lege, sacræ mensę accumbere, ibique cœlesti pasci pane, nemo queat sine crimine.

CAP. VI.

An sibi inuicem, sint hi effectus sic connexi, vt à se diuidi, aut separari nequeant.

NEquaquam, sed cuiusuis auctoritate iudicis, imperioque, à sese mutuo seiungi possunt. Ratio eius rei est repetenda tam à iure canonum, quam vsu ac consuetudine communi Præsulum, quos pro culpæ natura, pœnas quoque imponere varias, modoque ab officio, alias à beneficio contumaces suspendere est certum, nonnunquam si res ferat, illisque sic libeat, præstatione officii Clericum interdicunt.

Quo de interdicti genere dici vniuersim hæc possunt.

Primo, cum prohibetur aliquid fuse, & in communi, omnia quoque censeri vetita, quæ sub illo sunt genere, & ita qui ab officio absolutè est suspensus, si est Episcopus, in

A Pontificalibus versari nequit, nec Sacerdos, in expiandis sacramentali absolutione animis.

Secundo, cum vetantur minima, maiora quoque censeri interdicta, nec permissa, quare à collatione inferioris ordinis suspensus, à superioris quoque intelligitur, cui Subdiaconum initiare non licet, de Presbyterio vlli conferendo cogitare non debet, quem minoribus suspensum Pontifex voluit, à superioribus quoque est suspensus, non è conuerso: nam hæc ad consequentiam se
B habent, qui enim Epistolam cantare nequit, nec Euangelium potest, non contra, qui suspenditur ab ordine, ab omnibus est exclusus, non tamen à tonsura, nec à cantu in choro, nisi aliquid occineret, tanquam ex officio ordinis, vt Collectam quæ à Sacerdote cani solet.

Tertio, cum suspensio sit pœna, stricte hãs capiendam esse, proindeque sententiæ per quam fertur, verba intelligi oportere proprie, quare cũ ingressus Ecclesiæ, iurisdictionalia non denotet, nec præstationem officii,
C ac ordinis extra illam, is cui talis erit ingressus prohibitus, facultate iuris dicendi, conferendi beneficii, eligendi, sacrificiique extra templum faciendi, potestate non priuatur, Fœlicianus *de suspens. cap.* 11. suspensus autem à diuinis, Missæ interesse, Eucharistiam recipere, Confessione peccata eluere, de rebus ambiguis prælatum consulere potest, Rodrig. *to.* 3. *q.* 65. *art.* 8.

Causa est, quod suspensio à diuinis executionem solius officii prohibeat, ad quod Missæ auditio susceptioque Eucharistiæ non
D pertinent.

CAP. VII.

De relaxatione Suspensionis.

SVspensus ab homine, ab eodem qui suspendit vel eius superiore, aut alio auctoritatem habente, absolui debet, *Ille enim condemnat qui & absoluit, quoniam ligandi & soluendi adeptus est potestatem* 24. *q.* 1. *can. si*
E *Petrus* 17.

Equidē si quis eo reclamante ac inuito, aut etiam non consulto, à se suspensum ex causa absolueret, iusta ei querelæ causa non deesset, nam quid iniquius, quam in aliena iura irrumpere, de his qui alienæ sunt potestati obnoxii, quæstionem instituere, eosdem cum peccarunt, absoluere, cum vitio sunt suo, fori compedibus irretiti, in libertatem asserere? ne se ergo læsam aliquando queratur æquitas, ei soli duntaxat suspensionis per-

mittenda

mittenda videtur esse relaxatio, qui imposuit, aut eius est superior vel successor.

Casus tamen sunt duo, in quibus id ei tentare ac cum fructu facere sit nefas.

Primus est, cum iure dicta est suspensionis sententia, quod hæreticos denunciatos Sacramentis impertierint, ab iis stipem corrogarint, aut oblatam vltro receperint, mortuos autem in locum sacrum, sepulturæ dandos extulerint, hos enim officio suo, à quo ob eiusmodi delicta, ab ordinariis sunt priuati, restitui, *absque indulto sedis Apostolicæ speciali* oportere, aut posse, negat Innocent. eius nominis tertius *in decretali excommunicamus 13. de hæretic. parag. credentes.*

Secundus est, cum quis à Concilio ideo est suspensus, quod semel & secūdo admonitus, vt beneficium non nisi dignis tribueret, non tamen sapuit, nam *eiusmodi suspensionis sententiam præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprij Patriarchæ, minime relaxandam*, Ecclesiæ in generali Concilio placuit, *vt est in cap. graue nimis 29. de Prabendis.*

Qui à iure, vel iudice, tam suspensione generali, qualis est ea in qua communitas suspenditur, in qua ipse tanquam eius pars, ac membrum continetur, quam speciali, qua ipse nominatim, conditionaliter tamen, aut ad certum tempus suspenditur, subsequente conditione, vel tempore suspensionis peracto, absque alia relaxatione absoluitur. Panorm. *in cap. cum tu de iuris, & in cap. non est de sponsalib.*

Si autem est eius suspensio à iure lata eaque non reseruata, hanc suspensi ordinarius remittere poterit, vt est in *cap. nuper 29. de sent. excom.*

Quia cum non sit ab homine in hominem, nulli fit iniuria, vsurpatione potestatis quæ illius sit propria, & cum non sit reseruata, eo ipso videtur inferiori concessa, aut facultas ad id reseruatori relicta.

Quod si est suspensio propter impedimentum corporis imposita, aut peccatum, à quo absoluere Episcopo non sit licitum, in ea dispensare non poterit, quia pœna quæ est simpliciter apposita ob peccatum, perpetua intelligitur: Fœlician. *de suspens. cap. 15.* non autem ob contumaciam, *quia tam canonici iuris, quam Pontificii moris non existit, vt is qui propter contumaciam communione priuatur, cum satisfactionem congruam exhibuerit, restitutionem obtineat*: Innoc III. *in cap. ex literis 11. de constitutionib.*

Dispensat hic tamen in omnibus, ex delicto occulto prouenientibus, exceptis ad foA rum contentiosum deductis, Trident. *sess. 24. cap. 6.* proindeque cum eo, qui beneficium, vel ordinem simoniacè contulit, aut vt id fieret mediator extitit, si res sit occulta, item in simonia admissa circa defunctorum exequias, consecrationem cœmeterii & vasorum, similiter dispensare potest cum ordinatis extra tempora, absque literis dimissoriis, vel promotis per saltum, vt in ordine suscepto ministrent, non autem vt non habitos recipiant: si tamen ministrent ante dispensationem in ordine male collato, irB regularitatem in eorum opinione, qui has suspensiones vbique vigere, ac ratas esse asserunt, non vitabunt.

CAPVT V.

De forma absoluendi à suspensione in foro iudiciali.

VT iudici cum palam suspendit ac publice, exprimere mentem suam verbis, C quę exarata sint literis, est necesse, ita & cum eum in foro, audiente populo à censura eximit, quas animo anteceptas notiones habet, eum oportet chartæ sub certa verborum forma committere. Est hæc communis ac vsitata in Dei Ecclesia: *Quia de tali negotio N. propter quod suspensionis sententiam à beneficio, vel ab officio, & executione ordinum, aut ab vtroque incurreras, emendationem plenam, & pœnitentiam condignam egisti. Ideo ego N. auctoritate quâ fungor, sententiam suspensionis huiusmodi misericorditer relaxo, indulgens tibi, vt in D posterum, sicuti antea, tuo, vel tuis beneficiis frui; aut in susceptis ordinibus ministrare, seu officiis fungi, vel eis omnibus gaudere possis in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Amen.*

Dixi *in foro iudiciali* quia in interno, vti fas iudici verbis quibuslibet, modo quæ sensum eius, ac censuræ absolutionem exprimant, cuiusmodi sunt *reuoco, remoueo, relaxo sententiam, absoluo*, & id genus alia, eiusdem cum his potestatis, idem de eo dictum volo cum suspendit, nam etsi certam, in dicenda E suspensionis in reum sententia, verborum seriem, formamque eum adhibere in Dei, conscientiæque tribunali non sit necesse, hanc tamen aut similem, cum coram, ac in multorum oculis, nocentem ista censura vinciunt, tenere Episcopis ac prelatis est in more, *Quia constat te N. tale quid commisisse, idcirco te à beneficio, vel ab officio, & ordinum executione, aut ab vtroque suspendimus, vsque ad tale tempus, vel ad nostrum beneplacitum: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amē.*

Quod si Episcopus, aut Prælatus quilibet alius, fieri quid velit, aut omitti sub pœnis incurrendæ suspensionis, his aut similibus vtetur verbis: *Quicunque tale quid egerit, aut non egerit, eum in his scriptis à beneficio vel officio suspendimus, vel nouerit se suspensum, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, quibus verbis significatur lata sententia Suarez *de censuris disp. 3. sect. 3.* Plasecius 2. *part. praxis Episcop. c. 4. art. 12. n. 10.* non autem ferenda, vt habet Glossa *in can. si quis dist. 23.* & alia Glossa *in cap. si quis de Clericis de vita & honestate Clericorum*, hæc enim verba *Nouerit se suspensum, se suspensioni subiacere*, ait esse ferendæ sententiæ, non latæ, sed male.

A



TRACTATVS

TRACTATVS NONVS DE INTERDICTO.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit & quotuplex.



QVOD interdicere, probatis auctoribus idem sit ac vetare, placuit Ecclesiæ, interdictũ in ea significatione sumere, vt idem esset ac prohibitio, quo modo vsurpatur *in Concil. Aurel. 3. can. 7. 10. & 21. Elibert. & Nicæno can. 16. 40. & 49.*

A Est autem interdictum in hac materia censurarum, *Censura Ecclesiastica, Christianos priuans diuinis officiis, Sacramentorum vsu, sacraque sepultura, prout hæc ad diuinum cultum, honoremque tendunt.*

Dicitur censura, quod imponatur emendandi gratia, ac ob admissa scelera, & vt distinguatur ab iis prohibitionibus, quibus est in iure ciuili interdicti nomen, quo proprie decretum intelligitur, quo Prætor in possessionum controuersiis, aliquid fieri iubet aut vetat, & alia sunt exhibitoria, per quæ Prætor aliquid exhiberi imperat, alia noxalia per quæ permittitur seruum noxę dedere, *lege 5. dig. de interdicto*, sunt & restitutoria & fraudatoria, illisque iubetur quid restitui, istis rescindit Prætor, quę sunt in fraudem facta tertii, vt pupilli aut creditorum, & eorum nulli censuræ res, nomenque conuenit, quemadmodũ nec illi, quo in iure canonico certis diebus aliqua prohibentur.

Sacramentotum fit mentio, ac cæterarum demum rerum, quæ cum fructu fiunt in Ecclesia. Vt quid ei cum reliquis censuris sit commune, indicetur. Quod enim illis, & huic quoque, idem est obiectum materiale, à diuinis nempe officiis excludere.

A quibus tamen distinguitur, quod his interdictum priuet, inquantum referuntur ad Principis Dei cultum, quem vt motiuum in eo ferendo Ecclesia respicit, & quo eos iustis de causis per interdictum vult esse priuatos.

Distinguitur ergo ab interdicto excommunicatio, & suspensio, quod illa Sacramentis priuet, eorumque vsu, vt sunt quædam communicatio cum fidelibus. Hæc autem id est suspensio, vt Sacramentorum tam actiua quam passiua administratio, aut

B sepulturæ, officiique diuini præstatio, vsus est in Sacerdote potestatis sibi concessæ, qui per censuram suspenditur, quæ rationes haud dubie ab inuicem differunt, cum alterius sit generis, priuari vsu Sacramentorum, vt per ea cultus Dei promouetur, quam ab iisdem reiici, vt societatem nexumque hominum inter se firmant, hæc de interdicti natura.

Diuiditur autem primo in locale & personale. Et eorum quodlibet (quę secunda est diuisio interdicti) in generale, speciale, & particulare, tam locale quam personale. Interdictum locale, dicitur à loco, in quo pro-

C hibetur tam Sacramentorum collatio, quam, munerum Ecclesiasticorum executio, quæ nos officia dicimus.

Personale denominationem habet à personis, quibus immediate, primo, & per se, tam Sacramenta, quam officiorum Ecclesiasticorum vsus interdicitur.

Quod si interdictum mixtum erit, non tantum castrum, oppidum, Prouinciam comprehendet, sed & personas in iis degentes.

Interdictum generale locale, est illud

quo regnum integrum interdicitur, prouincia, aut Diœcesis, seu quod fertur in locum generalem, qui à communitate occupatur, & ita omnes Ecclesiæ vrbis, regni vel oppidi interdicuntur. Locale speciale, est castri alicuius, ciuitatis, aut villæ, seu quando interdicuntur vna, vel duæ vel tres tantum Ecclesiæ. Singulare seu particulare, est certæ Ecclesiæ vel Capellæ.

Personale generale, est quando interdicitur populus totius Regni, Prouinciæ, aut Diœceseos, speciale, cum pars eius aliqua, vt Collegium, vt Capitulum aliquod, aut Clerici particularis alicuius Ecclesiæ.

Personale singulare, quando persona aliqua determinata, aut indefinita, aut plures vnius loci, quà tales sunt, à sacris eorumque vsu arceantur, sed de hac re copiosius canonici iuris Interpretes, & Summistæ: Nauar. in Enchirid. *cap.* 27. Sylu. *verbo Interdict.* Angel. *eod.* Stephan. de Auila 5. *parte disp.* 1. *dub.* 1. Reginald. *to.* 2. *lib.* 32. *tract.* 2. *cap.* 25. *nu.* 3. 4. *& seq.* Laym. *lib.* 1. *tract.* 5. *parte* 4. *cap.* 1.

QVÆSTIO II.

An interdictum locale comprehendat personas, degentes in eo loco, sic vt vbique sacra audire, aut facere, vel sepeliri non possint.

DIco primò, *Interdicto locali personas non comprehendi immediate, per se & absolute, sed mediate tantum, ac cum respectu ad hunc locum specialem, qui est interdictus.*

Partem primam assertionis defendunt Nauar. *cap.* 27. *num.* 167. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3. *art.* 1. Reginal. *proxime citatus num.* 5. habentque hanc rationem quâ se tuentur.

Quod interdictum locale non sit positum personis loci interdicti, si hæ non sunt culpabiles, aut ad puniendum in iis eius Rectorem ac Dominum, non est latum quod accidit cum interdicuntur ciuitas & ciues, ex Glossa *ad cap. si sententia verbo interdicti*; quod personis (inquam dicti loci) liceat tùm audire sacrum, ac si Sacerdotes sunt, illud facere, cum alibi versantur, quod non esset si interdictum locale, comprehenderet æquè primo & absolutè personas, ac locum ipsum, cum ei qui est interdictus, vbique parendum sit præcepto Ecclesiæ, ac proinde in omni loco abstinendum sacris, vt dicemus postea.

Secunda pars est ipsa per se intellectu facilis. Nam in loco interdicto, non licet eius populo, nec cuilibet aduenæ ac externo, administrare, aut recipere Sacramenta, A Missam facere, vel audire, vel Ecclesiasticam sepulturam vsurpare: ergo interdictum locale, mediate personas afficit.

Confirm. cum locus, interdicti non sit capax, vtpote quod pœna est, quæ culpam sequitur, assignandi sunt aliqui quos afficiat, non alii quàm qui illum incolunt, ergo mediate, ac vt in dicto loco sunt, interdictum in eos cadit,

QVÆSTIO III.

B *An interdictum locale generale, comprehendat etiam Ecclesias priuilegiatorum.*

CAusa dubitandi est, quod vt in personas exemptas Episcopi ius nullum habent, ita nec in eorum Ecclesias: ergo ab interdicto locali generali, ab iis posito, excipi debent eorum Ecclesiæ.

Dico tamen in interdicto locali generali, etiam exemptorum Ecclesias contineri: Ita C Nauar. *cap.* 27. Auila 5. *parte disp.* 1. *dub.* 3. Portelius *de dub. regular. verbo interdictum numero* 6.

Et probatur primo, ex Trident. *sess.* 25 *ca.* 52. vbi id expresse statutum est his verbis: *Censuræ & interdicta, nedum à sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque seruentur*, quod verum quoque esse Portelius asserit, etiamsi interdictum esset nullum, & inualidum, maximè si à matrice seruetur, vel ab omnibus Parochialibus Ecclesiis, Rodrig. q. 108. D *art.* 4. *ad illud.*

Secundo, si essent religiosorum Ecclesiæ, ab interdicto generali locali liberæ, inane omnino esset, ac sine fructu. Cum cuilibet de ciuitate interdicta fas foret, Missam in iis audire, sacramenta recipere aut dare, quod incommodum vitari cum debeat, & istud quoque fugere est necesse, ne dicamus ab interdicto locali generali, Monasteria eximi.

Quæres, vnde id accidat, cum in ea, Episcopo ius sit nullum? ad explicationem.

E Dico secundò, *Non ab Episcopo, sed Pontifice Romano exemptorum Ecclesias, interdicto in hoc casu subiici*, huius opinionis author Bonifacius VIII. *in cap. si ciuitas* 17. *tit. de sent. excom. in* 6. vbi rationem facti sui hanc reddit. *Ne vilipendi valeat sententia interdicti*, quod fieret si vt ante diximus, à Parochiis facilis esset, liberque transitus ad regularium Ecclesias, tam Missæ, quam sepulturæ, ac Sacramentorum causa. Ex dictis facilis est ad causam dubitandi responsio, Religiosos

ligiosos interdicto generali locali obligatos esse, hocque in Ecclesiis suis, seruandum videri. Minoritis tamen à Leone X. concessum aiunt, ne eorum Ecclesiæ, ad personæ alicuius instantiam interdici queant, *Compendium Minorum verbo interdictum* 1. *parag.* 16. quod accidit, cum pars id exigit, quare si à Legato aut Episcopo, ex causa, iusta rogante nemine, motuque proprio poni in eorum Ecclesiis interdictum accidat, seruandum erit, quemadmodum & quo tempore tota ciuitas, aut oppidum in quo prædictæ sunt Minorum Ecclesiæ, interdicitur.

Casus est tamen vnicus, in quo ad partis instantiam interdici prædictas Ecclesias nihil repugnat, nempe cum hæc interim, de commeatu ad vitam necessario pro regularibus prouidet: Leo ibid. Portelius *dub. regular. verbo interdictum num.* 3.

QVÆSTIO IV.

An interdicta ciuitate, interdicantur suburbia, locaque ei contigua.

Dico primò, *Interdicta ciuitate, interdici quoque suburbia, locaque ei adiacentia.* Tuetur se hæc assertio, authoritate Bonifac. VIII *canone si ciuitas* 17. *de sententia in* 6. vbi eam definit his verbis: *Si ciuitas, castrum aut villa, subiiciantur Ecclesiastico interdicto, illorum suburbia, & continentia ædificia, eo ipso intelligi volumus interdici.*

Deinde quia appellatione vrbis continentur etiam suburbia *lege* 2. *dig. de verbor. signific.* Probatque Rebuff. *tract. de nominationib. q.* 16. *num.* 11.

Primo, *ex Glossa pragmaticæ sanction. parag. in Ecclesiis, verbo existunt, tit. de collation.*

Secundo, ad eam rem affert Parisiens. curiæ præiudiciū, super Ecclesia S. Laurentij, quā etsi extra muros positam, nēpe in parte ferè extrema suburbii S. Martini, credidit tamen intelligendam esse Lutetianæ ciuitatis nomine, nec proinde alteri quam graduato eius curam committendam esse.

Tertio si suburbia essent ab interdicto cui subiecta est ciuitas, omnino libera, eius vis omnis iaceret, cum ad ea sacrorum causa, populo adire sit facile.

Quid? quod accessorium naturam principalis sequatur? sed, suburbia ciuitati adiacent, parsque eius sunt aliqua, licet improprie, ergo vt interdicta Parochiali Ecclesia intelliguntur etiam eius oratoria ac Capellæ, ita & ciuitate interdicto supposita, supponuntur & suburbia Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *parte* 4. *cap.* 1.

A Suburbiorum autem nomine, ea ædificia intellige, quæ prope ciuitatem, in aliquo sunt ordine extructa, Sylu. *ver. interdict.* 2.

Continentia vero, ea sunt proprie, quæ non procul ab vrbe visuntur, nullo inter se ordine, nulla contiguitate disposita, Auila supra, & ad quæ ex vrbe, facilis est transitus sacrorum causa.

Quid si suburbia ad eandem non pertineant Diœcesim ac ciuitas?

Respondeo, tùm mihi quoque videri probabile, hæc eadem pœna comprehendi ac
B vrbem, non vi authoritatis Episcopi, quia nullam in ea obtinet vt suppono, cum ad aliam Diœcesim pertineant, in qua nullam, sed in suam duntaxat, iurisdictionem habet, sed vi iuris communis, quod, *in cap. si ciuitas ante citato*, statuit vt interdicta ciuitate, suburbia quoque interdicta censeantur, ne interdicti vis omnis pereat, populo liberum accessum habente ab suburbia, sacrorum causa, & ita sentiunt Sayrus *lib.* 5. *cap.* 3. Regin. & Auila locis ante citatis, ex quorum mente dicendum videtur, sublato interdi-
C cto ab vrbe, id quoque cessaturum in suburbiis, quia sublato principali, aufertur & accessorium.

Dico secundò, *Interdicta ciuitate, vel Ecclesia, interdici quoque earum partes omnes, tam quæ extant tempore interdicti, quam quæ ei postea aduenient.*

Prioris partis est hæc ratio. quod in toto partes includantur, quare cum Ecclesia quæ interdicitur, interdici quoque sacella eius omnia oportet, ac cœmeteria ei cōtigua, nō autem spatiis dissita, ita authores Ægid. *disp.*
D 17 Reginald. *lib.* 32. *tract.* 2. *cap.* 25. *num.* 10. Tab. *verbo interdictum*, Auila 3. *parte disp.* 1. *dub.* 3. quibus mens ea à decretali Bonifac. VIII. est iniecta, in qua de re præsenti sententiam suam dicit his verbis: *Ratione quoque simili, si sit Ecclesia interdicto supposita, vel subiecta, nec in capella eius celebrari, nec in cœmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguis, poterit sepeliri, secus si ei contigua non existant.*

Secunda pars ratione hac nititur. Quod pars adueniens Ecclesiæ, vnam moraliter
E faciat, ac componat cum antiqua,

Deinde quia Ecclesia quæ restauratur, eadem censetur esse cum diruta, patet in flumine naui, veste, quæ restituta, ac refecta, additione nouarum partium, eadem habentur, non diuersa moraliter à seipsis, cum tempore præterito collatis, vt dicitur in *lege proponebatur digest. de Iudiciis.*

Dico tertiò, *Destructa Ecclesia, vel ciuitate interdicta interdictum non tolli, etiamsi noua nouæque ædes in eodem loco construantur.*

Probatur, Interdictum locale locum in-

interdicit, at destructis parietibus adhuc remanet idem locus, ergo habebitur eodem modo interdictus quo antea,

Obiicies, destructa Ecclesia, & iterum ædificata, iterato est consecranda, ex Panorm. *in can. proposuisti de consecratione Ecclesiæ vel altaris*: ergo noua Ecclesia, loco prioris extructa, non est interdicta.

Anteced. est verum, quia consecratio est parietum, qui cum esse desierint, eorumque loco noui sint positi, ex formula Ecclesiæ erunt consecrandi.

At eadem non est interdicti ratio, cadit enim non in parietes, sed locum, qui cum idem sit, idem quoque remanebit interdictum, ac ante.

Obiicies 2. Destructa Ecclesia, & noua eodem loco ædificata, amittuntur indulgentiæ priori concessæ, ex Palud. *in 4. dist. 20. q. 4. art. 1.* Nauar. *in comment. de Iubileo 31. num. 26.* & tamen indulgentiæ sunt gratia, ergo à fortiori destructa Ecclesia, tolletur interdictum.

Respond. Indulgentias concedi Ecclesiæ, vt ad eam fideles libentius frequentiusque conueniant, ideoque ea subuersa, & has quoque desinere.

At vero interdictum est loci Ecclesię, qui idem manet, etsi parietes auferantur, hac ratione concessa Ecclesiæ priuilegia, manent ea destructa, quia sunt concessa loco in quo est, ex Alexand. *in leg. inter stipulantem parag. sacrum dig. de verbor. obligat.* & Iasone ibid.

QVÆSTIO V.

An interdicto Clero, censeantur religiosi interdicti.

PRima sententia affirmat, quam tuentur Nauar. *Enchirid. 27. num. 166.* Reginal. *lib. 31. tract. 2. cap. 25. num. 7.* Couar. *ad can. alma mater 2. parte parag. 1. num. 8.*

Secunda negat, cuius se patronos profitentur, Sylu. *verbo Interdictum 2. num. 17.* Armilla *eod. num. 10.* Auila *parte 5. disp. 1. dub. 4. conc. 7.* Henriq. *lib. 13. cap. 42. num. 3.* Ægid. de Coninch. *de censur. disput. 17. dub. 1. num. 9.* Portelius *de dubiis regular. verbo interdictum nu. 5.* Saytus *5. de censur. cap. 4. num. 29.*

Probantque primo, quia in odiosis nomine Cleri non veniunt religiosi Ægid. proxime citatus, eamobrem opinor, quod verba, cum de pœnis agitur, proprie sint intelligenda, at Clerus in vera sua notione, religiosos non significat, cum qui religiosus est, non necessario sit Clericus, & contra: ergo cum censura non transcendat res significatas per verba legis, aut sententię, qua imponitur, in interdicto Cleri, non continentur Religiosi.

Secundo interdictum personale generale sic fertur in personas, quatenus pars sunt populi, aut communitatis talis, vt primo per se ac directe, in eam communitatem tendat, vt corpus aliquod constituit, at religiosorum communitas, eadem non est quæ Cleri. Patet ex fine vtrorumque, ac legibus, ad quas se, actaque sua componunt, quas duas res in Clero, ac Religiosis, certum est non esse similes, Clerico enim ad beatam vitam sufficit, temperate viuere ac caute, quam ad laudem addere debet Religiosus & aliam, perfectionis scilicet, gradui suo, ac statui consentaneę, quo faciunt leges, constitutionesque singulorum ordinum propriæ, quibus cum Clerici careant, non possint vnum idemque corpus componere cum Religiosis, ergo nec hi teneri pœna interdicti, in illos lati.

Excipiendus est casus, in quo culpa ad Religiosos quoque pertineret, ob quam Clerici subiacerent interdicto. Nam cum in quouis interdicto, censeantur speciatim interdicti hi esse, qui illi causam dederunt: vt colligunt Doctores *ex cap. si sententia 16. de sentent. excommun. in 6.* ab eo esse liberi religiosi non poterunt, si vt Clerici, *culpa se* inquinarunt, cuius plectendæ causa, *dicta* est vtrisque, in persona *Cleri duntaxat*, interdicti sententia.

Obiicies, nomine Cleri intelliguntur omnes, qui sunt à Laicis distincti, at vt sic comprehendit Monachos, vt patet, ergo, &c.

Ad maior. respondendum est, Clerum cum vage & confuse sumitur, id denotare quod in antecedenti dicitur, non autem cum strictè & propriè, vt accidit, quando pro corpore, id est hominum multitudine certa vsurpatur, quæ suis legibus, ac institutis vitam componens, ad finem tendit sibi peculiarem ac proprium. Et in hoc postremo sensu, nomen Cleri in quæstione sumitur.

QVÆSTIO VI.

Quinam censeantur interdicti generaliter, qui specialiter ac nominatim.

DIco primò, *Cùm interdictum est generale, inhiberi à sepultura, Sacramentis, & alijs diuinis officiis, qui in interdicto populi continentur, tanquam membra, & partes eius populi, qui interdicitur*

interdicitur, etsi non nominentur, nec interdicto causam dederint.

Causa est, quod in toto, eius quoque partes comprehendantur omnes.

Quid si Laicorum duntaxat mentio fiat in interdicto?

Respondendum, tale interdictum personale populi, seu Laicorum habitatorum loci, non includere Clericos.

Ratio est, quod lex alios non notet, quam qui significantur per verba eius, nec sententia alios puniat, quam quos exprimit, at Laici non sunt iidem qui Clerici, quare celebrare isti poterunt, non támen illi sacro Missæ officio interesse, sicut interdicto Clero, fas est Laicis, aduocatis aliunde Clericis, vti ad res diuinas, ac operam eorum ad sacrificium exigere, eique interesse, ex Nauar. & Reginald. *num. 7.*

Dico secundò, *Interdictos specialiter hos esse, qui sunt de familia interdicta*, quia speciale interdictum vniuersitatem non afficit: nominatim autem, qui expresse in interdicto nominantur, aut sufficienter designantur.

Patet ex ipsa notione nominis, quæ non nisi indiuiduæ personæ conuenit, aut si pluribus, non tamen, nisi vt hæ sunt ab inuicem seiunctæ, nec ad faciendam communitatem vnam aggregatæ, ob quam causam putarem, interdictum contra fures, 5. aut 4. qui non nominantur, quia nesciuntur, sed tantum in communi, speciale non esse, sed particulare.

Patet hinc discrimen quod est inter interdictos generaliter & specialiter, seu singulariter. Nam generaliter interdicti, quandiu sunt de populo interdicto, non possunt vsquam interesse diuinis, quia cum interdictum sit personale, sequitur personam. Tamen si domicilium ita mutent vt membra amplius non sint illius populi, cessabunt quoque esse interdicti.

Ratio est, quia interdictum personale generale ligat personas, quatenus sunt membra illius populi: ergo si mutatione soli, ad illum pertinere desierint, cessant esse interdicti.

Ob causam oppositam dicendum est, quod qui ad populum interdictum aliunde adueniunt, cum voluntate constituendi ibi domicilij, interdictos esse illico, ac illud sibi in eo loco, aut vrbe delegerint.

Causa est, quod hoc delectu, eius loci ciues, populique membra esse incipiant.

Dico tertiò, *Nobiles, Duces, Marchienes, Comites, ac Barones, interdicto eidem subiacere, quo populum, etsi sint innocentes.*

Quia licet sint membra eminentiora, tamen sunt vera membra populi. Et licet sæpe sint exempti ab aliquibus oneribus, tamen hoc non arguit, eos de populo non esse, sed potius contrarium, alioqui talis exemptio, necessaria eis non foret.

Dico quartò, *Interdicto non subesse, qui in ciuitate populi interdicti habitant ad tempus, studij, vel negotiorum causa.*

Quia ad eam non pertinent, vt pars ad totum, aut ad corpus membrum.

QVÆSTIO VII.

Quis possit interdicere, quem, & quamobrem.

De causis interdicti hic agitur, efficiente, subiectiua, materiali & obiectiua.

Et notandum primò, interdicti materiam duplicem esse, remotam vnam, proximam alteram, remota sunt personæ, vniuersitas, & Collegia, proxima peccatum aliquod.

Notandum secundò, Interdictum distribui in locale generale tantum, personale & speciale, & de causa vtriusque, quæstionem hic esse, quam assertionibus sequentibus explicabimus.

Prima assertio, *Is tantum interdicere iure communi, ac ordinario potest, qui excommunicare, & suspendere.*

Quia ad vnumquodque eorum requiritur, & sufficit fori externi iurisdictio, qua cum Episcopi polleant, illisque functis, Capitulum, Prælati, Abbates, Priores, certum est eos interdicti efficientem causam esse posse, iuxta Suar. *tom. 5. disp. 36. sect. 1.* Sotum *in 4. disp. 2 2. q. 3. art. 1. concl. 3.* Reginald. *cap. 26. nu. 14* Fernandez *parte 2. cap. 12. num. 4.*

Non tamen extra proprium territorium, quia extra illud non habent iurisdictionem, nec locum, qui proprie sibi sit subiectus, quare loquendo de interdicto locali, omnino statuendum est, extra prouinciam suam, Episcopum ponere vllum non posse. Eidem autem, cum est personale, subiicere personas posse, in casibus illis, in quibus eum diximus excommunicare posse subditum in aliena Parœcia versantem: hoc dixit Auila *parte 5. disp. 2. dub. 2.* & de suspens. *disp. 4. dub. 1. conclus. 2.* Sebastianus Medicis *in summa peccat Capitulum tit. 9. q. 5.*

Equidem est in Ecclesia potestas ligandi, non coarctata, aut limitata ad hũc aut illum modum, sed generalis, quæ omnes modos ligandi, non solum ad pœnam, sed etiam ad culpam, iustis de causis illam nõ absoluendo comprehendit, ita colligunt Patres ex illis verbis. Quidcunque ligaueritis *Matth. 16. & 18.* & *Lucæ 10.* Qui vos audit me audit; quem

locum de Episcop. Cyprian. intelligit *lib.1. epist.3.& lib.4. epist.9. lib.5. epist. 6. Inde*, inquit, *per temporum, & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit. Vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur, & ad Iubaianum epist. 73. iuxta edition.* Pammelij *Vnde intelligimus non nisi in Ecclesia præpositis, & in Euangelica lege, ac Dominica ordinatione fundatis licere baptizare, & remissam peccatorum dare*, sed inter modos ligandi, quos Ecclesia seruat & adhibet, numerari debet interdictum, quod est in eo, vt Episcopi tam Romanus, quam qui Diœcesibus præsident, possint in foro exteriori, priuare fideles bonis spiritualibus, quorundam Sacramentorum fructu, diuinorum officiorum & sepulturæ vsu, quare cum hæc facultas à Christo vt à fonte, in eos dimanet, ac profluat, huius censuræ sicut & cæterarum, efficiens causa ministerialis Papa & Episcopi dici possunt: Benzonius *de interdicto Veneto cap.2.*

Secunda assertio, *Tam personæ, quam Collegia, prouinciæque & Vrbes interdici possunt.* Rem definiere canones maxime sequentes, de vrbe fit mentio *in cap. si ciuitas 15. & cap. si sententia 17. de sentent. excomm. in 6. can. alma mater 24. eod. titulo*, quid enim vetat, sacrorum vsu, ac Missæ, Sacramentorumque, prohiberi Collegium, in pœnam culpæ admissæ, à maiori parte eorum hominum, qui illud coagmentant?

At non est communitas capax in se rerum spiritalium (inquies) cum abstracte sumpta ac proprie, ens sit rationis, ergo cum priuatio, aptitudinem in subiecto exigat ad formam, qua priuare debet, Sacramentis, ac sepultura proprie, orbari non potest, ergo nec interdici.

Respondend. est communitatem, per se quidem capacem non esse actuum, quibus interdictum priuat, esse tamen in partibus suis, ac personis particularibus, quæ illam integrant.

Ex quo patet communitatem duobus accipi modis posse, primo formaliter, secundo materialiter, vt his nempe & illis personis conficitur, verumque esse, eam primo modo capacem non esse actuum, quibus priuat interdictum, esse autem, cum supponit pro omnibus eius partibus.

Assertio tertia, *Si Episcopus, aut pastor Ecclesiæ, interdictum ferant in communitatem, eo non ligantur, ipsi, secus si sit locale.*

Pars prima est huiusmodi, de qua ambigi iuste nequeat, nam nemo in se iuridice aduertere, ac se absolutè per se, & directe vinculo censuræ potest obligare, cum in se iurisdictionem fori externam non habeat.

Pars altera similiter est certa, Interdictum enim locale locum afficit, ex quo in personas redundat, seipsum ergo Episcopus interdicere potest per accidens. Et hæc de materia interdicti remota dicta sunto, veniamus ad proximam.

Assertio quarta, *Interdictum locale siue generale sit, siue speciale, imponi non potest, nisi ob mortale eius, cuius causa ponitur.* Ita P. Henriq. *cap.5.num.2,* Reginald. *loco proxime citato, & alij.*

Causa est eadem quæ allata est à nobis cum de excomm. sermo esset. Enimuero debet intercedere similitudo aliqua inter culpam & pœnam, & vice versa, ergo cum in genere pœnæ, interdictum sit graue, non nisi ob mortale inferri poterit, & quidem eiusmodi, quod sua grauitate cætera superet, si fides est habenda Auilæ *5. parte disp.3. dub.2.* quo enim eius vis & efficacia, ad plures pertinet, quam excommunicationis, quæ vnicum tantum afficit delinquentem, hoc quoque causam interdicti grauiorem esse conuenit, quo non modo sontes comprehendi est certum, sed etiam innocentes.

Assertio quinta, *Interdictum personale generale, aut speciale, non potest imponi nisi ob mortale peccatum personæ eius, cuius causa infertur,* Suar. *disp.36 sect.3.* Eadem ratio est quæ præcedentis assertionis, nempe quod culpæ par & æqualis esse pœna debeat.

Quid si sit personale singulare? credit Armilla *verbo suspensio num.1.* Molina *de instit. to.4. tract.7. disp.75. num 1.* Caiet. *verbo interdicti violatio* Henriq. *cap.5. num.2.* Auila *5. parte disp.2. dub.2. conc.1.* ob peccatum suum veniale, interdicto puniri quem posse, quæ est etiam opinio Emm. Sa *verbo Interdictum num.7.*

Nituntur maxime hoc argumento, quod excommunicatio minor, pœna sit grauior interdicto, nam illa Sacramentis priuat, istud autem, sola auditione diuinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, quæ duæ res in ratione pœnæ, non sunt cum Sacramentorum priuatione conferendæ, ergo vt minor excommunicatio reum tantum venialiter afficit, ita & interdictum personale singulare, eiusmodi tantum culpæ conscium notare poterit.

Sed neganda est maior, cum opinione hominum, à qua pœnarum acerbitas est petenda, durius sit homini, arceri diuinis officiis, quam Sacramentis, indicio est, quod multis, Sacramenta sint in odio, aut certe contemptu ac tædio, vt qui ea frequentius non obeant, quam semel tantum annis singulis, & sæpe coactè, cum

cum quotidie templa frequentent, sacrum ibi inaudiant & in speciem pie admodum & religiose.

Deinde cum non habeant hæ duæ censuræ priuationem earundem rerum, sed omnino diuersarum, ex argumento allato inferri tantum potest, quod secundum quid tantum, minor excommunicatio grauitate interdictum superet, & hoc illam, quod est verissimum, cum se habeant ad inuicem tanquam excedens & excessum.

Dico ergo mihi probabilius videri, interdicti quoque personalis singularis causam, aliam non esse quam culpam mortalem.

In quā me mentem impellit ratio, quæ ex æqualitate supplicii cum eius causa, quæ est culpa necessario est petenda. Quare cum acerbius homini religioso ac timenti Deum esse nihil possit, priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ, Missæ, Vesperarum, ac diuinorum officiorum, abhorret à prudentia dicere, tantæ pœnæ causam leuem esse. Et huius opinionis sunt Sanchez *de matrim. to.4. lib.9. disp.32.num.29.* Suar. *to. 5. disp.4 sectione* 10. Filliucius *to.1.tract.20. cap. 3.num.*58. Laym. *lib. 1. tract.5. cap. 4 num. 4.* quibus obsistunt Sa *verbo Interdictum num.7.* Henriq. *lib.11.ca.*50.*num. 2.* Auila *par. 5.disp.3.dub. 2.* maxime si interdictum sit ad breue tempus, & natura sua leue.

QVÆSTIO VIII.

Interdicti causa subiectiua quæ?

INterdicti materialis causa, seu subiectū, non solum sunt personæ particulares, siue Ecclesiasticæ, siue seculares, sed etiam vniuersitas in communi, Nauar. *cap. 27. num.* 168. Sylu. *verbo interdictum 3.num.1.* Bonifac. VIII. *in decretali quanquam 4. de censibus in 6.* vbi quā quemque pœna plecti oporteat, ob imposita Clericis pedagia, ac gabellas, sic declarat, *Qui contra fecerint, si personæ fuerint singulares, excommunicationis, si autem collegium, vel vniuersitas, ciuitatis, castri, &c. ipsa ciuitas castrum, vel locus, interdicti sententias ipso facto incurrant.*

Secundo interdicti materialis causa est locus, *cap. si sententia 16. & ca. si ciuitas 17. de sent. excomm. in 6.* vbi castri, villæ, ciuitatis, & Ecclesiæ fit mentio, vti rerum quæ Ecclesiastico supponi interdicto queunt.

Tertio, non modo nocentes interdicto ob culpam suam subiici possunt, sed & insontes, quatenus sunt vniuersitatis interdictæ pars aliqua, aut principis quem puniri

A oportet, potestati obnoxii, vt enim filius, res est quæpiam patris, ita & subditus domini, hic ergo in isto, & ille in filio, tanquam in re quapiam, quæ ad eorum ius pertinet, recte puniri ac iustè sunt censendi, & ita censuræ, non modo pœnæ rationem habent, quantum ad eos qui pro illis castigantur, sed etiam medicinæ quoad eos qui plectuntur, etsi sint inculpabiles, Diu. Thom. 1.2.q. 87. *art.*8. Castro *lib.1. de lege pœn.cap.3.*

Hos autem licet immerentes eadem inuolui pœna, qua dominos eorumque Principes,
B æquitas ipsa postulat.

Primo vt hi de admisso à se crimine cuius causa ciuitatem ac prouincias, innocentes æque ac noxios, interdicto vident suppositos, acriori doloris sensu pungantur.

Secūdo, prodest etiam in sontibus, interdictum quo afficiuntur, vt odio tam culpam quæ eius est causa, quam illius auctorem prosequantur, cum se sine causa vlla sua, propter eius crimen sacris arceri vident.

C

QVÆSTIO IX.

Explicantur interdicti causæ duæ aliæ, finalis scilicet & formalis.

INterdicti finalis causa multiplex omnes tamen ad sequentes, aut earum aliquam, reuocare memoriæ ac perspicuitatis gratia facile.

Et primo quidem id mihi in interdicto spectare videtur Ecclesia, vt Principi, qui eo plectitur, culpæ suæ odium imprimat, eoque vehementius, quo ad plures eius effe-
D ctus pertinere videt, ac manare copiosius, nam quid accidere homini non omnino hebeti potest acerbius, quam culpa sua iacere in luctu ac squallore populos, insontes iuxta pueros ac mulieres, ac cuiusquemodi homines priuari sacris, à sacramentis ac diuinis reiici officiis; ac vbi illis vltima sua ac decretoria dies aduenerit, sine solitis sepulturæ Catholicæ honoribus terræ mandari? ac in suū, hoc est maiorum tumulū ritu Catholico
E inferri nō posse? hæc omnia secum incommoda vehit, trahitque interdictum Ecclesiæ, non modicis ergo pungi doloribus Principem est necesse, si charitatis ei aduersum se, suosq; sensus superest adhuc aliquis, vt enim hi ægri esse, eo valente ac sano, nequeunt, ita nec potest ille nō gemere, his gemētibus: cum quæ mala, quæ animi vulnera patiuntur ac ferunt, in eius perniciem caputque, ac sanguinis, communione quadam amoris certo redundent ac vergant.

Secundo interdictum cum imponit Ec-

clesia, quod cuique natura licet, tueri se satagit, cum enim ob principis contumaciam bellum quoddam cum inter, & illam intercedat, quis non videt iustam isti ac honestam subesse causam distringendi in eum interdicti? subditosque eius, ne illi consentiant, ac faueant, priuandi Sacramentis, ac diuinis officiis? cum enim, bonis se eius causa, maximis ac diuinis orbari vident, non possunt, si Catholici esse pergunt, eius non odisse superbiam, improbare contumaciam, quod quandiu faciunt, ne ei propitij sint ac placabiles, ne peruicaciæ approbatores, metui iustè non potest.

Tertio silere templa, mœrere altaria, sacra à populo minime frequentari officia, interdicto personas, ac prouincias subiici vult Ecclesia, vt his rebus, mœrorem suum de obduratione Principis præ se ferat, cum tunc temporis viæ Sion lugeant, eo quod nemo sit qui ad solemnitatem veniat, pompam enim omnem sacrorum, ceremoniasque in Dei cultu vsurpari solitas negligit, vt Principem lugendum esse indicet, eumque istiusmodi tristi ac miserabili rerum facie, ad Deum, seque ipsum reuocet, ita Tolet. *in summa lib.1.cap.19.num.11.*

Ad formã quod attinet, qua indici interdictum oporteat, sic habeto, eam in iure certam nullam esse, ac expressam, vt notant Sylu. *verbo interdictum 3. parag. 7.* Henriq. *lib.13 cap.50.* ad eius tamen essentiam quãdo est ab homine, multa concurrere, quæ formæ vicem gerant, vt quod in scriptis feratur, *cap.1. de sent. exco. in 6.* cum expressione causæ ob quam imponitur, monitione trina præuia, ac speciali denunciatione nominatim facta & in indiuiduo certi loci, vel certæ personæ, vt dicitur *in cap. reprehensibilis de appellationib. & cap. statuimus 3. de sententia excommunicationis in 6.* maxime si feratur in participãtes cum excommunicatis, ab eo, à quo emanat interdictum, Nauar. *ca.27. num.164.* Henriq, *lib. 13. cap.50. num. 3.* Non est tamen monitio hæc necessaria, cum interdictum fertur vt pura pœna ob delictum, Suar. *tom.5. disp.36. sect. 3.* sed tantum cum per modum censuræ imponitur ad reprimendam contumaciam, Suar. ibi. An autem exigatur denũciatio ad effectum, vt tam loca, quam personæ euitentur, dicetur postea.

Et quanquam certæ nullę sint, propriæque voces adhibendæ necessario ad interdictum, eiusmodi tamẽ esse oportet, tam ipsas, quam quę his adiunctæ sũt, & quæ eas præcedunt, & subsequuntur, vt significẽt sermonẽ de hac censura fieri, vt constat, *ex cap. non est vobis de sponsalib.* alioqui sententia nihil efficeret, nec effectum interdicti proprium pro- A duceret vt docet Suar. *disp.3. sect.2.*

QVÆSTIO X.

An interdictum tam generale quam speciale, imponi ob culpam alienam possit ac debeat.

RESpondendum est posse, sic enim Pontifices *in cap. sicut de iureiur. 29. cap. non est 11. de sponsalibus cap. sane 11. de offic. iudicis delegati*, vbi dicitur iudici delegato permis- B sum esse, rebellem Episcopum, ac Papæ inobsequentem punire interdicendo ei ingressum Ecclesiæ ac *terram illius*, verba sunt *can. quæ ad iurisdictionem pertinet suam, speciali interdicto supponendo.* Docentque Castrus Palaus *to.1. tract.3. disp.1. puncto 15.* Diana *3. parte 6. miscell. resolut.76.* cum asserunt suspensionem, irregularitatem, & interdictum imponi aliquando *extra omnem culpam*, interdicti & suspensi.

Neque id modo verum est de locali interdicto generali, sed personali quoque. quo- C modo enim locus interdici potest, in pœnam culpæ ab eius Domino admissæ, ita & personæ ei subiectæ, in illius odium, aut si id repugnat, repugnantiæ causa producatur. Dixi locale generale, ob culpam Domini vel gubernatoris, nam ob culpam priuatæ alicuius personæ interdici aliquem: vetat Basileense Concil. *sess. 10.* quoad hanc partem à *Nicolao V.* approbatum.

Dices puniendum esse neminem, sine sua aliqua culpa, at quid peccauit populus, inte- D ger, qui ob peccatum Principis interdicitur? cum pueros, aliquid admittere honestati Christianæ oppositum, non sit credibile, nec enim ea ætate ratione vtuntur, sine qua tamen, peccato locus esse quis potest?

Ad maio. Respondend. primo falsum esse, puniri posse ob culpam alienam, neminem, cum vsus experientiaque doceant, nocere liberis paterna scelera, ob quæ priuati hæreditate sibi debita, igni sæpe & aqua interdicuntur nullo merito suo.

Respondend. 2. interdictum in casu proposito, non esse respectu populi innocentis, E supplicium, sed tantum afflictionem, ita Alfons. Castrius *lib.1. de lege pœn. cap.3.* Auila 5. *par. disp.3. dub. 1. ad primum*, quæ sine culpa, non tamen sine iusta causa imponi afflicto potest, exemplo Tobiæ, quem Deus est passus capi oculis, vt posteris exemplum esset patientiæ.

Aduertendum hic tamen ob debita Domini æsque ab eo contractum, interdicto regnum aut prouinciam supponi non posse vetante id Pontifice *in Extrauag. Proinde attendentes*

tendentes de sentent. excommunicat. quod non videatur Ecclesiasticæ benignitatis esse, pro re nihili exercere censurarum ensem, ac fulmina, maximè cum cuique rationes suppetant, nec paucæ, nec inualidæ præter censuras, recuperandi quod sibi à Principe debitum esse, causari potest.

QVÆSTIO XI.

Quot modis violetur interdictum Ecclesiasticum.

PRimo violatur à Clerico si interdictus specialiter, aut personaliter, actum sui ordinis exercere præsumat, quo tempore irregularitatem contrahit, Sylu. *verbo interdictum 6. num. 2.* Ordinis autem nomine, Missæ intelligendæ veniunt, Horæ canonicæ collegialiter recitatæ, exequiæ, ac benedictiones solennes, omniaque de quibus habentur Rubricæ in Breuiario, vel Missali, Benzonius *de iustitia interdicti Veneti cap. 5. exceptis his*, inquit, *quæ sunt dispositiones, vel sequelæ ad aliquod Sacramentum, eo tempore licitum exhiberi, sicut Catechismus respectu Baptismi, & commendatio animæ, quæ respectum habet ad absolutionem in pœnitentia ministratam* Benzon. loco citato proximè.

Secundo violatur interdictum à Clerico, si cum interdictus non sit, diuina officia tamen celebret in loco interdicto.

Tertio, si personaliter ac specialiter interdictus, sacris intersit, vel Sacramenta sibi prohibita dari sinat.

Quarto si interdictos personaliter, post factam interdicti denunciationem, diuinis interesse, vel Sacramenta ab iis patiatur recipi.

Interdictum autem locale violatur à Clericis & religiosis, si diuina celebrent, non obseruata moderatione *cap. alma mater de sentent. in 6.* id est cum pulsu campanarum, ianuis apertis, non exclusis excommunicatis, & interdictis, voce elata, vt à Laicis audiri possint.

Secundo violatur, cum qui præsunt Ecclesiæ, alios sine dicta moderatione, diuina officia in loco interdicto celebrare sinunt, ita Pontifex *in cap. non est vobis de sponsalib.* ibi. *Ne celebretis, nec alium celebrare permittatis.*

A

QVÆSTIO XI.

Quæ sint pœnæ Clerici interdicta violantis.

DIco primò, *Peccare Clericum mortaliter, cum interdictum violat*, quia in re quæ plurimi interest ad dignitatem Ecclesiæ, eius præcepto morem non gerit.

Excusant primò, inaduertentia, secundo materiæ leuitas, quæ in eo maximè conspicitur, quod Clerici aliquem V. C. subitò

B ac incogitanter ad diuina officia admittant, aut contra præscriptum interdicti, psalmum vnum cum eo canant. Suar. *disp. 34. sect. 4. num. 9. &* 10. vbi tradit in rebus leuibus quoad præsens institutum, non habendam esse Sacramenti vllius administrationem, secundo nec lectionem solemnem epistolæ, aut Euangelii, vel orationis publicæ, quæ præmisso, *Dominus vobiscum*, tempore diuini officii canitur, quod hæc ob rei dignitatem, materiam grauem constituant, quam opinionem Ægidius quoque defendit *disp. de*

C *censur. 17. dub. 43. num. 65.* non est hæc autem grauitas ex sola illius longitudine æstimanda, sed etiam ex magnitudine auctoritatis, & solemnitatis cum qua profertur, sic peccare mortaliter hebdomadarium qui Sacerdos est Reginald. asserit *cap. 30. num. 46.* qui orationem in choro canit, & Episcopum qui benedictionem fidelibus impertit, quia etsi sint de se res leues, tamen vt sunt pars officii diuini, sunt notabiles. Idem ibid.

Dico secundò, *Peccare item mortaliter Laicos, cum interdictum locale violant.*

D Primo cum fraude, mendacioque, facultatem obtinent audiendi in eo diuina officia, putà, quia mentiuntur se Clericos, aut habere priuilegium.

Secundo, cum ingressi templum aut locum interdictum, Clericos cogunt, vt coram se diuina celebrent officia, aut ipsimet ea sic in eo celebrant, quo modo celebrata à Clerico, reprehenduntur in interdicto.

Probatur assertio primo, quia mendacio

E quia fraude, alteri sunt causa, nempe Clericis, faciendi contra præceptum Ecclesiæ, prohibentis ad diuina interdictos admittere, aut in loco interdicto, quod esse non potest sine scandalo, cum res scitur.

Secundo, quia est hæc actio, cum contemptu Ecclesiæ coniuncta.

Peccant item mortaliter, cum per vim in locum se interdictum inferunt, indeque iussi egredi, Clericis id imperantibus parere renuunt. Nauar. *cap. 27. num. 187.* Auila 5. *par.*

clesia, quod cuique natura licet, tueri se satagit, cum enim ob principis contumaciam bellum quoddam cum inter, & illam intercedat, quis non videt iustam isti ac honestam subesse causam distringendi in eum interdicti? subditosque eius, ne illi consentiant, ac faueant, priuandi Sacramentis, ac diuinis officiis? cum enim, bonis se eius causa, maximis ac diuinis orbari vident, non possunt, si Catholici esse pergunt, eius non odisse superbiam, improbare contumaciam, quod quandiu faciunt, ne ei propitij sint ac placabiles, ne peruicaciæ approbatores, metui iustè non potest.

Tertio silere templa, mœrere altaria, sacra à populo minime frequentari officia, interdicto personas, ac prouincias subiici vult Ecclesia, vt his rebus, mœrorem suum de obduratione Principis præ se ferat, cum tunc temporis viæ Sion lugeant, eo quod nemo sit qui ad solemnitatem veniat, pompam enim omnem sacrorum, ceremoniasque in Dei cultu vsurpari solitas negligit, vt Principem lugendum esse indicet, eumque istiusmodi tristi ac miserabili rerum facie, ad Deum, seque ipsum reuocet, ita Tolet. *in summa lib.1.cap.19.num.11.*

Ad formā quod attinet, qua indici interdictum oporteat, sic habeto, eam in iure certam nullam esse, ac expressam, vt notant Sylu. *verbo interdictum 3. parag. 7.* Henriq. *lib.13 cap.50.* ad eius tamen essentiam quādo est ab homine, multa concurrere, quæ formæ vicem gerant, vt quod in scriptis feratur, *cap.1.de sent. exco. in 6.* cum expressione causæ ob quam imponitur, monitione trina præuia, ac speciali denunciatione nominatim facta & in indiuiduo certi loci, vel certæ personæ, vt dicitur *in cap. reprehensibilis de appellationib. & cap. statuimus 3. de sententia excommunicationis in 6.* maxime si feratur in participātes cum excommunicatis, ab eo, à quo emanat interdictum, Nauar. *ca.27.num.164.* Henriq, *lib. 13. cap.50.num.3.* Non est tamen monitio hæc necessaria, cum interdictum fertur vt pura pœna ob delictum, Suar. *tom.5. disp.36. sect. 3.* sed tantum cum per modum censuræ imponitur ad reprimendam contumaciam, Suar. ibi. An autem exigatur denūciatio ad effectum, vt tam loca, quam personæ euitentur, dicetur postea.

Et quanquam certæ nullę sint, propriæque voces adhibendæ necessario ad interdictum, eiusmodi tamē esse oportet, tam ipsas, quam quę his adiunctæ sūt, & quæ eas præcedunt, & subsequuntur, vt significēt sermonē de hac censura fieri, vt constat, *ex cap. non est vobis de sponsalib.* alioqui sententia nihil efficeret, nec effectum interdicti proprium pro- A duceret vt docet Suar. *disp.3.sect.2.*

QVÆSTIO X.

An interdictum tam generale quam speciale, imponi ob culpam alienam possit ac debeat.

RESpondendum est posse, sic enim Pontifices *in cap. sicut de iureiur. 29. cap. non est 11. de sponsalibus cap. sane 11. de offic. iudicis delegati*, vbi dicitur iudici delegato permis- B sum esse, rebellem Episcopum, ac Papæ inobsequentem punire interdicendo ei ingressum Ecclesiæ ac *terram illius*, verba sunt *can. quæ ad iurisdictionem pertinet suam, speciali interdicto supponendo.* Docentque Castrus Palaus *to.1.tract.3.disp.1.puncto15.* Diana *3.parte 6. miscell. resolut.76.* cum asserunt suspensionem, irregularitatem, & interdictum imponi aliquando *extra omnem culpam*, interdicti & suspensi.

Neque id modo verum est de locali interdicto generali, sed personali quoque. quo- C modo enim locus interdici potest, in pœnam culpæ ab eius Domino admissæ, ita & personæ ei subiectæ, in illius odium, aut si id repugnat, repugnantiæ causa producatur. Dixi locale generale, ob culpam Domini vel gubernatoris, nam ob culpam priuatæ alicuius personæ interdici aliquem: vetat Basileense Concil. *sess.* 10. quoad hanc partem à *Nicolao V.* approbatum.

Dices puniendum esse neminem, sine sua aliqua culpa, at quid peccauit populus, inte- D ger, qui ob peccatum Principis interdicitur? cum pueros, aliquid admittere honestati Christianæ oppositum, non sit credibile, nec enim ea ætate ratione vtuntur, sine qua tamen, peccato locus esse quis potest?

Ad maio. Respondend. primo falsum esse, puniri posse ob culpam alienam, neminem, cum vsus experientiaque doceant, nocere liberis paterna scelera, ob quæ priuati hæreditate sibi debita, igni sæpe & aqua interdicuntur nullo merito suo.

Respondend. 2. interdictum in casu proposito, non esse respectu populi innocentis, E supplicium, sed tantum afflictionem, ita Alfons. Castrius *lib.1. de lege pœn. cap.3.* Auila 5. *par. disp.3. dub. 1. ad primum*, quæ sine culpa, non tamen sine iusta causa imponi afflicto potest, exemplo Tobiæ, quem Deus est passus capi oculis, vt posteris exemplum esset patientiæ.

Aduertendum hic tamen ob debita Domini æsque ab eo contractum, interdicto regnum aut prouinciam supponi non posse vetante id Pontifice in *Extrauag. Proinde attendentes*

tendentes de sentent. excommunicat. quod non videatur Ecclesiasticæ benignitatis esse, pro re nihili exercere censurarum ensem, ac fulmina, maximè cum cuique rationes suppetant, nec paucæ, nec inualidæ præter censuras, recuperandi quod sibi à Principe debitum esse, causari potest.

QVÆSTIO XI.

Quot modis violetur interdictum Ecclesiasticum.

PRimo violatur à Clerico si interdictus specialiter, aut personaliter, actum sui ordinis exercere præsumat, quo tempore irregularitatem contrahit, Sylu. *verbo interdictum 6. num. 2.* Ordinis autem nomine, Missæ intelligendæ veniunt, Horæ canonicæ collegialiter recitatæ, exequiæ, ac benedictiones solennes, omniaque de quibus habentur Rubricæ in Breuiario, vel Missali, Benzonius *de iustitia interdicti Veneti cap. 5. exceptis his*, inquit, *quæ sunt dispositiones, vel sequelæ ad aliquod Sacramentum, eo tempore licitum exhiberi, sicut Catechismus respectu Baptismi, & commendatio animæ, quæ respectum habet ad absolutionem in pœnitentia ministratam* Benzon. loco citato proximè.

Secundo violatur interdictum à Clerico, si cum interdictus non sit, diuina officia tamen celebret in loco interdicto.

Tertio, si personaliter ac specialiter interdictus, sacris intersit, vel Sacramenta sibi prohibita dari sinat.

Quarto si interdictos personaliter, post factam interdicti denunciationem, diuinis interesse, vel Sacramenta ab iis patiatur recipi.

Interdictum autem locale violatur à Clericis & religiosis, si diuina celebrent, non obseruata moderatione *cap. alma mater de sentent. in 6.* id est cum pulsu campanarum, ianuis apertis, non exclusis excommunicatis, & interdictis, voce elata, vt à Laicis audiri possint.

Secundo violatur, cum qui præsunt Ecclesiæ, alios sine dicta moderatione, diuina officia in loco interdicto celebrare sinunt, ita Pontifex *in cap. non est vobis de sponsalib.* ibi. *Ne celebretis, nec alium celebrare permittatis.*

A

QVÆSTIO XI.

Quæ sint pœnæ Clerici interdicta violantis.

DIco primò, *Peccare Clericum mortaliter, cum interdictum violat*, quia in re quæ plurimi interest ad dignitatem Ecclesiæ, eius præcepto morem non gerit.

Excusant primò, inaduertentia, secundo materiæ leuitas, quæ in eo maximè conspicitur, quod Clerici aliquem V. C. subitò
B ac incogitanter ad diuina officia admittant, aut contra præscriptum interdicti, psalmum vnum cum eo canant. Suar. *disp. 34. sect. 4. num. 9. & 10.* vbi tradit in rebus leuibus quoad præsens institutum, non habendam esse Sacramenti vllius administrationem, secundo nec lectionem solemnem epistolæ, aut Euangelii, vel orationis publicæ, quæ præmisso, *Dominus vobiscum*, tempore diuini officii canitur, quod hæc ob rei dignitatem, materiam grauem constituant, quam opinionem Ægidius quoque defendit *disp. de*
C *censur. 17. dub. 43. num. 65.* non est hæc autem grauitas ex sola illius longitudine æstimanda, sed etiam ex magnitudine auctoritatis, & solemnitatis cum qua profertur, sic peccare mortaliter hebdomadarium qui Sacerdos est Reginald. asserit *cap. 30. num. 46.* qui orationem in choro canit, & Episcopum qui benedictionem fidelibus impertit, quia etsi sint de se res leues, tamen vt sunt pars officii diuini, sunt notabiles. Idem ibid.

Dico secundò, *Peccare item mortaliter Laicos, cum interdictum locale violant.*

D Primo cum fraude, mendacioque, facultatem obtinent audiendi in eo diuina officia, puta, quia mentiuntur se Clericos, aut habere priuilegium.

Secundo, cum ingressi templum aut locum interdictum, Clericos cogunt, vt coram se diuina celebrent officia, aut ipsimet ea sic in eo celebrant, quomodo celebrata à Clerico, reprehenduntur in interdicto.

Probatur assertio primo, quia mendacio
E quia fraude, alteri sunt causa, nempe Clericis, faciendi contra præceptum Ecclesiæ, prohibentis ad diuina interdictos admittere, aut in loco interdicto, quod esse non potest sine scandalo, cum res scitur.

Secundo, quia est hæc actio, cum contemptu Ecclesiæ coniuncta.

Peccant item mortaliter, cum per vim in locum se interdictum inferunt, indeque iussi egredi, Clericis id imperantibus parere renuunt. Nauar. *cap. 27. num. 187.* Auila 5. *par.*

disp. 5. *dub.* 5. Equidem cum diuinæ rei celebratio, ad eum modum, quo à Clericis fieri solet, in loco maximè interdicto, indecentiã habeat non vulgarem, eamque repugnantẽ Ecclesiæ voluntati, quis non videt, tolerabilem eam non esse, proindeque lethalem?

Placet mihi tamen eorum opinio, qui negant Laicum cum personaliter non est interdictus peccare plusquam venialiter, quando sine vi, fraude ac scandalo diuinis interest officiis, quæ est sententia, Nauar. *cap.* 27. *nu.* 187. Sylu. *verbo interdictum* 6. *n.* 7.

Ratio est, quod lex interdicti localis, directe ac per se ad Laicos non tendat: eius ergo obligatio, comparatione eorum est minus grauis quàm Clericorum, ergo cum hi peccent mortaliter, non peccabunt alii nisi venialiter.

Dico tertiò, *Clericum qui interdicti sententiam, non profert in scriptis, pœnam constitutionis*, Innoc. IV. cui initium *cum medicinalis de sentent. excomm. subire*, quæ est, in eo sita, vt per mensem illi sit Ecclesiæ ingressus interdictus, cum quo impedimento si celebrat, est irregularis per decretalem Bonifac. VIII. *is qui de sentent. excommunicat. in* 6. his verbis: *Is cui est Ecclesię interdictus ingressus, irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi, diuinis in ea se ingerat, in suo agens officio sicut prius, cum sibi per consequens, censeatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta.*

Vt autem quis teneatur hac pœna non opus est dolo, vt docet Glossa *in cap.* 1. *de sent. excommu.* satis est fatuitas, stultitia, & negligentia, & item ignorantia crassa, quæ non sit causa sine qua non actionis, ex sententia Comitol. 6. *Respons. q.* 51. *num.* 3. qui de hac vniuersa re sic scribit. *Ignorantia crassa & supina,* inquit Panormit. *in can. Apostolicæ de Clerico excom. ministrante num* 3. *dicitur quando de facili potuit quis scire, & non curauit,* & in eodem comment. *Ignorantia,* inquit, *crassa & supina, & latissima culpa* æquiparantur scientię, etiam in pœnis delictorum, pro quo est textus *in can.* 1. *de ordinato ab Episcopo qui Episcopatui renuntiauit*, quod & alii dixere minime contemnendi Theologi, maxime Sotus in 4. *dist.* 43. *q.* 1. *art.* 32. *concl.* 3.

Ex quo patet quam verè à nobis sit dictum, quod cum dolo, crassa negligentia æquetur, scientiæque æquipolleat, ad hanc pœnam incurrendam, non exigi dolum in eo quem afficit, sed sufficere ignorantiam crassam cẽsuræ, quę non sit causa sine qua non actus, consulẽda quæstio, quam de hac re instituimus *in tract. de censuris in genere.*

Dico quartò, *Clericum tam sæcularem quam religiosum, qui præsumit illicite diuina celebrare in locis interdictis, aut excommunicatos & interdi-*

A *ctos publicè, nec toleratos, ad Sacramenta diuina officia, & Ecclesiasticam sepulturam admittit, suspendi ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfecerit ei cuius sententiam violauit*, Bonif. VIII. *in cap. Episcoporum* 8. *de priuileg. in* 6. *Qui contra præsumpserint, ingressum Ecclesiæ sibi nouerint interdictum donec de transgressione huiusmodi, ad arbitrium eius cuius sententiam contempserint, satisfecerint competenter.*

Est item irregularis Clericus, qui interdictum locale aut personale violat, per actum ordinis patet, *ex can. is qui* 18. *parag. Is vero, & cap. is. cui Ecclesiæ* 20. *de sent. in* 6. sic enim
B Bonifac. in priori sua sanctione *Is vero qui scienter in loco celebrat supposito interdicto, irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium, quam per Roman. Pontificem liberari*, Religiosi autem etiam exempti, illud non seruantes, maxime cum ab Ecclesia Cathedrali, aut Parochiali eius loci in quo sunt, custodiuntur, incurrunt excommunicationem Clement. I. *de sentent. excommunic.* quemadmodum & qui nominatim interdictum, & denuntiatum in loco sacro sepeliunt, Clement. I. de *sepultur.* à qua, inquit Clem. V. *nullatenus ab-*
C *soluantur nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi, eis, quibus per præmissa fuerit iniuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem.*

Dico quintò, *Eum à quo violatur interdictum, hac insuper pœna teneri, vt nec eligere nec eligi poßit*, Sylu. *interdictum* 6. *q.* 2. Henriq. *lib.* 13. *q.* 46. *num* 3. Comitol. *lib.* 6. *responsion. q.* 50. *num* 3. & 4. nec ad beneficium postulari, ex *decretali* Innoc. III. *prima de postulationib. prælatorum*. Nec ea diuina facere quæ ex officio solet, quas pœnas etiam in fœmina religiosa agnoscunt Diu. Anton. 3. *parte tit.* 25. *cap.*
D 4. *parag.* 1. Sylu. *in verbo Interdict.* 6. *q.* 3. Comitol. *num.* 4.

Est hæc etiam pœna, Clerico spernenti interdictum Ecclesiasticum constituta, vt iurisdictionis actum valide exercere nullum valeat. Ita Sylu. *in verbo interdictum* 6. *num.* 3. quia communis est Doctorum bene sentientium diiudicatio, eum suspensum esse ob hoc peccatum ab officio, & beneficio. Sane Gregor. IX. *in decret. tanta* 18. *de excessib. prælator.* Episcopi cuiusdam Hispani opera omnia, per eum à violatione interdicti
E Ecclesiastici gesta, irrita esse nullaq; sanxit. *Auctoritate*, inquit. *Dei omnipotẽtis omnem institutionem, destitutionem, collationem prebendarum, beneficiorũ, dignitatum præsumptas, per eundem Episcop. & excommunicationis seu interdicti sententias in quoscunque prolatas ab eo, post interdicti violationem eiusdem, decernimus irritas & inanes.* Quem in locum scribens Glossa. *Nota*, inquit, *in verbo irritas & inanes quod qui non seruat sententiam interdicti beneficia vel dignitates*

dignitates conferre non potest, tanquam suspensus, item nec talis potest excommunicare aliquem, cum quantum ad Sacramenta Ecclesiæ, excommunicatus reputetur, & paulo post. Ex eo quod dicit *irritas patet, quod institutiones, & excommunicationis sententiæ nullæ fuerunt 24 q. 1. can. audiuimus.*

Dico sextò, *Tam eum qui impedit ne interdictus templo exeat, quam interdicti ipsi, si moniti inter Missarum solēnia egredi, parere noluerint, excommunicationem incurrere Papæ reseruatam*, ita Clem. V. *Clem. 2. de sentent. excommunicat.* his verbis: *Ne igitur excessus sic graues excedentium impunitate trahantur ab aliis in exemplum, præsumptores præfatos, necnon excommunicatos publicè & interdictos, qui in ipsis Ecclesiis nominatim à celebrantibus, vt exeant moniti, remanere præsumpserint, excommunicationis sententia, (à qua per sedem duntaxat Apostolicam possint absolui) sacro approbante Concilio innodamus.*

DE EFFECTIBVS INTERDICTI.

QVÆSTIO XIII.

Et primo, de priuatione diuinorum officiorum.

Effectus interdicti quatuor sunt numero. Primus, priuare diuinis officiis *cap. si sententia, cap. vlt. de sententia in 6.*

Secundus, prohibere Sacramentis non omnibus, sed quibusdam, vt *est in cap. alma mater de sentent. excomm. in 6. & cap. quod in te de pœnit. & remissionibus.*

Tertius, remouere à sepultura Ecclesiastica *cap. si ciuitas de sent. in 6.*

Quartus, irregularem eum reddere qui in loco interdicto celebrat. *cap. is qui de sententia excommunicat. in 6.* de quibus priusquam differam, notatum volo, officii nomine, de quo hic est quæstio, intelligi primo Missæ sacrificium, secundo recitationem publicam & solemnem Ecclesiasticarum precum, hoc est factam cum ritu & cæremoniis, quæ ad Ecclesiasticos proprie pertinent, suntque institutæ ab Ecclesia, vt à Clericis seruentur ad Dei laudem, deinde confectionem Sacramentorum, ac Sacramentalium, cuiusmodi est benedictio aquæ lustralis, eiusdemque aspersio, quæ nomine fit Ecclesiæ, non priuata benedictio mensæ, aut personæ alicuius.

Dico ergo, *Omnia officia diuina interdicti tempore, Clericis prohibita esse, præter Missas & horas: officij autem nomine, ea duntaxat intelligimus, quæ in Ecclesia ab ipsius ministris tali modo fiunt, vt à Clero tantum ad illa specialiter or-*

A *dinato, & deputato fieri possint*, Suarez *tom. 5. disp. 34. sect. 3. num. 7.* Pars prima habetur in *cap. responso de sentent. excommunicationis*, vbi generaliter dicitur, diuinum officium celebrandum interdicti tempore non videri, quod iteratur *in cap. permittimus eod. titulo.*

Quare verissimum est Panormitani monitum *in cap. Tanta de excessibus Prælatorum*, Sacerdoti aut Præsuli nefas esse, post interdictum Prouinciæ toti, aut regno inflictum, absolutionis solemnia exhibere, orationes
B cum stola, & psalmum pœnitentialem dicere, in Ecclesiam pœnitentes introducere, sunt enim hæc ordinis, ac officii diuini pars non minima.

Nam functio, quæ certo est ordini sacro, siue minori, siue maiori attributa, proprie diuinum est officium, Panormitano teste, *in can. secundum de Clerico excomm. ministrante*, Anton. *in 3. parte tit. 26. cap. 4. parag. 1. Rosella in verbo interdict. 2.* at orationem cum stola dicere, Sacerdotis est proprium, non sæcularium, quibus eius vsus omnino est veti-
C tus.

Additum est in assert. præter Missam, & horas canonicas, his enim pietatis ac religionis erga Deum officiis, vacare posse Clericos non interdictos, tempore interdicti localis generalis, in Ecclesiis & Monasteriis, author est Pontifex *in can. alma mater extremo de sent. excomm. in 6.*

Ecclesiarum autem nomine, an oratoria quoque approbata, aliaque loca in quibus celebrari Missæ possunt, intelligi debeant, controuersantur auctores, & ad partes ne-
D gātium concedit Turria. *l. 6. disp. 49. dub. 1. & diffic. 7. num. 18.* Pro contraria opinione faciunt ex opposito Suar. *disp. 34. sect. 1. num. 8.* Villalob. *to. 1. tract. 19. diffi. ult. 5.* Filliuc. *to. 1. tract. 18. cap 3.*

Horum omnium vnica est ratio, nempe, quod in materia fauorabili, oratoria sacro cultui deputata, Ecclesiæ nomine comprehendi soleant. In his ergo interdicti tempore, quemadmodum in Monasteriis & Ecclesiis dici Missa poterit, modo adsint quæ
E sequuntur, primum, vt id fiat ianuis clausis, secundum voce submissa, tertium, exclusis excommunicatis & interdictis, quartum non pulsatis campanis.

In quo est causa nostra longe potior, quam Clericorum veterum, quibus etsi permitteret Pont. *in cap. quod in te de Pœnit. & remissionib.* operari quotidie, non tamen alibi quam in sacris religiosorum domibus, quæ tres tantum numero de omnibus, debebant in hanc rem deligi: Cum istius æui Clericis concessione Papæ liceat, in omnibus,

& qualibet regni aut prouinciæ parte sacris operari, ac precari, Auila 5. *parte disp. 4. sect. 2. dub. 2.* Ægid. *disp. 17. dub. 2. num. 28. & 29.*

Circa dicta notandum primo, ea duntaxat intelligi de interdicto locali generali, & personali, aut locali speciali. Quia persona cui interdicta sunt diuina, ea nusquam obire potest, Sylu. *verbo interdictum* 5. *q.* 1. Nauar. *cap. 27. num.* 174. Nec ad eam rem similiter apta sunt templa eius loci, qui interdictus est specialiter, quia de eo *canon alma*, non loquitur, ergo cum antequam canon hic fieret, in his templis interdictis specialiter, facere non liceret, nec nunc quoque, cum ea prohibitio per canon. Alma non cessauerit.

Notand. 2. quod etsi in Ecclesia interdicta specialiter, non liceat Clericis recitare simul solemniter, & cum cantu horas canonicas, aut alia diuina officia, liceret tamen eisdem, Missam vnam singulis hebdomadis in illa dicere, quia hoc iure antiquo concessum erat, per *decretal. permittimus 57. de sententia excommunicat.* nec immutatum est aut ablatum, per *can. Alma*, ergo seruandum vt antea, cum in his quæ ibi non nouantur, ius antiquum retinendum esse, dicatur in eo canone.

Notand. 3. Clericorum nomine intelligi etiam initiatos prima tonsura, si beneficium habeant, aut sint cœlibes, & non bigami, ac vestem, & tonsuram Clericalem gerentes, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiant, aut studiis ad maiores ordines suscipiendos, dent operam in Academiis iuxta decret. Concil. *sess. 23. cap. 6.*

His aggregandæ sunt moniales omnes, exinde Eremitæ, & è religiosis Laici etiam non tonsurati, quia cum de priuilegiis agitur, eos omnes nomen Clerici complectitur, iuxta Sylu. *in verbo Clericus 1. num. 1.*

Tertio Clerici nomine etiam Nouitii, & quæcunque personæ Ecclesiasticæ, tùm incolæ, tum alienigenæ.

Ratio est quod Bonif. VIII. mens fuit id laborare, vt tempore interdicti diuina peragerentur officia, in Ecclesiis sicut prius, ergo qui Clerici, ante interdictum diuinis operā dare officiis debebant, hos quoq; interdicti tempore, illis vacare est necesse, modo remissa voce, & exclusis suspensis, interdictis, & excommunicatis.

Notand. 4. Laicis nihil esse per canones concessum, nec proinde illis licere interdicti tempore tam personalis quā localis, extra tēpora iure concessa *in cán. alma* tēplum ingredi, itaque si ibi sacrificio Missæ interesse velint, nec expelli possint, eam Clerici prosequi non poterunt, nec inchoatam absolue-

A re, si non sit canon inceptus Auila *parte 5. disp. 1. dub. 1. conclus. 3.*

Tria tamen sunt tempora, in quibus Laico permittitur, sacris se præsentem officiis sistere.

Primum est, cum est necesse, vt si sacrificaturus ad manum non habeat Clericum, qui sibi ministret, eius loco exhibere se poterit Laicus, modo non sit interdictus specialiter, Suarez *disp. 34. sect. 1. num. 34.*

Secundum est, cum de eo habetur priuilegium, quo fruitur, quisquis Papæ concessione, celebrare, aut audire diuina interdicti

B tempore potest, nā hoc ipso, permittitur eius seruis ac domesticis, vna cum illo, ei interesse vt possint *cap. licet de priuileg. in 6.*

Tertium est, in quatuor festiuitatibus, de quibus *in cap. alma mater Natalis*, scilicet *Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ*, in his enim populum ad diuina conuocare officia æris campanisono, eademq; celebrare Clericis est licitum, *excommunicatis prorsus exclusis sed interdictis ad-*

C *missis, quibus ob reuerentiam dictarum solemnitatum, præfatis diebus participationem permittimus diuinorum*, inquit Bonif. *in cap alma 24. de sentent. excóm. in 6.* dummodo tamen ad altare non appropinquent, Eucharistiæ sumendæ causa, qui in speciali sunt interdicto, vel generali causam dedere, Ægid. Coninch. *disp. 17. dub. 2. n. 35.* An autem alio tempore Eucharistia, Sacramentaque reliqua interdicto à fidelibus sunt permissa, & quatenus, explicabit sequens quæstio.

D

QVÆSTIO XIV.

De secundo effectu Sacramenti, qui est Sacramentorum priuatio.

DIco primò, *In interdicto, Sacramentorum vsum tam actiuum, quam passiuum prohibitum esse.* Veritatem huius sententiæ cōfirmant, Innoc. III. *in cap. quod in te 11. de pœnitent. & remissionib.* & Bonifac. VIII. *in cap. si sententia 16. & cap. alma mater 24. de sentent. excommunic. in 6.* in quorum postremo

E sic Bonifac. præcipit: *In terris seu locis Ecclesiastico interdicto suppositis, nulla (certis casibus & Sacramentis exceptis) diuina celebrentur officia, vel ministrentur Ecclesiastica Sacramenta*, qui autem sint hi casus, quæ Sacramenta tempore interdicti excepta, proindeque cōcessa à iure, explicabunt sequentes conclusiones.

Dico itaque secundò, *Interdictum non priuare Sacramento Pœnitentiæ*, habetur in cap. alma mater de sentent. in 6. *Concedimus quod tempore*

pore interdicti, ab homine vel à iure prolati, non tantum morientes, sed etiam viuentes, tam sani quàm infirmi, ad pœnitentiam admittantur. Dari hæc tempore interdicti, sano an infirmo nihil refert, cum moderatione tamen duplici.

Prima vt excommunicati, ad ipsam non admittantur, nisi in articulo mortis.

Secunda, vt negetur his, propter quorum culpam, dolum, aut fraudem, interdictum est impositum, aut qui ad illud sunt cooperati dando auxilium, consilium, vel fauorem, nisi prius parti læsæ satisfaciant, aut se satisfacturos spondeant, data cautione pignoratitia, aut si per inopiam nequeunt, iuratoria. *Dum tamen*, inquit canon, *excommunicati non fuerint, quos præterquam in articulo mortis admitti nolumus ad eandem, illis etiam propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata est interdicti sententia.*

Scio Patres Suarium *disp.33. sect.1.nu.16.* & Ægid, *disp. 17. de interdicto dub. 1.num.40.* velle Pontificem in eo *can.* tantum de absolutione solenni agere, & non de priuata, & in foro conscientiæ, quam excommunicatum ibi recipere posse tradunt ab eo, cui ad id iura, aut officium proprium, potestatem sufficientem tribuunt, quare cum *in can. alma mater*, dicitur tempore interdicti excommunicatis, dandam absolutionem non esse præterquam in mortis articulo. Sermo (inquiunt) est primo, de absolutione solenni, in qua vsurpantur certæ quædam ceremoniæ quæ ad officium Ecclesiasticum pertinent, in quo Clericis versari tempore interdicti est prohibitum.

Secundo sermo est (inquiunt) de his qui cum potestate ad absoluendum careant, excommunicatum reconciliare Ecclesiæ non possunt, extra mortis articulum, quo tempore, ne quod est institutum pro caritate, in eius exitium vertat, quolibet approbato efficaciter Ecclesia, ac cum fructu, ad hoc ministerium vtitur.

Scio, inquam, hæc ab eis scripta esse, nec improbabiliter, contrarium tamen, vt ipsemet Suar. admonet, non est omnino respuendum, ita sentienti subscripsere Rutilius Benzonius *de iustitia Pontificii interdicti cap.6.* Laym. *de interdicto cap.7.*

Aduerte tamen, quod si sano Sacramentum Pœnitentiæ ministretur intra Ecclesiam, fieri id debere eo tempore, quo nō celebrantur Missa, aut diuina officia in choro, quia talis ad pœnitentiam concessione Pontificis admitti potest, sed illi eiusdem facultate in eo canone non permittitur, interesse diuinis officiis, absolui ergo, ac audiri intra Ecclesiam pœnitens non debet citra priuilegium, cum in choro canitur.

Dico tertiò, *Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam ministrari posse tempore interdicti, hoc tamen discrimine quod priora duo Sacramenta paruulis æque ac adultis conferri queant, firmis adhuc & valentibus*, Couar. *par. 2.parag.2. num.7.* Auila *disp.4.dub.4. concl.1.* postremū autem non nisi ægris, & constitutis in mortis periculo, quacunque tandem ex causa hæc immineat.

Habet assertio quoad primam partem fidem *à cap. non est vobis de sponsalibus & decretali quoniam, 19. de sentent. in 6.* vbi est his verbis: *Quoniam in Baptismo & Confirmatione quæ nedum pueris, sed adultis, propter moræ periculum exhiberi possunt, licitè tempore interdicti,* quare licet tum Episcopo, chrisma pro confirmatione, & ad baptismi ritum conficere, Bonifac. canone citato proximè, idque in loco etiam interdicto, Sylu. *verbo confirmatio 5. num.4.* Henriqu. *lib. 13. cap. 45.* eidem quoque licitum tum esse, tam ratio, quam iura voluere, consecrari baptizandorum oleum, Nauar. *cap. 27. num.178.* quia cum finis est permissus, media quoque ad eum consequendum adhibere est in laude, tentare tamen ea non posset Episcopus, si interdictus esset specialiter Suar. *disp.33. sect.1.* affecto autem interdicto tantum generali, cui causam non dedit, fas id esse, scripsit Benzonius *loco proximè citato*, Portelius *in dubiis, verbo interdictum num.11.*

Pars altera, quæ est de Eucharistia, declaratur *in cap. quod in te de pœnit. & remiss. 11. cap. permittimus 57. de sent. excomm.* nam in priori significat Innoc. pœnitentiæ nomine intelligere se quoque Eucharistiam, quę morientibus cum dolore offensi numinis, ac præuia confessione scelerum, non est neganda.

In altero concedere se Greg. IX. asserit, vt interdicti tempore, quot hebdomadis sacrum fiat, ne morituris desit copia viatici. *Permittimus Ecclesiarū ministris semel in hebdomada, tempore interdicti non pulsatis campanis voce remissa, ianuis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, Missarum solemnia celebrare causa conficiendi corpus Domini, quod decedenti in pœnitentia non negatur.* Quare cum in iure antiquo nulla facta sit mutatio, vt olim tempore interdicti semel per hebdomadam, sacrum fieri poterat in loco etiam specialiter interdicto, vt haberent infirmi, vnde sibi viaticum peterent, ita & modo, secundum Nauar. *cap.27. num.175.* Ægid. *disp.17. dub.2. num.43.*

Est autem circa administrationem horum Sacramentorum, Notādum primo, ea, nonobstante interdicto, solemniter exerceri ac dari posse, Baptismum quidem, cum exor-

cismis, vnctione, oleo, & chrismate. Quia cum Sacramenti alicuius administrandi facultas datur, data intelligitur de omnimoda, ac secundum eam rationem, qua consueuit in Ecclesia conferri, iuxta iuris præscriptionem ac formam. Addit amplius Sylu. *interdictum* 5. *qu.* 7. dari aliter non posse sine culpa.

Quod spectat ad Eucharistiam, idem est de ea sensus ac de Baptismo, Suar. *disp.* 33. *sect.* 1. *nu.* 28. quia cum omni sit honore digna, etiam supremo ac Latriç, non videtur è re esse, vt quæ ad eius cultum, adhibentur more communi Ecclesiæ, hæc omittantur interdicti tempore.

Quare tùm vt alias eam ad ægrotum deferenti Presbytero, præire poterunt pueri cum facibus, ac campanula, cuius sonitu excitentur prætereuntes, aut in officinis suis morantes, ad reuerentiam ei debitam.

Notand. 2. non in interdicto duntaxat locali generali, permissum esse Parocho donare moribundum viatico, sed personali quoque tam communi, quam singulari. Quia in eo *cap. quod in te citato*, dicitur communionem non negandam esse iis morientibus, quibus pœnitentia conceditur, at nulli quantumcunque culpabili, modo verè ac syncerè de admissis doleat, deneganda est pœnitentia, ergo nec communio absque culpa. Notare quoq; hic placet baptismum à persona quæ interdicto est subiecta, conferri posse, quia id necessitas Sacramenti exigit. Si tamen esset interdictum personale, aut generale locale, cui baptizans causam dedisset, baptizare non posset nisi in necessitate, & absque solennitate propter suam culpam, propriam interdicti pœnam sustinens tanquam reus effectus Reginald. *li.* 32. *tract.* 3. *cap.* 27. *num.* 23.

Notand. 3. articuli mortis nomine, intelligere me quoque eius probabile periculum cum Couar. *par.* 2. *parag.* 3. *n.* 1. Armil. *Ver. interdictum num.* 45. quoniam in iure mortis, articulus eiusq; periculum communiter non differunt, vt ait Nauar. *Enchirid.* 27. *nu.* 271. *parag.* 7. Proinde ad sacram mensam admitti queunt, mulier vicina partui, miles ad pugnam acrem, periculosam, ac difficilem, in oppugnatione vrbis, ducis sui imperio properans, nauta de nauigatione longa ac multis difficultatibus implicita cogitās, possunt (inquam) hi omnes tempore interdicti, tam localis, quam personalis, ad communionem recipi. Quia pericula in quæ vltro ac volentes se induunt, aut coacti alieno imperio, miles quidem ac nauta, cum de nauigatione Indica, aut vrbe expugnanda cogitant, eos in extremam perniciem, pro-A peque certam mortem vocant, ergo quod in interdicto licet morientibus, & his quoque permissum est in animæ commodum.

Notand. 4. etsi Clericis Presbyteris sacrificare iura annuant, ac consequenter communicare, iis tamen quandiu vrbs, aut prouincia, in qua sunt interdicto nexæ hęrent, iis (inquam) extra mortis periculum, communicare more Laicorum, esse illicitum, Henriq. *de indul. lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 4. Auila 5. *part. disp.* 4. *dub* 5. Quia iure antiquo communio tantum est danda morientibus, cum interdictum locale generale durat, at Clericis B Sacerdotibus alia nulla facultas est relicta, per *cap. alma mater de sent. in* 6, quam vt sacrificare valeant, iis est ergo neganda communio, si tempore interdicti eam sibi dari, ea modo quo datur Laicis affectent, & petant.

Pars assertionis tertia probenda superest, nempe interdicta vrbe aliqua, aut Prouincia, Confirmationem recipi ac conferri posse. Sic ergo probatur,

Cum facultas rei alicuius datur, ea censentur etiam omnia permissa esse, quæ ad C eius perfectionem, vsum, ac complementum pertinent. Sed ex priuilegio, Baptismi collatio est concessa in interdicto, & Confirmatio quædam eius est completio, ergo vt Baptismus, in interdicto dari potest, ac recipi, ita & Confirmatio.

Quod autem sit Confirmatio Baptismi completio, patet. Est enim *Baptismus Sacramentum fidei*, Confirmatio *Sacramentum item*, in quo robur datur homini, ad eam libere confitendam, sed Baptismus, perfectionem omnem suam non habet, externam D maxime, si se prodere, fidemque suam, Baptizatus non audet, quam ad rem tamen eum Confirmatio animat: ergo, &c.

Equidem cum esset ciuitas Ferrariens. interdicto supposita, aueretque scire eius Episcopus, *an liceret ei baptizatos pueros in frontibus consignare, cum præter baptisma puerorum, & pœnitentias morientium vniuersa ibi sacramenta interdicta essent*, sciscitanti respondit, Innoc. III. *in decretali responso* 43. *de sententia excomm. Quod sicut baptizari possunt pueri, sic & baptizati ad Confirmationem in frontibus, ab* E *eo possent sacro chrismate deliniri.*

QVÆSTIO

CAPVT XV.

An Ordo & matrimonium conferri sine culpa in interdicto valeant.

DIco primò, *Interdicto durante ordinem sacrum conferri nullũ posse*, quia in canone nõ est vobis de spõsalibus, (in quo nulla est facta mutatio per *cap. alma mater*) non fit mentio ordinis in serie Sacramentorum, quæ tum possunt dari & nec ex alia parte, eius recipi, necessitas vlla vrget, sicut sub finem vitæ Eucharistiæ & pœnitentiæ, ergo, &c.

Secundo, *non debent alicubi (casibus expressis à iure duntaxat exceptis) audiri diuina, vel Ecclesiastica recipi Sacramenta*, Bonif. VIII. *in c. si sent. de excō. sent. in 6.* sed sacra ordinatio nullibi excipitur, ergo ipsa simpliciter, & vniuersim interdicta censetur, & vt est *in Clem. exiui de parad. parag. porro de verborum significatione, vbi aliquid generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum.*

Excipiendus est casus, in quo tanta esset Sacerdotum penuria, vt nulli reperirentur in vrbe, pauci autem admodum in magna aliqua Prouincia, qui & morientium confessiones excipere, & expiatos culpis suis pascere cœlesti cibo possent, Ange. *verbo interdicto 6. num.* 8. Henriq. *cap.* 45. Villadiog. *de irregularitate tit. de interdicto*, Benzonius *supra cap.* 6.

Ratio est, quod cum aliquid conceditur, hoc ipso indulgeri quoque omnia censeantur, sine quibus illud esse nequit, alioquin esset ea concessio otiosa ac inutilis, sed in interdicto, permittitur morientibus, vsus Confessionis & Eucharistiæ, quæ duo Sacramenta stare sine Sacerdotis ministerio nequeunt, ergo si nullus erit, à quo ministrari valeant, creari nonobstante interdicto poterit, qui id officium, in commodum ęgrorum obeat.

At enim (inquies) Extrema vnctio potestne Eucharistiæ & confessioni adiungi, ad petitionem duntaxat ægri?

Respondend. negatiue, nam id prohibet Pontifex *in cap. quod in te de pœnit. & remissionibus*, his verbis: *Licet per generale interdictum, omnibus denegetur, tam Extrema vnctio, quam Ecclesiastica sepultura, &c.*

Ex quo patet, ne quidem Religiosis & Clericis indulgendum hoc Extremæ vnctionis beneficium esse, nisi speciale de ea recipienda, aut administranda, priuilegio donati essent, etsi specialiter interdicti non forent.

Hac enim vōce (omnibus) comprehen-

A di eos est certum, cum qui omnes dicit, neminem excipiat. Si tamen eo tempore ob morbum, vel similem aliquam causam, Sacramenta alia ab iis non possent recipi; tum enimuerò Extremæ vnctionis negandum illis non foret, eò quod non sit probabile, Ecclesiam priuare tum velle aliquem, necessario ad salutem remedio, cuiusmodi est Extrema vnctio, in casu quo non contritio, sed sola attritio eius animum occupat.

Dico secundò, *In interdicto fas cuique esse, ad matrimonium animum adiungere, ita & illud*
B *reipsa contrahere valide.*

Primo, quia non eximitur de Sacramentorum numero, quorum vsus permittitur fidelibus interdicti tempore, nam de eo mirum vbique silẽtium, nec est reperire canonem in Conciliis, aut corpore iuris, quo eius vetetur celebratio.

Secundo est matrimonium primo, & per se contractus naturalis, secundario autem & per accidens Sacramentum, in quantum Deo visum est, tale pactum eleuare ad esse Sacramenti, at per interdictum generale, res negotiaque inter se agere, fideles nulla
C lege prohibentur, ergo nec matrimonium contrahere, maximè cum in interdicto ea tantum Sacramenta prohibeantur, quæ ex participatione, ac Ecclesię ministerio pendent, cuiusmodi non est matrimonium, cuius contrahentes ministri sunt. Sanè habet *canon Capellanus de feriis*, eam esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem omni vt tempore ineatur. Et quidem non validè tantum, sed & licitè, vt testimonio multorum suoque probat Sanchez *lib. 7. de matrim. disp.* 8. *num.*
D 2. quod etsi negent Reginald. *lib. 32. tract. 3. cap. 27. num.* 28. Suar. *tomo 5. disp. 33. sect. 1. nu.* 51. cum aliis quos citat, nostra tamen sententia, absolute mitior est, oppositaque probabilior.

Nefas est tamen eo tempore Sacerdotem ad benedictionem nuptialẽ, spon sis impertiendã adhibere, quod sit hæc, officium diuinum, ac sacrum: nam est actus Sacerdotalis ordinis, cum ad solum Presbyterum pertineat, sponsum & sponsam ex formula Ecclesiæ benedicere, quæ benedictio in certis est
E precibus posita, super Missæ sacrificio recitari ab eodem Sacerdote solitis, ob eam causam non licet Episcopis in interdicto generali locali, aut speciali, primam tonsuram dare, aquam solenniter benedicere, palmas aut cineres, aut actus quospiam sacros publicè exercere, eo quod ad diuina reducantur officia, quæ tamen interdicti tempore prohibita esse, Ecclesia voluit, ita Sylu. & alii quos citat & sequitur, Suar. *disp. 34. sect.* 3. similiter interdictus ab actu Sacerdotali,

põtificalia, exercere nõ poteſt, quia hæc ſine Sacerdotũ actibus propriis, executioni mandari nequeunt Benzonius ſupra. quod de benedictione nuptiali tamen eſt dictũ, Couar. non probatur *in commentario cap. Alma par. 2. parag. 2.* enim vero cum ſit hæc, diuinum quoddam officium, exerceri eo modo poteſt, quo illud obire eſt licitum, at in interdicto generali ianuis clauſis ac campanis non pulſatis Miſſa dici poteſt, ergo & benedictionem nuptialem dari ſic poſſe nihil vetat, hæc ille ſatis probabiliter.

QVÆSTIO XVI.

De tertio effectu interdicti priuatione ſcilicet ſepulturæ Eccleſiaſticæ.

DIco primò, *Qui interdicti ſunt perſonaliter ab ingreſſu Eccleſiæ, his ſepulturam Eccleſiaſticam negandam eſſe*, Sylu *in verbo interdict. 5. q. 2. par. 4.* Suar. *to. 5. diſp. 35.* habeturque expreſſe *in cap. is cui de ſent. excom. in 6.* his verbis: *Is cui eſt interdictus ingreſſus Eccleſiæ, ſi durante interdicto decedat, non debet in Eccleſia, vel cæmeterio Eccleſiaſtico, niſi pœnituerit, ſepeliri.*

Quid ſi interdictum generale ſit, vt accidit cum eſt tota communitas interdicta à ſacrorum officiorum & Sacramentorum vſu? non autem ſingulare vt hic & ille.

Reſpondendum, eo innodatos, ab Eccleſiaſtica ſepultura in loco non interdicto, non excludi, ſi denuntiati non fuerint, ita Suar. *diſp. 35. ſect. 3.* Regin. *lib. 32. tract. 3. ca. 29. num. 38.* Quia *per extrauagantem Mart. V. ad euitanda*, vitare cuiuſquam perſonæ communionem non tenemur, ſiue in diuinis, ſiue in humanis niſi ſit nominatim è ſuperiori loco denunciatũ, culpa eũ ſua in cenſurã incidiſſe: ergo nec in ſepultura Eccleſiaſtica cuius rei eſt hæc cauſa, *quod quibus viuis communicamus, etiam mortuis communicare poſſimus 24. q. 2. can. ſanè* ſed interdictos perſonaliter non tenemur à ſacris officiis quæ in loco non interdicto celebrantur repellere, niſi ſint denunciati, ergo nec eorum corpora cum ſunt mortui.

Dico ſecundò, *Qui non eſt interdictus perſonaliter, ſepeliri in loco ſacro poſſe, diſtincto tamen ab eo in quem interdictum ſpeciale cadit*, Tabiena *interd. 5. num. 11.* Auila *5. par. diſp. 4. ſect. 2. dub. 1 concl. 2.*

Cauſa eſt, quod nihil eum ab hoc beneficio conſequendo impediat, non locus, cum ſit ſacer, nec quidpiam quod illum ex parte Eccleſiæ afficiat, cum ſupponatur interdictus non eſſe. Nec perſona aut aliquid ei adiacens, cum ab omni immunis ſit Eccleſiæ

A vinculo, vt ſupponimus: alibi ergo quam in Eccleſia ſpecialiter interdicta, humari poterit.

Dico tertiò, *Per interdictum generale locale prohiberi, ne quis Laicus in loco ſacro ſepulturam accipiat*, habetur *in ca. cum plantare ca. vt priuilegia de priuileg. Clem. 1. de ſepulturis, cap. Epiſcoporum de priuileg. in 6.*

Laicorum expreſſe facta eſt mentio, nam per decretal. *quod in te de pœnitentiis & remiſſionib.* conceſſum eſt Clericis, qui interdictum ſeruarunt, cui cauſam dedere, ſepulturam ſibi in loco religioſo quærere, quo de
B numero ſunt Eccleſia & cœmeterium: Auila *dub. 2. ſec. 3* eoque nomine, non intelligitur locus quilibet, ad ſepulturam deputatus, ſed qui per Epiſcopum ad eam rem eſt benedictus, ac affectus, Auila *ſec. 3. dub. 2. concl. 1.* Eſt tamen in iſtiuſmodi ſepultura procuranda, cautio hæc tenenda tumulantibus, ei vt dent operam ſilenter ac tacite, ſine cantu, non pulſatis campanis, ac ſine ſolennitatibus aliis, Reginald. *cap. 29. num. 37.*

Sacro dixi, quod in profano humari, dece-
C denti ſit licitum, qui vbi ſublatum interdictum fuerit, illico exhumabitur, deportandus in Eccleſiam aut cœmeterium *Sylu. interd. 5. q. 8. par. 1.* Nauar. *27. num. 176.*

Dico quartò, *In interdicto perſonali generali ſufficere, vt ſingula eius membra, in ſacrificiis, ac ſepultura, vitare teneamur, ſi communitas ipſa ſit denunciata.*

Ratio eſt, prima, quod *hæc, illa* vt totum partes ſuas contineat, ergo denunciata communitate, membra eius quoque ſingula cen-
D ſeri debent eſſe denunciata: ergo & vitanda.

Secunda, quod promulgare de communitate ſingulos interdictos, moraliter ſit impoſſibile, & tamen ſunt vitandi in ſepultura, & diuinis officiis: cenſetur ergo hæc promulgatio ſufficienter facta, in denunciatione communitatis.

Dico quintò, *in locali interdicto, eos qui non ſunt interdicti, nec interdicto cauſam dedere, ſepeliri poſſe in loco ſacro non interdicto*, Suar. *diſp. 55. ſect. 3. n. 3.* Auila *par. 5. diſp. 4. dub. 1. concl. 2.*

Ratio eſt, quod in locali interdicto perſonæ non ſint interdictæ niſi per accidens,
E comparatione ſcilicet loci interdicti.

Dico ſextò, *Clericorum corpora, & perſonarũ Eccleſiaſticarum, quæ perſonaliter ſunt interdictæ, & non violarunt interdictum illicita celebratione, poſſe in interdicto locali, in locis ſacris etiam interdictis ſepeliri, ſi ſine campanarum pulſu in ſilentio.*

Huius veritatem aſſertionis, verba Innoc. III. *in decretali quod in te 11. de pœnitent. & remiſſionib.* indicant. *Concedimus, inquit, ex gratia vt Clerici decedentes, qui tamen ſeruauerint inter-*

interdictum in cœmeterio Ecclesiæ sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur.

Excipiendæ sunt festiuitates quatuor, Paschæ, Pentecostes, Natalis Domini, & Assumptæ Virginis, nam vt in iis diuina celebrari officia, ita & defuncti Clerici exequiæ fieri tum possunt solenniter. Laym. *de interdicto cap. 2. num. 3.* si tamen aliò corpus eius efferri posset quam in locum specialiter interdictum, id omnino curandum foret, Sylu. teste *verbo interdictum 5. q. vltima*, Laym. ib. si vero vna duntaxat esset Ecclesia, eaque specialiter interdicta sepeliri ibi nihilominus posset, Suar. *sect. 2. num. 4.* Portelius *in dubiis verbo interdictum numero* 43. dum itur ad Ecclesiam, quo scilicet sepulturæ causa, corpus defertur, cani psalmos posse, aut etiam submissa voce dici negat, ibid. Portelius: sanè ad Ecclesiam cum ventum fuerit, in ea Missa dici cæteraque pro mortuo fieri solita, submissa tamen voce, ianuisq; clausis, poterunt Suar. *disp. 35. sec. 1. n. 4.*

QVÆSTIO XVII.

Explicantur dubia quædam circa prædicta.

DVbium primum, *An interdicta terra alicuius Domini temporalis, censeantur quoque interdictæ possessiones, quas habet in aliis Diœcesibus.*

Respondendum, affirmatiue, dummodo vniuersè ac generaliter, eius terra sit interdicta. Vis enim censuræ petenda est ex voluntate eam infligentis, cum sit instar legis, quæ ab intentione legislatoris, efficaciam suam arcessit, at iudici Ecclesiastico est hoc propositum, diuina vt officia in omnibus locis sileant, vbi potestatem is exercet, cuius in pœnam, generali interdicto eius possessiones omnes sunt deuinctæ. Sunt enim verba quibus sententia dicitur à Iudice, voluntatis eius certa testimonia, at in toto, declarato verbis omnia complectentibus, eius quoque partes, membraque continentur, ergo cum generali interdicto terra alicuius Principis supponitur, ne minima quidem eius ditio, ab eo est exempta.

Dubium secundum, *An is cui interdictus est ingressus Ecclesiæ, possit audire diuina officia, aut ea obire in cœmeterio, aut alibi.*

Dico primò, *Eum cui in Ecclesiam prohibetur à superiore ingredi, interesse non posse rei diuinæ, quæ in ea celebratur*, quia est hoc illi lege Ecclesiastica prohibitum, nec enim locus ipse interdicitur, cum ei non competat ingredi, sed personæ, habet ergo rationem interdicti personalis, ergo cum interdictum

A quod est tale, personam à diuinis officiis arceat, iis qui est interdictus ab ingressu Ecclesiæ, interesse non poterit.

Dico secundò, *Ne quidem id ei permissum esse, cum extra Ecclesiam in eo loco hæret, vnde audire, & spectare possit, quæ inibi geruntur, ac fiunt.* Ita Suar. *disp. 35. sect. 4. num. 7.* Regin. *lib. 32. tract. 3, cap. 29, num. 41.*

Causa est, quod tale interdictum, prohibitio sit, non tantum ingressus Ecclesiæ, sed etiam participationis diuinorum in ea, vt Suar. docet, at audiens diuina è loco vicino B Ecclesiæ, in qua celebrantur, eorum fit particeps, cum offerantur Deo, pro omnibus, qui tam corpore, quam animo, iis præsentiam suam accommodant, quod in interdictum quadrat, de quo loquimur. *Is autem cui interdictus est ingressus Ecclesiæ cum sibi perconsequens, censeatur ipsa diuinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi, diuinis in ea se ingerat, in suo agens officio, sicut prius: is quoque si decedat interdicto durante, non debet sepeliri in Ecclesia, vel cœmeterio, cap. is cui de sent. in 6.*

C Dico tertiò, *Interdictum ab ingressu duntaxat Ecclesiæ, posse in cœmeterio diuina audire, & obire*, quia nomen Ecclesiæ, positum in lege pœnali, qualis est ista, presse intelligendum est ac rigide, quo modo sumptum, haud dubie excludit cœmeterium, & alium locum non sacrum, contrarium tamen Portelio visum loco citato *num. 50.*

Dubium tertium, *An quando aliquis de subditis eius Principis, cuius terra interdicto generali locali est supposita, transit ad aliam Prouinciam, non interdictam, cesset esse interdictus.*

D Partem negantem asserunt Hostiensis, & alij citati à Sylu.

Mihi tamen opposita videtur in praxi tenenda.

Primo, quia cum locale interdictum, loco circumscribatur, extra eum non obligat, sed ei quodammodo inhæret, in hoc distinctum à personali, quod istud personam sequatur, quocunque tandem se transferat, cum locale definiatur loco, nec extra eum se efferat.

E Secundo, eadem est interdicti localis ratio in negotio præsenti, quæ legis municipalis, vt nominant, at hæc extra territorium Principis, à quo est lata non obligat, ergo nec interdictum.

Tertio, Ideo Petro V. C. prohibitum est in terra interdicta vacare sacris, quod sit subditus talis principis aut Domini, cuius terra ob culpam ab eo admissam, interdicto subiacet, at transitu in alienam prouinciam, in qua sibi sedem figit, desinit Petrus eius esse subditus, ergo, &c.

Quarto, vt lex non obligat, vltra intentionem Legislatoris, ita nec sententia alium comprehendit, quam designatum à iudice, at hic ex dispositione communi iuris, ac interpretatione, hos tantum vult teneri interdicto locali generali terræ Principis, qui sunt eius subditi, ac pro tempore, quo tales esse remanent, ergo si esse desierint, vt vere desinunt, electione domicilij in alia prouincia, interdicto obligari desinunt.

Dubium quartum, *An interdictum quo quis priuatur ingressu Ecclesiæ, verum sit ac proprium interdictum.*

Respondend. affirmatiue, est enim species veri interdicti quod distribuitur in generale & speciale, & vtrumque in generale & speciale loci, aut personæ: ergo interdictio ingressus Ecclesiæ, in singularem personam illata, vere & proprie est interdictum.

Secundo efficit interdicti huius violatio, irregularem eius violatorem, vt quoduis aliud proprium, verumque interdictum, quum violatur: ergo proprie & verè interdictum esse & censeri debet.

Dubium quintum, *An ei cui interdictus est ingressus Ecclesiæ, patere possit aditus in templum priuatæ orationis causa, quo tempore Ecclesiastica officia in ea non celebrantur.*

Couarruu. *in can. alma mater 2 parte relect. parag. 1 num* 3. Reginald. *lib. 32. trac 3. cap. 29. nu.* 41. cum Chalderino, Ægid. de Coninch. *disput. 17. dub. 2. num.* 41. & aliis, credunt huic homini interdicto, in templum priuatæ orationis causa aditum esse, cũ illic officia diuina non exercentur, quia Ecclesia propriè (inquiunt) est instituta, ad audienda diuina officia, non autem ad fundendas orationes priuatas, nisi per accidens, & consecutiuè.

Ad contrariam sententiam meum animum defert tum ratio, tum multorum Doctorum authoritas.

Enimuero cum non ingredi Ecclesiam pœna sit, à iudice reo illata, ad vindictã criminis ab eo admissi, illam sufferre debet quolibet tempore, siue in ea celebrentur diuina officia, siue non.

Quid? quod verba legis ac sententiæ proprie intelligi debeant, cum nihil est rationis cur ab eorũ proprietate abire oporteat, cuiusmodi nihil est in præsenti causa: quare in hanc partem inclinant nobiles Theologi, ac interpretes iuris canonici, Innoc. *in can. sacro de sentent. excomm. num* 2. Comitol. *lib.* 6. *q.* 49. *num.* 4. Benzon. *de interdicti Veneti iustitia cap.* 6. Sylu. *in verb. interdictum* 5. *q.* 6. Rosella *eod.* 8. *num.* 7. à quibus diuelli sine magna causa non est facile.

Ad argumentum pro parte opposita alla- A tum.

Respondendum est interdictum ab ingressu Ecclesiæ, abstrahere à ministeriis, quorum causa est hæc instituta, nec per interdictum ab ingressu in Ecclesiam aliud prohiberi, quam id quod nomen ipsum indicat, id est aditum in illam, non potest is ergo, cui Ecclesiæ aditu est interdictum, in eum ob priuatam orationem accedere.

Dubium quintum, *Cuius sit interdictum locale generale, aut personale item generale infligere.*

Non alterius quam Papæ, aut alicuius ab
B eo ad hanc rem delegati, Sylu. *verbo interd.* 3. *q.* 5. Auila 5. *parte disput.* 3. *concl.* 5. vbi ait ex Couar. *tom.* 1. *secunda parte relect. in can. alma mater parag.* 1. *de interdicti num.* 4. hanc prouinciam non nisi raro, ac ægre, Roma demandari vlli Præsuli, ac si commitri accidat, cautionem hanc tenendam, vt primo (verba sunt Couar. loco citato) *decernatur interdictum in Ecclesiam Parochialem delinquentis & simul in aliam Parochialem, aut Collegiatam.*

C Secundo, *durante contumacia in duo Monasteria, vel Ecclesias Collegiatas.*

Tertio, *in totam Diœcesim, ac tandem delinquente indurato, Cathedralem Ecclesiam interdici.* Quæ quia sedes est sapientiæ, Concilij domicilium, nunquam in dispositione odiosa nomine Ecclesiarum, Ciuitatis aut Diœcesis comprehenditur, ex Staphilæo de literis gratiæ.

Vt vt sit de hoc modo, sane constat, generale interdictum locale, aut personale, item generale, intentari non posse nisi ob
D culpam mortalem, eamque grauissimam, Reginald. *lib.* 32. *trac.* 3 *cap.* 26. *num.* 10. quod de locali quoque speciali dicendum esse existimo, maxime si cadat in Cathedralem Ecclesiam, ratione non vtar alia quam quæ visa est Reginaldo, ad huiusce rei fidem idonea. Nempe quod sit tale interdictum pœna grauissima, vt quæ priuet communitatem cultu publico, quo solent homines ad deuotionem excitari. Debet ergo culpæ grauissimæ effectus esse, vt inter eam & pœnam sit aliqua proportio.

E Dubium sextum, *An interdictum poni possit ob culpam aliam quam contumaciæ.*

Respondendum est posse, Nauar. *cap.* 27. *num.* 165.

Primo, quia non est necessario pœna contumaciæ, vt excommunicatio Auila *disp.* 3. *quinta parte dub.* 4.

Secundo, exceptio in non exceptis firmat regulam, vt habet commune axioma iuris, ergo cum ab his censuris quæ præuiam monitionem exigunt suo effectui, & efficaciæ,

Pontifex

Pontifex interdictum eximat, *in cap. Romano de sentent. ex comm. in 6.* sequitur ob delictum præteritum incurri posse, monitio ideo est excommunicationi præmittenda, vt Ecclesiastico iudici constet, ecquid reus animum inducat, Ecclesiæ obsequi, ergo si non est ad interdictum necessaria, poni hoc ob aliud peccatum poterit, quam contumaciæ: ergo ob peccatum præsens, aut præteritum.

Dico tamen secundò, *Cum fertur interdictum, contra participantes cum interdictis, eosdem nominatim à iudice, qui sententiam interdicti in eos cogitat, officij sui tertio admonendos esse, aut semel duntaxat, seu monitione vnica, pro tribus, cum interuallo competenti, alias interdictum fore nullum*: ita Sylu. *verbo excommunicatio 2. parag. 1. casu 9.* Nauar. *Enchirid. 27 nu. 165.* & expresse Pontifex *can. statutum de sent. excom. in 6.*

Ratio est, quod agere, versari, viuere cum interdicto, res sit eiusmodi, quæ natura sua laude careat ac scelere, est enim adiaphora, proindeque apta fieri bene aut male: ergo vt ad eum statum trahi queat, in quo, interdicto plecti queat, è serie indifferẽtium euocanda est, ad malarum numerum, fit id vero cum prohibetur, ac repetita monitione, homini præceptum Ecclesiæ, de communione omni cum interdictis vitanda edicitur: ergo, &c.

Dubium septimum, *An interdictus ab ingressu Ecclesiæ ad diuina admitti queat à Clerico.*

Respondendum est non posse, admittentis pœna interdictio ingressus Ecclesiæ, ex decretali Bonifac. VIII. *Episcoporum de priuilegiis lib. 6.* & si ab ingressu Ecclesiæ interdictus, in ea celebret fit irregularis, ex alia decretali eiusdem Bonifac. quæ incipit *is cui de sentent. excomm. lib. 6.* in qua est his verbis: *Is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, cum sibi per consequens censeatur inesse diuinorum celebratio interdicta, irregularis efficitur, si contra interdictum huiusmodi, diuinis in ea se ingerit.*

Quare interdictus ad confessionem peccatorum admitti non debet, nec ad eam rem recipi in Ecclesiam, quia interdicto, prohibita est diuinorum officiorum frequentatio, at confessionis auditio, eiusdemque vsurpatio ad expiationem animæ, pars est diuini officii non vltima.

Vt enim ante diximus, est diuinum officium, functio certo ordini sacro, maiori vel minori attributa, secundum Panormit. *in can. secundum de Clerico excomm. ministrante,* sed audire confessionem sacramentalem pœnitentis, eũq; absoluere, est functio diuina,

A Sacerdotii ordini assignata: ergo eã exercere in interdicti commodum, est prohibitum.

Dubium octauum, *An qui intersunt diuinis officiis, aut sacrificio, templo egredi debeant, cum ad ea recipitur interdictus denunciatus.*

Respondendum insontes, qui Sacerdoti aut Clerico diuina celebranti adsunt, nulla culpa inquinari, si in aduentu nominatim interdicti, & denũciati templo non exeunt, rem sacram non omittunt.

Sententiam hanc subscribunt Diu. Anto. *in 3. parte tit. 26. cap. 4. parag. 1.* Syluest. *interB dictum 6. num. 4.* Caiet. *in summa verbo interdictum parag. sed si Clericis,* Comitol. responsion. *lib. 6. q. 50.* Rosella *in verbo interdictum 3. num. 10.* Angelus *eod. 7. num. 10.*

Secundo dicendum, omnes qui nominatim sunt interdicti, vitandos esse in actibus à iure prohibitis, non autem illos qui generaliter sunt interdicti, quousque per iudicem specificentur, quia post Concil. Constantiense, nulla est vitandi alterius interdicti necessitas, quam qui est publice omnium conscientia, aut iudicis sententia pro tali cognitus, quare (inquit Benzon,) *de institia in-C terdicti Veneti cap. 5. nec in diuinis, vel tempore celebrationis diuinorum, vitandi sunt, etiam publicè, illis præsentes, nisi constet de sententia, vel denunciatione publica, quod si Sacerdos scienter admittat ad diuina illum, qui est interdictus, etiam publicè, alii non tenentur exire.* Hæc ille.

Est & altera assertionis huius ratio, nempe quod Ecclesia legem omnibus interdictos vitandi in diuinis non imposuit, sed tantum Clericis. Ita Comitolus.

Istis verò, si sacro Presbyterii initiati sunt D ordine, & non est locus interdictus, sed persona, ecquid rem diuinam coram ea facere liceat, dubii res est, ambiguique iuris.

Opinionem negantem amplexus est Faber *de censur. in 4. dist. 25. q. 1. disp. 5. cap. 2. num. 113.*

Affirmantem Suar. Turrianus *lib. 6. q. 49. dub. 2.* Mercerus *in 3. part. q. 24. de interdicto dub. 3.*

Ratio est, quod id nusquam reperiatur esse prohibitum; iura enim quæ interdictos E excludi imperant, de interdicto sunt intelligenda locali, de personali nullo modo. Ita hi auctores.

Prior tamen vt communior mihi videtur opinio sequenda in praxi, & consequenter relinquendam esse Missam ante canonem, si interdictus templo nolit egredi.

Dubium nonum, *At is cui interdictum est ingressu Ecclesiæ, in ea humari possit, si pœnituerit, aut à Sacerdote absolutus animam efflauerit.*

Respondendum posse, confirmat id Couar. *in can. alma mater, parte 2. relectionis patag. 1. num.* 3. rationes quæ eum in illam mentem adduxerint, breuitatis causa non producimus, quod instar omnium sit Bonifac. VIII. authoritas *in decret. is cui de sentent. excommu. in 6* à quo ibi constitutum legimus, posse hunc si pœniteat, sepeliri in Ecclesia aut cœmeterio.

Qua ex oratione infert primo, Comitol. *lib. 6. respons. q.* 50. ex Couarr. Ioanne Andr. & aliis, eum qui sic est interdictus, posse à quolibet Sacerdote absolui, quod de casu extremæ necessitatis intelligi debet, alioqui errat, cum censuræ quæ sunt ab homine, ab eo solo qui tulit absolui exigant, cum per tempus non extremæ necessitatis licet.

Infert secundo, sic interdicto, sepulturæ beneficium indulgendum esse, cũ Sacerdotis inopia, peccata explicare sua nõn potuit, quæ tamen vero doloris actu retractauit.

Quid si diem suum interdictus obeat, feriis Paschalibus, aut nascentis Christi? quo tempore singulis palam & apertè, cœtum agere, diuinis in æde sacra officiis interesse licet?

Existimant præstantes hi viri Sotus *in 4. dist. 22. q. 3. art. 1.* Henriq. *lib. 13. cap. 44. num. 5,* Emman. Sa *verbo interdictum num.* 8. mortuum inferri tùm posse in locum sacrum, quia cui, cum superstite ac viuo fas est congredi, licet & cum defuncto. Sentire ac loqui prudentius hi videntur, qui mortuo sepulturam tùm negant.

Ratio est, quod hæc, effectus sit interdicti, à priuatione diuini officii distinctus, cui nec necessario est coniunctus, vnde ex concessione vnius, non apte infertur alterius concessio. Ita Suar. *disp. 38 sect. 1. num. 13.* Coninch. *de Sacram. disp. 17. dub.* 2. Gordonus *to. 2. lib. 7. q. 16. cap. 4. num. 44.*

Dubium decimum, *An benedictio mensæ fructuum, aut vestium religiosæ, sit in interdicto prohibita.*

Causa dubitandi vnica, quod, officii diuini pars sit non vltima mensæ benedîcere super Missæ sacrificio, ex formula Ecclesiæ preces legere, quibus aliquid sanctitatis deriuetur, in professuræ nouas vestes, ad solutionem.

Dico primò, *Vt est Sacerdotis benedictio solemniter impertita,* id est *cum baculo & versu Adiutorium nostrum, aut Dominus vobiscum,* in interdicto vetita, ita est simplex licita.

Pars prima probatur, Est diuinum officium actio, Sacerdoti, aut Clerico conueniens ratione ordinis, vel vt habent alij. Est diuinum officium, id quod est ordinatum ab Ecclesia, ad vsum Ordinum, Sacramen- A torum, aut Sacramentalium, vel ad horas Canonicas. Talis est benedictio, quæ a Sacerdote aut Abbate datur, cum pedo Pastorali, vel eodem occinente. *Adiutorium, &c.* aut Domini præsentiam, astantibus apprecante, his verbis: *Adiutorium.* Nec enim est aliis baculi vsus permissus, quam Clericis, vt nec precis cuius mox meminimus, scilicet *Dominus vobiscum, Adiutorium, &c.*

Pars altera, probationem habet facilem, nam quis nescit mensam benedici promiscuè à quolibet, ac à Laico recitari preces posse, super indumentis nouæ professæ, B peræque ac à Sacerdote? non habet ergo earum rerum frequentatio, propria vt sit Sacerdotis, aut ordinis actio, nec proinde vetita in interdicto.

Ob eam causam, eidem ac regularibus, Clericisque omnibus impune permittitur, Litanias in Ecclesia, vel extra canere, modo ne cum cruce, superpelliceo lineo, oratione quam præcedant, hæc verba, *Dominus vobiscum,* Auila 5. *parte disp. 4 dub. 1.*

Quia est hic versus deputatus sacto alicui ordini, quare eius loco dicendũ est, à Laico C *Domine exaudi orationem meam,* nec præferri crux est solita, procedentibus in publicum, religionis causa, nisi Sacerdotis imperio, cui proprie exmunere, prouinciaque sua incumbit, processionem instituere, in eaque plebem regere.

Dubium vndecimum, *An interdicti vitari debeant.*

Respondet Benzonius *in cap. 5. trac. de instit interdicti Veneti,* (quod nos paulo antea subindicauimus) omnes nominatim interdictos, ac denunciatos in actibus à iure pro- D hibitis, vitandos esse, non autem illos qui generaliter interdicti sunt, quousque specificentur, *nisi forte,* inquit, *adeo notoria esset eorum participatio, vt inficiationi non esset locus quod omnino seruandum est, ob decretum Concil. Constantiensis de moderatione excommunicationis, & interdicti: nec in diuinis, vel tempore celebrationis diuinorum vitandi sunt, nisi constet de sententia, vel denunciatione.* Hæc ille.

Esse hanc vero necessariam, tam quando interdictum est à iure, quam homine vt obligationem inducat, ligetque, ad effectum, vt E tam loca quam personæ euitentur, habet Constant. Concil. *in Extrauag. ad euitanda scandala,* approbata à Martino V. & postea à Leone X. *in Lateran. Concil 3. sess. 11.*

Denunciatur autem, cum è superiori loco in æde sacra, frequenti populo, inter Missarum solemnia, aut alio tempore, quo magna est plebis concio, promulgatur superioris imperio, aut in locis publicis, prædicti interdicti sententia affigitur, vt ab omnibus legi

legi queat, quod quandiu non fit, nullam à celebrãtibus in locis interdictis, irregularitatẽ contrahi, dixere auctores multi, & quidem meminere denunciationis, Maiolus *de irregul. lib. 3. cap. 20. num. 10. & sequent.* Nauar. *cap. 27. num.* 187. affixionis autem Benzonius *cap. 2.* vbi habet, necesse non esse, vt sententia communicetur omnibus, aut ad omnia prouinciæ oppida deferatur, sufficere si in Metropoli publicata fuerit, aut in loco affixa publico, ex quo ad cæteras prouinciç vrbes, oppidaque eius perueniri notitia possit. colligitur *ex can. quod dicitis 14. dist. 16.* vbi Nicolaus ait, Constantinopoli qui degunt, iustam ignorantiæ canonum causam prætexere nullam posse, quod eos Sardicense Concilium, vbi fuere conditi, scriptique, non lateret, publice enim facta nemo debet, vel censetur ignorare 12. *q. 2. can. qui & humanis & 8 q 1, can licet.*

Dubium Duodecimum, *Quomodo incurratur, & tollatur interdictum.*

Incurrendi interdicti causam oportet esse grauem, vt indicat Bonifac. *in Extrauag. 2. de sentent excomm.* cum enim olim, leuibus admodum de causis, vt pro debitis decerneretur, edicto cauit, ne amodo, *villa, ciuitas, castrum, locus, territorium, vel districtus aut horitate ordinaria, vel delegata, supponatur, Ecclesiastico interdicto, pro pecuniario debito, vel pro cuiusuis monetæ, vel pecuniæ quantitate, quacunque occasione, vel causa, seu quouis quæsito colore,* quæ autem hactenus secus attentata fuissent, ea decernit irrita esse, ac nulla.

Et quoniã fit in ea constitutione mentio castri, vrbis, &c. credidere Nau. *c. 27. Enchir. num.* 168. & Couar. eam de interdicto generali duntaxat intelligendam esse, proindeque ferri particulare posse ob eam causam: Ego cuiusque loci, prouinciæque consuetudinem sequendam puto, nec in hac re, vt cæteris, ab ea recedendum esse.

QVÆSTIO XVIII.

Recensentur casus in quibus generale interdictum iure incurritur.

PRimo decernitur interdictum generale aduersus vniuersitates, id est quosuis cœtus hominum, qui contra Ecclesiasticas personas, id est Deo sacras, concedunt repræsalias (vt loquuntur) vel concessas extendunt, nisi hanc facultatem intra mensem reuocauerint, sic Gregor. X. *cap. etsi de iniuriis & damno in 6.* Item in ciuitatem, castrum aut villam cuius collegium Ecclesias aut personas Ecclesiasticas, pædagia soluere compulerit, pro rebus, quas negotiationis causa non deferunt, donec exacta plenarie restituant, *de censib. cap. quanquam.*

Secundo latum est interdictum contra

A quamcunque vniuersitatem, siue hominum cœtum, qui domos locauerit alienigenis vel aliis, de terris suis, publicè fœnebrem pecuniam exercentibus, aut exercere volentibus, Greg. X. *in cap. vsurarum primo de vsuris in 6.*

Tertio est, omnis ciuitas, præter Romanam interdicta, quæ occidentibus Cardinalem aut percutientibus, consensum dederit, aut auxilium, vel intra mensem eiusmodi homines non punierit *de pœn. in 6. cap. fœlicis parag. finali,* his verbis: *Ciuitas vero quæ facientis talia, vel facientibus, seu præsumentibus, in*

B *his consilium, vel auxilium dederit, aut fauorem, vel infra mensem saltem, taliter delinquentes, non duxerit puniendos, Pontificali eo ipso dignitate priuata, & nihilominus remaneat interdicta.*

Quarto est etiam eius domini terra interdicto supposita, qui Episcopum temere percussit, aut cepit, aut capientibus, vel lædentibus auxilium præstitit, sic Clem. V. *in Clement. 1. de pœnis parag. 3. Terra quoque illius, (dum tamen vltra vnam Diœcesim non contineat) vsque ad condignam satisfactionem eiusdem, nec non locus, aut loca in quibus Episcopus*

C *captus detinebatur, quandiu detentio ipsa in eisdem durauerit, Ecclesiastico subiaceat interdicto.*

Quinto, in eadem *Clement. parag. ciuitas,* interdicto vrbs ea subest quæ Episcopum suum iniuriosè, vel temere percussit, aut cepit, vel hæc fieri mandauit, idque *donec satisfecerit: potestas verò, consiliary, balliui, scabini, aduocati, consules, rectores, & officiales ipsius, in præmissis culpabiles existentes, similiter excommunicationis sententiæ, a qua non valeant absolutionis beneficium obtinere, sunt subiecti.*

Sexto, *in Extrauag. super gentes de consuetu-*

D *dine,* locus, regnum & prouincia, sacris interdicuntur, cum Rex, Princeps, ac dominus, authoritate qua pollent, impediũt ne Legatus, aut nuntius Apostolicus, munus cuius causa in ea sunt loca missi à Pontifice, exequantur ac præstent.

Septimò, sunt eorum Regularium Ecclesiæ interdictæ, qui eius quem sermonibus ipsi suis induxerant ad electionem sepulturę in suis cœnobiis, cadauer ibidem terræ mandarunt, nisi intra decem dies, omnia quæ oc-

E casione prædictæ sepulturæ habuerint, Ecclesiæ in qua tumulandus erat, restituant. Sic enim Bonifac. VIII. *cap. animarum 1. de sepulturis in 6.* his verbis: *Si vero iidem religiosi vel Clerici prædictos in suis Ecclesiis, vel cœmeteriis sepelire præsumpserint, ad restitutionem tam sepultorum corporum (si petantur) quàm eorum omnium, quæ occasione sepulturę illorum, peruenerint quomodolibet ad eosdem, intra decendium integraliter faciendam, ipsos obligatos esse censemus. Quam nisi fecerint, Ecclesiæ ipsæ, apud quas sepulti fuerant, necnon cœmeteria earundem, ex*

tunc eo ipso sint, & tandiu maneant Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis plenaria facta fuerit restitutio omnium prædictorum.

Octauo, Capitula interdicto subduntur, quæ literas dimissorias alicui concedunt infra annum à die vacationis, qui beneficii Ecclesiastici recepti, aut recipiendi occasione non arctatur, Trident. *sess. 7. cap. 10.*

Nono, pari pœna puniuntur & illa, quæ de fructibus primi & secundi anni vacantium beneficiorum sibi attribuunt, quæ beneficiariis debentur, Ioan. XXII. *in Extrau. Vnica ne sede Vacante.*

Personale autem interdictum incurrunt sequentes. Ab ingressu quidem Ecclesiæ per mensem, qui excommunicat aliter quam iura sinunt, hoc est non in scriptis, causam expresse continentibus, aut monitione non præmissa, aut negato ei in quē est dicta sententia, eius exemplari ac copia, *cap. sacris 48. de sent. & cap. 1. eod. titulo.*

Secundo, Episcopatum recipiens, aut beneficium cum dignitate de manu Regis aut personæ laicæ, prohibetur Ecclesiam ingredi, *quousque locum, quem sub crimine tam ambitionis, quam inobedientiæ, cœpit, resipiscendo nō deserit. similiter etiam de inferioribus dignitatibus Ecclesiasticis constituimus 16. qu. 7. can. si quis 12.*

Tertio ab ingressu in Ecclesiam interdicitur, qui procurationes in pecunia, non autem in victualibus, aut à non visitatis recipit: *de censibus in 6. cap. Romana.*

Quarto, quilibet tam qui exemptione fruitur, quā qui ea caret siue Clericus sæcularis siue regularis, interdictos ad Ecclesiasticam sepulturam præsumens admittere, vel iis spectantibus celebrare, aut celebrari diuina facere, est interdictus ab ingressu Ecclesiæ ita Bonifac. *in cap. Episcoporum 8. de priuilegiis in 6. Talis enim,* inquit ibi Pontifex, *præter alias pœnas à iure statutas, ingressum Ecclesiæ sibi nouerit interdictum, donec de transgressione huiusmodi, ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserit, satisfecerit competenter,* pœna hæc tamen non subitur, nisi à scientibus, nam præsumptionem in iis exigit, qualem sine scientia esse non posse, docet Sanch. *lib. 9. de matrim. disp. 32. n. 38.* & quoniam humana sunt, mitiaque præcepta Ecclesiæ, ad eos hæc pœna non pertinet qui metu mortis, iacturę fortunarū aut honoris, eos cogūtur recipere, ac vero etiā minoris mali formidine. Thesaurus *in praxi Ecclesiæ par. 2. Verbo censura cap. 7.* quare metum leuem ab hac excusare pœna secus facientem scripsere Suarez *disput. 4. sect. 3. num. 15.* & Thesaur. *Verbo censura cap. 8. parag. requiritur.*

Nec est interdictus tantum qui excommunicatum publicum, aut interdictum nominatim, tempore interdicti sepulturę mandat, sed est insuper excommunicatus, excommunicatione Papæ reseruata, à qua absolui nullatenus potest, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi, eis quibus fuerit illata iniuria, satisfactionem obtulerit competentem, à religiosis autem ad sepulturam admissi nominatim excommunicati, & interdicti interdicti tēpore, Ecclesias eorundem in quibus est hæc facta, interdictas reddunt *ex cap. Episcoporum 8. de priuileg. in 6.*

QVÆSTIO XVIII.

In quibus casibus interdictum locale particulare à iure feratur.

PRimo sanctimoniales, & mulieres, quæ canonicæ nominantur, nisi vitam suam in melius corrigant & emendent, & superfluitatem vestium deserant, in claustro permaneant, Eugen. III. decreto in Concilio Remensi *can. 4.* prohibentur diuina in suis Ecclesiis celebrare officia.

Secundo, eorum, qui partem decimarum, vel aliarum obuentionum Ecclesiasticarum, in quibus ius obtinēt patronatus, sibi ex pacto retinent, cum eo inito, quem beneficio donādum Papæ, vel Episcopo offerunt, *terra supponitur Ecclesiastico interdicto, donec Ecclesiam liberam cum suo iure dimittant,* Concil. in Germania habitū sub Conrado Cardin. *can. 9.* est hoc tamen interdictum non latæ sed ferendæ sententiæ, quia est hęc verbo imperatiui modi concepta, ac à iudice dicenda, in pœnam admissæ simoniæ.

Tertio, est interdicta Ecclesia, quæ homicidio, aut humani effusione sanguinis iniuriosa ac illicita, vel seminis per adulterium, aut fornicationem procurata, polluitur, nam tunc diuina in ea peragi officia ante reconciliationem non posse, colligitur *ex can. si motum 19. & can. Ecclesiis 20. de consecratione dist. 1.*

Quarto interdicto subest Ecclesia, ex qua propter patronorum discordiam, quę suo Sacerdotem fungi officio non sinit, Episcopus reliquias tollit, ac inibi sacrum, aut officia diuina fieri inhibet, ideoque eius fores, ostiaque nulli patere permittit: *de iure patronatus cap. 1. & 2.*

Quinto, nec in ea Ecclesia, diuina ritu publico, celebrari possunt, quæ per simoniam est consecrata, *quia Ecclesia, quæ pactione consecrata fuit, potius execrata, quam consecrata dici debet 1. q. 4. can. Ecclesia 11.*

Sexto, placuit Episcopis Africanis, Epis-

copus

copis vt est in can. 26. dist. 1. de consecrat. *Vt altaria, quæ passim per agros, & per villas, tanquam memoriæ martyrum construuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Episcopis si fieri potest euertantur, si hoc propter tumultum non sinitur, plebes admoneantur ne illa loca frequentent, interdicta sunt ergo, idque iure.*

Septimo, *Ecclesiam in qua paganus sepultus est, non liceat consecrare, neque Missas in ea celebrare, sed iactari foras, & mundari oportet.*

Octauo, Ecclesia in qua hæreticus est sepultus perpetua sepultura caret, ita decernente Alexand. III. *in cap. quicunque 2. de hæretic. in 6.*

Nono, tam Ecclesia, quam eiusdem cœmeterium, Ecclesiastico interdicto manent supposita, si in ea quispiam est sepultus, à Religiosis, aut Clericis ante persuasus, cum vt locum præ alio eligeret, ibique sepeliri se velle, iuramento adhibito firmaret, nisi prædicti Religiosi, aut Clerici, tam eius ossa quam cætera omnia, quæ inde acceperint, intra decem dies restituant Bonifac. VIII. *in cap. vt animarum 1. de sepulturis in 6.*

Pars altera quæstionis fuit, de modo interdicti relaxandi, de qua hoc vniuerse habeo dicere.

Primo, per se illud cessare, elapso tempore, vel conditione, sub qua latum fuit, putà satisfactione facta, vel elapso anno, vel si is propter quem locus est interdicto suppositus: quandiu in eo fuerit, abscedat, hoc ipso enim quo ponitur conditio, & interdictus Ecclesiæ desinit esse contumax, cessare quoque interdictum, per se ac sine absolutione, dixere plurimi, cuius opinionis, ac authorũ eius, meminit Suar. *disp. 38. sect. 1. n. 4.* etsi secus ipse existimet, maximè in postremo casu, nempe cum est interdictum ob perseuerantiam in peccato impositum, V. C. donec satisfecerit, aut loco, quandiu quis in eo fuerit. Verissima sententia continetur sequentibus assertionibus.

Prima, Interdicta generalia, personalia, & localia, quæ iure sunt communi imposita, nec tamen reseruata sunt, possunt tolli authoritate Episcopi, vel alterius iurisdictionem habentis, in communitatem interdictam, quia vt scribit Innoc. III. *in cap. nuper 29. extra de sentent. excomm.* quando *conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non reseruauit, eo ipso videtur facultatem aliis concessisse relaxandi.*

Assertio secunda, *Quando interdictum personale generale communitatis, est à iure cum tacita reseruatione, vt accidit, cum ad certum tempus, vel sub certa conditione imponitur, Episcopus illud relaxare non poterit, nec suspendere ante impletam conditionem.*

A Ratio est, quod in superioris lege dispensare Episcopo non sit permissum, ergo nec in interdicto generali personali communitatis, iure imposito, nisi forte esset ortum à delicto occulto, ad forum contentiosum non deducto, nam tunc ab eo absoluere Episcopum posse, decreto Concil. quoad subditos proprios docent, Layman. *lib. 1. tract. 5. par. 3. cap. 5. num. 2.* Benzonius *de interdicto Veneto cap. 2.* & quoad externos etiam, si Papę ita visum fuerit, quam facultatem sibi collatam fuisse à Gregor. XIV. scribit

B Benzon. absolui ergo debet communiter ab eo qui illud tulit, aut superiore eius, aut alio de eorundem commissione *can. si Petrus 24. q. 1* aut eo cui facta est reseruatio, vel alio de commissione eius, aut per priuilegium iuris, quale Trident. *sess. 24. cap. 6.* datur Episcopis.

Assertio tertia, *Interdictum personale speciale non reseruatum, post satisfactionem, aut satisfaciendi cautionem, tolli potest à quolibet confessario approbato, vel Episcopo*, Suar. *disput. 38. sect. 2.* Reginald. *lib. 32. tract. 3. cap. 32. numero 56.*

C Ratio est eadem quæ assertionis primæ, tacita scilicet Papæ concessio, declarata *in cap. nuper de sent. excom.* idem dicendum quando interdictum est locale, nec reseruatum, tunc enim absolutione Episcopi illius loci, potest tolli, non alterius.

Pars prima, fidem habet à *can. nuper citato.* Altera ab hac ratione,

Relaxatio interdicti localis, vt pote ad locum spectans, qui non est materia fori pœnitentialis, iurisdictionem requirit fori causarum, at eam respectu spiritualium, habent

D tantum Episcopi: ergo, &c.

Forma autem qua interdictum remitti oporteat, certa est nulla, ac determinata, Caietan. *in verbo absolutio*, Angel. *verbo interdictum num. 1.* vsitata tamen in Ecclesia, quando interdictum est locale, his verbis comprehenditur, *Interdictum tali loco propter talem causam impositum, authoritate qua fungor, remoueo, In nomine Patris, &c.* cum autem est personale, *Absoluo te à vinculo interdicti, quod incurristi ob talem causam, In nomine Pa-*

E *tris & Filij & Spiritus sancti.*

Dubium decimumtertium, *An aliqua, & quæ sint Clericis aliisque in interdicto concessa priuilegia.*

Primo, diuinis interesse officiis, interdictis est licitum, cum de eo bullatum ex vrbe diploma recepere à Pontifice.

Secundo Clericus quilibet, etiam primæ tonsuræ, modo ne coniugatus, quâlibet veste sit, & tonsura instructus, eodem, quo qui

bullam habent iure gaudet, ac priuilegio, itaque quoties, & quando erit ei placitum, diuina audire, eisque præsentem se sistere poterit, nisi de iis esset, qui interdicto causam culpa sua, fraudeque dedissent: quo autem ille tempore, templum petet, sacris cœlitum, ac Dei religionibus daturus operam, eodem penetrare seruis totique admodum eius familiæ fas erit, Bonifacii VIII. concessione in decretali *licet Vobis* 11. *de priuilegiis in sexto* his verbis, *cum conceditur singulari personæ, Vt modo præmisso celebrare Valeat, Vel audire diuina, eius familiares domestici, ad audiendum cum ea, & celebrandum sibi diuinum officium licitè admittuntur. Non sic autem in familiaribus conuentus, seu collegii est censendum, illi enim, nisi priuilegiati fuerint, admitti non debent. Huiusmodi quoque concessione gaudere non debet is, cuius causa, seu culpa, Vel fraude fuit interdicti sententia prolata.*

Tertio, & hoc summi est beneficii loco, tempore interdicti, concessum est Clericis, quod in sacro humari loco valeant, cum illud seruarunt, *extra de pœnitent. & remissionib. cap.* 11.

Concedimus, inquit Innoc. III. *ex gratia, Vt Clerici decedentes, qui tamen seruauerunt interdictum, in cœmeterio Ecclesiæ, sine campanarum pulsatione, cessantibus solennitatibus omnibus, cum silentio tumulentur.*

Quarto Minoritis indulsit Leo X. ne eorum interdici possent Ecclesiæ ad partis instantiam, nisi tota interdicta esset ciuitas: Compend. minor. *Verbo interdictum parag.* 15.

Dixi *ad instantiam* nam quæ à Legato vel Episcopo interdicta imponuntur, hæc sunt seruanda Regularibus. Eorum tamen Ecclesiis, Leonis indulgentia specialiter indici nulla queunt, nisi iis causam dederint, aut is cuius prece ac instinctu sunt inflicta, illis de victu prouideat. Compend. Minor. *Verbo interdictum 1. parag.* 15. Tunc autem eas interdici specialiter vsu venit, cum solæ interdicuntur, aut in literis, specialiter & principaliter nominantur, Portelius *in dubiis regular. Verbo interdictum num.* 3.

Quinto personæ ipsæ, quæ de cœtu sunt, familiaque B. Franc. specialiter ab Episcopo aut Legato à latere interdici nequeunt, nisi id eis Pontifex diserte, ac plane concessum esse vellet, qua de voluntate, testes eius esse debent literæ, author huius priuilegii Clem. IV. apud Rodrig. *to.* 2. *qu.* 108. *art.* 2. pro quo facit & ipsa ratio, nam supponi interdicto, hi soli possunt ab Episcopo, in quos ei iure potestas competit, ac iurisdictio in foro externo, at eiusmodi nullam habent Episcopi in Mendicantes, cum ab eorum

A sint potestate, iureque exempti Papæ voluntate.

Dubium decimum quartum, *An Parochus qui præsentiam suam, coniugibus matrimonium contracturis accommodat, censeri interdictus debeat.*

Nequaquam, quid causæ, quid argumenti? quod hæc eius præsentia actus non sit ordinis, hanc enim, nec effectu omnino inani ac irrito, eam exhibere potest quilibet, Parochi munere fungens, etsi sacro destitutus ordine, nec enim est hic Sacramenti minister, sed ambo coniuges, quos ideò ab B interdicto constat esse liberos, sibi ministrantes inuicem, quod ad hanc rem operam deferant, vt ministri quidem, sed non sacri, quæ causa ad baptizantē quoque sæcularem pertinet, qui quoniam non est ex forma, rituque Ecclesiæ, ad sacra religionis Christianæ mysteria obeunda, dandaque petentibus institutus, irregularitatem baptizando non contrahit, vt facit Parochus.

Dubium decimum quintum, *Quam pœnam Laici subeant, qui interdictum personale Violant.* C

Vltra graue peccatum, vt habetur *in Clement. grauis* 2. *de sentent. excomm.* quòd est in Syluest. sententia, mortale tunc tantum, cum nihili fit authoritas Ecclesiæ, aut ex contemptu violatur interdictum, nam tunc in pœnam talis culpæ, Laicus excommunicationi reseruatæ Pontifici subiacet.

Primo, cum Clericum *directè vel obliquè, apertè, vel per cuniculos*, ad diuina quomodolibet in locis interdicto suppositis celebranda, adigit.

D Secundo cum interdictos, aut excommunicatos, ad rem diuinam inibi audiendam inuitat ac allicit.

Tertio cum eiusmodi homines à sacris lege Ecclesiæ prohibitos, iussosque ab his qui possunt, templo cum diuina peraguntur officia egredi, tuentur, ac ne obsequantur iusta monentibus, obsistunt.

Quarto, eam quoque pœnam excommunicati ac interdicti de nomine, ac publicè, subeunt, qui non obstante monitione (vt aiunt) iisdem facta à celebrantibus, templo E vt exeant, in eo tamen remanent, Rutilius *de interdicto Veneto cap.* 5.

Dubium decimum sextum, *An qui interdicto est affectus testari Valeat.*

Non posse, dixit Armilla *Verbo interdictum parag.* 1. sed fundamento, aut solida nulla ratione fretus. Sentiunt itaque meo sensu prudentius, qui parem interdicti ac excommunicati rationem esse aiunt, quare vt isti testari, sic & illi licitum esse tradūt, quam opinionem vt communē Suarez amplectitur

dist.

disp. 15. sect. 19. quod nulla vspiam è canone, aut iure ciuili petita sanctio reperiatur, qua Pontifici, aut Regibus sit visum excommunicatos priuare testandi iure, cuius rei esse hoc signum potest.

Quod quando hunc effectum non testandi, lex in peccati pœnam subiri ab excommunicato voluit, id expressit, vt fit cunctis perspicuum de hæreticis *ex cap. excommunicamus parag. credentes de hæretic.* de vsurariis non prius restituentibus, vel cautionem sufficientem dantibus *in cap. vltimo de vsura in 6.*

At est omnis (inquies) excommunicato vetita cum fidelibus communicatio: ergo & testamenti confectio.

Respondend. argumento hoc duntaxat confici, excommunicatum non vacare culpa, cum testamentum scribit, quod autem sit irritum ac inane, cum conditiones ad sui validitatem necessarias habet, nullo modo. Couar. *de testament. par. 2. num. 18.*

Dubium decimum septimum, *An ciuitas, aut Ecclesia, supponi possint interdicto, ob culpam priuati cuiuspiam hominis.*

Quæstioni pridem est factum satis à Leone X. in Concordatis rubrica de interdicto nō leuiter ponendo. *Statuimus quod nulla ciuitas, oppidum, castrum, aut villa, aut locus Ecclesiastico supponi possit interdicto, nisi ex causa, seu culpa ipsorum locorum, aut domini, seu rectoris vel officialium: propter culpam autem, seu causam alterius cuiuscunque priuatæ personæ, huiusmodi loca interdici nequaquam possint, authoritate quacunque ordinaria, vel delegata, nisi persona prius fuerit excommunicata, ac denunciata, seu in Ecclesia publicata, aut domini, seu rectores, vel officiales ipsorum locorum, authoritate iudicis requisiti huiusmodi personam excommunicatam, infra biduum inde cum effectu eiecerint, aut ad satisfaciendum compulerint.* Canonici autem, qui à diuinis consuetudine, aut iure cessare possunt, *causam suæ cessationis exprimerent, in instrumento publico, vel patentibus literis, sigillorum suorum, aut alterius authentici munimine roboratis, & illud, vel illas ei, contra quem cessare intendunt,* exhibebunt Gregor. X. *in cap. si canonici 2. de officio ordinarij in 6.*

Dubium decimum octauum, *An in interdicto, diuina officia aliquando celebrari possint solenniter.*

Omnino, idque *in festiuitatibus Natalis domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ,* Bonifac. VIII. *in decret. Alma finali de sentent. excomm. in 6.* quibus Martinus V. & Eugen. IV. additum esse voluere festum corporis Christi, cum Octaua. Versatur in hoc verò memorata solennitas, quod *campanæ pulsentur, & ianuis aper-*A *tis alta voce diuina officia* (adhibitis cæremoniis vsitatis in Ecclesia) *celebrentur cap. alma mater citato.*

Complectitur autem festiuitas non tantum primum diem (idest Paschæ) vt accepere Suar. *disp. 34. sect. 1. num. 39.* Reginald. *to. 2. lib. 32. tract. 3. cap. 28. num. 536.* sed sequentes duos, qui in Pentecoste, Paschate, & Natali Domini, sunt festiui, quia in honorem, ac eorum dierum memoriam, coli soliti sunt in Ecclesia, etsi (quod in Natiuitate maximè accidit) Sanctorum sint quorundam B religionibus sacri, Ecclesiæ instituto laudabili: docent Sotus *in 4. dist. 22. q. 3 art. 1.* Auila *par. 3 disp. 4. sect. 2. dub. 4.*

Dubium decimum nonum, *An Episcopus, interdicti à se lati lege teneatur, peræque ac cæteri.*

Dico primò, *Obseruandi interdicti, cuius author est Pontifex, onus incumbere Episcopo, nec ab eo recedere posse sine crimine, nisi in casibus iure expressis.*

Ratio est, quod superiori iusta imperanti necesse sit singulos obsequi, nisi violatæ o- C bedientiæ rei esse velint, ergo & Episcopum, cum Papæ sit subiectus, ergo cum non sit hic à iure communi, diuina aut naturali lege, ab officio præstando liber, quæ vitanda sunt, aut agenda cuique, cum est interdicta à Pontifice ciuitas, aut Prouincia, hęc facere Episcopum erit necesse, ne peccet.

Secus si quid sibi tentandum crediderit, ab officio & beneficio est suspendendus, Greg. IX. *in decretali tanta 8. de excessib. Prælat.* irregularitatem autem non effugiet, si celebret vel diuina officia aut Pontificales actiones, D in loco à Papa aut iure, interdicto obeat, Benzon. *cap. 6. de interdicto.*

Dico secundò, *Episcopum tamen, interdicti generalis à iure, vel ab homine lati, lege non teneri, nisi de eo in sententia, expressa sit facta mentio,* Nauar. *cap. 27. num. 162.* eoque antiquior Innocent. Papa quartus in decretali, *quia periculosum 4. de sentent. excom. in 6.* quod enim ei, eiusque superioribus sit periculosum, *propter executionem Pontificalis officij, quod frequenter incumbit, vt in aliquo casu suspensionis, vel interdicti sententiam, ipso facto incurrant;* E *nos,* inquit, *Innocent. cap. citato, deliberatione prouida duximus statuendum, vt Episcopi, & alij superiores prælati, nullius constitutionis occasione, sententiæ, siue mandati prædicti incurrant sententiam vllatenus ipso iure, nisi in ipsis, de Episcopis expressa mentio habeatur,* Vbi notandum, suspensionis ac interdicti duntaxat meminisse Pontificem, vt indicet eos ab excommunicatione lata generaliter, non eximi, eosque vt fideles cæteros, hac censura stringi, cum illos ab eius vi non excusat, Nauar. *cap. 27.*

*num.*165.Henriq. *lib.*13 *cap.*34.*num.*2.Suarez *disp.*33.*sect.*3.*parag.sed quæras.*

Dico 3. *Episcopo in id incumbendum esse, cũ à se, aut eius superiore, ciuitas, regnũ, aut prouincia interdicitur, ne quid contra illud admittat*, Syluest. *verbo interdictum parag.* 1. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 50. quia membris, caput in operatione conforme esse conuenit, ne turpi inter se dissidio, bellum naturæ indixisse videatur, secus, pœnas à iure contra violantes positas, ipsamque adeo irregularitatem non effugiet, Sylu, & Henriq. supra.

Dubium vigesimum, *Sintne aliqui in Dei Ecclesia, qui Papæ priuilegio, interdicto supponi nequeant.*

Omnino, nam primo, interdicto Clero vniuerso vrbis alicuius, aut prouinciæ, si verba aliud non indicent, Religiosi non sunt interdicti, *quia in odiosis nomine Cleri, non intelliguntur Religiosi*, Portelius *in dubiis verbo interdictum num.* 5. Sayrus *lib.* 5. *de censur. cap.* 4. *num.* 29.

Secundo, Leonis Papæ X. indulgentia, Minorum Ecclesiæ interdici ad instantiam precesque personæ priuatæ nequeunt, *Compend. fratrum Minorum verbo interdictum* 1. *parag.* 15. ciuitate tamen, aut oppido, vbi sunt hæ sitæ, generali interdicto suppositis, & hæ quoque pro interdictis sunt habendæ, cuius rei ratio est à nobis *qu.* 3. reddita antea.

Dixi *ad instantiam* nam si Episcopus, proprio ipse motu, ex causa tamen, eas interdicẽdas crediderit, sequenda erunt eius imperia, ac interdictum seruandum, etsi qui id exigat, petatque, reperire sit neminem, Trid. *sess.* 25. *cap.* 12. *de Regis.*

Addo amplius, cum est locale generale, non à Minoritis modo, sed à Religiosis quoque cæteris, seruandum esse, dummodo seruetur à matrice Ecclesia, etsi aperte nullum esset, & inualidum Portel. *in dubiis verbo interdictum num.* 7. Rodrig. *q.* 108. *cap.* 4.

Pœna non seruantium, est excommunicatio incurrenda ipso facto, cuius author Clemens *in Clement. prima de sentent. excomm. cap.* 1. à qua tamen non est absolutionis causa vrbs petenda, cum hanc sibi Papa non reseruet, Matricis autem Ecclesiæ nomine, non Cathedralis modo, sed & Parœcialis quælibet intelligitur, vt est in Clement. citata affirmatissimè.

Tertio, interdicto populo non includuntur pueri, cæterique doli non capaces, licet illis sepultura negetur, nec includitur extraneus illic habitans, nec interdicto loco, includuntur simpliciter, tanquam specialiter, vel personaliter, illi, qui non sunt culpabiles, possunt enim alibi (si absit scandalum)

A celebrare, audire diuina officia, ac sepeliri, Benzonius *de interdicto Veneto cap.* 6.

Quarto, Terræ, prouinciæ, regna, ciuitates, Regis ac Reginæ Galliæ, interdicto supponi nequeunt, vt est in manuali placitorum, at cuius? Papæ an Episcoporum? Amborum, inquit Bleyanus, *in Theoria, tract. de maioribus & minoribus beneficiis num.* 22. *litera D. in margine*, opinio fuit alia Rebuffi in Concord. rubrica de interdictis non ponendis leuiter, & de Grassaliis *lib.* 2. *iure nous*, ibi enim ambo asserunt, Galliç priuilegium quidem à Pontifice esse concessum, vt interdici

B nequeat, sed ab Episcopis, non Papa, vtriusq; hic verba lubet apponere. *Nimirum*, inquit Grassalius, *ius Francorum Regis, vt excommunicari, aut interdici non valeat, ad prelatos, non autem ad ipsum summum Pontificem refertur*, Rebuffi sensus idem, *Clemens sextus concessit ne terra Regis, vel Reginæ, interdicto ab Episcopis, vel aliis subiiciatur sine licentia sedis Apostolicæ quod priuilegium confirmauit Alexand. IV. Nicol. III. Mart. IV. Et demum*, inquit idem ib.

C *conuentum fuit inter Papam & Regem, ad tollendum lites & quæstiones, vt supponi possent Regis terræ, & regnum, hac forma in textu isto conscripta.* Hæc ille.

Forma hæc autem est in eo, *quod nulla ciuitas, oppidum, aut castrum, Ecclesiastico supponi possit interdicto, nisi ex causa, seu culpa ipsorum locorum Domini, aut Rectoris, vel Officialium, propter culpam autem cuiuscunque personæ priuatæ, huiusmodi loca interdici nequeat, nisi persona prius fuerit excommunicata ac denunciata seu publicata.*

D Dubium vicesimum primum, *An interdictus ab ingressu Ecclesiæ, possit ex adiacente, ac vicino cœmeterio, Missam audire.*

Ita vt sentiam, hoc argumento inducor. maximè, quod quæ voces legem vt loquuntur pœnalem conflant, hæ intelligi, capique stricte debeant, sic vt earum notio, aliò, quam ad id quod iis proprie denotatur, non trahatur, sed est lex de interdicto seruando pœnalis, nec Ecclesiæ nomen, proprie cum sumitur, & vt principio rebus significandis fuit impositum, cœmeterium denotat, non facit ergo contra Episcopi imperium, de

E templo non ingrediendo, qui ad eius fores, aut ex propinquo cœmeterio, diuinis interest: ita Reginal. *lib* 32. *trac.* 3. *cap.* 19. *num.* 41. Filliuc. *to.* 1. *trac.* 18. *cap.* 5. *num.* 105.

Dubium vicesimum secundum, *An violatio interdicti in Laico sit mortalis.*

Venialem esse tantum, cum interdictum locale citra contemptum Laicus violat, mortalem autem cum est interdictum personale, scribit Regin. in praxi *lib.* 32. *tra.* 3. *c.* 30. *n.* 42. cum Soto *in* 4. *dist.* 22. *q.* 3 *ar.* 1. *cir.* 6.

Ratio

Ratio est, quod ex eo præcisè quod contra Clericorum intentionem, quibus obsequi Laicum ratio, iuraque imperant, quidpiam hic faciat, culpa eius non sit lethifera, at cum se hic diuinis, in loco interdicto ingerit, contra id tantum facit, quod nolle debent Clerici, patiq; illæsa conscientia nequeunt, cum hunc à sacris prohibere officiis Ecclesia iubeat, non est ergo eius culpa mortalis.

Confirm. est peccatum omne, præcepto alicui contrarium, at nullum est, quo primo per se, ac directè, vetentur Laici locum interdictum ingredi, nam quicquid est in hoc genere, quod mandandum credidere Pontifices, Clericorum est proprium, quibus *in cap. alma mater extremo de sentent. excommun. in 6.* præcipitur, vt interdictum seruent, diuina officia ianuis clausis, voceque submissa, celebrando, quin etiam exclusis Laicis, tam interdictis quàm non interdictis, si quid ergo peccent in hoc genere laici, quidpiam tantum est leue, contra reuerentiam Clericorum statui debitam, mortale nullo modo, nisi interueniente scandalo, contemptu, aut violentia.

Erit tamen lethalis hæc eorum culpa, si cum personaliter sint interdicti, interdictum hoc suum non seruent, Suar. *disp. 35. sect. 4. num. 2, & 3.*

Ratio est, quod præcepta Ecclesiæ in re graui, ad mortale obligent, at habet interdictum omne personale, præceptum, quo præcepto, ab vsu Sacramentorum, aut officiorum, quæ solenni fieri ritu, in Dei Ecclesia solent, interdictus arcetur, quæ obligatio est in re graui, cum ad Christianæ legis Sacramenta diuinaque officia pertineat, est ergo personalis interdicti violatio, tam Laico quam Clerico mortalis.

Confirm. præcepti grauitas ac obligatio, à personis non pendet quibus imponitur, sed à voluntate imponentis, reique præceptæ qualitate ac natura, cum ad rem non faciat, quod qui per illud iubētur aliquid facere, diuites sint, aut inopes, nobiles aut ignaui, laici aut Clerici, sed est prohibitio quæ per interdictum personale, fit personæ, grauis haud dubie, cum sit in materia Sacramentorum ac diuinorum officiorum, & per eam intendit Ecclesia, obligationē inducere tali materiæ similem, hoc est grauem, ergo qui secus facit, quam vetat, aut præcipit Ecclesia,

A interdictum personale violando, tam qui Clericus est, quam laicus, peccat mortaliter, nisi eum ignorantia, rei leuitas, dispensatio aut vrgens necessitas dispensent, Regin. *lib. 32. trac. 3. cap. 30. num. 34.*

Dubium vicesimum tertium, *An violatio interdicti in Clerico, sit lethalis.*

Est interdicti cuiuscunque, id est tam localis quam personalis specifici, ac generalis transgressio, mortalis in Clerico, patet ex dictis in proximè præcedenti dubio, ratioque ipsa duplex indicat: prima ex grauitate materiæ petitur, nam quid diuinis officiis,

B ac Sacramentis, esse potest in re Christiana grauius? hæc autem in interdicto tam locali, quam personali, frequentari promiscuè ac sine discrimine Ecclesia prohibet.

Altera à pœnis ducitur, & primo quidem violantes interdictum Clerici, in Sacramentorum materia.

Sunt irregulares ipso facto.

Secundo, inhabiles, vt possint eligi.

Tertio, sunt suspensi ab officio.

Quarto, possunt quoque priuari beneficio, Miranda *to. 2. qu. 37. art. 9. concl. 1.* Portelius

C *de dubiis regular. verbo interdictum num. 21.* Si vero sunt Monachi, ipso sunt iure, factoque excommunicati, decreto Clement. V. *in Clementina 1. de sentent. excomm.* his verbis: *Nos igitur in Dei Ecclesia, vniformitatem conseruare volentes, circa interdictorum obseruantiam prædictorum, authoritate sedis Apostolicæ, vel à locorū ordinariis positorum, de fratrum nostrorum consilio, districte præcipiendo mandamus, quatenus religiosi quicunque, tam exempti, quam non exempti, cuiuscunque ordinis, & conditionis existant, cum Cathedralem, vel matri-*

D *cem, seu Parœcialem loci Ecclesiam, illa sciuerint, aut viderint obseruare, absque fraude & dolo, cum moderatione cap. alma mater obseruent, alioqui non seruantes, excommunicationis sententiæ, hoc ipso volumus subiacere*, quare cum sint pœnæ infligendæ, aut inflictæ, grauitatis culpæ testes ac indices, sintque admodum in rerum natura paucæ, quæ acerbitate sua priuationem à sacris, hominumque colloquio ac conuictu, per excommunicationis

E censuram æquent, nedum superent, quis seruandi cuiusquemodi interdicti, nexum in Clerico grauem esse, ac proinde sub mortali, non videt?

EPITOME TRACTATVS DE INTERDICTO.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Interdictum.

EST interdictum, nonnunquam idem ac suspensio, vsurpatur in hac significatione *in cap. primo de sentent. excomm. in 6.* vbi excommunicans non præmissa monitione, ac sine scripto, *per mensem vnum ab ingressu Ecclesiæ & diuinis officiis suspenditur*, ab Innoc. IV. hoc est vt interpretantur, Suar. *de censur. disp.37.sect.1.num.2.* Bonac. *de censur. in comm. disp.3.q.5.punct.1.* Thesaurus *prax. Eccl. par. 2. verbo censura cap.2.* ab actu actiuo & passiuo diuinorum interdicitur.

Est autē interdictū propriè Censura, priuās vsu quarūdam rerum, prout hæ sunt cōmunes fidelibus, maxime autem spirituali bono quod est in Sacramentis, diuinis officiis, & quæ his sunt annexa vt est sepultura, Innoc. *c. quod in te 10. extra de pœnit. & remiss.* Clarius *est interdictū cēsura à iudice Ecclesiastico, aut iure propter delictum, aut aliam rationabilem causam lata, qua terræ alicui, Ecclesiæ vel personæ, prohibetur aliquando Missæ sacrificium, ingressus in templum, aut celebratio diuinorum officiorum publica, siue cum aliis in diuinis communicatio participatioque, atque administratio, tam actiua quam passiua sacramentorum, præter quam Baptismi & Pœnitentiæ.*

Officii porro nomine non intelliguntur alia, quam quæ sunt sacro alicui adnexa ordini, & non nisi ab Ecclesiæ ministris, ad id specialiter deputatis exercentur, nunquam à Laicis, vt est Missa solennis à Presbytero cum Diacono & Subdiacono hinc & inde stipantibus dicta, horæ canonicæ statis horis psalli, choris hinc & inde alternantibus solitæ, lectio Euangelii cum stola & Dalmatica.

Interdicto non nisi grauissima puniuntur scelera, vel Principis, vt est *in cap. non est vobis 11. de sponsalib.* vbi ab Alexand. III. interdicto supponitur Anglia, quod qui tùm illi Rex præerat cum imperio, pro discordia, quæ inter ipsum & filios, suborta erat, eo-

A rūdem vxores captiuas detineret, Interdum ob totius ciuitatis aut regni culpam, interdici fideles solent, cum enim hæc integrè, & excluso nemine, excommunicari nequeant, vt est *in cap. Romana de sentent. excomm. in 6.* nec sit tamen è re communi, Ecclesiæque dignitate, peccata aliqua impunita relinqui, ne munita impunitate improbitas, honestatis repagula, iuraque perfringat omnia, id est diuina iuxta ac humana, reprimi hanc oportuit, intraq; æqui limites interdicti metu reprimi, hoc est Ecclesiarū silentio, ac à diuinis officiis cessatione toto regno, ita ab Eu-

B gen. III. *in Synodo Remensi can. 17.* qui hæresiarchas & eorum sequaces, qui in partibus Guasconiæ ac Prouinciæ commorantur, recipere præsumeret, non tantum anathemate, quo animas Deus percutit, est percussus, *sed & in terris eius donec condignè satisfaceret, diuina sunt interdicta officia.* Sanxitque Alexander III. in decretali quadam sua ad Carnotens. Episcopum, *vt index delegatus secundum officij qualitatem temperatè procedens Episcopo (contumaci) vel ingressum Ecclesiarum vel Sacerdotale officium interdiceret, aut*

C *etiam terram illius, quæ ad iurisdictionem suam pertinet, interdicto supponeret, de officio & potestate iudicis delegati cap.11.*

Neque ob delicta modo Principum, aut ciuitatum, interdici Ecclesiæ sunt solitæ, sed & priuatorum, sic in Concil. Pictau. can. 1. statutū legimus, *vt nullus de Clero acciperet de manu Regis, vel comitis, vel cuiuslibet laicæ personæ donum Episcopatus vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ*, id si Laici facerent, Ecclesiasque violenter tenere præsumerent, excommunicari sunt iussi, *in Ecclesiis vero illis*, inquit canon,

D *nullum diuinum officium fiat, nullus ibi oret, lumen non ponatur, mortuus non sepeliatur.* In Concil. autem Remensi *sub Eugen. III. can. 4.* iussæ sunt moniales quæ nominantur canonicæ, nec viuebant religiosè, emendare vitam suam in melius, luxum vestium ponere, ciborum delicias in victu non quærere, opes non ambire, in commune viuere, claustro non egredi, eodem refectorio ac dormitorio (vt loquuntur) vti *Quod si vsque ad proximum Apostolorum festum*, inquit ibi Eugen. *non adimpleuerint, ex tunc in earum Ecclesiis,*

E *donec hoc nostrum mandatum adimpleant, diuina prohibemus officia celebrari*, est ergo interdictum pœna scelerum, non quæ à Principe modo, aut ciuitate sunt facta, sed aliis.

CAP.

A funditur. Hæc ille

CAP. II.

Interdictum quotuplex.

INterdictum tripertito diuiditur, in personale, locale, & mixtũ ex vtroque, quodlibet autem istorum, duplex est, generale & particulare, *de verbor. significat. cap. 17.* generale non est duntaxat *quando regnum, vel prouincia tota subiicitur interdicto, propter quod & iustitia deperit & prælatorum sententiæ contemnuntur, cum in aliis prouinciis interdictis, diuina celebrentur*, sed etiam cum in castris, villis, pagis, diuina celebrari prohibentur, Alexandri III. testimonio, *in cap. cum in partibus de verb. significat.* his verbis: *significatione vobis præsentium intimamus, quod cum in priuilegiis de regno, vel prouincia, nihil expresse dicatur, nomine terræ, non solum, regnum, vel prouinciam, intelligi volumus, verum etiam villam, & castrum, vt in his locum habeat, quod de generali dicitur interdicto.* Communiter tamen generale interdictum est, cum totum regnum, vel tota ciuitas interdicitur.

Speciale est, cum alicuius ciuitatis, vna vel plures Ecclesiæ interdicto subiacent, non omnes, quod cum fit, etiam suburbia ea pœna comprehenduntur, *cap. si ciuitas 17. de sentent. excomm.* eo quod ciuitatis nomine, intelligi hæc communiter soleant: quemadmodum appellatione Ecclesiæ, capellæ ei contiguæ & cœmeterium. Bonifacius ibid.

Rursus generale interdictum diuiditur in locale & personale. Locale est, cum locus omnis vbi persona fuerit, & quocunque perrexerit, interdicitur, quo fit vt hæc secũ interdictum loci ferat & dicitur eam ob. rem *mixtum seu deambulatorium.* Personale generale, est cum omnes alicuius ciuitatis incolæ, prouinciæ, vel regni interdicuntur. Speciale cum aliqui tantum, aut vnus, quæ interdicta, inter se hoc differunt, quod illud reos tantum afficiat, comprehendat autem alterum etiam insontes, vt pueros, & amentes, Bonifac. author in decret. *si sententia 16. de sentent. excomm. in 6. Cum propter delictum Domini, vel rectoris, est ciuitas interdicta, ciues eiusdem, qui culpabiles non existunt, dummodo & ipsi propter dominum, vel rectorem puniendum, in eis non fuerint interdicti, &c.* approbatores Nauar. *Enchiridii cap. 27.* & Fernandez *parte 2. cap. 12.* qui duplicem eius rei rationem profert primam, *quod interdictum sit signum iustitiæ Ecclesiæ, ideoque pati omnes mœrorem, luctumque ex aliena culpa sit æquum* secundam *quod, tunc qui causam interdicti dedit, magis con-*

CAPVT III.

Quæ cæremoniæ sint in ferendo interdicto adhibendæ.

E Vulgari in quenquam interdictum ab homine non debet, nisi admonitum, Alexand. III. *cap. non est vobis 11. de sponsalibus nos itaque attendentes iustum & honestum esse,* B *vt viri suas petant vxores, mandamus, quatenus eundem regem, ad eas reddendas sollicite moneatis, & si iuxta monitionem vestram, filiis suis, vxores suas, intra certum terminum non restituerit, ex tunc, in quacunque vestrarum prouinciarum detinentur, vel transferuntur, donec ibi fuerint, nulla diuina officia præter baptismum paruulorum, & pœnitentias morientium celebretis, nec permittatis aliquatenus celebrari.* Monitionem hanc autem trinam esse oportere, Bonifacii fuit opinio *in cap. statutum 13. de sent. excomm. in 6.* nam canonica esse debet, decreto Gregorii Papæ X. & Innocent. IV. *in cap. cum* C *medicinalis primo de sentent. excomm. in 6.* & aliorum *in cap. sacro 48. extra eod. titulo, cap. reprehensibilis 27. cap. cum speciali 61. de appellat. cap. statuimus 3. cap. Romana 5. de sent. in 6.* at esse communiter monitio canonica non solet, nisi quæ est iterata tertio, cum debito dierum inter vtramque interuallo, *cap. Romana 5. de sentent. in 6.* iustissime ergo exigit Bonifac. vt quæ de monitione canonica excommunicationi præmittenda sanxere Pontifices, *hæc in suspensionis & interdicti sententiis* D *inuiolabiliter obseruentur*, cum decreto, *easdem sententias non tenere aliter promulgatas cap. statutum 13. de sentent. in 6.*

Secundo cum ab homine interdictũ imponitur, publicari in scriptis debet: tertio imponi cum causa rationabili, Innoc. IV. *in cap. primo de sentent. excom. in 6. Quisquis excommunicat excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur*, sunt enim hæc necessaria, ne interdictum censeatur iniustum esse, ac vero nul- E lum, vt accideret, si & nulla præmitteretur monitio, aut si ferretur à non suo iudice, vel sententia errorem contineret intolerabilem, quo vitio cum laborat, seruari non debet, vt oportet cum est iniustum tantum, *sententia enim pastoris, siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda est 11. q. 3. can. 1.* Quod autem de admonitione dicitur, capi sic debet vt hæc non sit respectu omnium interdicendorum necessaria, nam in generali interdicto, quod ob delictum communitatis, aut publicę tan-

tum personæ affligitur, locum non habet, nec secundo, cum hoc est à iure, quia ipsa eius cognitio, admonitionis est loco: Cui est ergo facienda monitio? ei qui interdicti est causa, hoc vero non necessario obseruare conuenit, nisi sententia contra personas certas, aut locum à iudice publicata, & expresse sit denunciata. At vbi publicandum & quo loco.

Si generale sit ciuitatis, in matrice eius Ecclesia *cap. 1. de postulat prælatorum*, quare intimari illud in eiusdem ciuitatis Parœciis nihil est necesse, Tolet. *cap. 2. de interdicto*, Fernandez *loco ante citato num.* 8. nosse tamen oportet earum Parochos, quæ sequuntur.

CAPVT IV.

Quænam vetantur interdicti tempore.

PRimo prohibetur Missæ celebratio in loco interdicto, ianuis apertis, ac proinde in domibus, viis, agris.

Dixi *ianuis apertis*, quia clausis, voceque submissa, ac excommunicatis & interdictis exclusis, sacrificium offerri Deo posse etiam in Oratoriis approbatis ab Episcopo, communis est veraque opinio, dummodo non sint hæc, templaque alia, in quibus fieret, interdicta specialiter, nec ad ea admittatur aliquis, qui ad eam rem priuilegio careat, Nauar. *cap. 27. num. 175.*

Secundo dum est Ecclesia interdicta specialiter, obire in ea, consueta Ecclesiæ officia illicitum, Missæ autem operam in ea dare, cunctis est prohibitum nisi rogatis, idque Eucharistiæ renouandæ causa, quamobrem vna tantum singulis est dicenda hebdomadis, Suar. *de censur. disp. 34. sect. 2. num. 1.*

Tertio, horæ canonicæ dici cum cantu nequeunt, & reseratis atque patentibus Ecclesiæ foribus, *tantum baptismus ibi datur, infirmis autem remedio pœnitentiæ, & communionis subuenitur*, Concil. Pictau. *can. 1.*

Quarto non sunt in interdicto Sacramentalia vlli licita, cuiusmodi sunt olei benedictio, chrismatis, aquæ benedictæ, vasorum, vestium sacrarum, & similium, quæ ab Ecclesia, solenni sunt instituta ritu.

Quinto campanæ vt per eas signum detur ad missam, aut diuina officia, pulsari nequeunt, possunt tamen pro concione, salutatione Angelica, &c.

Sexto, *Per generale interdictum denegatur omnibus tam vnctio, quam Ecclesiastica sepultura*, Innoc. III. *ca. quod in te 11. de pœnitent. & remißionib.*

A Septimo, in Ecclesiis interdictis, decreto *Pictau. Concil. can. 1.* cauetur *ne diuinum officium fiat, nullus ibi oret, lumen non ponatur, mortuus non sepeliatur.* Pictau. *can. 1. & ca. non est vobis 11. de sponsalib.* iubentur Episcopi Angli dare operam, ne in prouinciis suis interdictis, *vlla diuina officia præter baptismum, & pœnitentias morientium celebrent.*

Octauo, interdictis, & nominatim excommunicatis, patere non debet ad sacras ædes, diuinaque officia aditus, *Clementina 5. cum sequente de sentent. excomm. ca. cum plantare 3.* B *de priuilegiis & excessib. cap. is qui 18 parag. is vero de sent. excomm. in 6.* Innoc. III. in Concil, Lateran. *canone 61. alias 58.*

Nono ab Alexand. III. est decretum in *cap. 3. de priuilegiis, excommunicatos, & nominatim interdictos, tam à diuinis officiis, quam aliis omnibus, iuxta Episcoporum sententiam euitandos.*

Decimo, nec hoc omittendum Sacramentorum omnium vsum in loco interdicto prohibitum esse præterquam Baptismi & Pœnitentiæ, *cap. sponso 43. de sent.* quæ nemini est C neganda, sed tam sano, quam infirmo, etiã in Ecclesia specialiter interdicta, danda *cap. alma mater de sentent.* Portel. *verbo interdictum in dubiis regularibus*, nisi interdicto causam dedisset, aut ei auxiliũ, consiliumq; præstitisset, aut sanè essent parati ambo, Ecclesiæ obsequi eique ac parti quantum in eorũ est potestate, pro iniuria satisfacere, aut de satisfaciendo idoneam cautionem dare Bonifacii VIII. est hoc monitum in *cap. alma mater 34. de sent. excomm. in 6.* Illis propter quorum culpam, D *dolum, vel fraudem lata est sententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cuius occasione interdictum est latum, præbuerunt auxilium, consilium, vel fauorem, nisi de ipso delicto prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam cautionem dederint, &c. non est pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum*, est tamen pœnitenti interdicta confessio, dum publice in templo diuina peraguntur officia, aut dicitur Missa quia tempore interdicti, hoc licet nemini, citra priuilegium.

Et quanquam infirmis duntaxat, Eucharistia præbenda sit in viaticum omni tempo- E re, *cap. quod in te 11. de penitent. & remißionib. In illo enim verbo, per quod morientibus pœnitentiam non negamus*, inquit ibi Innoc. III. *viaticum etiam quod verè pœnitentibus exhibetur. intelligi volumus, vt nec ipsum decedentibus denegetur*, etsi (inquam) infirmis, nõ sanis extra Paschæ tempus Eucharistia dari debeat, Bonifacio tamen placuit, *quod tempore interdicti ab homine, vel à iure prolati, non tantummodo morientes sed etiam viuentes, tam sani, quam infirmi, ad pœnitentiam (quæ propter promotam,*

&

& facilitatem ad peccandum summè necessaria est) licitè admittantur, dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti (præterquam in mortis articulo) noluit *ca. alma mater* 24. *de sent. excom. in* 6.

CAP. V.

Quæ sint interdicti tempore permissa fidelibus.

NOn modo est pœnitentia, interdicta ciuitate aut Ecclesia, permissa fidelibus, tam sanis quam infirmis, sed & baptismus *cap. non est de sponsalibus* 11. *& cap. responso* 43 *de sent. excom.* Concil. Pictauiense *can.* 4. sponsalia item personaliter interdictis non sunt prohibita, Tolet. *de interdicto ca.* 3. *num.* 9. quia non sunt Sacramentum, benedici tamen non debent Viuald. *de Sacramentis in genere*, Fernand. *par.* 2. *ca.* 12. *num.* 17. Secundo posse quoque Episcopos cum magna Sacerdotum est inopia, celebrare ordines, scripsere Sylu. *interdict.* 5. *q.* 7. Couar. *in ca. Alma par.* 2. *parag.* 3. sicut & fœminæ, quæ partui est vicina, morique eius oppressa doloribus metuit, porrigi Eucharistiam, Rodrig. *to.* 2. *q.* 109. *art.* 3. Portelius *in dubiis verbo interdict. num.* 14. eaque adhiberi omnia, cum ad infirmam defertur, quæ ad eius celebritatem honoremque pertinent, vt *quod in decenti habitu, superposito mundo velamine, feratur ante pectus cum omni reuerentia, & timore, insuper lumine præcedente* Honor. III. *de celebrat. Missarum ca.* 10. campana item pulsante, secundum Portelium loco citato, vt eius sono fideles admoniti, prætereuntem flexo genu, omni qua possunt animi demissione, cultuque, venerentur ac suspiciant, quinetiam quorundam est opinio, quam probabilem Suarez existimat *disp. de censur.* 33. *sect.* 1. *num.* 39. Clericis non Presbyteris, qui ad eam spectant Ecclesiam vbi diuina quot diebus peraguntur officia, licet sine cātu, & voce submissa: negandum non videri quod tamen Fœlicianus de interdicto & Rodrig. loco cit. *num.* 13. improbant, non item quod sequitur, sæcularibus scilicet in Paschate ad implendum præceptum Ecclesiæ, impertiendam esse ita Suar. supra *num.* 37. Portelius *num.* 16.

Æque sunt certa quæ sequuntur, licere Minoritis, fratres tertii ordinis ad diuina officia admittere, *si forsan Ecclesiæ, ad quas pertinent, à diuinis fuerint officiis interdictę, & si ipsos mori contingat, sepultura Ecclesiastica illis non negatur nisi excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti, quod si Ecclesiarum prælati, apud Ecclesias suas, eos non permiserint sepeliri ipsi fratres*

A *ad suas Ecclesias deferant tumulandos*, Innoc. III. *de priuileg. cap.* 24. Templariis similiter concessum esse Alexand. III. voluit *in cap. cum & plantare* 3. *de priuilegiis parag. quod si templarii, si ad Ecclesiam venerint interdictam, semel vt in anno ad Ecclesiasticum officium admittantur, cap. & plantare*, nec hoc tantum, sed cum aliqui *fratrum suorum, qui ab eis mittuntur ad recipiendas fraternitates, siue collectas, in quamlibet ciuitatem, castellum, vel vicum aduenerint, si forte locus ille, à diuinis officiis sit interdictus, in eorum iucundo aduentu, semel in anno*
B *aperiuntur Ecclesiæ, vt exclusis excommunicatis ibidem diuina officia celebrentur*, Innoc. III. *cap. vt priuilegia* 24. *de priuilegiis.*

Tertio quod religiosis quibusdam est indultum, ad Episcopos extendi Innoc. voluit in Concil. Lateran. vt refertur *cap.* 25. *de priuilegiis, vt cum commune terræ interdictum fuerit, excommunicatis & interdictis exclusis, possint quandoque ianuis clausis suppressa voce, & non pulsatis campanis, diuina celebrare officia nisi hoc ipsum fuerit illis expresse interdictum*, quo de priuilegio regularibus indulto, sit men-
C tio *in cap. quod in te* 11. *de pœnitent. & remissionibus*, item *in cap. permittimus* 57. *de sentent. excomm. & in cap. vltimo parag. adiicimus præterea eod. titulo in* 6.

Quarto, conceditur Clericis ab Innoc. *in cap. quod in te* 11. *de pœnitent. vt decedentes, qui tamen seruauerint interdictum, in cœmeterio Ecclesiæ, sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur.*

Quinto Regularibus litare quotidie, & diuina officia facere in Ecclesiis, & Mona-
D steriis suis permittitur, modo ne recitentur elata voce, ianuis apertis, excommunicatis, & interdictis admissis, *cap. alma vigesimo quarto de sententia in sexto*, quinetiam in suis *conuentualibus Ecclesiis bini & bini, vel simul tres, horas canonicas si legere* inducant animum ab omni futuri sunt culpa liberi *cap. quod in te de pœnitentiis*, hæc tamen psallendo decurrere illicitum, *ne forte eis canentibus & diuinum celebrantibus officium, aliquis excommunicationis macula aspersus se inferat*, Gregor. VII. in Concil. Roman. *ca.* 17. qua-
E re voce tam remissa loqui debent quod exaudiri non possint, Innocent. *cap. quod in te citato.*

Idem licere Presbyteris sæcularibus, in templis & monasteriis, dixit Fœlicianus *in cap. de interdicto* 7. quare diuina quotidie celebrare officia, Missæ operam dare, canonici tempore interdicti, (vt prius) possunt, ac debent, submissa tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis. Priuato autem cuilibet, similiter sunt hęc quæ

sequuntur licita.

Primo psalmorum aut Euangeliorum, quæ in diuino officio legi solent, interpretatio, quia non prohibetur concio *ca. responso 43. de sent. excom.*

Secundo priuata in Ecclesia precatio.

Tertio, aquæ benedictæ in eius ingressu aspersio.

Quarto, puerperæ in Ecclesiam ad reddendas Deo gratias, introductio.

Quinto, animæ è corpore abeuntis commendatio: etiam fas est Laicis, cum in suis sodalitatibus coeunt, psalmos canere in Ecclesia, litanias dicere, Sacerdoti, autem absque stola excommunicatum absoluere.

Ratio est, quod quæ memorata sunt proximè, nec Sacramẽta sint, nec diuina officia, vtpote non necessario, solenni dicenda ritu.

Sexto, in interdicto permittitur generalis confessio, absolutio eiusdem generis in Missa angelica salutatio, mensæ benedictio, crucis adoratio in die parasceues, sine precibus pro hac re institutis.

Permissa sunt etiam officia, in confraternitatibus exhiberi Deo solita, cohortationes ad virtutem, mulierum purificatio post partum, sunt enim hæc omnia eiusmodi, quæ à Laicis fieri valeant, aut si Sacerdotis operam exigunt, non exhibendam tamen necessario publicè, nam ea secreto geri quid vetat? Nau. *ca. 27. num.* 171.

Septimo cõcionis causa habere cœtum populi, eique conuocato in templum, explicare mysteria fidei, licitum est Episcopo, aut Ecclesiastæ, interdicti tempore, testimonio Innoc. III. in decretali 43. ad Ferarien. Episcop. *de sent. excomm.* præterea *baptizatos pueros, ad confirmationem in frontibus sacro chrismate delinire ibid.* modo sine solennitate Syluest. *verbo interdictum* 5. *q.* 7. Nauar. *ca.* 27. *nu.* 174. *&* 178.

Octauo, fructus benedicere, orare priuatim in oratorio interdicto cuique licitum, Fernand. *supra nu.* 17. Nauar. *n.* 176. *&* 177.

Causa est, quod hæc officia, propria non sint Clericorum munia, cum ea obire Laici, nec sine fructu, commodoque, possint.

Nono, celebraturo, cum deest qui operam illi suam accommodet, in eam rem laicum licet assumere, modo non excommunicatum, Suar. supra *num.* 31. non tamen si Clericum, aut priuilegiatum ad manum habeat, Rodrig. *to.* 2. *q.* 114. *art.* 4. aut famulum quia *per priuilegium famulatus, potest Dominus illum admittere secum*, Portelius *in dubiis regularib. ver. interdictum num.* 29.

Decimo, morienti cum Clericus assidet, pro fœlici eius ad Deũ transitu, Christi passionem, &, Litanias legere, sine stola tamen

A ac superpelliceo, atque vsitata hac oratiuncula *Dominus vobiscum*, citra culpam, eiusque suspicionem potest.

Ratio est, quod hæc prẹstari à Laicis cum possint, inter diuina censeri officia non debent, nec proinde Clerico esse prohibita.

Vndecimo, cum populo sacrosancta Eucharistia adoranda in æde sacra proponitur, vt Ecclesiæ in necessariis suis, dubiisque temporibus, opportuna impetrentur à Deo auxilia, cultum ei exhibere in illa, Laici iuxtà ac Clerici, liberè ac cum fructu possunt, nisi forte templum, vbi ad venerationem, loco conspicuo ac patenti Eucharistia visitur, interdictum esset specialiter, aut hæc illi exhiberetur religio, cum diuina fiunt officia, quo tempore nemini absque Papæ facultate, ac priuilegio, interesse rebus sacris est concessum.

Duodecimo in interdicto generali fas est Clericis extra Ecclesiam, horarum pensum alternatim ac in chori modum, vna depēdere, modo ne voce tam elata, claraque, vt queant intelligi, Suar. *disp.* 34. *sect.* 3. *num.* 13.

C Argui culpæ similiter, cum ratione Laici generaliter interdicti nequeunt, cum templum, spectaturi quid in eo extra Missarum tempus, ac officii, geratur ac fiat, frequentes subeunt, aut rogati, amicis honoris causa, socios se dant ac comites, cum baptizato nomen imponunt, confirmandum Episcopo offerunt, cũ cœlesti mensæ assidentes, eorum pietatem ac modestiam, fluentes ex eorum oculis, præ teneritudine animi lacrymas, cũ diuinæ cuiusdam voluptatis sensu mirabili, contemplantur ac spectant. Suar. *disp.* citata

D *sect.* 4. *num.* 31. *& sequent.*

Regularibus autem, interdicto generali persistente, sunt hæc quæ sequuntur permissa, mensæ benedicere, Deo cum solemni cantu, grates post cibum reddere, *Compend. Minorum verbo interdictum parag.* 20. per professionem Nouitios religioni adiũgere, & in illa *Veni Creator* occinere, cum cæteris cæremoniis, dummodo sit interdictum authoritate ordinaria positum. Portelius supra *n.* 65. *& seq.* suos familiares ad diuina officia

E & Sacramenta admittere, Rodrig. *to.* 2. *qu.* 114. seruos item Monasterii, eosque cum naturæ concedunt sepulturæ tradere, quoscunque etiam alios, viuentes Monasterii stipendiis, eorumque familiam, id est tam viros quam mares, est id S. Hieronymi Patribus concessum à Benedicto XIII. vt est in eorum Compendio, *verbo interdictum parag.* 1. consequenter aliis, qui cum iis in illius facultatis vsu, Papæ beneficentia communicant. Ab Alexan. autem IV. Minoritis indultum video, vt operarios quoscunque, etiam in eo-

rum

rum Monasteriis non degētes, quo die apud eos laborant, ad diuina recipere possunt officia Capucinus *in suis additionib. ad Compend. verbo Interdictum 3. parag. 6.* Miranda *tom. 2. q. 38. art. 12. concl. 13.*

Est hoc etiam Papæ erga regulares, non minimum beneficium, quod interdictum etiam authoritate Apostolica positum, possint suspendere, quando autem, & in quorum celebritate cœlitum, dicetur cum de cessatione à diuinis sermo fiet.

Fit ex dictis cuique perspicuum, interdicti effectus tres esse, non plures, priuationem Sacramentorum, tam passiuam quam actiuam, diuinorum officiorum, & sepulturæ Ecclesiasticæ carentiā, nā inferri in locum non sacrum cadauera fidelium, ibique terræ mandari posse sine crimine, vt ipse non dicam, res ipsa, nomenque ipsum indicat, sepulturæ adiectum, *Ecclesiasticæ* scilicet, quæ vt est distincta à gentili, benedictionum nescia, ita sola est Christianis interdicti tempore prohibita.

CAP. VI.

Interdictum ferre qui possint.

Interdicti author idem est, qui excommunicationis, sacris enim interdicere, eorumque vsu, ad iustitiam pertinet, eamque scelerum vltricem, de his autem merita repetere pro authoritate supplicia, cui nisi Prælato licitum? huic ergo soli vrbes, castra, vicos & oppida interdicere est permissum, aut eo ex humanis sublato, Capitulo, & non cuilibet canonico. Dixit hanc sententiam Cœlest. III. *in cap. super eo secundo de his quæ fiunt à maiore parte capituli*, Querenti enim apud eum Gileberto Claramontanorum Episcopo quod è canonicis suis, quidam non primiarum partium, qualibet occasione assumpta, sine suo & canonicorum consensu, pro rebus nihili, terras æque ac prouincias, magno populorum, ac diuini cultus detrimento, interdicto supponere minimè vererentur, respondit, id vero sibi probari non posse, itaque *interdictum in aliqua Ecclesia, per aliquem, vel per aliquos ex canonicis, sine suo, & aliorum fratrum assensu positum, nullatenus obligare, nisi talis excessus, & tam grauis extiterit, propter quod, Ecclesia merito silere debeat, nec ferendum, vt prætextu occasionis huiusmodi, ab aliis interdictum obseruetur, nisi eius, & aliorum canonicorum consensus accesserit.*

Quare cum per quas causas quidpiam est in natura rerum, iisdem & tolli queat, *de regul. iuris, regula prima*, quæ interdicta erunt ab

A homine, hæc eius arbitrio ac voluntate, aut superioris, tolli poterunt, quod si erunt à iure, & reseruata, publica, ac manifesta, à solo Papa, si occulta, ab Episcopo, potestate ad hanc rē idonea ac sufficienti, sibi à Concilio tradita in *sess. 24, cap. 2.*

Quod si reseruata non fuerint, cessante causa propter quam sunt posita, tolli ab Episcopo poterunt, à solo vero Papa, si hæc perseueret.

Tolli dixi, nam suspendi nonnunquam so-
B lent, vt populo rebus diuinis vacare, animo curis expedito liceat, ob eam causam Bonifacio visum, vt *in festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ, pulsatis campanis, ianuis apertis, alta voce, diuina officia solenniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis cap. alma mater 24. de sentent. excom. in 6.*

Addunt aliqui festum corporis Christi, & Sanctorum omnium, ita tamen vt de interdictorum numero, quibus diuina illis die-
C bus frequentare mysteria in Missa, Vesperisque licet, excludi illi debeant, quorum ob delictum, interdicti sententia est lata. Adhæc possunt illis diebus, panes, fructus, aqua solenniter benedici, aquæ aspersio fieri, Virgines, altaria, calices, indumenta, Abbates & Abbatissę benedici, Monialibus velum dari, cum hæc non sint Sacramenta, sed potius certa diuina officia.

Quid si tūc aliquis diem suum obeat etiamne loco sacro per leges Ecclesiæ humandus erit?

D Omnino, at quo modo? quo erit placitum, hoc est prælata cruce, præcinente Clericorum choro qui funus præcedit, subsequente populo, amicis hinc & inde complorantibus, in iisdem tamen solennitatibus interdicto persistente, Extremam vnctionem dare, aut sanis Christi corpus impertiri non licet, sed tantum animam agentibus: viaticum enim in morte positis non est negandum: *can. pœnitentes 63. dist. 50.*

Extra hæc tempora, dare diuinis officiis operam, cum apparatu, quem adhibet Ecclesia, nulli licitum, nulli in locis interdicto
E suppositis, Ecclesiastica obire officia, *Clerici qui talia præsumunt, sunt Ecclesiasticis beneficiis spoliandi, Monachi verò vel moniales, in arctioribus Monasteriis, ad peragendam pœnitentiam detrahendi,* Innocent. III. *in decretali postulasti parag. quæsiuistis, de Clerico excommun. ministrante.*

Huic pœnæ addita est à Bonifac. alia *cap. Episcoporum 8. de priuilegiis in 6. parag. qui vero,* nempe ab ingressu Ecclesiæ exclusum, eiusque aditu prohibitum esse, *donec de trans-*

greßione huiuſmodi ad arbitrium eius, cuius ſententiam contempſerint, ſatisfecerint competenter, cap. Epiſcoporum 8. de priuilegiis in 6.

CAP. VII.

An interdicto Clero populus ac religioſi, pro interdictis ſint habendi.

PRimo, interdicto Clero, non eſt interdictus populus, item è conuerſo *ca. ſi ſententia 16. de ſent. excomm.* interdicta tamen ciuitate, vel populo, ciues ſunt ſinguli pro interdictis habendi *cap. ſi ſententia citato parag. cum vero* niſi ſit ob delictum Domini interdicta ciuitas, tunc enim alibi, ad diuina admitti officia ciues poſſe, habet citatus canon *ſi ſententia* non tamen in ciuitatis interdictæ ſuburbiis, nam illâ interdicta, hæc quoque, ac continentia ędificia omnia, pari tenentur pœna, quæ in capellis quoque, ac cœmeteriis, reſpectu Eccleſiæ interdictæ, locum habet, vt eſt *in cap. ſi ciuitas 17. de ſent. excom. in 6.* hac enim à rebus ſacris tacere iuſſa, capellæ quoque ac cœmeteria, interdicto ſunt ſuppoſita,

Addo ſecundo, quod Clero generaliter interdicto, Clerici vacare omnes à diuinis debent, præter Epiſcopos, & his dignitate priores Archiepiſcopos, ac Primates, qui nullius occaſione ſententiæ, conſtitutionis, aut decreti, ac ſuſpenſionis, interdicti pœnas ſubeunt, niſi expreſſa de iis fiat in canone mentio, *cap. quia periculoſum de ſentent. excommunic. in 6.* Ab his tamen ceſſare regulares nihil eſt neceſſe, quia in materia, odioſa, qualis eſt præſens de interdicto, intelligi hi Cleri nomine non ſolent, quemadmodum nec populus, quia vtriuſque vocis, hoc eſt Cleri & populi, diuerſa eſt ſignificatio, ergo interdictio populi, Clerum excludit, mareſque & fœminas cuiuſcunque dignitatis, ætatis ac conditionis comprehendit, conſequenter & infantes, cum ſint de populo, nec refert quod vt doli ſunt neſcii, ita & peccati, quia ad interdictum culpa nulla eſt neceſſaria, cum inſontes etiam complecti ſoleat.

CAP. VIII.

Quas pœnas incurrere ſoleant, interdictum qui violant.

PRimo, ſunt Clerici irregulares, ſuſpenſi, & inhabiles, qui interdictum violant, actum ordinis ſui proprium exercendo, de

A Sacerdote (eadem autem, parque eſt aliorum ratio) ſic Bonifacius VIII. *in cap. 18. de ſent. exco. in 6. Qui ſcienter celebrat in loco ſuppoſito interdicto (niſi ſuper hoc priuilegiatus exiſtat aut à iure ſit conceſſum eidem) irregularitatem incurrit, a qua nequit per alium, quam per Romanum Pontificem liberari, & adeo efficitur ineligibilis, quod nec ad eligendum, cum aliis debeat admitti*, excuſat tamen bona fides licet ignorantiæ craſſæ coniuncta, modo ne ſit affectata, Portelius *de irregul. in dubiis num.* 36. Suar. *ſect. 4. num. 15.*

B Secundo, *Qui ad officia diuina audienda, excommunicationis, vel interdicti ſententia innodatos euocare, ſeu, qui ne excommunicati publice, aut interdicti, de Eccleſiis, dum in ipſis Miſſarum aguntur ſolemnia, à celebrantibus vt exeant prohibere, nec non interdictos, qui in ipſis Eccleſiis, nominatim vt exeant moniti, remanere præſumpſerint, excommunicationis ſententia, à qua per ſedem duntaxat Apoſtolicam poſſint abſolui, ſunt innodati* Clem. V. *de ſentent. excom. in clement. cap. grauis 2.* Ad hanc autem pœnam incurrendam, requiritur præſumptio,
C vnde ab ea excuſant bona fides, & metus etiam leuis, Theſaur. *par. 2. praxis ver. cęſura cap.* 10. ſecundo requiritur vt locus ipſe, vnde exire excōmunicatus iubetur, ſit ſpecialiter aut generaliter interdictus, quod tamen negant, Bonac. *de cenſur. in part. diſp. 2. q. 3. punct.* 20. *num.* 14 Filliucius *tract. 15. num. 74.*

Tertio, interdictos qui terræ mandat, aut non interdictos, interdictum cum in ciuitate viget, aut prouincia, tandiu eſt ab ingreſſu interdictus Eccleſiæ quandiu ei videbitur cuius ſententiam contempſit, quod vt fiat
D licite, requiritur in ſepeliēte pręſumptio. Boniſac. *cap. 8 de priuilegiis in 6. Qui contra præſumpſerint*, inquit canon, *præter alias pœnas à iure ſtatutas, ingreſſum Eccleſiæ ſibi nouerint interdictum donec, &c.*

Quarto in Sacramentorum materia, interdictum violans, eſt irregularis, inhabilis vt poſſit eligi, & à beneficio ſuo ſuſpenſus ipſo facto *cap. 15 qui de ſentent. excom. in 6.* quo etiam priuari poteſt per ſententiam. Miranda *to. 2. q. 37. art. 9. concluſ.* 1. quod ſi religionem ſit profeſſus, interdictum non ſeruans
E eſt ipſo facto excommunicatus, Clem. V. *in cap. frequentibus, primo de ſentent. excom. in Clement. lib. 5. Quod etiam in interdictis, & ceſſationibus à diuinis, indictis per prouincialium Conciliorum ſtatuta, vel ipſorum authoritatem,* obſeruari idem Pontifex præcipit, *ibid.*

Quarto, excommunicatos, nominatimque interdictos, ac denunciatos ab Epiſcopo, religioſi exempti ad diuina ſi admittunt præter peccatum mortale, quod violando præcepto Eccleſiæ faciunt, illas ipſas Eccle-

ita

ſias, in quibus interdictos contra fas, æquumque recepere culpa ſua, interdicto ſubiiciunt ita Alexand. III. *in decretali cum plantare 3. de priuileg. parag. ſi contra vltimo.*

Sexto Clerici violantes interdictum perſonale, vel locale, ſuſpenſionem ab officio & beneficio contrahunt, Auila *part. 5. diſp. 5. dub. 4. parag. præterea* Sayrus *lib. 5. cap. 14. num. 12.* non eſt hæc tamen à beneficio ſententiæ latæ, ſed ferendæ Suar. *diſp. 34. ſect. 4. num. 16.*

A Ac ſi celebrare in prædicto interdicto, moniti perſeuerent, perpetuę depoſitionis pœnam ſubeunt Clerici, inquit Alexand. III. *in cap. 3. de Clerico excomm. miniſtrante, ſi qui à ſuis, vel etiam de mandato Pontificis ab alienis Epiſcopis interdicti, vel excommunicati, ante abſolutionem diuina officia celebrauerint, niſi moniti ſine dilatione redierint, perpetuæ depoſitionis ſententiam, pro auſu tantæ temeritatis incurrant.*





TRACTATVS DECIMVS DE DEPOSITIONE.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit, & quomodo à suspensione differat.



EST huic voci non vna, ac simplex subiecta potestas, interdum enim idem est ac expulsio, vt *in can. 19. Concil. Nicæni*, vb. Paulianistæ redeuntes ad Ecclesiam, si culpæ expertes fuerint, rebaptizati à Catholicæ Ecclesiæ Episcopo ordinari iubentur, *Si vero eos examinatio non eos esse aptos deprehendit, deponi eos oportet*, id est eiici Balsamone teste in eum canon. παρελήφθη τὸ τῆς καθαιρέσεως ῥῆμα ἀντὶ τῆς ἐξωθήσεως, id est hic depositionis nomen pro expulsione est acceptum.

Nonnunquam idem est ac irregularitas vt in *can. Apostol. 65. Si quis Clericus in pugna, pulsatum aliquem occiderit vno ictu, deponatur propter procliuitatem & temeritatem*, nonnullis etiam, per causam Apostolici canonis 11. quo iubetur, vt *si quis cum sit Clericus, vna cum eo, qui est depositus orauerit, deponatur & ipse*, nonnullis (inquam) est visum, quod nos à cœtu fidelium mouere dicimus, ac excommunicare, illud ipsum esse deponere, εἴπον τὸν καθαιρεθέντα ἀποβληθῆναι ἐκ ἀφορισμῷ, ἐκ διὰ τοῦ τὸ κωλυθῆναι τὴν μετὰ τούτου προσευχὴν, id est dixerunt *hic depositum segregationi subiici, & ob eam causam esse prohibitam cum eo precationem*, qui enim cum excommunicato vel in domo precatus fuerit iubetur ab Apostolis, segregari in *can.* 10. hoc est Balsamone interprete *ab Ecclesia eiici*, ὁ μὲν γὰρ ἀφωρισμένος ἐκ τῆς ἐκκλησιαστικῆς συνάξεως κωλύεται, Balsam. *can.* 13. *Apostol.*

A Hunc tamen citati canonis, vocisque in eo adhibitæ sensum non esse, verborum ipsa series quibus contexitur, aperte indicat, vult enim Clericum, qui cum deposito preces fuderit, aut ei sacrificanti intererit, pari cum eo teneri pœna, at hic depositione plectitur, non cēsura vlla, non est ergo depositio idem ac excommunicatio.

Magis ad veritatem accedunt, qui depositionem, aiunt pro suspensione, promiscuè in iure accipi, pro quibus faciunt, canones

B sequentes, *vigesimus nonus Apostolorum & tricesimus, prior sic habet, si quis Episcopus, per pecunias hanc sit dignitatem assecutus, vel Presbyter vel Diaconus deponatur, & ipse qui eum ordinauit*, id est à suorum sit ordinum suspensus vsu. In altero hæc lego, *Si quis Episcopus sæcularibus principibus vsus, per eos Ecclesiam adeptus sit, deponatur, & segregetur*, id est à communione sit abiunctus fidelium.

C Est tamen à suspēsione distincta depositio.

Primo quod hæc inter censuras locum non habeat, nam quamuis sit pœna, non tamen est medecinalis, vt suspensio, sed vindicatiua.

Secundo à suspensione differt, quod hæc ministeriis ordinum ad tempus priuet, beneficiis & officiis, depositio in perpetuum, absque spe restitutionis in pristinum statum, vsumque eorundem bonorum *iuxta can. 8. de*

D *dolo & contumacia & quartum Antiocheni Concilij*, vbi Episcopus, Presbyter, & Diaconus, quos deponi in Synodo contigerit, locum defendendi sui, aut restitutionis spem aliquam, in sequenti Synodo habere prohibentur: *Si quis Episcopus damnatus à Synodo, vel Presbyter aut Diaconus à suo Episcopo, ausi fuerint aliquid de ministerio sacro contingere, siue Episcopus iuxta præcedentem consuetudinem,*

dine, siue Presbyter, aut Diaconus, nullo modo liceat ei, nec in alia Synodo, restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis. Fas deposito tamen erat per Pontificem, res suas, in Synodo agere, Ecclesiam intrare, ad sacram mensam assidere cum Laicis.

Est autem depositio duplex, verbalis & actualis. Prior accidit, cum quis priuatur in perpetuum beneficio Ecclesiastico, & officio, non tamen priuilegio Clericali fori, canonis, & bonorum, de quo Innoc. III. *in ca. Veritatis 8. de dolo* his verbis: *Tulimus sententiam perpetuæ depositionis in ipsum, & eum tam à Pontificali, quam ab omni Sacerdotali officio priuantes, sine spe restitutionis reliqua, duximus condemnandum,* & ad hanc pœnam infligendam non requiritur Episcoporum numerus, quem ad degradationem canones exigunt, sed sola Episcopi sententia, etiam sine Capitulo, nam eius non fit mentio in *ca. Veritatis citato,* sed tantũ Episcopi, & Abbatis, quibus causæ cognitio ab Innoc. commissa fuerat.

Est & alia verbalis depositio, quæ degradatio verbalis dicitur, ad degradationem actualem præparans, quæ Clericum deponit ab ordine, officio, beneficio, & priuilegio clericali, & requirit numerum Prælatorum, de qua nos depositione postea & hæc nunquam est latæ sententiæ vt prior, sed ferendæ tantum, cum specialem exigat, quam tam Episcopus deponentis proprius dicat, quam alii ei assistentes, in quo à suspensione distinguitur, quam ab ordinario solo imponi posse est certum, alio aduocato nemine.

Tertio ab ea differt depositio, quod hæc nonnisi in casibus à iure expressis infligi soleat Sayrus *lib. 5. de censur. cap. 21. num. 5.* imo nec debeat, cum de eius rigore multum sit ob fragilitatem hominum remissum, Thesaur. *par. 1. cap. 27. prax. Ecclesiast.* possit autem suspensio pro peccato mortali, impediendo sub ea pœna ne fiat, aut puniendo iam factum.

His differentiis, addenda quarta, quod suspensio à beneficio, suspensum eo non priuet, sed fructibus, suspensio à iurisdictione, eius vsu duntaxat, cum depositio, vtriusque possessione, dominioque spoliet.

Quinto non nisi ob grauia, enormiaque scelera, deponi quis potest, vt dicemus postea, cum tamen vt supra ostendere memini, suspendi aliquem nihil vetet: ob culpam lethali imparem, imo & non suam.

quid? quod Clericum pro nullo crimine deponi posse, dixere veteres, de quo non fiat specialis in iure mentio, & quod secundum quosdam, non sit multiplicatum, propter hæc verba petita *ex cap. tuæ 6. de pœnis: Clerici in latrocinijs vel aliis magnis sceleribus deprehensi à suis ordinibus degradati, debent in carcerem detrudi,* quod suspensio non exigit.

Est ergo depositio, amotio ab altaris ministerio, seu ordinis, officii ac beneficii priuatio perpetua, absque vlla spe restitutionis, cum suspensio sit quidem remotio ab vsu ordinis, ac officii sed ad tempus tantum, fructuum priuatio non beneficii.

QVÆSTIO II.

Propter quæ crimina sit infligenda depositio.

Non nisi pro grauibus, quæ autem sint habenda talia, Abbas prudentis arbitrio relinquendum tradit, Anton. *in cap. dilectus de purgat. canonica,* id crimen graue nominat, quod ex præscripto legũ, pœna mortis in foro puniri solet, quod refert ac sequitur Felinus *in cap. qualiter de accusat.* Graue crimen appellant alii, quod auctori suo creat infamiam, cum populi scandalo, Ioan. Andr. *in cap. 1. de accusat.* diuque est continuatum Glossa *in cap. 1. dist. 81.* eodem pertinere nonnulli asserunt, gloriari ac de commisso à se crimine laudem quærere quod Innoc. III. *cap. 9. de excessib. Prælator.* id ferri non oportere asserit in Clerico, eo quod sit *graue crimen* pro quo proinde *appellatione cessante præfatum Clericum ab officio & beneficio suspendi,* ab Episcopo imperat.

Eorum mihi præ cæteris probatur opinio, qui crimina capitalia, deposisitione digna esse, cum Patribus Concil. Agathens. autumant, sic enim illi in *can. 50. Si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiserit, aut chartam falsauerit, aut falsum testimonium dixerit, ab officij honore depositus in Monasterium detrudatur, & ibi quandiu vixerit laicam tantummodo communionem accipiat,* simile decretum est in Conc. Aurel. 1. *can.* 11. capitalia autem tripartitam diuisionem habent, nam quædam sunt grauia, his grauiora alia, & tertia grauissima.

Ad primum genus pertinent sequentia, furtum, homicidium non qualificatum, & periurium, de homicidio loquitur in hunc modum Papa Nicolaus *in can. 5. dist. 50. Clericum qui paganum occiderit, non oportet ad maiorem gradum prouehi, qui carere etiam debet quæsito, homicida enim est.* De furto & periurio canon Apostol. 25. *Episcopus aut Presbyter aut Diaconus qui in fornicatione aut periurio aut furto captus est, deponatur.* De Adulterio Concil. Aurelian. 3. *can. 2. Si quis Clericus adulterasse, aut confessus aut conuictus fuerit, depositus, ab officio, communione concessa, in Monasterio toto vitæ suæ tempore detrudatur,* est in eandem

sententiam, Neocesar. Concil. *can.* 1. Parif. sub Lothario & Ludouico *lib.* 1. *can.* 35. *Presbyter, si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit extra Ecclesiam abiici, & ad pœnitentiam inter Laicos redigi oportet*, Neocesar. Concil. *can.* 1.

Quæ autem sunt adulterio grauiora crimina, hæc quoque depositione sunt digna, vt incæstus, hoc est coniunctio venerea cum consanguineis, aut affinibus, quos etiam incæsti nomen complectitur 35. *q.* 3. *can. de incæstis*, peccatum contra naturam, 32. *q.* 7. *can. adulterij malum & de excessib. prælatorum cap. Clerici* 4. vbi est his verbis: *Quicunque illa incontinentia, quæ contra naturam est, (propter quam ira Dei, venit in filios diffidentiæ, & ciuitates igne consumpsit) deprehensi fuerint laborare, si Clerici fuerint, deiiciantur à clero, vel ad agendum pœnitentiam in Monasteriis detrudantur.*

Vt castitatem autem insigniter violant ac lædunt, stuprum vi illatum, complexus cum spiritali filia ac oscula, Presbyteri coniugium cum fœmina, ita qui horum est criminum conscius, reusque, à Symmacho & Cœlestino deponi iubentur, peccans quidem cum spirituali filia, 30. *q.* 1. *can. omnes* 8. *& sequenti* in quo hæc lego, *Si quis Sacerdos cum filia spiritali fornicatus fuerit, sciat se graue adulterium commisisse, Sacerdos qui malum exemplum dedit hominibus, ab officio deponatur, & peregrinando* 12. *annis pœniteat, postea ad Monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitæ Deo seruiat*, de peccante cum Virgine & moniali *can. si quis Episcopus* 28. *q.* 1. de eo qui à suscepto Presbyterii ordine vult maritus esse, ac pater, præcipit Toletanum Concil. 8. *can.* 7. in fine, his verbis: *Si Clericus relabitur ad coniugium, moresque sæculi, mox omni Ecclesiastici ordinis dignitate priuetur, vt apostata, à sancta Ecclesiæ liminibus, & societate habeatur prorsus exclusus, Monasterii claustris, donec vixerit, sub pœnitentia retrudendus.*

Adhæc depositione digna sunt hæc crimina, sacrilegiũ iuxta Concil. Agathensis *can.* 4. vbi Clerico *qui furtum Ecclesiæ fecit, peregrina communio* dari præcipitur: Coniuratio Clericorum contra Episcopos 11. *q.* 1. *can. coniurationum* 21. 22. 23. ebrietas repetita, Hostiens. *in sum. tit. de tempor. ordination. parag. & cui*, grauis in Deum blasphemia, maximè crebra, crebroque iterata 22. *q.* 1. *can. si quis per capillum*, Episcopi neglectus, ac præceptorum eius, à propriis subditis, Pius Papa *epist.* 2. *Si quis Sacerdotum, vel reliquorum Clericorum, suo Episcopo inobediens extiterit, aut insidias ei parauerit, aut contumeliam, aut conuitia intulerit, & conuinci poterit, mox depositus curiæ tradatur.* Addi his debet concubinatus

A publicus ac manifestus à quo admonitus Clericus se non correxit, *cap. sicut adextirpanda* 4. *de cohabit. Clericorum & mulierum.* Consultatio aruspicum, augurum, eorumque omnium qui magicam artem exercent 26. *qu.* 7. *can. admoneant* 7. Simonia, Concil. Aurel. 2. *can.* 4. *can. Apostol.* 30. *si quis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem, deiiciatur, si quis autem sæcularibus potestatibus vsus, Ecclesiam per eos obtineat, deponatur, can. Apost.* 31. effectum eundem habent ac pariunt, vsura, ac ieiunii quadragesimalis violatio: de priori est canon 20.

B Concil. Elibert. his verbis perscriptus, *si quis Clericorum, detectus fuerit vsuras accipere, placuit degradari*, id est deponi, *& abstinere*, de altero loquuntur sic Apostoli, *can.* 69. *Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel cantor, vel lector, sanctam Paschæ quadragesimam non ieiunat, præterquam si propter imbecillitatem impediatur, deponatur.*

In summa, quæ crimina infamiam adiunctam habent, hæc si sunt notoria, depositione sunt digna, Thesaurus *praxis Ecclesiast. parte* 1. *cap.* 33 *& parte* 2. *verbo Missa cap.* 2.

C est enim omnis infamis, irregularis, vt docent Tolet. *lib.* 1. *cap.* 74. Sayrus *de censur. lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 12. *&* 13 ergo deiectionis ab ordine, beneficioque, non incapax, qua pœna, scelera omnia quę accidere circa Sacramentorum cultum, presbyteri culpa solent, plecti à delinquentis superiore posse, dixit Cardinal. *in cap. extremum de celebrat. Missæ*, Thesaurus *verbo Missa cap.* 2. dummodo de iis instituta ante fuerit quæstio, testiumque fide, ab eo hæc admissa esse constet, coniectura non improbabili. Nam si hæc (inquit

D Balsamon in canon. nonum Gangrens. Synodi) nec confessus fuerit nec aperte conuictus οὐδέπω οὖν καθαιρεθήσεται ἀλλὰ παρ' αὐτῷ κείσεται ἐξουσία τοῦ ἱερουργεῖν ἢ παύσασθαι, id est non labefactabitur, sed in eius potestate erit sacra celebrare, vel cessare, prout ei sua dictarit conscientia, quare cum de depositione sermo esset, statuere Patres in eo canone, neminem vt hæc afficeret, nisi conuictum, aut confessum, ob eam causam adie-

E cere (inquit ibi Balsamon) τὸν φανερὸν ἔλεγχον, διὰ τὸ μηδένα καθαιρεῖσθαι, εἰ μὴ διὰ φανερῶν ἀποδείξεων ἤτοι διὰ καθ' ὅρκου μαρτυρίας πέντε ὀμνυόντων, *hoc est, apertam probationẽ postulant, eo quod nemo deponatur, nisi per apertas probationes, scilicet per affirmationem quinque testium iurantium.*

Verum enim inquies 55. canon Apostolicus, & 84. eos deponi imperant, qui Episcopos, regesque iniuria afficiunt, est ergo ad eiusmodi iniurias, easque solas, redigenda depositio, nec ad ea reuocanda crimina,

mina, quorum est à nobis instituta commemoratio.

Neganda est conseq. primò, quia infinita prope est legum copia in Conciliis, quibus alii, quàm qui Episcoporum ac Regum contemptores in ordinem iubentur redigi, deque Clericis fieri laici, hoc est deponi, huic enim pœnæ *canon Apostol. 20.* fideiussores subiicit, non quoslibet, cum id pauperis causa facere, humanitatis sit ac misericordiæ, sed qui in eo lucrum captant ac quærunt, διὰ τὴν αἰχρότητα τῆς ἐγγύας i. propter fideiussionis turpitudinem Bals. ibi. Remouentur item in *can. 25.* ab ordinum vsu, Ecclesiæque regimine, quos improbitas, homicidii reos fecit, similiter Cõcil. Chalced. decreto, in *can. 17.* qui Clerici, vel Monachi, turbarum in Episcopos authores extitisse conuicti fuerint, de gradu proprio, id est sacro Clericorum excidunt: Gennadii quoque epistola eum cum Apostolis in *can. 30.* depositioni subiicit, *tam qui vendit, quam qui emit Spiritus sancti gratiam.*

Secundo infames, id est, culpa sua sine nomine nullaque apud populum opinione virtutis præstabili commendabiles, indigni sunt qui inter sacros Ecclesiæ magistratus, fruantur Clericorum honoribus, at est eius qui se scelere aliquo plusquam vulgari impiat, fama apud probos exigua, aut nulla, iniuria ergo ei nulla irrogabitur, si de loco, quem merito suo nullo possidet, præceps authoritate Ecclesiæ decidat: ita autem ab omni æuo maiores sensisse nostros preter alios, loquitur Bals. in *can. 12.* Synodi Carthagin. cui præfuit Aurelius eiusdem vrbis Episcopus, imperante Romæ Honorio Constantinopoli Theodosio. *Mihi,* inquit, *videtur ex omni actione, quæ infamiam irrogat, pecuniaria scilicet & criminali, iis qui sunt sacrati, infamiam inuri, secundum vniuersalem & indistinctam legum constitutionẽ* εἶδον καὶ πολλοὺς ἱερωμένους ἀπὸ κλοπῆς καθαιρεθέντας συνοδικῶς, id est, *vidi etiam multos sacratos propter furtum synodaliter deponi.*

QVÆSTIO III.

A quo & quomodo, fieri depositio debeat, quæ est dispositio ad degradationem.

DEpositionis tres sunt hæ species, ab officio tantum, beneficio solo, & ordine duntaxat, & hæ omnes, ac singulæ tam seorsim, quam coniunctim, ab alio fieri quam Episcopis iura prohibent, & quidem si erat olim deponendus ab ordine, aut à beneficio Presbyter, vel Diaconus, id à proprio eorum

A Episcopo fieri erat necesse vt est *in can. 4. Antiochenæ Synodi*, cui adiungendos hoc tempore, aliquos è capitulo, maximè cum de depositione ab ordine agitur, nisi consuetudo patriæ sit alia, scripsit Fœlician. *de degradat. cap. 3.* quo tamen fundamento, & quamobrem, non video, nec enim eius rei meminere Concilia, Pontifices, aut Patres, imo contrarium, nam Clericis, præter Presbyterum, & Diaconum, ab vno Episcopo iudicandos, statuisse Concilium Carthag. tradit Balsamon in canon. 12. Concil. Carthagin. supra citati, sunt hæc eius verba, παρ' B ἑνὸς ἐπισκόπου τοὺς κληρικοὺς, τοὺς παρὰ τὸν πρεσβύτερον δηλαδὴ καὶ τὸν διάκονον δικάζεσθαι διορίζεται.

Ad Episcopum quod attinet, eadem, statq; semper in Ecclesia eius deponendi ratio non fuit: Antiochena enim Synodus, id in Episcoporum cœtu publico vult fieri: *Si quis Episcopus damnatus à Synodo, vel Presbyter, aut Diaconus à suo Episcopo, ausi fuerint, &c.* can. 4. Carthag. autem Conciliũ rem EpisC coporũ n. 12. decidi arbitrio imperat: *Si quis,* inquit canon eius Synodi 12. *Episcopus extra tempus Synodi, criminis accersatur, is à duodecim Episcopis audiatur, Presbyter à sex Episcopis, & proprio, & Diaconus à tribus,* quos tamen canones inter se non pugnare, fit ex eo planum, quod authore Balsamone in eum locum, hæc de duodenario Episcoporum numero, maioris sint securitatis causa, à Carthagin. cauta Concilio: enimuero cum Synodum cogi sæpe rei communi non expediat, sit autem necesse, scelera, magna maximè, ne D porro ad bonorum perniciem pergant, impunita non esse, hanc Episcopis 12. committi prouinciam oportuit, *quando est difficile vt plures conueniant,* quare cum licet, conuocari Synodus debet, alioquin appellandi ad superiorem, Episcopo deposito, iusta præbebitur occasio, ab eoque ad Synodum, quod cum Ioanni Amathuntis Episcopo, qui, ab altero item Ioanne Cypri Archiepiscopo, depositus ex causa fuerat, facere visum foret à Luca Patriarcha, vniuersaque Synodo, eius est infirmata depositio, διά τε τὸ μὴ μετακληθῆναι τὴν πᾶσαν σύνοδον τῆς τῶν Κυπρίων ἐκκλη-E σίας ἢ κἂν τὴν πλείονα, εὐπορείας καὶ ταύτης ὅσης πρὸς τοῦτο, *eo quod non accersita fuisset vniuersa Synodus Cypriorum Ecclesiæ, etsi magna esset eius cogendæ facultas,* & quanquam pœnæ huic imponendæ, certa nulla sit ac stabilis verborum forma, quam Episcopo tenere sit necesse, ne operam ludat, aut erret, est hæc tamen quæ sequitur eiusmodi, ad quam suam componere cum fructu poterit.

Quia nobis euidenter ac legitime constat te N. talè crimen vel talia commisisse quæ non solum

grauia, sed etiam damnabilia sunt, ac damnosa, idcirco authoritate qua fungimur, te N. ab omni beneficio, aut officio, vel ordine, siue omnibus sententialiter perpetuo duximus deponendum, & deponimus, ac depositum declaramus, denunciamus, sententiamus, pronunciamus, In nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti Amen. Hæc Fœlicianus *de depositione cap.* 3.

QVÆSTIO IV.

An ad aliquem appellare deposito liceat.

PRimo, ad Imperatorem omnes ei fuisse appellandi clausos aditus, constat ex decreto Antistitum in Antiochena Synodo *can.* 12. secus facienti iusta tum pœna, ab iis est posita, scilicet sine restitutionis spe vlla, ordinum in perpetuum priuatio, quod si hæc parui pendentes (inquit Concil.) molesti Imperatori fuerint, eos nulla dignos venia esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitus operiri diiudicamus.

Constat secundo, ei quoque appellare fuisse nefas, si contra quàm eum deponendo, vetuerant Episcopi, ea ministeria impleffet, à quibus sententia eum sua remouerant: *Qui ob manifesta crimina,* inquit Balsamo in canon Apost. 28. *est legitime depositus,* διὰ τοῦτο μὴ ἐκκλήτου βοηθείας ἔχει, *ideo appellationis auxilium non habet,* grauior in eum ab Apostolis statuta est pœna, nam vt impius τῆς ἐκκλησίας ἐκκόπτεται καὶ ἀναθέματος ab Ecclesia, piorumque cœtu reiicitur: *Si Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus, iustè ob manifesta crimina depositus, sibi aliquando creditum ministerium attingere audeat, ab Ecclesia abscindatur can. Apost.* 28. lege autem ciuili vt est *in lib Basilicar.* 3. *cap.* 1. *tit.* 1. Episcopus à Synodo depositus, ad Episcopatum auctoritate propria remigrans, aut in eo, contra iusta Episcoporum imperia perseuerans, *centum milliaribus, longe à ciuitate ex qua est eiectus, habitare cogitur.*

Certum est tamen, ei, cæterisque, quos ob culpam suam aliquam, ab altaris ministerio Ecclesia reiicit, appellare ad Synodum fas esse, auctor ita mihi afferendi Antiochena Synodus *can.* 12. quid enim his verbis expressius? *Si quis à proprio Episcopo Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Episcopus forte damnatus, & imperatoris auribus molestus extiterit, oportet ad maius Episcoporum conuerti consilium, & quæ putauerint habere iusta, pluribus Episcopis suggerant, eorumque discussiones ac iudicia præstolentur.* Fecit id Ioan. Amathuntis Episcopus, quem à Ioan. Cypri Archiepiscopo depositum ac damnatum, Synodus ad quam appellauerat, dignitati suæ pristinæ restituendum credidit Balsam. *ad canon* 12. *Carthagin. Concil.* si tamen ei cœtui, in quo quis priuatis omnium suffragiis damnatus esset, omnes eius prouinciæ interfuissent Episcopi, damnato appellationi non erat locus: *Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus, condẽnetur ab omnibus Episcopis eiusdem prouinciæ, cunctique consonanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo iudicari, sed firmam concordantium Episcoporum manere sententiam* Concil. Antioch. *can.* 15.

QVÆSTIO V.

Deposito cum fidelibus versari ac agere, an sit licitum.

DEpositi, pœnæ fuere olim in iure variæ, omnium est vulgatissima, ac communis, depositio ipsa, qua sola cum aliquido solitũ plecti, est certum, vt videre est in Abbate portus veneris, eius Diacono & Subdiacono quos Greg. *lib.* 4. *epist.* 5. *seu* 45. sacro ordine irreuocabiliter priuatos, laica tantum cõmunione donari in posterum voluit.

Huic additæ sunt & aliæ, vt inclusio in Monasterio, de qua Concil. Moguntini est sanctio, his verbis: *Dictum est nobis Presbyteros propter suam negligentiam canonici degradatos, & sæculariter gradu amisso, agendæ pœnitentiæ bonum negligere, vnde statuimus, vt gradu amisso, agendæ pœnitentiæ gratia in Monasterium, aut in canoniam regularem mittantur,* non fuit id tamen perpetuum, sed Episcopi arbitrio, iudicioque relictum, locum vt eligerent in quem depositum amandare ad exemplum possent, colligere id cuique ex verbis Gregor. loco ante citato pronum ac facile, maxime ex his Eugen. Papæ relatis à Grat. *distinct.* 81. *can. Sacerdos* 7. *Sacerdos aut quiuis alius in ordine Ecclesiastico prouectus, si in eo scelere inuenitur, quo abiiciendus comprobatur, depositus prouidentia Episcopi, bene prouiso, loco constituatur, vbi peccata lugeat, & vlterius non committat*, fuit etiam cum ad perpetuos damnaretur carceres, indicat contra falsarium data ab Innoc. III. sententia in decretali *nouimus* 27 *de verborum significat.* quem *in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam includi iussit, pane doloris, & aqua angustiæ sustentandum, vt commissa defleret & flenda vlterius non committeret.*

Vbi tamen non est iure canonico expressa pœna, est hæc iudici arbitraria, hoc est ad voluntatem eius reo imponenda, *lege* 1. *parag. expilatoris dig. de affect.* quod si patratum

A patratum ab eo facinus, de eorum esset genere, quæ perpetuis carceribus lege canonica ab auctore suo sunt luenda, vt est confessionis reuelatio, *c. omnis vtriusq; sexus de pœnit. & remissionib.* ei de beneficii sui fructibus, (si quod habet) suppeditari tantum auctoritate iudicis oportebit, quantum est ad eum alendum necesse, si caret, ei non secus de congruo ad vitam commeatu ab Episcopo prouidebitur *can. de lapsis 15. q. 6.* quia tamen non est hæc ad Monasterium detrusio, vsitata hoc tempore, quod qui iis præsunt, vt B communiter a iurisdictione sunt Episcoporum exempti, ab his, ad eiusmodi reos domi suæ, vt in ergastulis recipiendos, adigi nequeunt, de curandis deposito alimentis, Episcopes non admodum esse oportet sollicitos.

Omnium, quæ in illum sunt legibus decretæ, pœna meo sensu grauissima est, vsu sacrosancti Missæ sacrificii, ac ministeriorum, quæ Sacerdotum sunt propria, interdictum esse, *sic canon Antiochenæ Synodi 4. Si quis Episcopus à Synodo depositus, vel Presbyter, vel Diaconus, à proprio Episcopo, sacrum celebrare* C *ausus fuerit, siue Episcopus secundum præcedentem consuetudinem, siue Diaconus, nullam amplius spem restitutionis in alia Synodo, neque defensionis locum ei habere liceat.*

Iam ad quæstionem, licet deposito cum fidelibus libere vt ante viuere? pacisci, ac transigere, aut negotii faciendi societatem ac consilium inire?

Si indecisa, si dubia, si pendens adhuc eius est causa, quia ab Episcopo appellauit ad Synodũ, hoc est Antistitum, cũ ad concili- D liũ, de fide, de moribus, de cæremoniis, aut ambiguo iure disceptatur, coeunt, vt ei præstare officium, vt antiqua, id est pristina sua Clerici exercere munia potest, ita & cum quolibet, nullo discrimine, prout erit necesse, colloquia miscere, fœdera contrahere, in eadem habitare ęde, eadem vti mensa, impunè, hoc est conscientiæ illæso iure poterit, quia si non perit, certe vim suam in nocentem sententia non exerit, cui est ab eo opposita appellatio, quare si habet eius auxilium, decreto Concil. Sardic. *canone* 4. eius E loco non subrogabitur Episcopus *nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata*, nec eum à fidelium congressu, lata depositionis sententia repellet, mea non est, sed Patrũ & Doctorũ opinio ac Balsamonis firmata testimonio in *can.* 18. Apost. εἰ ἔχει βοήθειαν ἐκκλήτου ἢ ἔτι ἀμφισβητήσιμόν ἐστι τὸ κεκριμένον κατ' αὐτοῦ, οὐ κατακριθήσεται λειτουργῶν, hoc est si appellatione iuuatur, & de eo quod aduersus eum statutum est, adhuc ambigitur, non condemnabitur si ministret.

Quo ergo est id ei tempore veritum, quo, cum fidelibus congredi? quo in dubiis suis afflictisque temporibus eorundem opera vti?

Primo, cum est Episcoporum omnium suæ prouinciæ suffragio, calculoque damnatus.

Secundo, cum contra quàm æquitas, ratioque postulant, contempto Antistitum imperio, à quibus est prohibitus sacris operam dare, tamen Deo litat, ei in Missa, immaculatam hostiam sacrificat, canon enim Apostolicus, & Antioch. 4. vult eos qui iuste sunt depositi, nec habent appellationis auxilium, abdicari, si Sacerdotale quidpiam faciant, appellare autem deposito non licet, cum est perfecta condemnatio, qualem esse, quæ est in nocentem perfectæ Synodi facta iudicio, scripsit Balsamon his verbis in canonem 4. Antioch. Synodi, διορίζεται μὴ προσδέχεσθαι παρ' ἑτέρας συνόδου, τοὺς ὑπὸ συνόδου πλείας καθαιρεθέντας, aduersus hanc enim *non est*, inquit, *appellatio, nec cum bis depositi Episcopi appellauerunt, & bis victi sunt*, quod cum accidit omnis est cum iis in re diuina communicatio vetita, sit pro argumento, pœna depositionis communicanti cũ illis in eiusmodi rerũ genere imposita: *in can. Apost.* 11. *Carthag. Concil.* 9. *Antiocheni* 4. in priori hæc leguntur, *Si quis cum sit Clericus, vna cum eo qui est depositus, orauerit, deponatur & ipse*, præcipitur in altero, vt Episcopus qui in communionem depositum recipiet, *æquali crimini sit obnoxius*, ergo & pœnæ διὰ τοῦτο καθαίρεσις αὐτῷ ἐπάγεται, hoc est propterea depositio illi infligitur Balsam. in *can.* Apostol. 11.

QVÆSTIO VI.

An pœna depositionis latæ sententiæ, ipso iure incursa, liget in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam.

Sensus est, an qui vltro volensque incurrit in crimen, cui iure depositionis adiuncta est pœna, abire officio, beneficioque, iniussus debeat.

Dico id à deposito exigendum non videri, nisi post sententiam, docent Henriq. *lib.* 14. *ca.* 5. *num.* 1. *in comment. litera F. & lib.* 13. *ca.* 56. Suar. *de censur. disp.* 31. *sect.* 4. *num.* 22. Thesaurus *praxis Eccles. parte* 1. *ca.* 27. *versu quæres.*

Ratio est, quod Ecclesiastica pœna nulla, hominem re possessa priuans, siue sit temporalis, vt mulcta pecuniaria, siue mixta, vt beneficii priuatio, ipso etiam iure, aut fa-

cto inflicta, locum in conscientia, ante sententiam iudicis habeat, docent Syluest. & Angel. *ver. Assaßinus*, & alii quos citat Suar. *lib. 5. de legib. ca. 8. num. 5.* hancque esse communem Doctorum sententiam, docet Azor. *to. 1. lib. 5. ca. 7. q. 1. & 3.*

Tuetur se hæc opinio auctoritate canonum, vt decimi noni *cum secundum leges de hæretic. in 6.* vbi hæreticorum bona, ipso iure, addicuntur fisco, & tamen in eodem *can.* dicitur, bona eos sua, ante sententiam non teneri missa facere, regiisque ministris possidenda dare. Similiter *in c. 1. de homicidio in 6.* pœna depositionis à beneficio, dignitate, ordine, officio ipso facto, Christiano per Assassinos mortem inferẽti imponitur, etiam nullatenus alia requisita sententia, & tamen in eodem *ca.* excipitur facti declaratio, seu criminis, *Postquam*, inquit canon, *probabilibus constiterit argumentis, aliquem tam execrabile scelus commisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis aduersus eum sententia requiratur.*

Ratio est, quod non idem sententia, ac criminis declaratio significet, illa enim pœnam respicit, hæc autem expositionem delicti, seu furti admissi, cuius causa, est inflicta pœna, nihil est ergo quod depositum vrgeat, abire beneficio, aut vltro se suo priuare beneficio, ac propriis eius fructibus ante sententiam,

Confirm. hoc differunt pœnæ merè spirituales, vt est excõmunicatio, à mixtis, quod illæ, vtpote in priuatione positæ, executionẽ secum trahant, non istæ, quo ex discrimine oritur, vt illæ incurrantur ipso facto in conscientia, ante omnem sententiam, non istæ, quia re sua nemo priuatur, nisi per sententiam iudicis, quæ condemnatoria vocatur, definitiua, seu executoria, quæ in beneficiorum materia, in eo est posita, vt possessori auferantur, alterique dentur, docent hanc sententiam Vasq. *in 1. 2. disp. 168. ca. 4. num. 25. & 30.* Henriq. *lib. 13. ca. 56. parag. 2. & 3.* Caiet. *in 2. 2. q. 62. articulo 3.* Couar. *in Epitome lib. 4. decretal. par. 2. ca. 6. parag. 8. num. 10.* Emman. Sa *ver. pœnæ num. 1.* Lessius *lib. 2. de iustit. ca. 29. num. 63.* Regin. *to. 1. lib. 13. nu. 287.* Thesaurus *prax. Eccles. par. 1. ca. 27. Vnde non potest iudex*, inquit, *sæcularis interim procedere, contra Clericum ipso iure degradatum, seu priuatum omni priuilegio Clericali.*

QVÆSTIO VII.

An in Episcoporum sit iure dispensare in depositionis pœna, incursa iure.

DIco primò, *Cum id eis speciali non est lege prohibitum, Episcopis fas esse, in depositionis pœna latæ sententiæ, ipso incursa iure, dispensare, cum crimen ob quod est quis depositus, adulterio non est grauius.* Alterius *tomo 2. tract. de suspens. disp. 2. ca. 9.* Riccius *resol. 22.* Thesaur. *parte 1. prax. ca. 27. & 23.* Hanc opinionem subscribit Alexand. III. *in decret. etsi Clerici 4. de iudiciis parag. de adulteriis*, his verbis: *De adulteriis vero, & aliis criminibus, quæ sunt minora, potest Episcopus cum Clericis, post peractam pœnitentiam dispensare.* Equidem cum in ea, (vt est natura ad lapsum prona,) ruant non infrequenter homines, decuit hanc illis legem, seueritatis & acrimoniæ plenissimam non imponi, vt quoties in ea naturæ vitio, aut culpa sua præcipites irent, absolutionis causa Romanum iter susciperent. Peti autem delicti grauitas, de quo est hic sermo, à virtute, eius natura, merito, ac dignitate non debet, sed à pœnæ acerbitate qua plectitur, quare in sacrilegio, furto, adulterio, periurio, dispensare Episcopo licitum, non in hæresi ac simonia, quia hæc duo crimina, pœnarum, quibus coerceri in iure solent, acerbitate longe prioribus sunt maiora, Tolet. *lib. 1. ca. 62.* Sayrus *lib. 7. de censur. cap. 11. num. 15. & ca. 12. num. 3.*

Tunc autem id facere, Episcopis non est concessum, cum est id illis prohibitum, aut est dispensatio depositionis, Pontifici reseruata, quod accidit, cum est ad tẽpus determinata, Thesaur. *praxis lib. 1. cap. 38. versu dico 4. & ca. 24.* Sayrus *lib. 5. cap. 15. num. 10.* quia tam suspensionis absolutio, quam depositionis dispensatio, eo ipso censetur reseruata, quo eius durationi tempus præscribitur, Sanch. *de matr. lib. 13. disp. 52. num. 2.* Thesaur. *praxis lib. 1. ca. 24.*

Dico secundò, *Super degradationis pœna, hoc est priuatione priuilegiorum omnium, quæ Clerico competunt dispensare Episcopos non posse.*

Primo, quia crimen propter quod, cuipiam fori & canonis priuilegium interit, cæteraque quæ Clericis concessa voluit Ecclesia, adulterio est maius, vt pœnæ grauitas indicat, ergo eiusmodi, quod Episcoporum non sit iuri obnoxium.

Secundo, degradatus actu, reparari nequit, nec pristino statui restitui Greg. Papa I. *l. 7. epist. 25. ad Sabinian* Martinus Papa *in can. qui semel dist. 50. quia si lapsis ad suum ordinem reuertendi licentia concederetur, vigor canonicæ*

procul dubio

proculdubio frangeretur disciplinæ, dum pro reuersionis spe, prauæ actionis desideria, quisque concipere non formidaret, at depositio ab omni Clericali priuilegio, degradationi actuali æquiualet: ergo,&c.

QVÆSTIO VIII.

An depositus sit irregularis.

PRima assertio, *Ex crimine cui iure est adiuncta depositio, non contrahitur irregularitas, si tale crimen est occultum.*

Primo, quia irregularitas non nisi in casibus iure expressis, incurri solet, vt est *in ca. is qui de sentent. excommunicat. in 6.* at canonica lex est nulla, qua lege sanciatur, ex tali quem crimine irregularem fieri, quod si quæ foret eiusmodi, tum enimuero pro irregulari habendus eius auctor esset, Auilæ testimonio, Henriq. *lib. 13. ca. 36. lit. M.* Nauar. *in Enchir. ca. 27. num. 248.*

Assertio secunda, *Quisquis est tamen iure depositus, est idem quoque irregularis*, Thesaur. *parte prima praxis ca. 33.* & probatur.

Quisquis est aliqua aspersus infamia, quisquis in populo turpi, fœdaq; notatus macula, à qua habet, eius vt existimatio in populo iaceat, sitque verè nulla, huic in Dei Ecclesia ad honores, publicosque magistratus, aut ordines aditus est nullus, at culpa qualibet modo notoria, quæ depositionem meretur, infamia conciliatur homini, à quo est admissa, ergo & irregularitas.

Maior est certa, & patebit postea, cum de irregularitate ex infamia sermo erit, Minorem autem pro vera, certaque habent Sayrus *de censuris lib. 7. ca. 12. num. 12.* Thesaur. *1. par. cap. 33. versu 2.* & sane vt est *in can. infames 6. q. 3.* quæ crimina famam auctoris sui maculant, quæ collectam apud plebem viri boni opinionem labefactant, ac perimunt, his iure adnexa est depositio vt patet ex quæst. huius *tract. 2.* vera est ergo secundo loco posita propositio.

QVÆSTIO IX.

Quid sit Degradatio & quotuplex.

DEgradationis vis eadem apud canonum scriptores, quæ depositionis nudæ, ac simplicis, vocum ipsa inter se confusio, ac ambarũ significatio eadem, id indicat nam qui depositi, ij quoque *degradati* dicuntur in *can. dictum 8. distinctionis 81.* vice versa *degradati* dicuntur depositi à Pio Papa in

A *epist. 2.* cuius oratio refertur his verbis *11. q. 1. can. si quis Sacerdotum 18. Si quis Sacerdotum, vel reliquorum Clericorum, Episcopo suo inobediens fuerit, aut insidias ei parauerit, aut calumniam, aut conuitia intulerit, & conuinci potuerit, mox depositus curiæ tradatur, & recipiat quod inique gessit*, nec enim alii quam qui degradati, sæcularis arbitrio potestatis, animaduersione debita puniendi relinquuntur.

Differt tamen à depositione degradatio, quod illa priuationem duntaxat habeat ordinis, aut beneficii, vel vtriusque, sine intentione
B tamen traditionis sæculari curiæ, cæterisque cæremoniis, quas numeraturi sumus postea, hæc autem, id est degradatio, cum priuatione ordinis, officii, & beneficii, eam includit, quæ est à priuilegiis Clericorum propriis, cum solenni cæremonia, & traditione degradati in potestatem magistratus Laici.

Definitur autem *remotio à sacro altaris ministerio, absque restitutionis spe vlla, cum priuatione cuiuscunque Clericalis priuilegij, excepto*
C *charactere, qui deleri natura sua non potest*, nam inter tempora, quæ multa incidunt, quibus Clericis sua priuilegia intereunt, numerare illud conuenit, quo Clericus in vitæ turpitudine, ac scelerum infamia inueterauit, nullãque melioris frugis spem affert, nam tunc, quamuis veste Clericorum propria, tonsuraque ornatus procedat in publicum, omni tamen Clericali priuilegio potest per degradationem exui, quæ priuilegia tria sunt numero, fori, canonis & bonorum.

Est autem hæc degradatio duplex, ver-
D balis vna, actualis alia, illa fit verbis, nempe cum in Clericum, degradationis sententia dicitur. Ista actu, cum lata in eum sententia executioni mandatur, priori, Clericis concessa priuilegia non concidunt, nisi sequatur incorrigibilitas Panormitano teste *in cap. abolendam 9. de hæreticis*, Reginald. *lib. 32. ca. 23. num. 54.* Couar. *ca. practicarum quæst. 32. nu. 2.* posteriori autem cessant ac intereunt. Est & alia inter vtramque differentia, nempe quod verbalis esse nequeat, nisi eo Epis-
E coporum adhibito numero, quem exigi supra diximus, aut eorum loco Abbatibus ius mitræ habentibus, ac baculi, quos non necessario actualis postulat, sed consultos supponit, & à proprio vocatos Episcopo, secum vt de reo quæstionẽ instituerent, suoque calculo, dictam in eum sententiam firmarent.

Neque vero exigit vocalis omnis degradatio, Episcoporum præsentiam, sed eius tantum Clerici, qui in sacris constitutus ordinibus, Diaconum agit, aut Presbyterum in Dei Ecclesia, his destitutus, degradari potest à proprio Episcopo, præsente capitulo

toto, aut duobus saltem, vel tribus, qui eius vices suppleant, imo vbique consuetudo inualuit, Bonifacii approbata lege, in *ca. non est 3. de consuetudine*, vt ne quidem in deponēdo minorum ordinum Clerico, adhibere secum è canonicis aliquem Episcopus debeat. *Non est*, (inquit *dum tamen sit alias præscripta canonice*) *consuetudo, quam allegat Episcopus, reprobanda, quod in inquirendis, puniendis, & corrigendis subditorum excessibus, consilium sui capituli requirere minime teneatur*, in degradando autem iuniori Clerico, Concil. *sess. 13. cap. de reformat.* 4. vt esset pœnæ huius executio promptior, sanxit, in Episcopi arbitrio vt esset, Episcoporum loco, aduocare sibi in dicendo iure nocentibus, socios Abbates totidem, qui vsum mitræ haberent ac baculi, quot iure antiquo Episcopos eorum depositioni interesse erat necesse, sex quidem in degradatione Presbyteri, tres in depositione Diaconi *can. fœlix 15. q. 7.* vel si Abbatū copia facilis nō esset, tot è clero, in dignitate constitutos homines, scientiaque commendabiles: Quæ autem crimina, pœna hac puniri soleant, dictum est *q. 2.* huius tractatus quibus addenda sunt sequētia, crimen nefandum contra naturam, decreto Pii V. in constitut. cuius verba refert, Nauar. *in manual. cap. 27. num. 249.* crimen falsi *ca. ad falsarior. de crimine falsi* calumnia, seu contumelia Episcopo illata, *can. si quis Sacerdotum 11. qu. 1.* celebratio sacrosancti mysterii ante ordinationem, ex decreto Clement. VIII. cui initium *etsi alias fœlicis recordationis Paulus Papa IV.* de anno 1601. & si fides est auctoribus, qui de causis scripsere capitalibus, ac modo eas agitandi, maximè Diazio *in practica criminali ca. 129.* quem sequitur Piasec. *in praxi Episcop. par. 2. ca. 4. art. 14. num. 13.* eadem pœna degradationis, & traditionis curiæ sæculari, delicta quædam grauia, enormiaque, pro suo arbitrio afficere Episcopus potest, vt in crimine parricidii factum sæpe, ambo hi auctores testantur.

QVÆSTIO X.

Degradandi Clerici forma quænam sit, & qualis.

DE actuali nobis tantum hic sermo, nam in verbali, eorum nihil, quæ Pontificale ad eam rem exigit, præter sententiam, qua prærogatiuis Clericorum propriis exuitur, adhibere Ecclesiæ est in more, quare depositum verbaliter, nisi fuerit incorrigibilis, curiæ sæculari dedere, Episcopo non licet, quia vt est Ecclesia humanitatis amans, acer-

A bitatem in pœnis respuit, moderata diligit, tentari ante vult omnia, quam nocens pereat, itaque si amentiam non ponit, nec se corrigit, excommunicari poterit, quod si nec sic sapit, tùm enimuero (quod Cœlestinus præcipit) sæculari iuridico dari poterit, vt meritas capite suo pœnas luat. *Si Clericus*, inquit Cœlest. *in quocunque ordine constitutus, in furto vel homicidio, vel periurio fuerit deprehensus atque legitime conuictus, ab Ecclesiastico iudice deponendus est, qui si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde*
B *contumacia crescente, anathematis mucrone feriri, postmodum vero, si in profundum malorum veniens contempserit, quum Ecclesia non habeat vltra quid faciat, ne possit esse vltra perditio plurimorum, per sæcularem comprimendus est potestatem, ca. cum non ab homine de iudicus.*

Cum ergo degradari actu aliquem est necesse, qua id forma, modoque facere est opus? Eodem, quo eius exauthorizatio fieri est solita, qui militiæ deseruit armatæ, cui militaria detrahuntur insignia, sicque à militia remotus, castris reiicitur, priuatus con-
C sortio, & priuilegio militari. Nam *degradandus vestibus sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud instrumentum, seu ornamentum ad suum ordinem spectans, ac si deberet in officio suo solenniter ministrare, ad Episcopi præsentiam adducitur vbi Episcopus publice singula, siue sint vestes, calix, liber, seu quæuis alia, quæ illi iuxta morem ordinandorum Clericorum, in sua ordinatione ab Episcopo fuere tradita, singulariter aufert, ab illo vestimento quod datum fuerat vltimo inchoando, vsque ad primam vestem, quæ datur in collatione primæ tonsuræ, tunc-*
D *que raditur caput illius seu tondetur, ne tonsuræ, seu Clericatus vestigium remaneat in eodem. Potest autem Episcopus, in degradatione huiusmodi, vti verbis aliquibus ad terrorem, illis oppositis, quæ in collatione ordinum sunt prolata, dicendo Presbytero, hæc vel similia verba in remotione planetæ. Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, & te honore Sacerdotali priuamus*, Bonifac. VIII. *in ca. degradato 2. de pœnis in 6.*

Fieri idem debet de ornamentis aliis iuxta formulas in Pontificali traditas, adiectisque his verbis, quæ quorsum prædicta
E ornamenta remoueantur, indicent: vt cum cum superpelliceo exuit, dicit, *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris & Filij & Spiritus sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum Clericalem, & nudamus te religionis habitu, atque deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni ordine, beneficio, & priuilegio Clericali, ac velut possessionis Clericalis indignum, redigimus te in seruitutem, & ignominiam habitus secularis, ac status.*

Mitto cætera, quia cuique ex Pontificali expedita

expedita esse possunt ac prompta, vt quod Clericus per Ecclesiasticum iudicem degradatus sæculari tradatur curiæ puniendus, qua voce significari ait Cœlest. III. *in ca. nouit 27. de verb. significat.* rogandum iudicem esse, vt degradatum in suum forum recipiat.

DE CESSATIONE A DIVINIS.

QVÆSTIO XI.

Quid sit cessatio à diuinis & quos effectus habeat.

Est cessatio à diuinis, impedimentum quoddam canonicum, silentium certo in loco diuinis imponens laudibus, ac desistentiam à quorundam Sacramentorum administratione, duplex est, generalis & specialis, illa regnum, ciuitatem, prouinciam, ac etiam quorundam opinione, Parochiam afficit, ista certum locum V. C. Sancti Pauli Ecclesiam, causa eius indicendæ proxima, est Ecclesiæ mœstitia, occasionalis priuati cuiuspiam offensa, quod enim Iudæis olim, cum à patrio abstracti solo, Babylone, situ confecti ac mœrore degerent, vsu venit, vt organa sua, quibus, cum omnia illis ex nutu, domi suæ fluerent, Deo laudes occinebant suauitate mirabili, in exilio muta esse vellent, in acerrimi doloris eius testimonium, quo intimis exulcerati sensibus, ad ripas fluminis, lachrymis madidi iacebant, ita & Ecclesia, silere tēpla, negari fidelibus hoc est liberis suis Sacramenta patitur, vt quis quantusque eam mœror occupet, ob violatas sacrorum cæremonias, contemptumque numen, indicet, quare censura non est, cum non sit medicinalis pœna, nec contumaciæ frangendæ causa, inflicta.

Eius effectus sunt, primus, prohibere ne diuina fiant officia, secundus ne administrentur Sacramenta, non quælibet, & omnia, sed ad salutem non necessaria, itaque nec sanis pœnitentia, nec Clericis dari ordo potest. Cœlestini III. decretum sic habet *in ca. non est vobis 11. de sponsalib.* nam ibi Prælatis constitutis per Angliā, seuere edicit, ne publica vlla laude personare templa, eodem pœnitentiæ frequentandæ causa, coire fideles sinant, quandiu inuitis ac reclamantibus liberis, rex Pater, eorum vxores in sua potestate, contra ius fasq; omne retineret in palatio, aut alibi: *Si iuxta commonitionem vestram filiis suis vxores suas intra certum terminum non restituerit, ex tunc, in quacūque prouinciarum vestrarum detinentur, vel transferuntur, donec ibi fuerint, nulla diuina officia, præter baptismum* A *paruulorum & pœnitentias morientium celebretis, nec permittatis aliquatenus celebrari*, Cœlestin III. *ca. 11. de sponsal.*

Et quoniam est confirmatio baptismi complementum, sicut & Eucharistia ad beatam immortalitatem morienti viaticum, negant Doctores non pauci, legi Ecclesiasticæ de seruanda cessatione, iniuriam fieri, si cum est, vigetque, recens initiato confirmatio, animam agenti Eucharistia præbeatur in viaticum, cui ego opinioni, quia est mitis, quia miseris fructuosa, ac vtilis, quia B placita Doctoribus plurimis, subscribo volens.

QVÆSTIO XII.

Vt cessatio à diuinis sit licita, quæ conditiones sint necessariæ.

Cessatio à diuinis, nulla iure legitur imposita, sed concessa tantum, quam ad rem certæ sunt conditiones necessarię, prima C vt non nisi ob grauem inferatur offensam, Ecclesiæque illatam iniuriam.

Secunda, si cessare canonici volunt, sintque de eorum collegio absentes aliqui, debent hi ad deliberandum vocari, ecquid cessare oporteat, quod si illis ita visum erit, per se aut alium, operam dabunt, vt is contra quem, cessare illis est animus, irrogatam emendet iniuriam, & hæc est tertia numero conditio, licita vt sit cessatio.

Quarto debent tam cessantes, quam is contra quem cessatur, intra mensem à cesD satione, itineri se Romano dare, aut procuratores ad Papam, loco suo in vrbem mittere, qui eum de re vniuersa, ac cessandi causa certiorem faciant, ita Bonifac VIII. *Si collegium, aut conuentus Ecclesiæ alicuius*, inquit, *ad cessationem duxerit procedendum, ex tunc intra vnius mensis spatium, pars vtraque, videlicet ij qui cessant, & illi etiam propter quorum factū à diuinis cessatur, iter arripiant per se, vel per procuratores idoneos, cum munimentis, & actis ad negotium ipsum spectantibus, ad sedem Aposto*E*licam veniendi*, Bonifac. *ca. 8. de officio ordinarii in sexto.*

Quinto, qui cessare volunt, prout in aliquibus Ecclesiis sibi ex consuetudine vindicant, *antequam ad cessationem huiusmodi quoquomodo procedant, in instrumento publico, vel patentibus literis sigillorum suorum, aut alterius authentici munimine roboratis, cessationis causam exprimere debent, & illud, vel illas ei, contra quem cessare intendunt, assignare*, Gregor. X. *in ca. si canonici 2. de offic. iudicis ordinar. in 6.*

Sexto, causa quamobrem potest ciuitas

aut populus, prohiberi sacris, par esse debet ac æqualis incommodis, ex tali cessatione nasci solitis, ac verè futuris, alioqui qui eam tulit, damna reparare omnia tenebitur, quibus sacrorum priuatio Clericos affecisse putabitur, eo quod sacro sancto Missæ sacrificio operam dare, aut psallendis horis consueto more nequiuerint, quod si cessationis indicendæ iusta superiori, aut canonicis causa aliqua extiterit, tum enimuero, ei contra quem cessatur, stipendia, detrimentaque omnia quæ se Clerici ab ea cessatione causabuntur passos esse, præstanda erunt, vt est in decretali *si canonici 2. de offic. iudicis ordinar. in 6.*

QVÆSTIO XIII.

Cessationem à diuinis ferre, & auferre quis possit.

QVi iurisdictionem fori externi habet ordinariam, aut delegatam, vel ex priuilegio expresse concesso, aut ex consuetudine introducto, quali sunt potestate prędi̇ti canonici, ac communitates aliquę Ecclesiasticę regularium, ac sæcularium, hanc tamen nec illi, nec istæ, nisi seruatis conditionibus, de quibus quæstione præcedenti, conscientiæ illæso iure indicere possunt.

Eam autem relaxabit ac soluet, qui posuit, vel eius superior aut successor, non tamen eius effectus diuidet, quia inuicem sunt connexi, nec à sese mutuo nisi à Papa

A separabiles, Henriq. *ca. 54. litera K.* Hurtad. *diff. 3. de cessat. à diuinis num. 60.*

Peccant autem mortaliter, qui cessationem viǫlant, quia in re graui, ab Ecclesiæ præcepto abeunt, Religiosi autem licet exempti, excommunicationem ipso facto subeunt si eam cum seruatur à Cathedrali, matrice, aut Parochiali Ecclesia, legitime à Pręlato, seu loci Ordinario aut statutis prouincialibus inflicta, similiter non obseruauerint, Clement. I. *de sent. excom.* non est tamen hæc excommunicatio reseruata Pontificí, Thesaurus *in praxi Eccles. par. 2. verbo*

B *cessatio à diuinis cap. 1.*

An autem celebrando, aut actum ordinis exercendo solenniter, in loco seu Ecclesia, contra cessationem à diuinis, incurratur irregularitas, nonnulli ambigunt, & in affirmantem inclinant, Ioan. Andr. Anchazanus *in can. si canonici de officio ordinar. in 6.* & alii, apud Suar. *sect. 2. disput. 39.* cum est cessatio generalis, puta totius loci, ciuitatis, vel oppidi, quia tum interdicto est similis.

Contra pugnant alii, Sylu. *verbo cessatio q. 15.* Paludan. *dist. 18 q. 8.* Hurtadus *diff. 4. num.*

C *61. tract. de cessat. à diuinis*, Auila *par. 6. disp. 6. concl. 4. dub. 2.* ad quos accedo, quod nusquam de ea pœna fiat in canonibus mentio: ergo cum irregularitas induci nulla debeat, nisi quæ iure sit expressa, istaque nusquam extet, eam qui celebrat in loco, vel Ecclesia, contra cessationem tam particularem *loci alicuius* quam generalem *regni, ciuitatis*, aut prouinciæ, non contrahet, Thesaur. *supra num. 2. parag. sed dubium.*



TRACTATVS VNDECIMVS DE IRREGVLARITATE.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Irregularitas.



EST Irregularitas, non ius impeditiuum promotionis, vt vult Marianus Sosinus, nam ius significat habitum, non priuationem, cuiusmodi est irregularitas, multominus est vitium, cuius causa quis priuatur ordinibus, vt scribit Couarruuias *in Clementinam si furiosus,* est enim vitium, vt Theologi & Philosophi tradunt, habitus non priuatio; sicut est peccatum nisi forte vitium sumas in eo sensu, quo olim fulmen dicebatur vitium comitiorum, & Augures renuntiabant, magistratus vitio creatos videri, sed tunc vitium nihil est aliud quam impedimentum, quo modo vsurpatur, *Canone si quis viduam dist.34. & dist.56. canone quia simpliciter,* quomodo & à nobis tota hac disputatione accipietur.

Est ergo irregularitas *impedimentum Ecclesiasticum, iure canonico introductum, directe impediens perceptionem ordinum, & indirecte eorum vsum,* vel vt alii loquuntur: *Inhabilitas ex aliquo impedimento canonico orta, quo quis directe fit inhabilis ad recipiendos ordines, & vtendum receptis:* ita Nauarrus *ca. 27. Enchiridij num.191.* Viualdus *de irregularitate numer. 4.* Tabiena *verbo irregularitas initio,* Henriqu. *lib. 14. cap. 1. numer. 2.* Suar. *tom. 5. disput. 40.* etsi vt verum fateat, irregularitas non tam sit impedimentum, quam id quod ex eo nascitur, sicut ignorantia, non est inhabilitas ad doctoratum, sed eam efficit,

A cum quis ideo eius ministerii sit incapax, quod sit ignarus, ita in præsenti materia, ideo quis impeditur ab ordine suscipiendo, & ab vsu suscepti, quod sit irregularis, ideóque extra regulam, quæ communis est aliis, præpositio enim, (in) inter Latinos compositioni additæ, negat id quod ei subiungitur, vt intactum quod non est tactum, quare irregulare, idem est in præsenti materia, ac quod non est intra regulam, quæ in hoc negotio tota est in eo, vt qui initiatus est sacris ordinibus, iis vti queat, quod tamen irregulari non licet, hæcque est causa, cur impedi-

B mentum in definitione irregularitatis à nobis allatæ, loco sit generis quemadmodum cætera quæ huic voci subiiciuntur, vice differentiæ, ex Couar. *loco citato,* Henriq. *lib.14. cap.1.* cum iis vocibus, irregularitas ab aliis separetur inhabilitatibus, cuiusmodi est sanitas, verbi gratia, ad Extremam vnctionem, hæc enim cum non nisi ægrotis dari soleat, bona valetudo, est respectu eius inhabilitas, quemadmodum & ordo sacer manifesta est ad matrimonium incapacitas, nō esse ieiunum, ad Eucharisticum panem, cum nec Clerici maiorum ordinum, vxora-

C ti esse queant, nec pransi participare sacris mysteriis.

Est vero impedimentum, in præsenti materia, idem ac inhabilitas, verusque potestatis Ecclesiasticæ effectus, à qua quisquis est irregularis, idem quoque est ad id, respectu cuius est irregularitas, inhabilis, puta ad susceptionem ordinum, & susceptorum vsum, quod quia est positiuum, ideo in definitione irregularitatis poni debuit, cum intelligi moralis impotentia nequeat, nisi per ordinem ad actus, aut effectus reales, cuiusmodi est ordinum perceptio, eorumque re-

uocatio ad actum.

Porro hoc impedimentum Ecclesiasticum, esse dicitur.

Primo, vt indicem irregularitatem, propriè iure ciuili, aut potestate temporali, induci nullam posse, cum ad eam de rebus spiritualibus arbitrari, statuere ac disponere, non pertineat, vt sunt ordines sacri, & Clericorum status.

Secundo, ea particula denotare placuit, irregularitatem iuris diuini nullam esse, nam incapacitas ad ordines, aut susceptorum vsum, quæ à iure diuino, aut natura oritur, non est aliud, quam potentiæ ad eos actus negatio, quod irregularitati propriæ non conuenit, quæ est per modum priuationis, quam supponere proinde in subiecto, eorum capacitatem actuum, ad quos quis est inhabilis per irregularitatem, est certum, nihilominus non rarò accidit, vt hi etiam, qui ob impedimēta isto iure, aut naturæ prohibita, remouentur ab ordine, eiusque vsu irregulares sint, ac dicantur, hocque modo, est amens irregularis, sed hæc appellatio non est nisi impropria, cum sit omnis irregularitas iure introducta Ecclesiastico, vt notant Syluester *verbo irregularitas q. 2.* Angelus *in eodem verbo.*

Est vero hæc particula *directe* in definitione irregularitatis addita, vt significaremus eam distinctam esse à censuris, quæ impediunt communicationem cum fidelibus, vt excommunicatio, vel vsum ordinum, ac ministerii quod alicui competit ratione beneficii, vt suspensio, auditionem diuini officii, cum interdictum, vt irregularitas sola, suscipi ordines prohibeat.

Secundo differunt censuræ ab irregularitate, quod illæ ex propria sua ratione infliguntur ob culpam, tanquam pœnæ purè medicinales, sit autem irregularitas, moralis inhabilitas personæ ad suscipiendum ordinem, aut suscepti executionem ob aliquem defectum, aut moralem maculam, qua eos carere decet, qui ad altare accedunt, quos puros esse conuenit, bonæ famæ, ac immaculatos, quare irregularitas hominem ad ordines directè reddit inhabilem quatenus ordines sunt, vt aiunt, Nauar. *cap. 27 num. 191.* Henriq. *lib. 14. cap. 1. num. 2.* quia impedimenta quæ irregularitatem inuehunt, hoc ipso indecentiam ordini Clericali repugnantem ac contrariam inducunt quod non habent censuræ, à quibus, nemo fit nisi indirectè ad ordines inidoneus, quatenus sunt nempe communicatio in diuinis cum fidelibus.

QVÆSTIO II.

Effectus irregularitatis qui & quot sint.

PRimus est, reddere inhabilem ad suscipiendos ordines, qui tamen non sunt irriti, cum hoc impedimento collati, aut habiti, modo cætera adhibeantur ad eos necessaria. Enimuero lege Ecclesiæ, irregulares à sacris ordinibus prohibiti, ab ea non priuantur potestate, aut verius capacitate eos recipiendi, cum dantur, nec Episcopi, charactere, seu facultate eos conferendi, ex alia parte, materiæ debitæ applicari forma potest, non sunt ergo sacri ordines irregularibus collati, nulli.

Eorum tamen vsu (qui secundus est irregularitatis effectus) sunt priuati, qua de re fidē tam canones, quā vsus ipse cōmunis Ecclesiæ facit amplissimam, de Episcopatu quidem habetur *dist. 56. can. quia simpliciter 14.* vbi Vrbanus II. cum Petronio illegitimo, eodemque Legionensi Episcopo dispensat: *Nos*, inquit, *Apostolicæ mansuetudinis gratia admonente, à cæteris quæ Sacerdotium impediunt criminibus, tam tui professione, quam fratrum testimonio, ab huius peccati vinculo absolutum in suscepto Sacerdotali officio confirmamus*, itaque Episcopo irregularitate nexo, nihil quod sui sit Episcopalis ordinis agere est licitum. Illiteratus quidā cum esset, seque talem haberi vellet, nam Donatum legisse se nunquam aiebat, de Episcopali munere, quo eum inscitia reddebat indignum, Pontificia est sententia deiectus *in cap. quamuis de ætate & qualitate ordinandorum.*

De Sacerdotio legitur *in ca. significasti nobis 18. de homicid. voluntario & ib. ca. tua nos duxit, & cap. de cætero 11. & cap. Presbyterum 7.* vbi his verbis Episc. Alex. III. alloquitur, *Presbyterū quēdam qui puerum intuitu disciplinæ percussit in capite, cum post paucos dies expirasset, id ab omni altaris ministerio perpetuo debes remouere, quam ab officio sacerdotali deponere, si ex ipsa percussione interiit*, ex quo sequitur eiusmodi irregularem Presbyterum, nec baptizare nisi in necessitate, nec celebrare nisi in periculo, metuque infamiæ, nec alia, quæ cum ordine sunt Sacerdotali cōnexa, ab eoque pendentia, obire posse, vt audire confessiones, si tamen audiat, & iurisdictione necessaria non careat, ratæ erunt.

De Diaconatu & minoribus loquuntur item canones, de primo extat decretalis Alexand. III. *de cætero 11.* de homicidio in qua est, *quod Diaconus, qui homicidio causam dedisse videtur, non sit ad sacerdotium promouendus*

cap.

cap. autem ad audientiam 12. eiusd. tituli, Clemens Papa III cum quodam Sacerdote dispensat, *vt minoribus ordinibus sit contentus.*

Non essent tamen Presbyter & Diaconus à suorum vsu ordinum remouēdi, si esset irregularitas orta ex defectu corporali sine vlla irregularis culpa, vt si Diaconus digitos post susceptū ordinem amisisset, aut Saçerdos oculos, nam etsi per eos defectus, fiant ambo inhabiles, ille ad Sacerdotium, hic ad sacrificium, tamen & ille cantare Euangelium, & iste audiendis confessionibus. habendisque concionibus ad populum, vacare poterit, de quo extat decretalis Eugenii quarti *Presbyterum 4. de Clerico ægrotante aut debilitato.*

An autem beneficio, eiusque redditibus possessores suos similiter irregularitas priuet, res est in opinione Doctorū. Affirmantem tenent Couarruuias *in regulam peccatum parte 1. parag. 1. num. 6.* Nauar. *cap. 27. num. 251.* Auila *par. 7. disp. 3. dub. 6. concl. 3.* Reginaldus *lib. 39. cap. 2. & cap. 9. num. 150.* Suarez *disput. 40. de censuris sect. 2. num. 14. & 36.* ita affirmandi causam vnicam habent, quod beneficium officii causa dari soleat, *ex canone finali de rescriptis in 6.* sed illud obire irregularis non potest, ergo nec donari beneficio, cum qui officii sit incapax, beneficio quoque suo sit priuatus, vt dicitur *canone si quis Sacerdotum distinctione 81.* nisi forte esset hoc beneficium de eorum numero, quæ nullum ordinis vsum exigunt, sed tantum lectionem horarum, quam cum nec irregularitas impediat, nec eis etiam obtinendis moram vllam afferet.

Negantem tuentur Syluester *verbo excommunicatio 4. num. 4.* Innocentius quartus *in canonem 5. cum nostris de concessione præbend.* Felinus *in canonem 2. de accusationibus nu. 26.* veniunt in hanc sententiam, quam ego in conscientia tutam puto, inducti hac maxime causa, quod in pœnis pars sit amplectenda suauior, refellenda autem quæ est humanitati aduersa, vt dicitur *regula odia de regulis iuris in 6.* quare cum sit instar pœnæ, potestate admittendi beneficii priuatum esse, hac affici neminem conuenit, sine auctoritate iudicis, aut legis, sed non est facile reperire vllum canonem, quo irregularis intercidat iure recipiendi beneficii permisso singulis, ab eo ergo excludendus non est temere.

Confirm. beneficii collatio non est irrita ipso facto, sine iure expresso, *ca. si soli de concess. præb. in 6.* sed canon assignari nullus potest, quo facta collatio irregulari, sit nulla, ergo, &c.

Argumentis oppositę sententiæ, respondendum, priori quidem dicendo hoc impe-

A dimentum non esse perpetuum, sed eiusmodi, quod per Papam tolli possit, aut Episcopum, & proinde ex impedimento certi temporis, non satis prudenter inferri, in irregulari perpetuam esse incapacitatem tenendi beneficii.

Posterius facilem habet explicationem dico enim primo, in canone citato, sermonem nullum fieri de priuatione actuali beneficii, quæ sit latæ sententiæ, sed ferendæ tantum.

Dico secundò, ad rem non facere exemplum, cum Alexander secundus *canone illo*
B *17. dist. 81.* loquatur de Clericis, qui repudiato vitæ suæ modo, religioso illo ac facili, amplectuntur profanum, ac difficilem coniugum, ita vero esse vt loquor, declarat Alexandri oratio, concepta his verbis: *Si quis Sacerdotum, vel Diaconorum, aut Subdiaconorum, contumaciter officium deserens, fœminam sibi potius elegit, sicut sponte ad fornicationem dimittit officium, ita ad præuaricationem dimittere cogatur etiam inuitus beneficium*, quæ verba, vt patet, referuntur ad iudicem, cum eius solius sit reum cogere, nec aliter, quam per
C sententiam. Vt vt sit de veritate huius sententiæ, constat ab irregularitate, quę beneficio obtento superuenit, eo præcise neminem priuari, ita Nauarrus *Enchiridij cap. 27. num. 251.* Panormitanus *in canonem tanta de excessibus prælatorum num. 2.*

Assertioni fides est, à *canone Clericis 5. tituli de Monachis & Clericis*, in quo iubetur, honore exui, ac loco suo eiici Clerici, qui mutilant, aut causis de mutilatione se immiscent, quod facere sine irregularitate nequeunt, ergo cum hoc verbum canoni insertum (*ho-*
D *nore priuentur*) sententiam duntaxat ferendam à iudice indicet, ipso facto, irregulares priuati non sunt beneficiis ante habitis, alioqui non fuisset necessarium Pontifici præcipere vt loco & gradu moti, aliis exemplo forent, benignitatis Christianæ in seruanda vita aliena.

Secundo, irregularitas excludit tantum ab ordine, eiusque vsu, vt ex definitione allata initio patet, ergo ad beneficii priuatio-
E nem extendi non potest, quæ sit ipso facto, & ante sententiam, quia in pœnis vt pars mitior est sequenda, ita sunt hæ intelligendæ semper cum restrictione verborum, ad id quod proprie sonant, ergo cum ordinis nomine, non intelligatur beneficium, non erit irregularis censendus, iure ipso aut facto, eo priuatus esse, quod Pontifex *in ca. ex literis de prælatorum excessibus indicat*, vbi Episcopus qui operam suam ad parricidium contulerat, & ita irregularitatem contraxerat, iubetur Episcopatu cedere, & si parere

renuat, eo spoliari à iudice, quod est argumentum, illum eius retinendi iure non excidisse antea: alioqui quid fuisset necesse hanc pœnam illi imponere?

Tertio pœna ciuilis nulla, aut Ecclesiastica, hominesre possessa priuans, siue talis pœna sit temporaria, siue mixta, etiam ipso iure, vel facto inflicta, locum habet in conscientia ante iudicis sententiam, vt aiunt Angelus, Syluester, Armilla & summistæ *in verbo Assassinus*, Azor. *to.1.lib.5.cap.11.q.1.* & 3. quæ sane oratio est vera, etiamsi beneficiarius sententiam blanditiis, muneribus, mendaciis, falsisque testibus, vel aliter impediret, non tamen sine peccato, dûmodo absit violentia Nauar. *cap. 23. Enchiridij num. 21.* Vasquez. *in 1. disput.173.cap.2. num.13.* Azor. *to.1.lib.5.cap.8. q.5.* quæ si sunt vera, cum lex est aliqua hominem re sua, in pœnam admissæ culpæ spolians, multomagis cum de eo nihil legislator statuit, sed Ecclesiastica lex est nulla, quæ ipso iure, Clericum irregularem beneficiis priuet, quorum titulum & dominium ante irregularitatem contractam habebat, iis ergo non est ipso iure & facto, censendus priuatus.

Iusta tamen est causa hæc illi adimendi.

Primo cum est in mora petendæ dispensationis.

Secundo, cum beneficium requirit actus irregulari prohibitos, sic *canone si celebrat. finali de Clerico excommunicato ministrante*, decreuit Gregorius IX. eum qui excommunicatione minore irretitus cum esset, electus tamen est in beneficiarium, de gradu, eiusque possessione deturbandum esse, electione quæ de eo facta erat, inani reddita, *pro eo quod* (verba sunt canonis) *ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione, à sanctis Patribus priuatus est*: quæ cû in irregulari locum habeant, peræque ac excommunicato: vt hic, sic ille, iuste suo priuari beneficio poterit.

Excipiendus est casus, in quo irregularitas prouenit ex morbo, nam tunc iusta nulla est causa sæuiendi in ægrum, priuatione rei suæ, nam afflictio non est afflicto danda, sed eius miseriæ est compatiendum, vt habet *canon ex parte quintus de Clerico ægrotante vel debilitato*, quod non accideret, si necessaria vitæ subsidia, cum beneficio, adimerentur morbido, ac eam ob rem irregulari.

At enim (inquies) præesse sibi commissæ plebi non potest, eamque per valetudinem regere, ergo cum beneficii prouentus, fructusque, ei duntaxat sint debiti, qui præstat officium, huic erogandi nulli erunt.

Respondend. in id incumbendum Episcopo tum esse, vt coadiutorem virum bonum, ac prouidum ei sufficiat, per quem tam ægrotanti beneficiario, quam populo consulatur, vt dicitur *in canone de rectoribus 3. & canone ex parte 5. de Clerico ægrotante.*

Ex dictis sequitur 1. collationem beneficii, irregulari factam, iure non esse irritam, sed irritandam, Laym. *lib.1. tract. 5. par.5 cap.1. num.3.* quam quoque sententiam probabilem esse, scripsit Coninch. *disp.18.dub.1.*

Secundo patet ex dictis, collatorem, censeri hoc ipso dispensare cum irregulari, quod ipsi beneficium confert, si sciuit eius irregularitatem, & est præditus potestate dispensandi: Suarez & Layman loco ante citato.

QVÆSTIO III.

Quæ sint causæ Irregularitatis.

ASsertio prima, *Irregularitatis causa efficiens non est alia quam lex canonica.*

Huius veritatis præsidium est vnicum, Bonifac. VIII. auctoritas, *in decretalis qui 18. de sententia excommunicationis in 6.* Illic enim irregularitatem incurri vllam negat, nisi quæ iure sit expressa, & ob factum canonibus notatum, ergo cum ius, distinguatur ab homine, istius non erit pœnam hanc imponere, in quo præiudicatum nolo Romano Pontifici, cum enim sit supra canones, non est dubium, quin peccatum aliquod admittendum, punire possit, inhabilitate ad ordines, eorumque vsum, quod est eius auctorem, irregularem reddere, nomine ergo hominis, Episcopi à Papa distincti, & Sacerdotes alii sunt intelligendi.

Probatur secundo, irregularitas imponitur per modum canonici impedimenti, ob reuerentiam debitam sacro altaris ministerio, ergo vt sacrificium in tota Ecclesia est idem, ita & impedimenta debent esse per totam Ecclesiam eadem, talia esse nequeunt, nisi per Papam imposita, cum Episcopi iurisdictio, sit ad certam Diœcesim contracta, non extenta per orbem, vt est Pontificis Romani, ergo irregularitas iure solo Pontificio vniuersali, imponi potest, non Episcopali, ac proinde particulari.

Assertio secunda, *Etsi defectus ob quem irregularitas incurritur, debeat esse specifice nominatus in iure, neque ab vno, ad alium casum similem, fieri extensio debeat*, vt docent, Nauar. *cap. 27. num. 194.* Laym. *tract, 5. par. 5. cap. 1. num. 6.* Suar. *disp. 40. sect 5. & 9.* probabile tamen est tam consuetudine Ecclesię diuturna, quam auctoritate Doctorum ita sentientium irregularitates aliquas induci posse, ita Laym. proxime citatus.

Causa

Causa est, quod consuetudo, Pontificis consensu tacito firmata, sit constitutiua iuris, ergo si per eam aliquis sit irregularis, pro tali habendus erit.

Assertio tertia, *Causa materialis irregularitatis duplex est, peccatum, & defectus tam corporis, quam animi, etiam non culpabilis.*

Probatur, bigami sunt irregulares *ex canone Apostolorum 12. & can. acutus dist. 26.* illiterati & serui *can. illiteratos 1. dist. 36. canone 81. Apostol.* energumeni Concil. Elibertinum *can. 26. & can. 78. Apostol.* membro aliquo destituti *dist. 35. can. præcipimus 10. & can. 77. Apostol.* At bigamia non est vitiosa, cum eam Ecclesia approbet, sæpe autem amentia, aliique morbi, tam animi quam corporis, vitio eorum nullo, qui illis laborant, eosdem afficiunt, verum est ergo, irregularitatem nonnunquam ex defectu oriri non culpabili.

Peccatum autem ob quod incurritur irregularitas, mortale est, iuxta Nauar. *cap. 27. num. 152.* de Graphiis *prima parte decisionum lib. 4. cap. 9.* Henriq. *lib. 14. cap. 3.* Soto *in 4. dist. 28. q. 1. art. 2.* quia cum irregularitas pœna sit, eaque grauis, non potest diuinæ in hominem beneficentiæ consentanee, imponi ob veniale, aliter pœna debito æqualis non foret, quo quid iniquius?

Secundo, ignorantia, quæ non est supina, affectata, & nimis crassa, excusat à pœnis per ordinariorum statuta impositis, ergo & actio alia quælibet, malitiam habens non aliam quam venialem.

Tertio, irregularitas quæ est ex delicto ob latam culpam infligitur, aut actionem ex obiecto suo, plusquam vulgariter malam, patet ex *cap. quæsitum de pœnitentiis & remissionibus*, vbi Pontifex, interrogatus an Græci Sacerdotes, qui filios suos lactentes dicebantur opprimere, irregulares essent: Respondit his verbis: *Si istis procurantibus, aut studiose negligentibus, filij reperientur oppressi, ab officio altaris debent perpetuo abstinere*; sed lata culpa, id est negligentia ea sciendi, quæ sunt ad præstationẽ officij necessaria, est mortalis, maxime cũ boni tam priuati, quã publici interest, illud non omitti, sed conuenienter fieri, quæ tamen omissio, in omissione diligentiæ requisitæ, ad comparationem talis scientiæ implicitè est volita.

Secunda pars assertionis, defenditur à Glossa *in canonem vltimum de temporibus ordinationum*, Alphonso à Castro *lib. 1. de lege pœnali cap. vltimo.* quod à natura abhorreat, seipsum, iudici puniendum dedere, suique deditione, infamiam tam suo nomini, quam alieno facere, præstat vtrumque vero, qui vitio occulto laborans, eius, aut impedi-A menti, cuius est causa, veniam sibi à superiore dari postulat.

Assertio quarta, *Etsi sit probabile actum vitiosum, ob quem incurritur irregularitas, etiam occultum, si tamen sit externus, & natura sua talis, vt videri possit, ad eam inuehendam sufficere, contrarium tamen probabilitate non vacat.*

Pars prima, defenditur à Nauarro 27. *Enchiridii num. 194.* & probatur, quia in Tridentino *sess. 24. cap. 6.* datur facultas Episcopis dispensandi in omni irregularitate proueniente ex occulto peccato, excepto homi-B cidio voluntario, ergo irregularitas contrahitur ob delictum externum.

Secundo, quod delictum probari debeat, id fit vt iudex sententiam dicat, eamque æquitati consentaneam, sed ad incurrendas censuras, nulla requiritur iudicis sententia, cum hæ ipso facto dicantur subeundæ, ergo nec vt actus vitiosus, qui irregularitate plectitur, sit cognitus.

Dixi modo sit externus, nam de internis, Ecclesia primo & per se, non iudicat, sed C ex accidenti tantum, in ordine nempe ad actiones externas, nec enim quæ latent, Ecclesiæ iudicanti quoad pœnam, iis infligendam subiacent; at interna cum oculos, sensusque fugiant, nec accusari, nec à testibus probari queunt, ergo nec in iudicio plecti.

Secundo, actum externum solum punire solent canones, cuius rei est hoc argumentum, quod eius solius simpliciter & sine addito, mentionem hi faciant, dicunt enim homicidam, V.G. irregularem esse, non autem qui alienæ duntaxat necis author esse D voluit, & ita de aliis criminibus, at dici homicida proprie non potest, nisi qui vitam ademit, qui violentas manus intulit, & non tantum inchoate per voluntatem.

Pars ecunda, eandem habet probationem, ac quæ, sub finem præcedentis assertionis est posita, & ad eius fidem decretales duæ pertinent, prima Alexandri III. *cui initium est ex tenore*, Gregor. IX. altera, *eaque vltima tituli de temporibus ordinationum*, interrogatus enim Gregor. an adulteri, similesque viri, ab E vsu suorum ordinum cohibendi essent, respondit in hæc verba, *si proposita crimina, ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, nõ debent hi, præter reos homicidii post pœnitentiam, in iam susceptis aut suscipiendis ordinibus impediri.*

Assertio quinta, *Quæ tamen crimina irregularitatẽ inuoluunt, ac inferunt, eo nomine tantum, quod sunt notoria, aut coniuncta cum iuris, aut facti infamia, hæc in omnium sententia si sunt occulta, hunc effectum non habent.*

Causa est, quod peccata talia cum ignorantur, auctorem suum statu Clericali indi-

gnum non faciunt, ob indecentiam, quæ in eo versatur, quod famosus, hoc est male nominatus in Republica, promoueatur per ordines ad sacra ministeria.

Sexta assertio, *Causa finalis irregularitatis non est alia, quam erga statum Sacerdotalem resque diuinas, exhibenda reuerētia à mortalibus*, patet quo enim plura ad dignam sacrorum celebrationem sunt necessaria, quo maior in iis postulatur dignitas, qui in Dei Ecclesia sacro Sacerdotii magistratu ad multorum cōmodum fruuntur, hoc Christiani maiorem metum, cultumque, ad sacrum altare, diuinaque mysteria afferunt.

Assertio vltima, *Forma irregularitatis inducendę, certa nulla est, Ecclesiæ præscripta lege.*

Probatur, nam interdum ei est satis dicere, irregularitatem incurri, aliàs addit prohibere se hæc aut illa facienti, promoueri, aut ad sacros aspirare ordines, admitti ad sacra ministeria, cuiusmodi loquendi modos, multos ac varios, congerit Viuald. *cap. de irregularitate*, Imo notat Henriq. *lib. 14. cap. 1.* hæc verba, *suspendatur, degradetur, deponatur ab officio, maledictione feriatur, communione priuetur*, sumi non raro pro irregularitate.

Notandum tamen quod etsi peccatum occultum, communiter irregularitatem non pariat lege canonum, ab ea tamen lege excipi homicidium, arg. *cap. quæsitum 17. tali de temporibus ordinat.* idque propter sceleris enormitatem, & defectum lenitatis.

Secundo, excipienda sunt peccata, quibus censura est annexa, nam si in ea celebratur, incurritur irregularitas, etsi hæc celebratio occulte fiat à suspenso, vel excommunicato.

Notandum secundo, peccatum propter quod irregularitas incurritur, debere esse secundum quantitatem operis externi mortale, & in eo dolum, & contumaciam exigi, sicut in excommunicatione, ab eaque excusare ignorantiam etiam crassam, secundum Nauar. *consil. 15. de temporib. ordinat.*

Patet ex dictis primo irregularitatem non incurri per solum interiorem actum animi, sic Nauar. *cap. 27. num. 193.* Couar. *relect. de homicid par. 1. num. 4.*

Causa est, quod voluntatis actus, humano non subsint iudicio, nec sub illud cadant, quod si nonnunquam sit potestas dispensandi in irregularitate mentali, id de occulta est intelligendum, quæque nullo modo ad forum pertinere externum potest.

Patet 2. neminem ex solo voluntatis animique conatu ad aliquid, irregularem fieri, nisi ad eum accedat effectus, & ita qui mortem alicui sunt machinati, ea non se-

A quuta, aut qui eos accusarunt, sed conatu inani ac irrito, irregulares non esse.

QVÆSTIO IV.

An qui dubitat vtrum sit irregularis ante sententiam, pro tali se gerere debeat.

AFfirmant Comitolus *respons. lib. 6. q. 57.* Henriq. *lib. 14. cap. 3. parag. 1.* Angelus de Coninch. *disp. 18. de irregularitate dubio 1.*
B Auila *parte 7. disp. 2. dub. 5.* quid sit tenendum explicabitur sequentibus assertionibus.

Assertio prima, *Qui dubitat irregularitatem facto suo cōiunctam esse, excepto homicidio, nullo iure tenetur abstinere iis operibus, quæ irregulari sunt prohibita, ac pro tali publice se gerere, si post diligentem inquisitionem, ad quam obligatur, de re ipsa, aut iure constare nequiuerit*, ita Rebellus *par. 2. lib. 1. q. 2. sect. 2.* Fernand. *parte 2. Theol. cap. 12.* Suar, *de censuris disp. 40. sect. 5. num. 20.*

Habet assertio partes duas, in priori dici-
C tur, ei, qui de irregularitate sua dubitat, adhibendam esse diligentiam, vt sciat, ecquid ea obligetur, necne, in secunda, si cum ea diligentia, dubium perseueret de irregularitate, dubitantem, eius pœnis censendum esse, non teneri, vtraque probatur, prior hoc argumento.

Operari cum dubio, an res sibi sit licita, necne, est certo exponere se peccandi periculo, quod culpa non caret, facit id, qui cum dubio facti an sit irregularis, pro tali se non gerit nam si occiderit V C. irrigularitas est
D valitura, & violanda per actionem quam lex Ecclesiastica fieri ab irregulari sub pœna cēnsuræ prohibet.

Confirmatur operari cum ignorantia vincibili malitiæ, quæ inest actioni, in qua, quis versatur sciens, & volens, malum est, cum in ea ignorantiæ notitia, volita implicitè sit peruersitas operis quod fit, at qui in dubio speculatiuo impedimēti Ecclesiastici quo se ligari existimat, pro virili sua non desudat instrui, ecquid vere impediatur, ignorantia vincibili laborat, ergo cum culpa.

E Assertionis pars secunda, fidem habet ab auctoritate Pontificis, nec enim vt dicitur *in cap. is qui 18. de sententia excommunicationis in 6.* vlla est inducenda irregularitas, præter eam, quæ habetur speciatim & expresse in iure, sed facit incertitudo iuris, super irregularitate, de qua dubitatur, vt cuique iusta sit causa existimandi, nullam esse, nam si extaret, sciretur, ergo in tali dubio nemo tenetur se gerere pro irregulari, nec peccare censendus est, exercendo actum ordinis

sui,

sui, si tum sit necesse, in eo occupari: etsi de rei veritate doceri non potuerit, ac dubium suum depellere per se, vel alium, Suarez *de censuris disp*. 40. *sect*. 5.

Dicti huius est hæc causa, quod post adhibitam diligentiã, quæ deceat virum bonum, cesset periculum peccandi, nam posito quod quærenti inutilis sit suus labor, ignorantia præcepti vetantis aliquid fieri sub pœna irregularitatis, incipit ei esse inuincibilis: at violatio præcepti cum hac ignorantia, transgredienti non est culpabilis, cum vt sic, non sit voluntaria in ratione transgressionis formalis, ac propriæ, & hæc dicta sint de dubio iuris. Videamus an idem iudicium esse debeat, de eo qui dubitat, ecquid id fecerit, quod iura irregularitate puniunt, quod Doctores facti dubium nominant.

Assertio secunda, *Qui dubitat se admisisse factum, cui adiuncta est irregularitas, non necessario gerere se debet in vtroque foro pro irregulari, excepto casu homicidii*, ita viri aliqui docti huius temporis, nitunturque his argumentis.

Primo, quod in dubio potior sit conditio possidentis libertatem suam, & immunitatem à pœna, quam non possidentis, vt dicitur *de regulis iuris in 6. regula* 11. *&* 65.

Secundo, est irregularitas contracta ex delicto, pœna, ergo eius naturam sequi debet, at pœna reo non imponitur, quandiu dubium est eius peccatum.

Primo, quia de illo conuinci debet ore testium, & actoris.

Secundo, si post intentatam litem, non possit accusator probare ea, de quibus reum accusauit, est hic absoluendus, *cap. Vt beneficia Ecclesiastica, sine diminutione dentur*: at rem esse dubiam, est, argumenta certa non suppetere, quibus probetur facta esse, ergo non est punienda, puniretur autem si hæc irregularitatem in dubio pareret, saltem quoad effectum, non suscipiendi ordines, aut non exercendi susceptos.

Tertio, in conscientia pars tuta teneri potest, omissa tutiori; at hæc est probabilis, & tuta, cum nitatur rationibus, & patronos habeat viros religione, & scientia commendabiles, vt sunt Suarez *dist*. 40 *sect*. 6. *num*. 3. 4. *& sequentibus*. Reginald. *loco citato*.

Dixi *excepto homicidio*, quia in dubio an sit admissum, dubitans pro irregulari haberi debet, tam in foro interno, quam externo, ita habetur *in cap. audientiam de homicidio, & cap. petitio penult. eiusd. tit*. estque Doctorum communis opinio, quæ fundatur in responsione Pontificum, qui ob periculum specialis indecentiæ, si postea innotesceret, homicidam ad sacri altaris ministerium accessisse,

A ei, in tali dubio ab ordinum abstinendum vsu, sanxere, *in cap. significasti de homicidio*. Quod cum de factis cæteris nihil dixerint, si aliquando dubitabitur vtrum sint admissa, nihil erit necesse à sacris abstinere aris, quia non est statuenda irregularitas, nisi in casibus à iure expressis vt est *in cap. is qui de sent. excom. in 6*. sed de solo casu homicidii voluntarii expressum est, vt quis in dubio facti censeatur irregularis, ergo, &c.

Secundo in pœnis, pars est amplectenda mitior, irregularitas pœna est, estque suauius extra casum homicidii, eorum qui de irregularitate contracta dubitãt, neminem ea
B teneri, ergo est id sequendum in praxi.

Patet ex dictis primo, eum qui dubitat an sit legitimus, inter irregulares locandum non esse, proindeque ordinari si volet, posse.

Patet secundo, homicidii nomine intelligi vetitum, quia odia sunt restringenda.

Tertio, excusandum ab hac pœna, qui vtrum mutilauerit, dubius est animique anceps, quia mutilatio nõ est homicidium sed
C via ad illud, ergo, &c.

Obiiciunt aduersarii dici in *canone ad audientiam, extra de homicidio & canone significasti eodem titulo*, cum de irregularitate agitur, in dubio facti partem tutiorem sequendam esse, ergo qui scit se hominem vulnerasse, V.G. dubitat tamen vtrum interemerit, tenetur si fides est Pontificibus, abstinere à receptione ordinum, eorumque vsu.

Respondend. primo, quod hic dicitur partem tutiorem sequendam esse in dubio, vniuerse falsum esse, cum quæ tuta sunt, vt sunt
D extra culpam, (alioqui cessarent esse talia) ita etiam fieri possunt citra vitium.

Respondend. secundo, velle tantum Pontifices, Episcopis duntaxat hoc seruandum esse, vt in dubio irregularitatis, sequantur partem tutiorem, iubendo eis, de quibus dubitant an sint irregulares, vt ob reuerentiam rerum diuinarum abstineant, ab ordinibus, ex quo tamen non sequitur, ei qui de facto suo dubitat, abstinendum esse vsu perceptorum, tanquam si irregularis esset.

Dices si vere in conscientia, is qui de fa-
E cto suo ambigit, an sit tale, vt irregularitatem habeat adiunctam non tenetur pro irregulari se gerere, male id Pontifices in his canonibus exigunt.

Negandum est sequi, cum enim ad Papam pertineat, primo, videre ne quid in sacros ordines, debitamque eis venerationem peccetur

Secundo, pœnam de actionibus repetere, quæ sunt malæ, vel si non sint tales, sunt ta-

men ex quorundam ſententia, periculo peccati & irreuerentiæ in res ſacras, vt ſunt ordines, expoſitæ, iuſta ei cauſa fuit imperandi Epiſcopis: vt in eiuſmodi homines, de euentu facti ſui dubios ſæuirent, eorum remotione ab ordinibus, ex quo tamen non ſequitur, vl li neceſſe eſſe ſe prodere, aut in dubio facti, pœnam ſubire, quam vitare nequeunt, qui eius admiſſi vere ſunt rei.

Reſpond. 3. etſi Pontifici ſermo de irregularitate foret in dictis canonibus, eum tamen de omni non loqui, ſed ea duntaxat quæ ab homicidio oritur, quod cuiuſmodi tamen ſit, dicetur poſtea, à quo quia Clericos longiſſime abeſſe oportet, voluiſſe Pontificem in illius odium, vt ſe quiſque in dubio irregularem duceret, quod peræque locum habere in aliis peccatis non poteſt, ex quibus irregularitas naſcitur, ita Ægidius *diſp. 18. de irregularitate num. 2.*

Reſpondend. vltimo, in dictis canonibus, Pontifices nullam facere mentionem irregularitatis proprie dictæ, quæque incurratur ipſo iure, vt notarunt interpretes, ſed interdicti tantum, quo tempore prohibetur Sacerdoti ſacrum dicere, quod ſemper fit poſt ſententiam iudicis, maxime ſi ſit perſonale, ergo cum nulla irregularitas ſit inducenda, quæ non ſit in iure, nec in ipſo dicatur expreſſe, quod in dubio facti, præterquam in homicidio incurratur non erit obligandus, qui de quopiam dubitat, vt ſe tanquam irregularem à ſacris ordinibus remoueat.

QVÆSTIO V.

An irregularis ſit beneficii incapax itaut collatio ei facta ſit nulla.

ASſertio, *Irregularitas nec beneficio poſſeſſo priuat, nec acquiſiti de nouo collationem irritat.*

1 Pars prima defenditur à Nauarro *cap. vlt. Enchiridii*, eſtque à nobis probata antea.

Pars altera Syluest. placuit *verbo excommunicatio 4. num. 4.* Innoc. IV. *in canonem 6. de conceſſione prabendæ*, Felin. *in canon. 21. inquiſitionis de accuſationib. num. 6. & ſequentibus.*

2 Ratio eſt, quod nullus ſit canon quo probetur irregularem, beneficii incapacē eſſe, quare cum inhabilitas induci nulla debeat, ſine canone, deque ea nullus extet, credi debet, irregularem beneficii conſequendi incapacem non eſſe. Ac proinde in conſcientiæ foro adigendum non eſſe, noua collatione reparare, ſi quid vitii fuit in priore, quare non peccat, qui beneficium acceptat in irre-

A gularitate, dummodo ab ea, intra anni ſpatium auctoritate Apoſtolica, aut Epiſcopali, liberari ſe curet, ita Sylu. loco citato.

Ratio eſt, quod iure communi annus beneficiario conceditur, vt ſe ad præſtandum officium præparet, *Clementina ſecunda de ætate & qualitate ordinandor.* quæ renouata eſt in Concil. Trident. *ſeſſ. 24. cap. 4* admiſſa à Nauar. *Concil. 8. de præbend. num. 2.* & interpretibus Concil. ad ſeſſion. citatam, in Gallia autem ſatis eſt, quod eiuſmodi qualitas intra biennium haberi poſſit, de quo nos in
B *tract. de benef.*

Adnotare tamen hîc placet, irregulari, vt ſit in foro externo ſecurus de beneficio obtento, tria præſtanda eſſe.

Primum id dare debet operam, vt ſuper irregularitate cõtracta, diſpenſationem obtineat, deinde alteram, ſuper inhabilitate ad idem beneficium.

Tertium, vt iterato idem ſibi beneficium conferatur.

Ratio eſt, quod in foro externo, facta irregulari collatio, irregularitate durante irri-
C ta reddi poſſit ac inanis. eſt ergo prudentiæ in irregulari, ſibi ne id accidat, poteſtate Papæ conſulere.

Et de hoc foro intelligi Doctores debent, cum collationem beneficii, irregulari factam, ratam eſſe negant ac validam, Suar. *diſp. de cenſur. 40. ſect. 2. nu. 30.* Nec ſic promiſſo danda tantum eſt opera, vt à *Pontifice* irregularitatis diſpenſationem *habeat*, ſed & inhabilitatis ad idem beneficium, ac nouam eiuſdem beneficii collationem à ſuperiore
D ita Syluest. *verbo excommunic. 4. num. 4.* Innoc. IV. *in canon. 6. cum noſtris de conceſſ. præbendæ*, Felinus *in can. 21. Inquiſitionis de accuſationib. num. 6. &* 8. Fuit enim prima valida, ac capaci facta, ergo non iteranda neceſſario in conſcientiæ foro. Nec eſt vllius momenti, quod aduerſæ partis patroni contra afferunt, dari beneficium ſcilicet, propter officium, quod tamen eſt irregularitate impeditum. Nec enim eſt hoc impedimentum perpetuum, cùm à Papa tolli poſſit aut Epiſcopo, ergo vt peccatum mortale quo impeditur Parochús ne fungatur officio, benefi-
E cii collationem non impedit, ita nec irregularitas,

QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

An Irregularis valide absoluat.

RAtas esse confessiones, quas irregularis excipit dixere Pet. Corneio *in 3. part. Diu. Thomæ tract. 3. de irregularit. disp. 5. dub. 3. q. 3.* Villalobos *tom. 1. tract. 2. difficul. 2. num. 8.* Suar. *de censur. disp. 4. sect. 2. num. 46.* Lessius *de iustit. lib. 2. cap. 22. dub. 8.*

A parte altera pugnant hi auctores Hurtado *disput. 1. de irregular. difficult. 11. num. 19.* Comitol. *lib. 6. responsion. q. 58.* de tota hac controuersia, quodnam meum sit iudicium, demonstrabo sequentibus assertionibus, quibus aduenire lucem volo ab his notitiis.

Prima, non alii absoluere possunt, quam qui auctoritate pollent ad id necessaria, est enim absolutio iuridicialis actio, ius autem dicunt hi duntaxat, qui auctoritatem in eos obtinent, quos coercere legibus, aut ex earundem emittere laqueis possunt, cum volunt.

Notitia secunda, Remitti peccata non possunt nisi ab eo, qui præter potestatem ordinis, potestatem etiam habet iurisdictionis, estque potestas vtraque iure diuino necessaria, ad remittenda peccata in Sacramento confessionis.

Notitia tertia, iure diuino iurisdictionem immediate à Christo nemo habet, nisi solus Pontifex, Petri successor in Ecclesiæ regimine, quid est enim iurisdictio? potestas in personam subiectam, quæ sola est iurisdictionis materia, secundum Diu. Thom. *dist. 19. q. 1. art. 3.* at præterquam Petro cui dictum est Ioan. 21. *Pasce oues meas*, & Apostolis quibus dictum est, *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata*, non est vlli à Christo, regendæ Ecclesiæ data auctoritas, iurisdictionem ergo iure diuino, immediate à Christo, prçter eos nemo sibi vindicat.

Notitia quarta, iurisdictio quam solo humano iure, Presbyteri in personas, earumque culpas habent, duplex est, ordinaria, & delegata, Priore prçstat, qui à Papa, Imperatore, Principe, Collegio aut Vniuersitate eam obtinet, vt Prælatus Collegiatæ Ecclesiæ qui ab ea est electus, aut ei à Papa præpositus, Glossa *in cap. cum ab Ecclesiarum de officio ordinarii*, aut à canone vt Episcopi 16. *q. 1. can. 1. & q. 7. can. omnes & 25. dist. can. per lectis.*

Delegata iurisdictio in iis residet, qui ab ordinariis ad societatem muneris sui vocantur, hoc est qui vices illis suas integre committunt, aut ex parte.

A Notitia quinta, etsi irregularis iure ipso, suorum vsu ordinum excidat, tolerari tamen potest ab Ecclesia, nec, cum illos in praxim reuocat, puniri aut reiici.

Ratio est, quod per quas causas quid ponitur iisdem & tolli potest, *de reg. iuris reg. 1.* At quod irregulari præstare quæ sunt ordinis, eaque in suum, ac aliorum commodum exequi non liceat, ab Ecclesiæ voluntate, ac lege oritur, quam vim obtinere vult nullam, pro eo tempore, quo irregularem in suorum functione munerum tolerat, ergo, &c. quib. ita præmissis.

B Dico primò, *Peccare mortaliter, qui scienter peccata sua irregulari explicat in Sacramento Pœnitentiæ, absolutionis habendæ causa.*

Ratio est, quod ab eo culparum suarum remissionem petere, qui eam sine peccato non potest concedere, lethalis sit culpa, at qui istiusmodi pœnæ genere, quam irregularitatem dicimus, irretitus hæret, peccata absoluere non potest sine culpa, cum id eum facere iura Ecclesiæ noua ac vetera, non sinãt. Est enim irregulari ordinum sacrorum vsus Pontificum decretis prohibitus, ergo

C cum absolutio, actio sit quædam sacri ordinis, hoc est Presbyterii, cuius collatio in ordinatione, ordinato dat clauem, non tamen executionem, aut eius actum, vt ait Diu. Thom. *in 4. dist. 18. q. 1. art. 1. ad quæst. 2.* ea impertire pœnitentem, sine culpa irregularis non potest.

Dico secundò, *Qui irregulari ad pedes accidit absolutionis causa, cum conscientia tamen notitiaque legis Ecclesiasticæ, quæ irregularem ab hoc sacro munere remouet, eam non recipit.*

D Ratio est, quod confessio quæ comitem non habet contritionem, accedente absolutione est repetenda: at qui sua peccata ei confitetur, à quo scit se sine culpa absolui non posse, de illis dolorem non suscipit, cum actu peccet, ergo præcepto non satisfacit, cũ nõ absoluatur, sed iterum de iisdẽ peccatis, debeat apud Sacerdotem dolenter cõfiteri.

Confirm. ad peccandum quempiam allicere est nefas, sed irregulares peccant conferendis Sacramentis, ergo hçc ab illis petere non licet, sed qui in re graui, quo ei tem-

E pore Sacramentum confertur, committit in legem Ecclesiæ aut Dei, ponit obicem gratiæ, nec in numero contritorum est, ac pœnitentium, sed fingentium, ergo etsi absoluatur, facit hæc eius fictio confessionem nullam, vereque sacrilegam, ita Turrian. *de censur. lib. 8. disp. 58. dub. 2.*

Dico tertiò, *Confessiones irregulari Parocho, sed tolerato factas, ratas esse, nec repetendas*, ita auctores primæ sententiæ quibus addendus Ioan. Præposit. *in tertia parte Diu. Thom. qu.*

1. *de irregularitate dub. 5. num. 13.*

Causa est, quod Ecclesiæ tolerantia, sit quædam veluti, tacita illi facta concessio potestatis, ad absoluendum necessariæ, at ex parte absoluentis Presbyteri, id duntaxat exigit absolutio, ne sit inanis ac irrita, data ergo ab irregulari, qui sit toleratus, ab eo vitium non accipit, nec proinde est hęc iteranda necessario.

Confirm. ad hoc vt pœnitenti prosit Sacerdotis absolutio, sufficit, si iurisdictionis suæ vsum voluntate Ecclesiæ liberum habeat: Habet is vero, quem hæc in Sacramentorum administratione tolerat, nec à Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ collatione remouet, absolutio ergo ab eiusmodi concessa homine, vana non est, ac nulla, ergo non iteranda.

Confirm, irregularitas actus ordinis proprios non irritat, vt consecrationem Ecclesiæ, altaris, Virginis, nec etiam alios, qui iurisdictionem in exercente prærequirunt, vt excommunicare, suspendere, interdicere, secundum Præposit. loco proxime citato, ergo nec absolutionem, cæteraque in foro conscientiæ exerceri solita.

Dico quartò. *Confessionem quæ fit irregulari denunciato, ac promulgato à iudice Ecclesiastico, probabiliter esse nullam.*

Primo, quia concessa à suspenso peccatorum remissio, interdicto, aut excommunicato notoriè, nullarum est virium Nauar. *in manual. cap. 9 num.* 8. Auila *de censur. part. 7. disp. 2. dub. 6. conclus. 7 nisi talis Sacerdos absque sua culpa factus sit inhabilis ad vnum vsum ordinis, & non ad alium, vt qui sine culpa amisit digitos, iste enim licet fiat inhabilis ad sacrificandum, non tamen ad absoluendum*, Auila supra, sed est irregularitas, quædam veluti suspensio, ab ordinum vsu & exercitio: ergo data ab irregulari absolutio, erit inualida.

Secundo carere potestate ad aliquid, & hãc impeditam habere, sunt idem, sed irregularis, potestatem ordinum coercitam habet, ac restrictam, ergo ad actum non reuocandam cum fructu, non est ergo irregularis, Sacramenti minister idoneus, ac habilis.

Dupliciter enim vt ait Diu. Thom. *in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiunc. 5.* potest contingere, vt quis alterius confessionem audire non possit, nempe, quia iurisdictione caret, aut ordinis executionem non habet, sicut irregularis, vera est ego assertio, irregularem, quandiu est talis, nec eius amotum est impedimentum, confessiones excipere vtiliter, ac fructuose non posse.

Tertio data sine iurisdictione absolutio est inanis, eo quod potestatẽ ad illam exigi certũ sit apud omnes Theologos, & pios Catho-

A licos, at ea irregularis caret, eius enim materia est, plebs subiecta, secundum D. Thom 4. *dist. 19. q. 1. ar. 3.* quam Ecclesia vult ab irregularis potestate substractã esse, hoc ipso quod eum publice talem esse pronunciat, alioqui cur diceret? cur eum apud populum traduceret? quare cum qui potest remouere irregularitatem, & postea potestatem audiendi confessiones ei conferre: id tamen Episcopus non faciat, sed potius oppositum, irregulari cum denunciatur, nec proinde toleratur ab Ecclesia, ius absoluendi adimi quis

B non videt?

Obiicies est in lege Barbarius Philippus *digest de officio Prætor:* eius acta quæ irrita esse debebant, eo quod ad præturam promotus esset, cum tamẽ conditione seruus esset, proindeq; eius dignitatis incapax: rata tamẽ esse oportere ac valida, ob eorum vtilitatem ac commodum, qui apud illum egerant, quia populus Romanus, cuius auctoritate hic ei magistratus collatus erat, *potuisset etiam seruo hanc potestatem decernere*, at eadem est ratio absolutionis approbandæ, quæ ab irregulari datur, & gestorum in foro publico perfec-

C tuum, quies scilicet ac tranquillitas populi Christiani, cui perpetua ambigendi causa feret, ecquid ab eo factum fuisset satis præcepto, de obeunda confessione, si facta irregulari non est rata, sed repetenda.

Respondendum, minorem esse *falsam*, quæ enim ab irregulari in *conscientiæ tribunali* geruntur, publicam *non continent* vtilitatem, sed priuatam pœnitentium, quæ ergo pro Barbario profertur ratio, ab irregulari non facit, sit hoc pro argumento, acta, dicta, decreta Barbarii, vim habuere, quia po-

D pulus Romanus seruo potestatem hanc decernere poterat, at irregulari notorie tali, ac denunciato, absoluendi sui potestatem dare populus non potest, quæ ergo à Barbario eiusque actis, ad irregularem, à populo Romano ad Christianum, à foro externo ad internum, argumentatio petitur, nullarũ est virium, in illo enim valet auctoritas Imperatoris, ac populi, in isto autem solius Dei, itaque quod in controuersia politica diiudicanda momentum habet, ad res spirituales, & Sacramenta translatum, suapte ruit

E sponte.

QVÆSTIO VII.

Quæ sint quibus per Irregularitatem irregularis non priuatur.

DIco primò, *Per irregularitatem irregulari ius non adimi faciendi actus sacros, eo modo quo fiunt à Laicis.*

Quia irregulari prohibetur tantum vsus ordinum suorum aut eorum susceptio quibus caret, at quæ fiunt à laicis opera non sunt ordinum, cum eorum sint incapaces: non sunt hæc ergo ex vi irregularitatis, irregulari prohibita.

Confirmatur, est irregularitas incapacitas, vel vt alii aiunt impedimentum iure Ecclesiastico inductum, quo quis directè, ac per se, ordines recipere vetatur, indirectè autem susceptos exercere, at actus quibus potest in Ecclesia defungi laicus, sacri non sunt, cum hanc à persona denominationem habeant, quæ peculiari quodam ritu, Deo est sacra, aut à charactere, quorum neutrum laico competit, non sunt ergo Clericorum opera, prout obiri possunt à Laico, irregulari ex vi irregularitatis prohibita.

Dico secundò, *Quælibet Sacramenta, ab irregulari sumi posse præter ordinem & quæ ab eo pendent*: ita Henriq. *lib.14.cap.2.num.5. litera C. ad marg.* Sylue. *excom.4. nu. 4.* Nauar. *Enchiridii 27.n. 253.* Suarez *de censuris disp. 48. sect. 2. num. 8.* & probatur, irregularitas est tantum ad ordinem, & respectu eius, ad functiones quæ ei sunt propriæ, ergo alia Sacramenta non impedit.

Consequentia probatur est irregularitas, inhabilitas ad Clericorum ministeria, quæ sunt sacra, aut ad characterem quo separantur à Laicis, at Clerici ab his non separantur per Sacramenta diuersa ab ordine, ergo irregulari ea recipere non est vetitum, Caiet. *verbo irregularitas initio*, Fœlician. *11. proœmio de irregular. & cap. 13.* Layman. *lib. 1. tract.3. porte 5. cap. 1. num. 3.*

Confirmatur bigamus confirmari potest, absolui, & sub vitæ finem sacro oleo vngi: non sunt hæc ergo ei Sacramẽta prohibita.

Dixi in assertione quæ ordinem supponũt, & ab eo pendennt, vt ostenderem, irregulari celebrare fas non esse, quia est hoc vti ordinibus, ac in præcipuo eorum operum, quæ sunt irregulari interdicta, versari, cum vsus ordinum nullus consecrationi corporis Christi dignitate respondeat, ob eandem causam nec fas est communicare, sub vtraque specie, vt rectè annotauit Suarez *de irregularitate disp. 4. sect. 2. num. 9.* nec admi-

A nistrare sibi Eucharistiam, quia vtriusque speciei receptio, citra priuilegium solis sacrificantibus conuenit, estque distributio Eucharistiæ, propria perfectaque Presbyteri actio.

Dico tertiò, *Ab irregularitate iurisdictionem irregulari non adimi, maxime si hæc beneficio iam obtento, aduenit.*

Probatur iurisdictio non pendet ab ordine, sed officio, vt colligitur ex decretali Celestini tertii quæ incipit, *transmissam 18. extra de electione*, vbi confirmatus in beneficio
B ad quod est electus, exequi posse dicitur quæ sunt sui muneris. *Respondemus*, inquit Papa, *quod ex quo electionis tuæ confirmationem accepisti, de talibus & cõsimilibus, præterea quæ maioris inquisitionis discußionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant, quod iustum sit, Ecclesiasticæ conueniens vtilitati statuendi habeas liberam facultatem*, ergo cum ab irregulari, beneficium per irregularitatem superuenientem, non tollatur: in eo quoque remansura est iurisdictio, ad functionem non pendentem ab vsu ordinum necessaria, quare
C valide omnes actus iurisdictionis exercet, quamuis illos non licitè, qui actum ordinis requirunt, Coninch. *disput. 18. dub. 1. num. 7.* Laym. *parte 5. cap. 1. tract. 3.*

QVÆSTIO VIII.

Irregularitatis species quæ, quot & quales.

IRregularitatem diuidunt aliqui in totalem & partialem, talis ac proprie dicta ir-
D regularitas est, quæ omni ordine suscipiendo, & suscepti exercitio priuat, vt bigamia, & homicidium. Partialis est, quæ Clericum ordinatum non omni ordinis ministerio, sed aliquo tantum priuat, vt ascensu V. G. ad superiorem ordinem, ita Sacerdos cui pollex est abscissus, irregularis est respectu Missæ dicendæ, non confessionum, quas licite potest excipere.

Diuidunt alii irregularitatem in eam quæ est indecentiæ, incapacitatis, & sceleris. Indecentiam ex conditione personæ naturali
E nonnunquam oriri aiunt, vt quod initiandus aut iam sacris initiatus ordinibus sit cæcus, manu mancus, pede captus, aut mente, aliquando vero ex actu virtutis, vt quod iudex sentẽtiam mortis dixerit in nocentem, sæpe autẽ ex actu vitioso, vt est videre in crimine enormi notorio, vel eo quod apertam habet cum ministerio altaris repugnantiam.

Irregularitatem diuidunt alii in eam, quæ ex defectu culpabili oritur, & eam quæ ex non vitioso ac culpabili. Defectus incul-

pabilis irregularitatem fundans, est quintuplex, corporis, animæ Sacramenti, perfectæ lenitatis, & sexus, qui defectus notantur hoc versu.

Baptismus, ratio sexusque, scientia corpus, quibus verbis significatur, cum qui baptizatus non est, irregularem esse, secundo fœminam & hermaphroditum, tertio amentem, quarto ignarum, id est, carentem ea scientia quæ ad decentem ordinis suscipiendi, aut suscepti executionem est necessaria, postremo vitio corporis aliquo laborantem, quod impedit ne ministrare omnino possit in ordine suscepto, aut certe nō sine periculo. Culpabilis defectus est quadruplex, illicita deformatio, ordinum mala susceptio, aut exercitium, iteratio Baptismi, & crimen enorme, seu notorium. Alii irregularitatem vniuersè duplicem faciunt, vtriusque autem species multas: omnis enim irregularitas ex defectu prouenit aut delicto, tanquam eius causis, inter vtraque autē intercedere discrimen, idque non modicum, indicant quæ sequuntur, primum quod irregularitas quæ defectum habet, vti sui causam, eo pereunte pereat, cessante cesset, cum quæ est ex delicto, maneat donec dispensetur. Alterum, quod hęc non modo aditus ad ordines interclusos omnes habeat, sed eorum etiam vsu interdicat, cum quæ est ex defectu solo, in iis tantum ministrare prohibeat ac vetet, circa quæ deficit.

Tertium quod quæ irregularitates sunt ex delicto, sic sint in Episcoporum iure, vt in iis, cum ex crimine occulto ortum habent, non deducto ad forum contentiosum, dispensare possint, præterquam in ea quæ homicidio voluntario nascitur, non item in his, quæ sunt ex defectu, nam bigamo, spurio, ac notho, per eorum facultatem, accessus ad sacra altaria ordinesque nullus esse potest.

Quæ autem est istiusmodi hoc est ex defectu, octo habet sub se species nimirum ex defectu natalium, originis, libertatis, ætatis, honestæ famæ, corporis, animæ, Sacramenti: Irregularitatis autem ex facto contractæ non vitioso, duæ sunt species, prima ex bigamia, ex homicidio inuoluntario nascitur altera, ex facto quod est criminosum ac illaudabile septem, primā parit homicidium voluntarium, quo continetur etiam mutilatio, secundam Baptismi iteratio, tertiam ordinis susceptio, quartam ordinis collatio, quintam vsus ordinis, sextam hæresis, aut aliqua talis infidelitas, septimam infamia, aut delictum quod eam conciliare solet homini.

A

QVÆSTIO IX.

Quid sit, defectus animi, & in quos cadat irregularitas ex eo orta.

EST defectus animi, vt hoc loco sumitur, *Infidelitas* in primis, animus enim in præsenti materia, non nude accipitur, sed vt suis, ac supernaturalibus excultus dotibus, maximè vero fidei, à cuius, ac virtutum priuatione, habent infideles primo, secundo
B Neophyti, hoc est recens ad fidem conuersi, vt sint irregulares, tertio amentes, quorum duo sunt genera, quidam enim mentis inualetudine occupantur labili tantum, qualis est eius, qui in furorē versus, aliquādo insaniuit, quæ insania ortum ex febri, aut apprehēsione vehementi, & acri alicuius obiecti habuit, vt dicitur *in canone maritum distinctione* 33. Alii sic sunt affecti, vt sit amentia in illis per modum habitus, quæ veram, & permanentem causam in organorum læsione, aut humorum vitiositate fundatam habeat, de
C vtraque ergo quoniam hic est disputandum.

Dico primò, *Ab amentia eaque perpetua, homines fieri iure naturali ac diuino irregulares.*

Probatur susceptio ordinis, actus est humanus, requirit ergo ex sua natura consensum suscipientis, eumque liberum, nam quis in re momenti istiusmodi, qualis est ordinatio, eum cum ratione repudiet? cum ab ea abhorreat repugnanti ac inuito statum dari ab Ecclesia perpetuū, sed consensus maxime deliberatus, in amētē nō cadit, nā sine
D vsu rationis quo caret, talis esse qui potest?

Quid si non est eius dementia perpetua? quid si vi morbi aliquando quidem insaniuit, sed pharmacis sanus factus, conualuit?

Dico secundò, *Aut agitur de suscipiendis ordinibus cum hoc impedimento licet præterito, aut de susceptorum vsu.*

Si primum, existimant aliqui, absque vlla dispēsatione conferri eos ab Episcopo posse, si habeatur testimonium Medici de valetu-
E dine plene recuperata, probabilius tamen sentiunt alii vt Henriq. *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 9. fieri id non posse sine Papæ facultate, cum sit hominum opinione probrosum, sacra mysteria ab amente tractari, cumque sanis, in via rerum istiusmodi præfici, ergo cum irregularitatis quæ vera est, dispensatio, iure non concedatur Episcopo, maxime si sit hæc de earū numero, de quibus in præsenti fit mentio, Papa consulendus super eius dispensatione obtinenda videtur, & non tantum Episcopus, quia admodum est verisimile, ta-

lem

lem tam perfecte curari non posse quin probabiliter iterum aliquando morbo tentetur.

Quod si de sano iam ordinato agitur, cessante eius amentia, cessatura quoque est Ecclesiæ prohibitio, de non celebrando, vtendoque ordine suo, cum tali defectu, Glossa *in canonem maritum ante citatum*, Reginald. *tract. 1. de irregularitate sect. 2.* patet, Nã habet ordinatus ius ad vsum acquisitum ordinis, quo sine culpa aliqua sua non priuatur, nisi per superuenientem causam, ergo si hæc cessauerit, cessabit irregularitas, docet Ægidius expresse *disput. 18. de irregularitate num.* 107 Maiolus *lib. 2. cap. 13. num. 5.*

Ad hunc tamen vsum ordinum requiritur Episcopi iudicium ac consensus *canone communiter dist. 33.* iudicium quidem recuperatæ valetudinis, consensus autem ad executionem, Ægidius *dub. 13. conclus. 2.*

Et quanquam dicantur amentes probandi esse triginta diebus, antequam celebrent, *in canone communiter dist. 33.* vt de recuperata valetudine constare queat Ecclesiæ, nihilominus dici potest cum Antonino *in 3. parte titulo 28. cap. 5.* Reginald. *lib. 30. cap. 4. nu. 39.* id totum Episcopi arbitrio relictum esse, qui pensatis circunstantiis loci, personæ, morbi, additisque medicis, asserentibus timendum amodo non esse, ne iteratò amens eodem morbo tentetur, suorum ei ordinum potestatem faciet.

Amentibus in hac pœna adiungendi sunt Lunatici (vt vocant) qui per temporum interualla non sunt sui compotes, item Arreptitii, hoc est qui in terram arrepti à dæmonibus deiici ac elidi solent, *distinct. 33. canone communiter 2. & 16. Concil. Arausicani 1.*

Tertio, Epileptici qui sæuiente vi morbi, ratione carent, quos irregulares esse dicitur *in canone maritum canone communiter dist. 33.*

Et quidem si ordinati non erunt, etsi integre à morbo sint liberati, initiari tamen prohibentur *canone 3. 4. & 5. dist. 23.* si erunt, celebrare quidem poterunt, sed cum his quatuor conditionibus.

Prima, vt non sit eorum morbus frequens, non crebro rediens, nam si sæpe, indidemque recurrat, etsi lucida interualla habeant permittendi tamen non erunt sacris mysteriis operam dare.

Secunda est vt eiusmodi morbus non sit violentus, cuiusmodi est, cum est caducus, vt loquuntur.

Tertia, vt operantibus, è sacerdotum turba vnus aliquis adsit ieiunus, qui supplere sit paratus, si quid forte de sacrificio propter morbum, omissum esset, quia sic obuiam itur incommodis quæ timentur Nauar. *cap.* A *27. Enchiridij.*

Quarta vt probetur morbi qualitas, frequens ne sit, & acerbus, an rarus, & lenis, nã si cum grassatur ac sæuit, aliquid ab ægro agi solet, quod sit maiestate sacrificii indignum, horroremque spectantibus iniiciat, vt sunt spumare, frendere dentibus, terram pugno quatere, spe excussa omni concessionis obtinendæ in posterum, à sacris erit remouendus altaribus, vt dicitur *in canone communiter canone Clerici dist. 33.*

Dico tertiò, *Neophytos hoc est recens à paganorum, aut Iudæorum erroribus conuersos ad Christi cultum, similiter irregulares esse*, ita Piasecius *in praxi Episcopali parte 1. cap. 1.* Nauar. *Enchiridii 27. num. 205.* tuetur se hæc assertio. B

Primo, auctoritate Apostoli 1. ad Timotheum 1. ibi enim ad Episcopatum admitti posse negat Neophytum *ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli.*

Idem conficitur Concilii Laodiceni testimonio *canone 3. non oportet Neophytum ad ordinem promoueri Sacerdotalem*, Arelatensis 2 *canone 1.* vbi Neophytum Patres ad Diaconatus vel Presbyterii officium assumi prohibent, *Ordinari ad Diaconatus & Sacerdotii officium Neophytum non oportere.* C

Tertio ratione, non expedit eum magistrum esse, qui se discipulum nunquam est professus, vt dicitur *in canone miserum 4. dist. 61.* & cum superiorem agere qui *nunquam est in vllo gradu obsequutus Sacerdoti*, talis est Neophytus ex Felino *in canonem eam te de rescriptis*, & proinde iuste Patres aditus ei omnes clausos esse voluere ad ordines, nisi post annos aliquot à suscepto baptismo, in fide, eiusque sincera professione exactos. D

Ob eam ego causam inter alias, statutum puto in Tolet. *Concil. 4. can. 63.* ne Iudæis, aut his qui recens ex eorum sunt superstitioso ritu transcripti in Ecclesiam, officia committantur publica, quia vt dicitur *17. qu. 4. can. constituit 31. sub hac occasione Christianis iniuriam faciunt*, cum enim eorum sit in fide dubia constantia, metuendum est cuique, ne pro innata sibi leuitate, ac perfidia, ad pristina gentis dogmata, turpi à Christianis transfugio, sacrilegi remigrent, quare ne sacra nostra contaminent, officia eis publica, hoc est ordines sacri negari debent, vt ait Maiolus *lib. 5. cap. 51. num. 14.* planumque est cuique colligere ex Zozimi verbis *can. si officia dist. 59.* Cælestini *ead. distinct. can. ordinatos sub finem*, Leon. I. *in epist. ad Episcop. African.* vt refertur *dist. 61. can. miramur*, cuius rei causæ reddi multæ possunt, est hæc non postrema, ne fallatur Ecclesia, cum se Clericum habere existimat, qui Christianus E

nõ est nisi nomine tenus, vnde Conc. Agath. *can.34. Iudæi*, inquit, *quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad leges Catholicas redire voluerint, octo mẽses intra Catechumenos, Ecclesiæ limen introeant*, inculcatur hoc ipsum, *de consecrat. distinct. 4. can. Iudæi, & can. plerique ex Iudæis ead. dist.* fuit tamen postmodum hoc octo mensium spatium, ad eos probandos constitutum: ad 40. contractum, testis *canon ne quod absit de consecrat. distinct. 4.* neque tamen Episcopis eamobrem concessum, praepropere eis vt è Iudaismo, Neophytos initiare sit in laude, sunt enim multi inobedientes, vaniloqui & seductores, maxime qui de circuncisione sunt ad Titum 1. quamobrẽ increpandi sunt *dure vt sani sint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis*, admouendi autem ad magistratus sacros Ecclesiæ, raro aut nunquam, ad Clericorum ordines lentè, ac post accurata longaque eorum in fide, moribusque nostris constantiæ exhibita documenta. *Merito enim Sanctorum Patrum venerabiles sanctiones, cum de Sacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos sacris administrationibus censuere, quorum omnis ætas, à puerilibus exordiis, vsque ad perfectiores annos, per Ecclesiasticæ disciplinæ stipendia cucurrisset, vt vnicuique testimonium prior vita præberet, nec posset de eius prouectione dubitari, cui pro laboribus multis, pro moribus castis, pro artibus strenuis, celsioris loci præmium deberetur*, Leo. I. *in epist. 85. aliter 87. ad Episcopos African. cap. 1.* Secus tamen vsu venire nonnunquam potest, nempe cum tanta est Neophyti eruditio, tanta & tam exaggerata eius virtus, vt futuræ in eo superbiæ, reditusque ad priora vitæ instituta, metus absit, quo de genere, cum essent Ambros. & Nicolaus ambo diui homines, aspirante è cœlo numine, Imperatore approbante, petente plebe, Episcopis, cleroque vniuerso suffragante, ad gubernacula sunt euecti Ecclesiæ.

Dico quartò, *Oriundos à Iudæis, aut infidelibus, si à primis infantiæ crepundiis, fuere ad Christianorum mysteria per Baptismum adlecti, à beneficiis, ac ordinibus sacris, iure communi remouẽdos non videri*, Couar. *prima parte in Clement. si furiosus parag. 7. num. 2. conclus. 6.* Nauar. *cap. 27. num. 205.*

Ratio est, quod ab Ecclesiæ gradibus, statuque Clericorum, non alii lege sint canonum exclusi, quam qui Hæretici aut Neophyti, ad neutros hi de quibus est sermo modo, pertinent, spectantque, nec enim Maranus, quod sciam, Neophytum sonat, cum potius à Mauris, maranos, quasi maurannos dictos esse, suspicari liceat, neque recens dici possunt in fidem insiti, qui à primis vitæ suæ annis, de Christi fuere ouibus, nec vt nobilitas à parentibus, ita religionis Christianæ

A professio, æstimatur ab auis, eorumque æuo aut meritis, quare Tornacensi Episcopo præcepisse Alexand. III. legitur *in decretali eam te 7. de rescriptis*, vt P. *qui de gente Iudæorum originem duxerat, & diuina gratia fidem Christi susceperat, in canonicum reciperet: pro eo enim quod Iudæus quis extiterit, ipsum dedignandum non videri.* Quia tamen in liberos parentes, ingenium moresque transfundunt suos, vel incogitantes ac incauti, sæpeque mali corui, malum sit ouum, ideo cæteris paribus, si aliorum sit copia, qui honores, onera-

B que Clericorum ambiant, hos illis sine controuersia anteferendos crederem.

Dixi *communi iure* nam habent particulares Ecclesiæ quod sequantur, in communi vitæ vsu, Toletanæ quidem Ecclesiæ statuere olim placuit, ne in ea, natus ex Iudæo, Saraceno, aut hæretico, beneficiarius esse posset Nauar. *consil. 7. de constitutionibus*, ad societatem autem nostram, simili notatus infamia natalium, admitti decreto Congregationis nequit.

Dico quintò *Etsi Nouitios ad sacros promo-*

C *ueri ordinis non posse*, Gregor. dixerit *dist. 48. can. sicut Neophytos*, non est id tamen moribus modo nostris, vsuque receptum, nam quid vetat initiari Nouitium? vitaque de moribus probatum referri in Sacerdotum numerum? Eligi potest in Episcopum, Bonifacio VIII. teste, cur non etiam in Diaconum? sunt hæc Pontificis istius verba *in cap. nullus 28. de elect. in 6. Ad dignitatem Episcopalem (ad quam nouitii eliguntur interdum) talem in sæcularibus ac regularibus Ecclesiis eligi minime prohibemus.*

Dico sextò, *Laicos recens ad Clerum coopta-*

D *tos, ad superiores ordines præproperè promoueri licitè non posse*, id est per saltum, aut non seruatis interstitiis, hæc enim duo constituit Ecclesia, vt eos lente festinare cogat, qui oneris Sacerdotalis ignari, ad illud conuolant, neque vires suas, cum eo librant, ac comparant.

Pro hac assertione est tota *dist. 61.* & fere duæ præcedentes. *Assuescat*, inquit Vrban. *can. si officia 2. dist. 59. in domini castris, in lectorum primitus gradu diuini rudimenta seruitij,*

E *nec illi vilescat, Exorcistã, Acolytum, Subdiaconum, & Diaconum per ordinem fieri, nec hoc saltu, sed statutis maiorum ordinatione temporibus, & dist. 48. can. sicut Neophytus. Ordinatè ad ordines ascendendum est, nam casum appetit, qui ad summi loci fastigia, postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum.*

Quarum constitutionum rationes hæreddi possunt prima, ne præproperè festinans ad ordines, incidat in superbiam, quasi eo indigeret Ecclesia, *dist. 48. can. Neophytus.*

Secunda, ne alios secum perdat, si excæ-

cæcuti

cum ducat. Tertio ne aliis Clericis qui diu Ecclesię seruierunt fiat iniuria *dist.6.can.quid proderit.*

QVÆSTIO X.

De illiteratis sentire quid sit necesse, & an dispensari cum illis possit ad ordines, & cui id sit permissum.

ASsertio prima, *Sunt illiterati*, id est qui Latine non intelligunt, irregulares, decreto Aurelianensis Concilii *canone 16.* in hæc verba: *Presbyter vel Diaconus sine literis nullatenus ordinetur*, quam in sententiam Patres Romani Concilii sub Hilario Papa anno 465. hæc commendata literis esse voluere, ne, (verba sunt Concilii) *inscii literarum, nec non & aliqua membrorum damna perpessi, ad sacros ordines aspirare audeant, quisquis talium consecrator extiterit, factum dissoluet*, id est exequtionem susceptorum impediet: huius rei exstant, & alia monimenta, quam plurima, impressa sacris canonibus, vt *canone illiteratos*, qui est Gelasii *distinctione 36. canone finali de ætate & qualitate, canone præcipimus distinctione 34* vbi nulla literatura tincti, iubentur in iis locis hærere, in quibus sunt constituti, omni spe illis adempta, superioris gradus obtinendi in Ecclesia, ac si sunt beneficiarii, cum animarum cura, decreto Concilii Tridentini *sess.21.cap. 6.* illis coadiutores sufficiendi erunt, donec ad munus suum exercendum facti fuerint idonei, *parte fructuum illis assignata, pro sufficienti victu*, Trident.ibid.

Assertio secunda, *Literarum inscitia*, vera est irregularitas, quidquid secus Henriq. asserat *lib. 10.c.16. nu.2. & lib.14.cap.8.num.11.*

Assertionis causæ multę, prima ab auctoritate, aut verius Pontificum voluntate ac decreto ducitur, à ratione altera, ordiamur à prima, Gelas. Papa *in can. illiteratos 1.dist.36.* eos corpore vitiatis adnumerat, pariéos loco cõstituit, quo qui suis sesecuere manibus, atq; sunt hi, & illi, extra regulam, canonemq; de suscipiendo ordine legitime, ergo, &c. *Illiteratos*, inquit ibi Pontifex, *aut aliqua parte imminutos, nullus præsumat ad Clericatus ordinem promouere. Ignorantia*, enim vt est in Concil. Tolet. 4. *can. 24. mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei euitanda est, qui docendi officium in populo Dei susceperunt.*

Hinc enim argumentari sic lubet, *Omne Sacerdotum opus in prædicatione diuina, & doctrina consistit, Clericorum autem, vt ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina, Concil. Tolet. can. 24. Sed literis carens, sa-*

A *cris non potest esse aptus officiis*, Gelas. Papa *epist. ad Episcop. per Lucaniam cap.18.* vt refertur *dist.36.can. illiteratos 1.* est ergo literarum ignorantia, irregularitas perfecta ac vera.

Confirm. *cap. vltimo de temporib. ordinat.* vetat Pontifex, ne prima tonsura illiterato detur, quod explicans Trident. *sess. 23.cap.4.* ait: tonsura non initiandos, nisi qui legere, & scribere norint, fideique rudimenta apprimè calleant, quare qui sine literis ac doctrina, ad ordines irrepserũt, etsi tractentur mitissime, promoueri tamen vlterius vetantur, vnde Gelas. *epist. 6.* itaque (inquit) de

B cætero modis omnibus hæc vitentur, nec quisquam talis suscipiatur in clerum, si qui verò vel temeritate propria, vel incuria possidentium, tales ante suscepti sunt, in his, in quibus constituti sunt locis, eatenus perseuerẽt, vt nihil vnquam promotionis accipiant, satisque habeant, hoc ipsum sibi pro nimia miseratione permissum, itaque eis tùm datur coadiutor decreto Concil. *sessione 21.cap.6.* dum se faciendo officio, explendoque suo muneri, reddunt idoneos.

C Iustissimis tamen de causis, cum nonnullis dispensat interdum Pontifex, nempe vt facilius per eorum potentiam, ab aduersariis tuta sit, securaque Ecclesia, est hæc tamen dispensatio indirecta ac impropria, vt notat Nauar. *cap. 27. num. 205.* scilicet in ætate, in defectu autem scientiæ, nequaquam, cum sit hic indispensabilis, non eo præcise nomine, quod characterem animæ imprimi, aut ordinem conferri impediat, vt tradit Glossa *in can. omnes dist.38.* sed quod eius executioni moram, ac impedimentum afferat.

D Assertio tertia, *Est scientia iure diuino, in Sacerdote ad ministerij sui functionem necessaria:* ita Maiolus *lib. 1.cap.3.num. 13.* quod molitur Gratian. conficere testimoniis, petitis ex variis scripturæ locis, potentissimus omnium, est his verbis: Osee 4. *versu 6. Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Equidem *est Sacerdotum opus, in prædicatione, diuina, & doctrina Conc. Tolet. 4. can. 24.* In id vero eos incumbere, præceptó diuino est necesse, Concil. attestante *sess. 24. cap.1. præcepto diuino mandatum esse omni-*

E *bus, quibus animarum cura commissa est, oues suas cognoscere, pro iis sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione pascere.*

Assertio quarta, *Pro diuersitate ordinum, diuersa quoque est in ordinatis, necessaria scientia.*

Ad tonsuram qui primus est gradus, viaque ad ordines, oportet rudimenta prima fidei nosse, Latine posse legere, & scribere: Tridentinum *sessione 23.cap. 4.* propositum con-

cepiſſe animo vitæ Clericalis, *cap. vltimo de temporib. ordinationum*, ac Sacramento Confirmationis eſſe inſtructum.

Minores conferendi non ſunt, niſi Latinę linguæ intelligentibus, & à Parocho teſtimonium habentibus, de ſchola & moribus, Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 11. Maiores autem dandi ſunt tantum, callentibus quæ ſunt neceſſaria ad functionem ſui miniſterii, Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 13. & quidem Presbyteros, quibus cura animarum incumbit, ea eſſe litteratura conuenit, quæ par ſit, tam Sacramentorum adminiſtrationi licitæ, quam informandæ plebi, docendæque fidei dogmata, Henriq. *lib.* 14. *cap.* 8. *in fine*.

Sunt enim eorum functiones præcipuæ duæ, prima in corpus Chriſti verum, altera in myſticum, & quanquam primam obire poſſint, ea ſola ſcientia inſtructi, quæ ad decentem adminiſtrationem Sacramenti Euchariſtiæ ſufficit, non tamen alteram, itaque Parochi ea eruditione florere debent, cum qua rudes myſteria fidei docere, dedocere vitia, eaque reprimere dicendo, virtutis autem ſtudium in animis audientium imprimere valeant, reliquos vero beneficiarios ſine cura, ea doctrina ſatis eſt excultos eſſe, cum qua ſuo officio ac munere defungi poſſint, quod eſt in eo, vt beneficium adminiſtrare ſuum, ac regere, ſacroſancto Miſſæ ſacrificio operam dare, horas legere queant, vt eſt neceſſe.

De Epiſcopis, hoc tantum habeo dicere, quo eſt eorum perſona ac dignitas illuſtrior in Eccleſia, hoc eos eruditione maiori eſſe oportere quam reliquos, ſciant igitur (inquit Concilium Toletanum quartum) *canone* 24. *ſcriptores ſacros, & canones, cum omne opus eorum, in prædicatione & doctrina conſiſtat, atque ædificent cunctos tam fidei ſcientia, quam operum doctrina*. Hæc ibi Patres.

Qui de ea loquuti ſunt planius, hæc ſcripſere, primo requiri in Epiſcopo rerum gerendarum prudentiam.

Secundo, eos ſecularium negotiorum habere oportere ſolertiam, vt eorum cautelâ, & Eccleſiæ ſeruentur indemnes, & cuique neceſſaria pro ſuo modo miniſtrētur, aiuntque à B. Gregor. repulſum eſſe Epiſcopatu quendam, quod plus æquo ſimplex eſſet.

Addunt tertio, ſeculares eos literas debere callere, exemplo Danielis & Moſis, qui omni Hebræorum, & Chaldæorum ſcientia eruditi erant.

Quarto ſacras *diſt.* 38. *can. ignorantia, can. nulli Sacerdotum*.

De Diaconis & Subdiaconis dici hoc vniuerſe poteſt, literis eos, iiſque quæ ad exercendum ordinem pertinent oportere inſtru-

A ctos eſſe Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 13. quare non videtur neceſſe, vt quę ſit materia, formaque ordinum, quos accipiunt, aliaque his ſimilia, vt naturam characteris ac tempus, quo imprimitur animæ, intelligant.

Veniamus ad quæſtionem alteram nempe an ita illiterato ad ſacros ordines, præcludatur aditus, vt ei recludi nequeat, & ſi patere poteſt, per quem, & cuius beneficio?

Antequam ei ſatisfiat. Notare placet, qui Latine ſcit quidem legere, aut ſcribere, non tamen intelligere, abſolute illiteratum eſſe, B ſecundum Rebuffum *tract. de pacificis poſſeſſoribus numero* 214. etſi alii contendant ſignificari hoc nomine illiterati, eum tantum, qui nunquam audiuit grammaticam, hoc argumento inducti, quod *cap. finali de ætate & qualitate ordinandorum*, ſcriptum videant, ideo depoſitum quendam fuiſſe tanquam illiteratum, quod nunquam, (verba ſunt canonis) *de grammatica didiciſſet, nec Donatum legiſſet*, nihilominus non eſt id illiteraturæ, certum & efficax argumentum, cum vſu ac eruditorum conſuetudine, diſci poſſit lin- C gua Latina, & intelligi, hoc poſito ſit.

Aſſertio quinta, *Cum penitus illiterato diſpenſare nemo poteſt directe, vt inter ordinatos locum habeat*.

Ad hanc mihi opinionem præeunt Coraſius *de beneficiis parte* 3. *cap.* 5. Maiolus *lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 13. Bernardus Dias *in practica criminali cap.* 18. & probatur.

Contra ius eſt naturæ, & diuinum, aliquem ad id, quod facere nequit, aſſumere, at in iure naturæ, & diuino, directe diſpenſare D Papa non poteſt, non facit tamen defectus hic ſcientiæ, eum, in quo eſt, incapacem characteris, ſed tantum exequutionis ſuſcepti ordinis, ad quam eſt iure diuino, maxime autem reſpectu Sacerdotalis ordinis, ſcientia aliqualis neceſſaria.

Aſſertio ſexta, *Indirecte tamen & obliquè diſpenſat Pontifex in hoc defectu*, non quidem reſpectu ordinis, ſed beneficii, nam pueris adhuc lactentibus, ſæpe Epiſcopatus, ſæpius Abbatias, & alia beneficia attribuit, quos ea ætate, muneri ſuo æquales eſſe quis credat? aut eruditionem habere ad bonum plebis ſi- E bi commiſſæ idoneum? ergo indirecte diſpenſando cum illis, quando in ætate diſpenſat Pontifex, in ſcientia diſpenſare quis non videt?

QVÆSTIO

QVÆSTIO XI.

De sexu, & an ab eo nascatur Irregularitas.

ASsertio prima. *Fœmina & hermaphroditus, magis in fœminam quam virum declinans, iure diuino, & naturali sunt irregulares.*

Primo, quia nunquam ab instituta Ecclesia visum, ei vt præesset fœmina.

Secundo, quia id ei per canones non est permissum & hæc causa Innocentio III. extitit *in decretali noua* 10. *de pœnitentiis & remissionibus*, reprehendēdi Abbatissas aliquas, quod quæ ad sacros ordiñes pertinent, hæc sibi intolerabili arrogantia vsurparent, cum id ne Beatæ quidem Virgini concessum fuerit, de quo consulendus Epiphanius *heresi contra Antidicomarianitas*, Canisius *lib*.5 *cap*. 16. Baronius *tom*. 10. *Annalium ad annum* 853. Leo nonus *epist*.1. *cap*. 23. vbi Archiep. Constantinop. & Græcos arguit, quod fœminam euexissent ad Ecclesiæ Constantinopolitanæ gubernacula, sibi vt ius publice ausu non ferendo diceret. Henriq. *lib*.1 *cap*.21 *num*.2. Huc pertinet quod *distinctione* 23. *canone sacratas*, prohibetur sanctimonialibus, ne sacra vasa, aut vestes tangant, incensum circa altare deferant, quem abusum, Papa Soterius Christianæ demissionis pestem vocat *Concilium Cabilonense sub Ludouico pio exitium & perniciem ordinis Ecclesiastici*, & quam Patres in Concilio Parisiensi primo, exterminandam omnimodo à Gallicana Ecclesia asserunt.

Assertio secunda, *Sic est fœmina irregularis, vt ne quidem apta sit ordinari*: ita Diuus Tho. *in supplemento q*.39. *art*.1. Sotus *in* 4. *dist*.25. *q*. 1. *art*.2. *conclus*.1.

Ratio est, quod in muliere desit significatio, in qua fundatus est ordo, vnde sic argumentamur, Sacramentum est signum, ergo qui eius, ac significationis à Deo inditæ est incapax, erit quoque Sacramenti, sed mulier, non est eiusmodi in quam cadere propria ordinum significatio valeat, eminentia scilicet gradus super alios, cum enim viro subsit, Genesis 3. cumque agnoscere debeat vt caput, 1. *ad Corinth*. 11. in cuius rei signum velamen supra caput ferre debet, nec tonderi, vir autem ex Paulo, vtrumque faciat, iure diuino mulier est ordinum incapax, per quos Clerici, in statu regiminis, & prælationis collocantur.

Quod autem Sacramenti non sit capax, qui nec significationis, res ipsa loquitur, nec enim cuius membra ablui, cuius tingi aquis,

A ac lauari corpus nequit, vt pueri adhuc in materno latentis vtero, is nec spiritualis ablutionis, nec Baptismi est capax Diu. Tho. teste 3. *parte q*.68. *art*. 11. similiter nec qui curari potest, suæque, id est pristinæ reddi valetudini, nec spiritualem, per Extremæ vnctionis Sacramentum sperare ei est concessum, Diu. Thom. *in supplem. q*. 32. *art*. 1. vera est ergo argumenti allati maior propositio.

Verum item fœminas irregulares esse, nec enim in infirmitate rationis ac iudicii B qua laborant, personam sustinere possunt tam grauem, ac illustrem, quanta est initiatorum in Dei Ecclesia, quorum officia gerere, aut iis esse pares si nequeunt, quis illas, ad hæc à Deo destinatas credat ad quæ obeunda, idonea sunt illis à natura negata præsidia?

De Hermaphroditis fuit altera quæstio, quos ab ordinibus hoc præcipuè nomine reiici constat, quod sint monstra, characterem tamen reciperent, si magis in virum incalescerent quam fœminam, quemadmodum & C ista, si erumpente natura, mutaretur in virum, neutri tamen recepti cum charactere ordinis vsus, liber esset, sed in perpetuum suspensus, Sotus *in* 4. *dist*.1. *q*. 5. *art*. 8. Maiolus *lib*.1. *cap*.27. *num*. 5.

QVÆSTIO XII.

De Irregularitate ex bigamia.

D EST bigamia in iure, communiter triplex vera, interpretatiua, metaphorica. Sylu. *verbo bigamia num*.3. Bellarm. *lib*.1. *de Clericis cap*.24. *obiect*.7. Nauar. *cap*. 27. *num*.195. Vera, oritur ex duobus veris, & consummatis matrimoniis, vt dicitur *in cap. cum decorem de Clerico coniugato canone cum maritum dist*.33.

Metaphorica nascitur ex duplici coniugio, quorum alterum est metaphoricum, illegitimum alterum V. C. cum Christo metaphorice quis contrahit per vota solennia, aut receptione ordinis maioris, hic ergo si nihilo- E minus cum aliqua fœmina contrahat, bigamus fit per similitudinem 37. *q*.1. *canone quotquot* 24.

Interpretatiua est, quæ vere, & ex natura rei non est bigamia sed ex iuris fictione, interpretantis aliquem habuisse duas vxores, quod accidit primo, contrahendo cum vna, valide, illegitime autem, & inualide cum alia, nempe quia prior fœmina viuebat, aut aliud tale impedimentum intercedebat, ratione cuius matrimonium secundum

ſecundum nullum erat, vt ſunt affinitas, conſanguinitas, & cætera eiuſmodi.

Quam ad rem neceſſaria eſt conſummatio vtriuſque, hoc eſt carnalis copula cum vtraque, facit enim matrimonii faciendi intentio cum ambabus fœminis, ſubſequuta copula, vt ius interpretatiue duas illas deſignatas animo coniunctiones: pro duplici matrimonio habeat, etſi proprie non ſit niſi vnum, & ad coniunctos hoc modo, digamorum pœnas extendit Pōtifex *in cap. nuper de bigamis*, vt referunt Ægid. Henriq. & Auila.

Accidit ſecundo interpretatiua Bigamia, cum ducitur corrupta, aut vidua, quæ à priore marito eſt cognita, hac enim coniunctione incurri irregularitatem, habent hi canones *can.* 13. *&* 15. *diſt.* 34. *& decimus quartus diſt.* 32. *can. præcipimus diſt.* 34. *nonus Aurelianenſis Concil. tertii*, Gerundenſis octauus.

Tertio, contingit interpretatiua bigamia, quando quis Virginem, primum ſibi in coniugem aſſumpſit, ſed quam cognouit poſt adulterium ab ea admiſſum, ſiue ſciens, ſiue ignorans, ſiue ſponte, ſiue coactus, *ſi cuius vxor*, inquit *canon.* 11. *diſt.* 34. *adulterium commiſiſſe, cum eſſet adhuc laicus, fuerit probatum, hic nullo modo ad miniſterium Eccleſiaſticum admitti poteſt.* Quo de impedimento conſulendi ſunt Coraſius *parte* 3. *de beneficiis cap.* 3. Couarruuias *in Clementinam ſi furioſus* 1. *parte parag.* 2. Rebuffus *in concordata & tractatu de nominationibus*, cauſa autem cur contrahatur, in hoc caſu irregularitas eſt defectus Sacramenti: coniunctio enim viri cum fœmina, poſtquam adulterauit, non habet perfectam ſimilitudinem Chriſti cum Eccleſia. His præmiſſis, ſit

Aſſertio prima, *Qui aliquo de his tribus modis bigamus eſt, idem quoque eſt irregularis*, huius rei fidem facit *primo canon. Apoſtolicus* 17. præſcriptus, his verbis: *Si quis poſt baptiſma fuerit ſecundis nuptiis copulatus, non poteſt eſſe Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus*, quod Leo I. confirmat his verbis Conciliorum *tomo* 2. *hos ergo, id eſt viduarum maritos, quicunque tales ſunt admiſſi, ab Eccleſiaſticis officiis & à Sacerdotali nomine Apoſtolicæ ſedis auctoritate iubemus arctari*, ergo ducens viduam eſt irregularis.

Equidem in lege veteri Leuit. 21. *verſ.* 24. Ezech. 44. *verſu* 22. Sacerdos viduam & repudiatam prohibetur accipere, & in Epaunenſi Concil. *can.* 1. *vetatur, ne renupta maritus Presbyter aut Diaconus ordinetur.* Mitto teſtimonia alia pleraque, ad rem præſentem facientia, vt Concilii Aurelianenſis *canon. nonum; ſecundum & tertium diſt.* 26. Gerundenſis Concil. octauum Carthag. 4. 69. Arelat. tertii ſub Leone I. ſecundū Romani, ſub Hi-

A lario Papa, item ſecundū Hiſpalenſis ſub Honorio Papa, & Siſebuto Rege: quartum; Propoſitionem noſtram ſtabiliat aperta ratio: Eſt, matrimonium inſtitutum in Eccleſia, vt eius cum Chriſto nexum, ac coniūctionē omnino diuinam ac mirabilē repræſentet. At hæc duobus exprimi coniugiis qui poteſt? vt quæ vnionem duplicem, non vnam ſignificent, merito ergo bigamos ab ordine deturbat Eccleſia, eoſque propter indecentiam ſtatu Clericali in quo ſunt Sacramentorum miniſtri, priuat, cum tamen in eo quod duarum ſint coniugum viri, ab eorum

B auctore abeant, qui præter Eccleſiam, ſponſam non habuit.

Secundo eſt bigamia, ſignum incontinentiæ, *can. propoſuiſti* 2. *diſt.* 82. quæ auctoritatem in Clericis, ad amorem viduitatis & continentiæ neceſſariam, in animis fidelium imprimendū, nimium quantum imminuit, quare qui poſt acceptos ordines, redit ad coniugium, iubetur in eo conſiſtere, nec ad ſuperiores gradus aſcendere *canon.* 24. *Arauſicani Concilij primi, ſub Theodoſio & Valentiniano Imperatoribus & canone* 9. *Tarraconenſis*

C *primi*, eadem pœna mulctantur bigami.

Ad eam rem tamen, duo ſunt neceſſaria, primum matrimonii conſummatio cum vtraque, alioqui non fiet carnis diuiſio, nec pertinebit ad illud cōiugium deſignandum, quod inter Chriſtum & Eccleſiā, per carnis myſterium eſt cōtractum. Secundo requiritur vt matrimoniorum alterum, ſit verum & validū, quia vt coniunctiones irritæ ac inanes, matrimonia nec eſſe, nec dici queūt, ita nec imagines, ſymbolaque vnionis Chriſti, cum Eccleſia, & tamen non alia coniugia,

D quam quæ vera, mulctantur hac pœna inhabilitatis ad ordines, vt conſtat ex *canone* 25. *citati Concilij.*

Pari autem cum bigamis pœna puniuntur, qui eos ſacro ordine inſigniunt, hos enim Concil. Aurelan. tertium *can.* 10. vnius anni ſpatio, ab omni officio Sacerdotis, ſuſpenſos eſſe voluit, illicite autem promotos, à poteſtate & vſu ſuorum ordinum, quæ ſuſpenſio vocatur à Concilio regradatio. *Nouerit veſtra dilectio*, inquit Innoc. I. *epiſt.* 22. *ad Epiſcop. Macedoniæ cap.* 1. *nec ad vltimum Eccle-*

E *ſiaſtici ordinis locum, tales aſſumere, & ſi reperti fuerint, ſubmouere*, & Concil. Carthag. 4. *can.* 69. *ſimili ſententia* ſuſpenſionis ſcilicet ab officio ordinandi, *ſubiacebit Epiſcopus, ſi ſciens ordinauerit Clericum, eum qui viduam, aut repudiatam vxorem habuit, aut ſecundam.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XIII.

A quo tolli poßit Irregularitas quæ prouenit ex bigamia.

ASsertio prima, *Præter Papam nullus in vera bigamia dispensare potest circa sacros ordines, potest tamen Episcopus in similitudinaria*, ita Henriquez *lib.2. de Sacramentis cap.6. de irregularitate lib.14.cap.20.* Sayrus *lib.6.ca.6.num.21.*

Pars prima assertionis nititur hoc argumento.

Quod canon non exstet quo id reperiatur concessum Episcopis, ergo cum iuri canonico, & Ecclesiastico subsint, quo prohibentur bigami ordinari, *cap.1.de bigamis in 6.cap.nuper, cap.vltimo extra eod.tit.* & Innoc. III. *epist.* 22. dispensare non poterunt cum illis Episcopi.

Pars altera vim habet ab hac ratione, quod Papę tacita concessio, idē operetur quod expressa, at tacita id Episcopis annuit, ne Monachi ad petendam dispensationem irregularitatis à se contractæ cogantur Monasteriis egredi, Clerici autem cum periculo incontinentiæ, scandaloque infirmorum, diuagari quolibet.

An autem priuilegiati vti ad id Episcoporum opera possint, perinde ac alii, quos hi suæ potestati obnoxios habent, quæstio est iuris incerti, ac inter auctores ambigui, de qua, vt hic minus vtili, alius dicendi futurus est locus.

Assertio secunda, *Dispensat Papa in omni bigamia.*

Causa est, quod hæc solo Apostolorum iure, proindeque humano sit inducta, at Papa, iuri humano præest, & eandem cum Apostolis auctoritatem habet, etsi diuerso modo sibi collatam.

Scio à Lucio III. *in cap. super eo de digamis*, scriptum esse, in digamis contra Apostolum dispensare fas non esse, quod repetitur *in ca. sequenti, & cap. vlt eod. tit.*

Sed respondend. id hunc sensum habere, quod non nisi raro, & cum causa fieri id debeat, sane dispensari cum iis posse, scribit Diu. Thom. *in supplem.q.66.art.5.* factumque ipsum Lucii indicat, quem cum Archiepisc. Panormitano dispensasse scribit Maiolus *lib.1.ca.33.n.14.& 15.* quod ipsum hæc quoq; ratio indicat, par in parem non habet potestatem. per Apostolos ergo, ne in his impedimentis Ecclesiasticis dispensare valeret, obligari Papam non decuit.

Addi ad supradicta, maioris intelligentiæ

A causa hæc possunt.

Primo sensisse S. Thom. *in 4. dist.27.q.3.ar.3.* & Syluest. *verbo bigamia*, Episcopum cum quocunque bigamo dispensare posse ad ordines suscipiendos, quam sententiam seruari posse vbi est vsu recepta, dixit Suarez *disp.49.sect.5 num.4.*

Secundo Episcopum cum quocunque bigamo dispensare posse, vt in minoribus ante bigamiam susceptis, ministret.

Tertio, ei tamen permissum non esse, Ecclesiasticum beneficium bigamo conferre, B cui ordinum minorum ministerium sit annexum. Trident. *sess.23.cap.17. de reformat. Quod si ministeriis quatuor minorum Ordinum exercendis Clerici cœlibes præsto non erunt, sufficipoßint etiam coniugati, dummodo non bigami ad ea munia obeunda.*

CIRCA dicta quæritur primo, *Quid sit causæ, quamobrem dici hæc irregularitas soleat, ex defectu Sacramenti*, hoc enim modo & nomine appellatur *in can. acutius 2. dist. 26. & cap. debitum de bigamis. Propter sanctitatem autem Sacramenti*, (inquit Aug. *in epist. ad Titum*, C relatus à Grat. *in can. acutius*) *sicut fœmina, si catechumena vitiata est, non potest post baptismum inter Dei virgines consecrari, ita non absurdum est bigamum, non peccasse, sed normam Sacramenti amisisse, non ad vitæ meritum, sed ad Ecclesiasticæ ordinationis signaculum necessariam.*

Respondend. huic nomenclaturæ originem esse à defectu, impotentiaque ad significandum Christi cum Ecclesia coniugium, per assumptionem carnis, nam vt ait Diu. D Thom. *in supplemento q.66. art.1.* cum Sacramentorum auctor sit Christus, & eius loco minister ea tradat, non potest à Bigamo plene ac perfecte is referri, qui vnus vni Ecclesiæ sponsum se dedit.

Perfecte dixi, manca enim certo modo, deficiensque mysterii huius significatio cernitur in matrimonio iterato, aut cum vidua, cum Christus Ecclesiam sibi vnicam iunxerit, nec ab alio assumptam, consulendus August. *lib. de bono coniugali cap.* 18. Vtcunque sit de causa, de re ambigere nefas, cum Paulus 1. *ad Timoth.* 3. *& ad Titum* 1. Episco- E pum & Diaconum fieri quenquam vetet, qui sit digamus quod eius præceptum infinitis postmodum est ab Ecclesia stabilitum canonibus ac decretis *dist.26.27.33. & 34 & toto titulo de digamis non ordinand.* vide Henriqu. *lib.12.cap.6.num.9.* Sylu. *verbo bigamia.*

Quæritur secundo, *An Bigamo qui verè est talis, permittere Papa poßit, vt ad ordines sacros aspiret.*

Omnino, etsi enim id facile omnibus indulgeri non debeat, quod vt est in decretali

Lucii tertii, secunda de bigamis, id sit *contra Apostolum*, id est vt habet Cœlest. III. *in decretali sequenti, à doctrina sit Apostoli, & institutionibus Ecclesiæ alienum*, cum eo tamen hominum genere dispensari posse, certum est Magistrorum dogma, D. Thom. *in supplem. q.66. art. 5.* Maioli *lib.1. cap.33 num.14. & 15.* firmatum facto Lucii III. quem Maiolus loco proxime citato, ait dispensasse cum Panormit. Archiep.

Quid? quod Paulus, cæterique Apostoli, Papæ, cũ par eius sit, & æqualis in Ecclesiam auctoritas, ne id tentaret, vetare nequiuerint: cum prædecessoris sui legibus, successor à præstando officio, deterreri nec possit, nec debeat.

Tertio quæritur, *An habendus sit pro Bigamo, qui quam corrupit ante matrimonium, ei legitimè, ritùque Ecclesiæ, postmodum coniungitur.*

Respondend. non habendum, quia irregularitas oritur ex pluribus matrimoniis, bene aut male contractis, aut si ab vno, quod tamen sit tale, vt fœmina ab alio, aut aliis viris, quam qui maritus est proprius, ante cognita fuerit, quod hic vt apparet locum non habet, cum hæc seipsam non prostituerit alteri, quam cui nupsit.

Quarto quæritur, *Quis possit dispensare cum Religiosis, professis aut Clericis sacro aliquo ordine initiatis, in bigamia eorum similitudinaria.*

Qui Deo se per votum obligat, metaphorice, hoc est impropriè, ac non nisi quadam similitudine, cum eo contrahit, vt est in Concil. Tribur. & *epist.2.* Innoc. ad Victricium *cap.13.* virginibus quæ nupserint agendam esse pœnitentiam, *quia earum sponsio à Domino tenebatur si enim inter homines, solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solui sine vindicta non debet? 27. q.1. can. hæ vero nono*, si hic ergo nihilominus cum fœmina de facto contrahat, bigamus per similitudinem dicitur vt ait Bellarm. *lib.1. de Clericis cap.24 obiect.7.* & Doctores *ex cap. vlt. de bigamis, & can.18. Ancyranæ Synodi, vt refertur 27.q.1. can. quotquot 24.* De his ergo qui *virginitatem pollicitam præuaricati, professione contempta, inter bigamos, hoc est qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debent, can. quotquot proxime citato*, de his inquam quæritur, à quibus, irregularitatis à se contractæ, dispensationem quærere debeant.

Dico primò, *Clericos qui in sacris ordinibus constituti, sociauere sibi virginem in fœminam, cum qua consummauere matrimonium, ab Episcopo suo restitui posse officio, & cum iis dispensari, in irregularitate contracta per incestas has nuptias, maxime, si pœnitentia, lachrymisque culpam suam eluerint*, Alexand. III. *in cap. sane Sacerdotes quarto tit. de Clericis coniugatis.* indicant hæc verba. *Post longam pœnitentiam, & vitam laudabilem continentes, officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi, eius executionem habere*, nec modo in suscepto ministrare ordine, sed ad superiorem quoque Episcopi concessione, ac indulgentia, euadere posse dixit idem Alexand. *in decret. 1. qui Clerici vel vouentes*: consultus enim à Rhemensi Archiep. quid Diacono fieri oporteret, qui vxorem acceperat, respondit *quod si contrito & humiliato corde, ad Ecclesiam redire voluerit, dimissa illa, quam accepit in vxorem, & absolutione obtenta, iniuncta sibi pœnitentia, de vtroque excessu, post eam peractam pœnitentiam, posse ei Diaconatus officium reddi, & si perfectæ vitæ & conuersationis fuerit, Presbyterum ordinari.*

Dico secundò, *Etsi Prælatis interdicta sit dispensatio cũ subditis in bigamia vera, & interpretatiua, quæ accidit quando contrahitur cum duabus virginibus, aut cum vidua, est tamen in similitudinaria, eisdẽ, cũ ordini exempto præsunt, dispẽsatio permissa*, Lay. *li.1. tract.5. par.5. ca 6. sub finem*, Ludouic. Portelius *in dubiis verbo dispensare, num.4.* Rodriq. *to.1. q.24. art.20.*

Est assertionis huius probatio, petenda ex Compend. Societ. IESV, *verbo dispensare, parag.5. & 6.* ibi enim habetur dictæ Societatis Generalem præpositum, cum subditis in bigamia dispensare, ex concessione Sixti IV. facta Carthusiensib. & in Compendio Diu. Hieron. *verbo Ordines sacri parag.6.* Prælatis eius ordinis cõceditur, vt cum bigamo, qui in eo loco est ignotus, dispẽsare valeant, vt ad sacros admittatur ordines.

Quinto quæritur, *An pro irregulari haberi debeat, qui meretricem in fœminam sibi deligit.*

Ita sentiendum, infamis enim est meretrix, ideoque Clericali indigna coniugio, vnde fere tales personæ, comœdiarum actricibus, annumerari sunt solitæ, vt habetur in canone maritum *dist. 33. & in can. 17. Aposto. Qui viduam accepit, vel eiectam, vel meretricem, vel seruam, vel mimam seu scenicam, non potest esse Presbyter, vel Episcopus, vel Diaconus, vel omnino de numero Sacerdotali.*

Quid si cum ea contractum matrimonium sit nullum?

Ex eo irregularitatem non nasci, scripsit Nauar. *Enchir, 27. num. 195.* atque ita à sacra pœnitentiaria responsum esse.

Res est meo iudicio distinctione explicanda, vel enim viduam, aut corruptam, vir affectu sibi maritali copulat, vel absque eo,

vult sibi esse coniugem si primum erit irregularis, si secundum nequaquam.

Sexto quæritur, *An qui interpretatiue tantum est digamus, verè sit, reque ipsa digamus.*

Nequaquam, nam non est ibi bigamia vbi geminum nō fuit connubium, de iure, aut de facto, at hic non est nisi vnicum.

Maior probatur, duo sunt in coniugio, animorum consensio, & corporum commixtio, vt dicitur *in cap. debitum de digamis*, itaut si desit alterum, non censeatur matrimonium in ordine ad irregularitatem, at hic consensus defuit, nec enim qui corruptam ab alio, sibi voluit esse fœminam, aut qui suam vxorem cognouit, post admissum ab ea adulterium, qui duo sunt modi quibus fit quis interpretatiue bigamus, cum duabus contrahere, iungique voluit, ergo, &c.

Confirmatur, si qui cum corrupta matrimonii societatem coit, digamus est, digama quoque erit meretrix, digamus item, qui ab alio sibi copulatam nec tamen cognitam ducit, at est id *contra cap. de digamis*, vbi id expresse negatur.

Est tamen irregularis, hoc modo contrahens quia *in can. meretricem dist. 33.* dicitur, eum non ordinandum in Clericum, qui concubinam, vel meretricem in matrimonium assumpserit, ex quo colligit Glossa, eum qui Virginem concubinam habuit, licet postea eam in vxorem sumat, promoueri tamen non posse, & *dist. 34. can. curandum* disertè habetur, ad sacros ei ordines aspirandum non esse, qui vxorem duxit non virginem, quod iteratur *canone præcipimus ibid. & cap. 2. de Clericis coniugatis & eod. titulo in 6. cap. vnico & can. seriatim dist. 32.*

Sed enim, secus Doctorum fere omnium turba sentit.

Omnino, sed dicendū est, voluisse eos tantum haberi tales, ratione pœnæ non facti, quia æque sunt irregulares ac digami, aut vero de ea sunt intelligendi fœmina, quæ affectu maritali sit corrupta, Couar. *in Clement. si furiosus 1. parte parag. 2. num. 2. versu nec refert quod ad irregularitatem.*

Vnde habent ergo vt sint irregulares si non ex bigamia?

Ex infamia, infamis enim est meretrix, aut concubina, ideoque Clericali coniugio indigna, vnde fere tales personæ annumerantur mimis, ancillis, &c. *vt quæst. 5.* est dictum.

Septimo quæritur, *Vnde habent qui metaphoricè tantùm sunt bigami, vt dicantur tales.*

Respondend. à pœnæ, culpæque similitudine, indicat id *canon quotquot 27. q. 1.* vbi inter digamos habenda dicitur, *quæ virginitatem pollicita, præuaricata est, professione contempta*, at par est in viris castitatem professis ratio, aut in Laico qui cum in moniali professa contraxit vt censent, Fœlicianus *cap. 6.* Nauar. *cap. 27. num. 195.* Sylu. *verbo bigamia num. 1. in fine.*

Pœnæ autem similitudo patet *ex can. Monacho 27. q. 1.* vbi dicitur, *vt Monachus qui vxori sociatus fuerit, tantæ præuaricationis reus, nunquam Ecclesiastici gradus sortiatur officium, & can. si quis sacro, ib.* iubentur hi ab Ecclesiis cœnobiisque eiici, ac in ergastula detrudi, qui eum religioso sint, ac sacro votorū nexu obstricti, capi se tamen, ac implicari fœminæ amoribus, in incœsto coniugio sinunt. Iustinianus autem *C. si quis rapuerit*, vult eiusmodi raptores, & incœstos corruptores, etiam laicos, bonis priuari, & capitali supplicio affici, additur etiam excommunicatio ibid. *ca. virginem, cap. autē si qua virgo, & cap. sane de Clericis coniugatis*, permittitur Episcopo, vt cum huiusmodi, post longam pœnitentiam dispensare possit.

QVÆSTIO XIV.

De Irregularitate quæ oritur ex defectu Natalium.

PRima assertio, *Vt à beneficiis, prælaturis, & dignitatibus, ita & ab ordinibus, iure communi repudiandi sunt omnes illegitimi.* Nauarrus *cap. 27 num. 294.* Piasecius *in praxi Episcoporum, parte 1. art. 4. de conferendis ordinibus num. 8.* Rebuff. *in prima parte tract. de dispensatione super defectu natalium.*

Nituntur hi omnes voluntate Pontificum & Conciliorum decretis, quæ referuntur *in cap. consuluit, de seruis non ordinandis in rubrica de filijs Presbyterorum, & cap. 1. eiusdem tituli in 6.* vbi illegitimi ex dispensatione quidem Episcopi, ad minores ordines promoueri, ac beneficio simplici ab eo donari posse dicuntur, quod & Less. confirmat cū *lib. 2. de iustitia tr. de impedimētis ad beneficia*, eos ait ad sacros aspirare ordines non posse, nisi probante Papa. Sunt ergo irregulares, tam nothi, quam spurii, & naturales. Quod ab Ecclesia iustissime est factum, primo, in odium paterni criminis, quod hæc detestatur in filiis, in quos exemplum statuere Deo sæpe visum, *paterno enim debent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hæreditarij criminis exempla metuuntur 6. q. 1. can. si quis 22.*

Et hæc est causa altera, ob quā à Sacerdotio remouentur illegitimi, nempe propter incōtinentiæ periculum ex imitatione paterna.

Tertia est propter ordinis dignitatem, vt

autem in huius explicatione quæstionis ordine procedatur, notare libet. Illegitimorum alios esse specie, & opinione hominum tales, alios reipsa, de primis.

Dico primò, *Qui specie tantum sunt illegitimi, non esse irregulares*: Antequam probetur, iuuat aduertere modos esse octo quibus quis est illegitimus, specie tantum tenus.

Primus est eorũ, qui ante matrimoniũ parentum suorum sunt geniti, tales enim post cõtractum deinde matrimonium, legitimos esse habendos dixit Alex III. *in cap. tanta & cap. conquestus* 10. *qui filii sint legitimi*, nam si sunt geniti à solutis, id est aptis inter se contrahere, dum rei venereæ operam dabant, hoc ipso, quod eorum pater, & mater, legitimam matrimonii societatem inter se postea coeunt, censentur legitimi *canone tanta canone conquestus* 10. *titulo qui filii sint legitimi.*

Causa est, quod matrimonium subsequens, in fauorem susceptæ prolis, benignitate iuris, quasi retrotrahitur ad tempus, quo hæc est concepta à matre, secundum Syluest. *verbo illegitimus qu.* 10. Piasecium *in praxi parte prima titulo de conferendis ordinibus ar.* 4. *n.* 11.

Dixi *si apti erant contrahere tempore copulæ habitæ*, nam si tunc impedimento tenebantur aliquo, etiam ignorato, ratione cuius, vir & mulier, sociari simul veris nuptiis non poterant, ex iis nata tunc soboles, per subsequens matrimonium, legitimari non poterit, *ex cap. tanta de filiis Presbyterorum* quod referunt Syluester *verbo legitimus*, & Angelus *verbo legitimatio num.* 7.

Probatur, quod ab initio non valuit, non corroboratur tractu temporis, nisi beneficio rei alicuius, quæ ad eum effectum vim habeat, at filii ex illicita copula nati, sunt illegitimi, nec eos canones habent pro legitimis, nisi cum à solutis, & aptis ad contrahendum tempore copulæ, sunt suscepti.

Secundo legitimi habentur filii, qui ex matrimonio quidem sunt suscepti, inani illo quidem ac nullo, sed quod ex ignorantia inuincibili, putabatur iustum, *capite cum inter cap. ex tenore qui filii sunt legitimi.*

Idem censendum de habitis in matrimonio, quod postea canonice est dissolutum, si ante diuortium fuerunt geniti, *cap. cum inter qui filii sint legitimi*, & filii geniti ex alterutrius matrimonio secundo suscepti: sunt item legitimi *cap. perlatum est ibid.*

Tertio, sunt liberi legitimi, cum suscipiuntur ex matrimonio illicito, quia nempe prima viri vxor adhuc viuebat, sed quæ tamen credebatur mortua, nam tunc in gratiam vxoris secundæ, liberi ab ea suscepti, in isto matrimonio sunt legitimi *cap. ex tenore qui fi-*

A *lii sunt legitimi.*

Quarto, natus ex matrimonio prohibito, sed quod postea fuit per dispensationẽ licitũ, talis (inquam) post natiuitatem, censetur legitimus, quia dum Pontifex matrimonium eiusmodi ratum habet per dispensationem, illud ita approbat, ac si initio absque impedimento contractum esset.

Quinto, filii eorum quorum matrimonium legitime celebratum fuit, & totius vitæ quieto conuictu roboratum, legitimi sunt censendi *cap. peruenit qui filii, &c.* & quidem

B licet matrimonium esset nullum, vt ait Couar. *tit.* 2. *parte epitom. quarti decretal. cap.* 8. *parag.* 1. *num.* 2. modo adsit bona fides alterutrius parentum, & in facie Ecclesiæ fuerit celebratum.

Sexto legitimi sunt, nati ex parentibus, qui ante susceptam fidem, in gradu iure canonico prohibito contraxerunt, *cap. gaudemus qui filii sunt legitimi, & cap. gaudemus de diuortiis.*

Septimo filii Clericorum, qui alias legitime ordinati, inuita tamen vel ignorante vxore ordinati sunt, licet geniti sint à parente in sa-

C cris constituto, sunt legitimi colligitur ex *dist.* 32. *can. speciatim & can. coniugatus de conuersione coniugatorum, & cap. ex parte de filiis Presbyteror.* Secus est, si sciente & consentiente vxore, vir est ordinatus, tũc enim vterque parens, rei illicitæ operam dedit. Sic sentit Sylu. *verbo illegitimus num.* 6. *Henriq. lib.* 11. *cap.* 20. *num.* 1. Est hoc autem intelligendum in Ecclesia Latina, nam in Græca, tales nec sunt illegitimi, nec dispensatione etiam inter Latinos egent, *ca. cum olim de Clericis coniugatis*, licitum enim est Græcis in minori-

D bus vxorem retinere, qui tamen illis initiatus contraheret, valide nihil faceret & proles esset spuria, Maiolus *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 9.

Octauo natus de matre adultera, si talẽ se non credit non est irregularis, iure autem potest ei non credere, vt tradunt Less. *lib.* 2. *de iust.* Henriq. *lib.* 14. *cap.* 8. *nu.* 10. primo quia ex fama, opinioneq; boni nominis, quo mater gaudet admodũ est imprudens qui se legitimũ non reputat. Secũdo, minus est mali,

E filiũ non credere matri, quã credendo, reputare eã adulterã, præsertim si quo tẽpore est conceptus, cum ea pater maritalem ducebat vitam, quod si fidem illi adhibet, est irregularis, ac dispensatione Papæ ad maiores ordines indiget, Maiol. *lib.* 1. *cap.* 7. *nu.* 3. Couar. *cap.* 8. *parag.* 3. tam ergo

Dico primo, *Illegitimos qui non specie tantum, sed reipsa sunt tales, siue occulti sint siue cogniti, irregulares esse*, patet ex *capite primo de filiis Presbyterorum canone item* 1. *dist.* 56. & reperitur *in cap. per venerabilem qui filii sunt legitimi*

timi in fine, vbi in confirmationem huius veritatis dicitur, tam Mosaicam legem quam canonicam, prolem susceptam ex adulterio, ita detestari, ac odisse, quod vsque ad decimã generationem ei in Ecclesiã ingredi sit nefas hoc est, sacris initiari ordinibus nequeat, sicut notauit Maiolus *lib.* 1. *cap.* 4. nunc tamen vi Mosaicæ legis, non nascitur in quoquam talis obligatio, cum illa quoad præcepta quæ vocantur ceremonialia, esse desierit.

Confirmatur specialiter quidem de adulterorum filiis cauetur, *distin.* 56. *canone Cœnomanensem*, ratio autem irregularitatis in illis, est primò, quod per eos deformetur honestas Ecclesiæ, vt dicitur *in cap. vltimo de filiis Presbyterorum.*

Secundo quod parentes in filiis, & hi alioquin innoxii, pro parentibus, sæpe suo luant capite, plectique etiam in ære valeant ac honore, *capite vergentis de hæreticis in fine canone si quis cum militibus* 6. *q.* 1.

Tertio, quod huiusmodi homines, vt plurimum profligatis esse soleant moribus, quia à parentibus in tenera ætate sunt neglecti, quia cum incuria magna, sunt ab iisdem antequam adolescerent, habiti, quæ causa est, cur fere semper paternæ sint in virili ætate imitatores incontinentiæ, Maiolus *lib.* 1. *cap.* 4. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 10. & clarissime *in cap. literas de filiis Presbyterorum.*

Dico secundò, *Illegitimum non modo irregularem esse, sed culpabiliter promotum, raro aut nunquam, sine magno labore rehabilitari posse, ac si susceptis ordinibus sine dispensatione vtatur, peccare*, ita Syluester *verbo irregularitas* q. 10. Maiolus *lib.* 1. *cap.* 7. sin autem inculpabiliter sit promotus, cum primum res ei nota fuerit, ab ordinibus susceptis, eorumque vsu, donec dispensationem ex vrbe habeat, cum abstinere erit necesse.

Dixi *vbi cognouerit*, quia iuris aut facti dubitatio non sufficit, si tamen ante ordinum susceptionem esset quis de legitimitate sua dubius, promoueri hunc non debere, sed tutiorem partem sequi oportere, docent Vasq. 1. 2 *disp.* 66. *n.* 48. Tolet. *lib.* 1. *ca.* 52. Hurtado *de Irreg. disp.* 2. *diffic.* 17. quia nemo (inquiũt) exponere se debet periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis, sententiam oppositam dixere, Auila *disp.* 3. *dub.* 10. Ægid. *dub.* 12. quia nemo in dubio nec à se, nec ab alio condemnari debet.

Vtraque sententia est vt probabilis, prima tamen tutior,

Et quoniã similes sunt illegitimis expositi, hoc est quorum parentes latent, de his hic est aliquid addendum.

Et primo quidem, eos reputari illegitimos, si de eorum parentibus non constet,

A Hurtado *de irreg. diff.* 17.

Causa est, quod tales communiter, & non nati ex legitimo matrimonio, exponi soleant. Deinde quod in dubiis, nemo præsumatur legitimus, sed id ei sit probandum, vt docet Couarruuias *in epitome ad* 4. *decretalium parte* 2. *cap.* 8. *parag.* 3. *in Clementinam si furiosus, parte* 1. *num.* 9. Itaque hoc titulo sunt irregulares, nec promouendi, sine dispensatione saltem Episcopi, vt ait Couarruuias ibidem: si tamen promoti iam essent sine dispensatione, vti ordinibus suis possent, ex probabili multorum opinione, quia in
B dubiis melior est conditio possidentis, deinde quia tùm præsumendi essent legitimi, cum non sit credibile, peccare Episcopum voluisse, eos ordinando sine Parochi testimonio, super legitimitate suorum natalium, Henriq. *lib.* 11. *cap.* 20. *num.* 2. Contraria opinio est Piasec. *parte* 1. *cap.* 1. *art.* 4. *num.* 15. expositos dispensatione non indigere ad ordines, primo, quia præsumuntur legitimi *cap. cum dpeutat. de iudiciis*, secundo, quia in dubio pro prolis fauore iudicatur *cap. ex tenore qui filii sint legitimi*, quæ opinio est probabi-
C lis tutaque in conscientia.

QVÆSTIO XV.

Dispensare cum illegitimis, quis possit, & quæ eorum sit pœna, si se ante dispensationem ordinari sinant.

PRima assertio, *Cum crimen parentum est cognitum, ad maiores ordines, dignitates, prælaturas, & beneficia duplicia, solus Papa dispensat cum illegitimo.*

Ratio est, quod sit eius solius, vt canones interpretari, sic infirmare cũ est necesse: at ve-
D tãtur, *Sacerdotum filii, & alii non legitimè nati, ad dignitates & personatus & alia beneficia curã animarum habentia sine, dispensatione sedis Apostol. promoueri*, nec id modo, sed promoti quoque iubentur ab iis amoueri, in decret. Gregor. noni, *nimis in tua* 18. *de filiis Presbyteror.* Secus ergo quid tentare Episcopo vetitum, *Ne id præsumatur de cætero*, inquit Gregor. nonus *ca. citato, districtius inhibemus*, est à Papa ergo ad hæc beneficia, expectanda
E dispensatio, quę si erit absoluta, si indefinita, si exceptione carens, ex probabili multorum opinione, non modo ordinum, sed beneficiorũ quoque capax erit illegitimus, quia sicut simpliciter restitutus, ad omnia restituitur, sic simpliciter legitimatus, intelligi debet legitimatus ad omnia, ad quæ se potestas legitimantis extendit, si hic nihil exceperit, cum fauores sint ampliandi, pœnæ autem & odia restringenda.

Ad minores autem, & beneficium sim-

plex, dispensare potest cum illegitimo Episcopus, vt habet expresse *canon. primus & secundus de filiis Presbyterorum in 6.* quem sequitur Rebuffus *parte 2. praxis titulo super defectu de dispensatione parag. Videamus*, Lessius *de beneficiis*, qua potestate præditum quoque Capitulum esse, sede vacante tenent, Nauar. *primo tomo Conciliorum Concilio 31. de temporibus ordinationum*, Abbas *in canonem cum olim de maioritate & obedientia*, quia facultas dispensandi pendet à iurisdictione, at hæc sede vacante, vniuersa in Capitulo residet, quoad ea, quæ moram pati nequeunt, vt ostensum est *tract. de beneficiis.*

Assertio secunda, *Irregularitas quoque ad ordines in illegitimo tollitur, per canonicam eius professionem in religione*, hanc assertionem veram reddit canonum auctoritas, sic enim Pictau. Concil. *Vt filii Presbyterorum & alii ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoueantur, nisi Monachi fiant, cap. 1. de filiis Presbyterorum.*

Dixi *quoad ordines*, nam per professionem, non fit illegitimus habilis, ad obtinendum Episcopatum, dignitates maiores, aut minores, tam in cœnobio quam extra, Hurtado supra, nisi ad eam rem Papæ accedat dispensatio *cap. 1. de filiis Presbyteror.* Rebuffus *de dispensatione super defectu natalium*, imo nec eum professio ad beneficia sæcularia simplicia, aptum facit, quia vt regularia regularibus dantur, non aliis, ita & sæcularibus sæcularia ex *capite super eo de regularibus*, & *canone placuit*, 16. *qu.* 1. probant Suarez *de censuris*, Reginaldus *de irregularitate cap. 7. num. 75.* Piasecius *parte 1. art. 4. de ordinibus conferendis*, & quanquam prohibuerit Sixtus quintus anno 1587. in constitutione quæ incipit *cum de quibus*, ne illegitimis locus esset vllus inter religiosos, sicut Clemens octauus inter Cardinales, est hæc tamen prohibitio, quoad religionem sublata à *Gregorio XIV.* alia constitutione de anno 1591. cuius initium est *circonspecta*, eius ergo beneficio, potest illegitimus religiosus esse, non Cardinalis, cum moderatione tamen duplici, prima, vt illegitimi virtus & probitas, eius vitium corrigat ac suppleat, secunda si à Patre Religioso sit genitus, vt eo viuente non recipiatur in eodem ordine, Portelius *Verbo illegitimus num. 4.*

Assertio tertia, *Illegitimi suscipientes ordinem ante dispensationem, ipso iure ab eo sunt suspensi, in eo tamen si celebrant, irregulares non fiunt ea irregularitate quæ fertur contra violantes censuras*, Couarruuias *in Clementinam si furiosus parte 1.*

Primo, quia cum Roma mittitur ei dispensatio, qui celebrauit in ordine ante facul-A tatem eius recipiendi cum defectu natalium, non fit vlla irregularitatis tam à se idcirco incursæ, quàm per eam celebrationem, mentio, vt tamen fieri deberet si quam ideo contraxisset.

Secundo, non incurritur irregularitas celebrando cum suspensione, nisi casu quo hæc imposita est ob delictum, qualis non est multorum opinione, præsens.

Quid si defectus sit occultus, quid si vitium natalium solis parentibus sit cognitum, eritne tum Episcopo licitum dispensare cum B illegitimo sui defectus conscio ad ordines sacros, & beneficium curatum?

Ita visum Auilæ 7. *parte disp. 3. dub. 7.* quod nō oporteat quenquā traducere, de quoquā ea narrare, quę cognita in certā eius vergunt infamiam, quod accideret, si illegitimo occulto, Papa super defectu quē patitur in natalibus, necessario consulendus esset, sic enim hic parentes suos violatæ pudicitiæ tacitè argueret, reosque offensi numinis faceret, quod temerè nulli est tentandum.

Mihi tamen eorum opinio visa semper est vero propior, qui secus quam ille, & scri-C bunt & sentiunt, sunt in his Nauar. *Enchirid. cap. 27. num. 194.* Suar. *disp. 50 sect. 5. num. 5.* ita existimandi hæ mihi causæ.

Prima, quod vt est *in cap. 1. de filiis Presbyter.* per sacram illegitimi initiationem *dignitas deformetur Ecclesiæ*, est hæc ergo per dispensationem tollenda deformitas.

Secunda, quod etsi illegitimi irregularitas, crimen supponat, ex eo tamen proxime ac formaliter, hæc non oritur, sed ex morali macula, & nota personæ, quæ non nisi dispensatione abstergi potest. Si tamen bona D fide, illegitimus ad sacros arrepsisset ordines, iisque insignitus esset, cū eo Episcopus, natalium defectu cognito dispensare posset, vt in iis ministraret, Henriqu. *lib. 14. cap. 8.* Auila *supra disp. 3. dub. 6.* Imo etiam in quorundam sententia, si mala fide, vitium scilicet originis suæ occultum subticendo, iis initiari se esset passus. Cœlestinus tertius auctor *in decretali nisi cum 10. de renunciat. Non tamen propter quamlibet irregularitatem personæ, debet ei qui regulariter ministrauit, cedendi licentia indulgeri, Vt pote si de legitimo matrimonio* E *non sit natus, quia licet irregularitatem huiusmodi nō potuerit subiicere, si tamen & culpa latet, & causa, cum eo qui laudabiliter suum implevit officium, (iniuncta sibi pœnitentia competenti) potest non minus vtiliter, quam misericorditer dispensari.*

Quid si aliquis à Rege legitimetur aut Principe, eritne per eam legitimationem, Ordinum sacrorum in Religione, aut officiorum capax?

Non

Non existimant hi auctores Portelius *in dubiis verbo illegitimus num.* 5. Rodrig. *in addit. ad summ. verbo legitimare conclus.* 5. *parte* 1. *cap.* 244.

Ratio est, quod vt Ecclesia regi nequit à Laico, ita nec iura eius legesque refigi, ab eo deceat, abrogari ac tolli, quæ ab ea religiosè ac prudenter, ad bonuũ cõmune, aut quorundã priuatum sũt decreta, vt vitentur, aut fiant, ergo nec impedimenta canonica; nã quis à Principe impedimenta matrimonii discindi, aut ad Ecclesiastica munia, beneficiaque reddi aliquem idoneum, ac habilem, sola eius auctoritate posse putet? Addo amplius, dispensatum ad ordines, aut dignitates in cœnobio, non ideo legitimorum iure frui, cum enim legitimatio notione ac significatu à dispensatione differat, cui per dispensationem adnumerari Clericis est permissum, hic eo præcise nomine, quam ab ortu maculam traxit, non deponit, aut eluit.

QVÆSTIO XVI.

De Irregularitate proueniente ex homicidio.

IN nonnulla theoremata conferam quæ ad quæstionem præsentem pertinent.

Primum, duplex est homicidium, casuale vnum, voluntarium alterum.

Secundum homicidii nomine, communiter intelligitur cædes culpabilis, ideoque etsi iudices, accusatores, testes, cæterique fori asseclæ, acministri omnes, lege sint Ecclesiæ inter irregulares collocandi, non tamen præcise ideo, quod insonti vim fecere, quod vitæ eius nocuere, quod sua eum, aut aliorum opera, tale nihil cogitantem oppressere, sed quod humanitate careant, quæ Christi fuit olim, modoque esse debet Clericorum laus, virtusque propria.

Tertium, nonnulli sunt facinorosi, ad quos sine vllo scelere occidendos, natura, aut sui amor, charitasque gladiũ porrigunt, quo de genere sunt ii, qui alienæ vitæ moliuntur insidias, qui capiti nostro cum telo imminent, in illud nisi reprimantur, facturi impetum, hos enim, quisquis vt vitam suam tueatur interimit, quando non est alia via expediendæ salutis, omni scelere homicidii est solutus Diu. Anton. *in* 3. *parte tit.* 4. *cap.* 3. *ante parag.* 1.

Theorema quartum, adimi homini vita potest in iudicio à magistratibus, in bello à militibus, vbique ab insonte, cuius salus ab irato hoste in discrimen vocatur, de his ergo inquirendum sigillatim, ac per ordinem, an facta ab eis, cædes iisdem labem

A irregularitatis afferat.

Dico primò, *Homicidium voluntarium quale est dolo malo, animoque occidendi, seu ex proposito reipsa perpetratum, irregularitatem inferre facienti.*

Eius rei sunt testes Pontificum decretales literæ, *titulo de homicidio* 4. Alexand. III. *sicut dignum* 6. Innocent. III. *significasti nobis* 18. Nicolai Papæ *in can.* 39. Martini Bracarensis *in can. si quis voluntarie* 44. *distinctione quinquagesima*, Clementis quinti, *in Clem. si famosus*, Ioan. 8. *in can.* 4. *dist.* 50.

Reipsa dixi, quia etsi voluntas afferendæ

B necis culpam habeat, tamen quandiu latet quandiu se cohibet, nec opere se profert, irregularitate non punitur, Ægid, *disp.* 18. *nu.* 60. imo nec armorum ad occidendum sumptio, nec percussio, quamlibet sit de earum numero, quæ pœnis tenetur canonis, *si quis suadente diabolo*, nec sanguinis ex imposito vulnere effusio, secundum Abbatem *in caput si aliquid de homicidio verbo irregularitas nu.* 11. Suarez *de censuris disp.* 44. *sect.* 3. quia Eccle-

C sia homicidium, eiusque auctorem punit, at conatus, at opera, voluntasque occidendi, aut sãguinis effusio illata plaga, dici propriè homicidium nequeunt, itaque qui alteri struxit insidias, pro irregulari habendum non esse, si eas mors non est sequuta, habet, *canon vltimus causæ* 15. *& canon sicut* 32. *qu.* 2. & tamen est cicatrix plus quam conatus.

Potest autem homicidium quoad hunc effectum producendum, dupliciter esse voluntarium 1. directe 2. indirecte, directe est ei homicidium volũtarium, qui animum ne-

D candi habet, vereq; ex electione necat, indirecte qui id vult, id appetit, facitque, ex quo tãquam ex causa, sequetur certo homicidiũ, alteroque de his duobus modis, esse homicidium voluntarium debet, vt irregularitatem in eius auctore pariat, quia cadit hæc tantum in eos, qui vere eius sunt causa, actu, aut virtute & implicite, sed homicida esse nullus potest, nisi qui mortem alteri intulit, alterutro de his duobus modis, nec propinqua eius esse causa potest, nisi dictum, aut factum aliquod, sufficienter in eam dirigat, secundum Nauarrum *in cap. Enchiridij* 27. *numer.*

E 211. vbi ait propinquam causam homicidii, *dictum esse, aut factum aliquod, directum ad occisionem, aut mutilationem ex eo sequutam*, vnde infert Reginaldus *cap.* 9. *de irregularitate nu.* 100 irregularem non esse qui arma sine intentione nocendi distrahit, quia non habet hæc eius actio, necem alienam pro fine, ad quam, illico ac vendentis voluntate tendet, irregularis esse incipiet, quia earum rerum directione, tendentiaque in finem, charitati proximi contrariũ, mortis causa est moralis.

Patet ex dictis ex homicidio irregularem nullum fieri nisi qui eius sit causa.

Patet secundo, duobus modis fieri id posse, primo directe, & per se, nempe cum ex proposito, & non casu mors infertur, secundo indirectè & in causa, cũ qua hæc inseparabiliter coniungitur vt cum quis venenum propinat, quod conciliandæ morti medium esse scit certum, promptum, & efficax, & ideo illud suppeditat, quia iste moraliter idem facit, quod alius qui ex proposito & directe interimit.

Dico secundò, *Quando plures vnum sic vulnerant, vt postea intereat, omnes sunt irregulares, si ad necem vere sunt cooperati, tam in se, quam in modo, nempe vt celerius accideret*, ita Doctores ferme omnes probaturque hac ratione.

Earum rerum defectus in Clerico, quibus Christus Dominus excelluit, dum viueret, eum Clericatu deturbat ac deiicit, ob quam causam criminosi, & bigami, à sacris sunt alieni ministeriis, quod isti vnicũ Christi cum Ecclesia coniugium, illi autem eius innocentiam non referant, sed homicidæ longe sunt ab humanitate Christi, patientiaque dissiti, *qui cum patiebatur non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniustè.*

Quid? quod qui plagam intulere mortuo, vere sint homicidæ? cum ad eius necem, tam exemplo ipsi suo, quam vulnere, sermoneque, quo ad eam se vicissim animarũt: sint cooperati? sunt ergo Irregulares.

Dixi *modo mors* sequatur, quia cicatrices si solæ sunt, aut membrorum contusio, irregularitatem non inuehunt, nisi eas mors consequatur, aut membri mutilatio, secundum Nauarrum *Enchiridii 27. num.* 223. Ægidium *de irregularitate dub.* 8. *num.* 28. Reginald. *eodem tract. n.* 101. Est autem de concursu, physico ad mortem, ex quo sequitur irregularitas P. de Hurtado his verbis expressa sententia *de irregular. disp.* 11. *diffic.* 5. *num.* 17. *Non solum qui occidit, aut mutilat, est irregularis, quando id facit solus, sed etiam quando cooperatur ad id, quia etiam est verè homicida, ac proinde quando duo, ita percusserunt aliquem, vt vtriusque percussione fuerit occisus, vterque est irregularis, quamuis neutrius percussio, seorsim esset sufficiens, quia vterque vere est homicida, si adiuuit vt mors citius contingat, quamuis percussio fuerit leuis, est irregularis.* His fere similia, nec verbis ac oratione dissona, scripsit Ludouic. Portel. *de dubiis regul. in verbo homicidium nu.* 9. *Incurrunt irregularitatem omnes concurrentes ad mortem, etiam remote, si quis concurrat sciens, & videns talem suam actionem operaturam ad mortem, vt qui parat venenum ad epotandum, sic enim mortem intendit in se, & in causa efficaci,*

A *&c.* quæ præstantissimorum hominum oratio, in ea nos mente, nec sine ratione confirmat, ac stabilit, vt quod est in quæstionis huius progressu positũ, verè à nobis dictum censeamus, irregularitatis ex homicidio voluntario contrahendæ, modos esse duos, directum vnum, in proposito ac voluntate eius inferendi, indirectum alterum, in applicatione causæ, quæ cum eo cohæret necessario.

B

QVÆSTIO XVII.

An qui tuendi sui causa alium interficit sit Irregularis.

ASsertio prima, *Qui ita pro vita pugnat, vt eam retinere nequeat, nisi morte eius qui eam vi adoritur, non est irregularis, si modo limites in ea moderatæ tutelæ non exeat*, ita Nauar. *Enchiridii* 27. *num.* 253. *disp.* 46. *de censur. sect.* 2. *num.* 11. Auila 7. *parte disp.* 5. *sect.* 13. *dub.* 3. *num.* 253. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 3. *parag.* 4. Co-
C mitolus *sexto responsionum q.* 54. Less. *lib.* 24. *de iustitia cap.* 9. *dub.* 8. *num.* 52. tuetur se hæc opinio 1. auctoritate Clementis V. *in Clementina si furiosus de homicidio*, perscripta his verbis: *si furiosus aut infans, seu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit, & idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat inuasorem.*

Clementi assentiuntur Pontifices alii duo Alexander tertius *in canone significasti de ho-*
D *micidio*, Innocent. III. *in ca si vero de sententia excommunicat.* 18. in quibus, ambo hi Pontifices, signatè enuntiant, vim vi honeste repelli posse, & cum alia via expediendæ salutis non ostenditur, necessitate ad id impellente, hostem interimi posse.

Secundo probatur assertio ratione. Mors priuata defendentis se auctoritate illata, ab irregularitate est libera, si sit hic innocens, culpæque in ea inferenda expers, at ea omni hic caret, cum vim hosti defendendi sui causa infert, ergo & irregularitate homicidis proposita.

E Tertio, nunquam est homicidium voluntarium, nisi quando quis directe intendit alium opprimere, at qui seruandi sui causa, inuadentem obtruncat, eius interitum directe non vult, nec procurat, sed tantum sui, salutisque suæ cõseruationem ac custodiam, quare nec censetur in foro conscientiæ commisisse homicidium, cũm voluntarium non est, sed tantum casuale, Nauar. *vbi. Enchir. num.* 239. & 211. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 80. *num.* 11. Suar. *disp.* 44. *de censur. sect.* 1. *num.* 3. ergo si

vim

vim vi illatam repulit, si vt vitam suam tueretur adorientem cæcidit, nec vlla alia iniri ratio poterat seruandi sui, quam nece inuadenti adfereda, eumque necando, vt non deliquit id faciendo, ita nec se vlla irregularitate illigauit.

At quorum ætas fuit Clementis quinti constitutione prior, aliter docuerunt, sic enim Diu. Thom. *in 2.2.q.64.art.7.ad3.* Scotus *in 4.dist. 25.q.1. art.1.* loquens de homicidio inuoluntario secundum quid, scribit his verbis: *Si autem inuoluntariũ secundum quid, vtpote quia non potuit euadere mortem, nisi occideret, irregularis est*, dixere idem cum Scoto Richardus *in eand.dist.art.5.q.5.* Paludan *in eand. dist, q.4. art. 2. conclus.3.* suamque hic opinionem confirmat hac ratione, *Quia index qui maiore necessitate adductus, hoc est, vt crimen vitet mortiferum, reum interficit, irregularitatem tamen vitare non potest.*

Respondend. ita esse, à Clemente tamen minimè recedendum, quod eius auctoritas, nobis, quam cuiuspiam alterius, potior in hac parte esse debeat.

Obiicies secundo, non modo, contra nos facere Theologos sed & Concil. Trid. in cuius *sess.14. cap.7.* est his verbis: *Si vero homicidium, non ex proposito, sed casu, vim vi repellendo, vt quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quæcunque, iure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus, & narratis, nec aliter dispensare possit.*

Respondend. Concil. ibi loqui de necessitate quæ sine alterius morte, vitari poterat, ita Nauar. *cap.27.num.211. & 139.* Tolet. *lib. 1. summæ cap.74. parag. hæc dicta sunt,* Hurtado *disp.11. de irregul. diff.10. num.35.* hoc est de homicidio ad defensionem vitę non necessario, & proinde culpabili, de quo nobis hic nulla quæstio.

Patet ex dictis primo, cum moderatio inculpatæ tutelæ, in eo consistat, sine quo vis illata repelli nequit, irregularem fore, qui cum possit eripere se periculo, in quod eius est salus adducta, hostem tantum lædendo, tamen interimit, quia cum cicatrice aut plaga aliqua tolerabili, reprimi eius audacia posset, vt supponitur, salusque appetiti in tuto poni, ad cicatricem facile curabilem, lethalis est addita, quæ illi mortis causa extitit, culpa ergo est *in eum conferenda homicidii, quia etsi vim vi repellere omnes leges & iura permittant, quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad propulsandam iniuriam, non videtur Sacerdos à pœna homicidii penitus excusari,* Inn-

A noc. III. *in decretali significasti 18. de homicid.*

Patet secundo, à nece quoque hosti illata, irregularitati locum fore, cum procuratur ad vindicandam iniuriam præteritam, & non ad præsentem auertendam, quia eatenus alienæ vitæ strui possunt insidiæ, quatenus sunt hæ seruandæ propriæ opportunæ, & vtiles, sic enim vis vi repellitur, at si hostilis impressio præteriit, modoque non est, vita in discrimen non vocatur, ergo quicquid à verberante, aut occidente fit, non tam retundendæ alienæ audaciæ causa, ac tuendi sui

B geretur, quam necandi hostis.

Nihilominus qui vitam suam tueri poterat vulnerando tantum, hic dum occidit pœna veri homicidæ non punitur, vt cum Rosella *in verbo homicidium 1. num. 2.* tradit Comitolus *responsionum lib.4 q.10, num.22.*

Patet tertio, non excusari ab irregularitate, qui pro vita sua pugnando illicite, inuadenti vitam eripuit, Tabiena *verbo irregularitas 2.* Syluester *in verbo homicidium 3. qu. 4. dicto 3.* quia lex ab irregularitate ex homicidio eum excusans, qui se defendendo occidit, de defensione tantum licita, est intelli-

C genda, cum hæc vitiis non faueat, quare qui publicum lictorem interimit, à quo auctoritate iudicis agitur in vincula, irregularis est censendus, cum nocenti non sit permissum, contra iudicem eximere gladium, ac aduersus eum, eiusque ministros, eo ad se tuendum vti.

Patet quarto, dispensationem ei nullam esse necessariam, qui manus violentas alteri ad propriç vitæ defensionem intulit, ita Reginaldus *lib 3. tract. 2. cap. 9. num. 112.*

D Causa est, quod non sit necessaria dispensatio, nisi cum præcessit legis Ecclesiasticæ violatio: at non est inuadentis occisio, cum moderatione inculpatæ tutelç, tuendi sui causa facta, legis vllius transgressio, ergo nec irregularitatis contrahendæ occasio, cũ hæc culpã in homicidio cõmisso auctoritate propria habeat, quod si secus existiment aliqui, de casu duntaxat sunt intelligendi, in quo periculum scandali esset, aut futuri scrupuli in eo, qui necasset, tunc enim optimum est factu antequam ad ordines, beneficia,

E aut dignitates Ecclesiasticas admittatur, per sententiam Episcopi, aut viciniori Metropolitani declarari, tale homicidiũ sine culpa, pœnaque irregularitatis perpetratum esse, quare *si factum sit occultum,* inquit Reginald. loco proxime citato, *& per eam necessitatem homicida inueniatur excusatus à mortali, is nec dispensatione, nec sententia declaratoria indigebit, vt expressit,* Henriq. *lib.14. cap.10. parag. 4.* Hæc ille.

QVÆSTIO XVIII.

An qui ob defensionem innocentis aliquem cecidit sit irregularis.

DVo hic quæruntur, primum an qui ad necessariam Reipublicæ, vel proximi defensionem, aggressorem opprimit, debeat, vt irregularis ab vsu suorum ordinum remoueri.

Aiunt repellendum esse, hi omnes Nauarrus *cap. 21. num. 213.* Reginaldus *lib. 30 ca. 9. num. 107.* Caietan. *22. q. 40. art. 2.* Couar. *in Clementinam si furiosus parte 7. parag. vnico,* Fernandez *parte 2. cap. 10. parag. 14.*

Primo, quia causæ nihil subest, cur hæc pœna iudicem, quem sine culpa, & ex obligatione iustitiæ, dicere constat sententiam in nocentem: potius afficiat, quam qui amicum suum, aut Remp. inuadentem, obtruncat.

Secundo, ad irregularitatem quæ ex defectu perfectæ lenitatis contrahitur, non requiritur culpa, satis est, obtruncari aut mutilari hominem, cum præstet iniuriam pati, ad perfectam Christi imitationem, eiusque mansuetudinis, quam inferre, excepto casu, in quo de vi propulsanda, vitaque tuenda agitur, nam cum pro amore, quo se quisque prosequi debet, omni ratione qua honeste potest, eximere se discrimini debeat, non est censendus à Christi mansuetudine multum discedere, qui quam ille naturæ legem indidit propugnandi sui, hanc in repellenda à suo corpore iniuria sequitur.

Pugnant contra Sylu. *verbo bellum 3. qu. 2.* Molina *to. 1. tract. 2. disp. 109.* Laym. *lib. 3. trac. 3. par. 3. caq. 9.* Auila *par. 7. dub. 5. sect. 3.* Opinionis istius sunt hæc fundamenta.

Primum quod homicidium ex quo incurritur irregularitas, voluntarium esse debeat ac spontaneum, tale non est, commissum pro defensione Reip aut proximi.

Secundũ, ex homicidio non incurritur irregularitas, nisi sit mortale, aut defectum lenitatis habeat, neutrum reperitur in præsenti; non primum, vt patet. Nec secundum, quia mors talis, non infertur à iudice in pœnam admissæ culpæ,

Confirmatur in hominis nece, facta reipublicæ defendendæ causa, vel proximi, nulla est culpa, nec lenitatis defectus, non primum, cum id ratio prohibere nequeat, quod lex præcipit naturalis, & diuina, at defensio tam proximi, quam Reip. cum eorum agitur honos, aut periclitatur salus, iuris est naturæ, cum ab eo pars quælibet habeat, vt se

A totius causa, discrimini obiiciat, nec esse actio vlla vitiosa queat, quæ rationi est consentanea ac conformis, cuiusmodi præsentem esse nemo ambigit. Nec secundum, quia satis superque humanus est ac lenis, qui naturali lege coactus, ea molitur, quæ ab eo tum fieri, ratio virtusque postulant: facit hoc argumentum vt existimem hanc sententiam probabilem, ac tutam esse in conscientia.

Fuit altera quæstio, *An qui impetum facit in fortunas alienas, interimi sine interimentis irregularitate queat?*

B Negant Auila, Ludouicus de Beia *1. parte casuum casu 3.* Reginaldus *lib. 3. cap. 9 sect. vltima num. 108. & sequenti,* Fernand. *par. 2. ca. 10 parag. 14. ver. dico quarto,* Piasecius *1. parte praxis cap. 1. art. 5. num. 7.*

Affirmant Lessius *lib. 2. cap. 9. dub. 11. num. 75.* Henriq. *lib. 14. cap. 11. parag. 15.* Maiolus *lib. 5. cap. 48.* Sotus *lib. 5. de iustitiæ q. 1. art. 8.* Hurtado *de irregul. difficult. 10. num. 37.* Probatur.

Sine irregularitate tueri se quisque salu-
C temque suam in tuto locare potest, ergo & fortunas, cum sint hæc media ad eam rem necessaria.

Confirmatur, *in cap. interfecisti 2. extra de homicidio*, habetur Presbyterum deponendum non videri, qui vitæ suæ conseruandæ ac fortunarum causa, furem oppresserat, cum ergo sit irregularitas, quædam *quasi depositio*, id est inhabilitas ad *suscipiendos* ordines, susceptosque, ad vsum reuocandos, non erit Sacerdos, propter homicidium, pro rerum suarum defensione illatum, irregula-
D ris, verba canonis sunt eiusmodi, *si sine odij meditatione te tuaque liberando, huiusmodi Diaboli membrũ interfecisti, si aliquid ieiunare volueris bonum est, si Presbyter eadem fecerit non deponatur: capite autem dilecto 6. de sententia in 6.* Laudatur Aurelian. Decanus, quod Balliuum quendam armis bona sua occupare parantem repulerat, in quo tamen nulla incurrendæ irregularitatis, aut incursæ fit mentio, vt debebat, si est hæc sui ac rerum suarum defensio, sub irregularitate prohibi-
E ta Clerico, ergo se, fortunasque suas alieno capite qui propugnat, irregularitate se non illaqueat. Lubet audire loquentem Innocentium quartum in dicta decretali. *Equidem*, inquit, *cum liceat cuilibet vicino suo & proximo, pro refellenda illius iniuria, suum impertiri auxilium, imo si potest, & negligat, videatur iniuriam fouere, ac esse particeps eius culpæ, licuit profecto ipsi Decano, proprio sibimet subuenire subsidio, & suam, & temporalem iniuriam, sua propria spiritali defensione tueri, sicque vtrumque quodammodo gladium, & temporalem*

ralem, & Ecclesiasticum, alterum altero adiuuare, maxime quia hi duo gladij consueuerunt ad inuicem sibi suffragari, & in iuuamen alterius, subuentione mutua frequentius exerceri. Et paulo post, *cum omnes leges, omniaque iura, vim vi repellere, cunctisque se defensare permittant, licuit vtique ipsi Decano, (si prædictus Balliuus, eum bonis suis mundanis iniuriose spoliare, vel ea violenter occupare præsumpserit) contra illius violentiam, iniuriamque se tueri.* Hæc Innoc.

Pro quorum fide facit & hæc ratio.

In casu præsenti non incurritur irregularitas ob culpam, cum ex præcepto charitatis, qua se quisque prosequi debet, & proximos, eorundem bonis prospicere eũ oporteat, perǽq; ac suis, eaque protegere. Nec ob defectũ lenitatis, nec enim interimens ex defectu virtutis interimit cum ad hanc rem, cum tam charitas, quam præceptum adigant, ergo cum non aduersetur virtus vna alteri, mansuetudini charitas, non erit irregularis ex homicidio, qui illud, se suaque tuendi causa, fecit.

Obiiciunt aduersæ partis defensores, ac patroni, decretalem Alexand. III. *cui initium suscepimus* 10. *tituli de homicid.* in qua eum irregularem esse pronunciat, qui latrones, quos habebat in vinculis, neci dedit, cum se soluere niterentur, cuius dicti rationem hanc reddit, *quod expediebat potius, post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere iacturam, quam pro conseruandis vilibus rebus, & transitoriis, tam acriter in alios exardescere,* hinc enim concludunt, morte aliena, fortunas redimi, ac seruari sine irregularitate non posse.

Respondend. negatione consequentiæ, quæ ex Antecedente non sequitur, cum is de quo in ea decretali agitur, rei illicitæ dans operam, occidisset, & quidẽ post furtum iam factum, quod est omni modo vetitum, non facit ergo ab aduersariis Alexand. III. decretalis. Existimat sane Laymannus loco ante citato, occidendi furis, aut alterius cuiuslibet, à quo fit in fortunas nostras impetus, rationem omnem honestam esse, si tam hæ, quam honor, famaque, ad vitam sunt nostram, aut bonum eximium aliquod consequendum, necessaria, quod cum semper, & omni ferè tempore accidat, mirari nemo debet, si suscepta pro iis contentio, quamuis non seiuncta ab inuadentis homicidio, irregularitatem nesciat.

A

QVÆSTIO XIX.

An & quomodo homicidium, cuius casus est causa, irregularitate afficiat eum, à quo est admissum.

Est homicidium casuale, quod præter voluntatem & scientiam operantis, ex mero casu, euenit: triplex enim à Doctoribus distinguitur, vnum quod voluntate, alterum quod necessitate, tertium quod fit casu, hancque homicidii diuisionem probat Glossa *in can. de his dist.* 50, Halens. *in* 3. *par. q.* 34. *memb.* 1. *art.* 2. internoscendi autem casualis homicidii ab intento, directéque ab occidente volito, hęc est ratio. Si mors actu non quæritur, nec ab operante, certa nulla ac efficax eius consciscendæ causa affertur, & tamen aliquid fit, siue consulendo, siue iubendo, ex quo sequitur, casu hæc fieri dicitur, non consulto, deditaque opera.

B

C Causa est, quod cum præter scientiam, animumque occidentis adueniat, voluntaria esse nequeat, cum ad eam, voluntatem directam ac spõtaneam non attulerit, nec aliud, quod eius conciliandæ causa sit efficax, ita casui fortunæque mors est imputanda eius, qui accepto vulnere, ei se curandum tradidit, qui ex inscitia, artisque Chirurgicæ ignorantia, illum perdidit.

Quanquam non tantum casui mors est tribuenda, cum aliquid fit verè, ex quo illa sequitur, sed etiam cum omittitur, nam si o-

D missionem rei cuiuspiam mors certo sequatur, hæc eius erit causa per accidens, & casu, causa quidem, quia ad eam cooperatur: per accidens autem, quia non est expresse volita. Ad rem ergo, ex homicidio casuali, an, & quando oritur irregularitas?

Eam incurri negant Sotus *in li.* 5. *de iustitia q.* 1. *art.* 7. Sanch. *lib.* 9. *de matr. disp.* 32. *n.* 25. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 5. *num.* 13. nisi opus cui parricida consulto dat operam, de se sit periculosum, mortemque concilians, quod si tale

E non est (inquiunt) ideoque nec Clericis prohibitum, quia cum eius periculo non est coniunctum, sed ob aliam causam, tunc irregularitati nexum non esse, cuius rei causam hanc reddunt, quod homicidium in genere moris, & parricidii, tunc non sit volũtarium, cum opus ex quo forte oritur, periculo est vacuum, sane voluntarium non est in se, vt patet, nec in causa, opere scilicet, ex quo mors sequitur, cum supponatur, hanc in eo nec esse præuisam, nec cognitam, & ita inferunt, Clericum deprehensum in adulterio, irregularem non esse, si cum moderamine

inculpatæ tutelæ, maritum opprimat adulteræ, à quo quærebatur ad necem, quod est contra Reginaldum *lib.30.cap.9.num.* 11. Nauarrum *cap. 27. num.* 238. quia etsi operam daret rei illicitæ, ex ea tamen casu tantum, mors aliena sequitur, cum adulterium non sit eius causa per se, nec Clericis prohibeatur ob homicidii futuri periculum, sed ob alias causas.

Secunda sententia est Diui Thomæ 2. 2. *q.62.art.* 3. Caietani *ibidem*, Syluestri *verbo homicidium 25. regula* 3. Tabienæ *verbo irregularitas primo parag.* 4. de Beia *tomo* 1. *casuum casu* 4. Sanchez *lib.9.disp.32.num.22.* quæ explicatur sequentibus conclusionibus.

Assertio prima, *Homicidium casu factum, irregularitatem non infert, si opera dabatur rei licitæ, fuitque diligentia ad vitandam necem adhibita, quam exigebat prudentia*: Ita Innoc. III. *in cap. dilectus filius* 13. *de homicidio*, ibi enim ab hac pœna Clericum liberat, qui sanitatis recuperãdæ causa equitãs, præter opinionem, puerum oppresserat, eo quod dictus Clericus, *nec voluntate, nec actu homicidium perpetrauit, nec dedit operam rei illicitæ cap. autem lator* 2. declarat Alexander eius nominis tertius, huic, ab irregularitate impedimentum ad ordines, eorumque vsum nullum esse, cuius gladius fortuito cadens in terram, Clericum cum quo luctabatur, interemerat.

Ad hoc testimonium accedit ratio.

Homicidium irregularitatem non inducit nisi sit voluntarium, sed casuale non est eiusmodi, quia etsi sit actus hominis, non tamen operantis in morem hominis, id est cum aduertentia. Sane non est tale homicidium, actus humanus, id est cum præuia circunstantiarum omnium notitia, cum quibus fieri potest, elicitus, ideoque, nec pœnæ est obnoxius, nam nec directe, nec indirecte in opere ipso, quod fit, est volitus, cum in eo non contineatur virtualiter, nam periculo vacat, nec est volitus ratione alicuius negligentiæ, cum operans nihil diligẽtiæ, seu cautionis necessariæ, omisisse fingatur ad vitandam necem.

Hincque infertur, eos qui ægros capiendi cibi causa, aut quietis mouent, & diligentiam ne iis noceant, mortemque approperent, adhibent, irregulares non esse, si ex tali motu, tentato bona fide, diem illi suum in illorum complexu obeant, Caietanus 2.2.*qu.74.art.* 8. Nauar. *cap.27.num.228.*

Dixi *bona fide*, quia si iactatio fuit imprudens, si violenta, aut ad mortem accelerandam relata, non erit haud dubie, in multorum opinione probabili, separata ab hac pœna, Couar. *ad Clementinam si furiosus parte* 1. *parag.4.*

A Assertio secunda, *Clericus rei sibi prohibitæ dans operam, quo de genere est censendã quæcumque, ab eius est aliena statu, personaque quam sustinet in Ecclesia, indigna, vt sunt venari, mederi, ægros quo more ac modo chirurgi solent, per* sectionem aut adustionem sanare velle, deinde omnis ea actio, quæ natura sua periculosa est, ac cum certo, aut certe probabili mortis discrimine coniuncta, vt est displosio bombardæ, domum versus aut fenestras hostis, Clericus inquam in his occupatus operibus, fit irregularis, diligentia non ob-B stante qualibet, à se præmissa, aut ad præcauendum periculum, quod est operi tali suo connexum, adhibita, ita Auila 7. *parte disp.6. dubio* 11. Nauar. 27. *Enchiridii num.235.* Reginald. *lib.3.cap.1.*

Ratio est, quod humanâ prudentia, rerum natura mutari nequeat, nec quantauis diligentia fieri, vt quæ actio, natura sua est periculosa, talis esse desinat, ergo in volitione talis operis, quod à periculo seiungi nequit, indirecte quoque sequens homicidium, tanquam in causa sua, & quæ de se, naturaque sua ad illud tendit, est volitum, C sed homicidium cui vitium inest, semper in eo irregularitatẽ parit, qui illud efficit, ergo & illud quod sequitur ex opere prohibito, hoc est, Clerico, tum temporis nõ permisso, cui tamen dat operam.

Secundo diligentia, ad vitandum periculum mortis, sequuturæ ex actione, cui natura sua cohæret, adhiberi sufficiens, ac necessaria nulla potest, nisi cum omittitur, ergo quicquid ab hac omissione diuersum erit, operantem ab irregularitate non eximet, sed tam propter rem illicitam, cui hic dat ope-D ram, quam propter negligentiam, seu diligentiam non adhibitam, damnandus erit.

Sequitur hinc primo, rem illicitam, quæ cum fit, admittitur homicidium, ex quo irregularitas nascitur, talem esse oportere, quæ ex genere suo, mutilationis aut homicidii causa esse soleat, iuxta Sotum *lib. 5. de iustitia q.1.art.9.* Couar. *ad Clementinam si furiosus parte* 1. *parag. 4. num.* 10. aut si non est necis certa causa, & efficax, saltem quæ sit talis, vt E eius periculum in se habeat, vt est aprorum venatio, hastiludium, cruris aut brachij incisio.

Patet secundo, irregularem esse, qui casu aliquem enecat, dum apros insequitur, aut ceruos, quæ venatio, quia fit canibus, armis, ac clamore venantium, clamosa dicitur.

Ratio est, prima, quod ea venandi ratio vtpote clamosa, Clericis sit vetita, proindeque illicita.

Secunda, quod difficilis, quod ardua, quod periculosa

periculosa sit, aleæque plenissima, nam quid facilius, quam armorum tractandorum ignaros, ac rudes Clericos quidpiam tentare ac facere inter venandum, quod famæ non modo suæ, ac opinioni noceat, sed eorum quoque vitæ, quibuscum feras agitant, aut aliorum? quod etsi raro accidat, eo quod istiusmodi venatio cum hominum interitu, ac exitio non sit coniuncta necessario, tamen quia ad Clericorum dignitatem non facit, iisdem est prohibita, consequenter dum in ea versantur soli, aut cum Laicis, rei illicitæ dant operam, ita si mors ex ea sequatur, licet cautionis nihil ac diligentiæ in ea præcauenda omiserint, eos esse tamen irregularitate innodatos, docet Nauar. *ca. 27. n.* 237. Caiet. *27. q. 64. art.* 8. Molina *tract. 3. disp. 77. parag. Clerici.*

Patet tertio, Clericos qui chirurgiam per adustionem aut incisionem factitant, morte sequuta, irregulares esse, mea non est opinio, sed Innoc. III. *in cap. sententiam 9. ne Clerici vel Monachi & in cap. tua nos 19. de homicidio,* quia hæ curationes Clericis sunt prohibitæ, *in c. sententiam citato,* vt natura sua periculosæ, & ab eorum statu, & professione alienæ, nisi necessitas, vel pietas excuset, qua de re Nauar. *cap. 25. num.* 110. Sanch. *lib. 6. moral. cap. 14. numero* 18. ius enim naturale exigit, vt si præter, eos nullus sit, qui ægro periclitanti salutarem manum admoueat, hi ei non desit, sicut docent Molina *tract. 3. disp.* 8. cum iis tamen dispensari posse, post condignam satisfactionem, vt diuina celebrare possint mysteria dixit Innoc. III. *in decretali tua nos 19. de homicid. Licet,* inquit ibi, *Monachus multum deliquerit, officium alienum vsurpando, quod sibi minime congruebat, si tamen causa pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris, contra consilium eius accidit, adeo reprobandus, quod non post satisfactionem condignam, cum eo misericorditer agi possit, vt diuina valeat celebrare.* Cum autẽ fit de Clericis in hoc corrollario mentio, non sunt eo nomine intelligendi quilibet, sed sacrorum tantum ordinum, aut Religiosi: Minoribus autem instructi tantũ, ab hac sunt pœna liberi, si ab arte chirurgica quam exercent, mors sequatur, aut mutilatio, quia de his nulla fit in canone mentio, testis Innoc. III. sanctio his præscripta verbis: *Nullam chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adustionem vel incisionem inducit, cap. sententiam 9. ne Clerici vel Monachi,* quare cum nulla inducenda sit irregularitas, nisi cuius initium est, ac origo à iure, Clerici minorum ordinum, factitantes chirurgiam, cum sectione, vel igne, ab A ea futuri sunt liberi, Lay. *li. 3, tract. 3. par. c.* 10.

Patet quinto, etsi sit probabile, Clericos qui cum muliere grauida, contra decorum iocantur ac ludunt, inconcinne tamen, irregulares esse, si fœmina cum qua discurrunt, aut saltant, fœtum deponat, quod in opinione probabili Nauarri *cap. 27. nn.* 236. Perez *in lib.* 8 ordinamenti Clericis & Monachis, sunt hæc opera, in quibus versari nõ nisi fœdè possunt, ac cũ scandalo prohibita: probabilius est tamen eos cum argui negligentiæ in præcauendo periculo nequeunt, extra irregularitatem esse, quia ex *cap. is de sententia excomm. in 6.* nulla est inducenda irregularitas, nisi cuius in sanctionum Ecclesiasticarum, & canonicarum volumine, expressa fiat mẽtio, at irregularitatem incurri, nunquam dixere Pontifices, cum est adhibita à Clerico diligentia, ne obesset.

Secundo, ex homicidio nulla sequitur irregularitas, nisi sit aliquo modo volitum, sed mors pueri, ex depositione materni vteri sequuta, non est eiusmodi, & quidem non C fuit volita directè, cum nunquam, Clerico, iocando cum muliere grauida, in animum venerit, eius fœtum abigere, aut necare. Nec dici similiter potest alterum, hoc est indirectè & implicite esse tale homicidium volitum, quia in diligentia quæ adhibita supponitur à Clerico, ne quid puero ac matri male contingeret, omnis est discussa negligentia, quæ tamen sola est homicidii indirecta causa, vt tradit Ægidius *de irregularitate dubio 9. conclusione prima nu.* 82.

D Assertio tertia, *Debet tamen hæc actio illicita, ex qua sequitur homicidium, esse eius causa propinqua, cuiusmodi censetur esse factum, aut dictum quodlibet, ex natura sua, consuetudine, aut intentione operantis, relatum ad necem, aut deformationem.*

Probatur qui vitiose, & culpa sua, vino immodico vsus (verbi causa) innocentem opprimit, aut ferit, non est irregularis, si tunc primum incurrit in vitam alienã, quia semper antea cũ alienatis à vino sensibus, sui cõpos non erat, somno se ac quieti dabat, furo- E ri & sæuitię indulgebat nunquam, cuius rei causa non est alia, quam quia ebrietas nec natura sua, nec consuetudine, nec operantis voluntate, ad necem innocentis tendit.

Maior probatur, irregularitas quæ oritur ex homicidio, citra casum defectus lenitatis, est pœna solius culpæ mortalis, at vis illata per homicidium ab ebrio, qui non præuidit, eam à se admittendam in eo statu, culpa vacat, cum hæc sit ab homine extra se posito, quæ indirectè in sua causa, præscita non fuit, cum antea semper componeret

se sopori, ergo, &c.

Contraria sententia quæ est Henriq. *lib.* 14.*cap.*3.*parag.*7. *& cap.*15. *parag.* 1. 2.3. *&* 4. Laym.*lib.*3.*cap.*4.*n.* 4. habet in foro conscientiæ, nunquam incurri irregularitatem, etsi Clericus vacet operi illicito, nisi in eo obeundo peccarit mortaliter.

Censent alii ad hoc vt homicidium casuale imputetur ad culpam, & pœnam, satis non esse quod sequatur ex opere illicito, sed insuper exigi, vt non sit adhibita sufficiens diligentia, ad illud vitandum, quæ diligentia si adhibita fuerit, quantumcunque Clericus det operam rei illicitæ, irregularitatem tamen non incurri.

Ratio est, quod non incurritur irregularitas, de qua hic agitur nisi intercedat culpa homicidii, sed nunquam intercedit, cum ratione diligentiæ præstitæ, homicidium non censetur voluntarium, ita Emman. Sa *verbo irregularitas num.* 4. Coninch. *disp.* 18. *dub.* 9. *num.*80 Hurtado *de irregularitate disp.*3.*diffi.* 8.*num.*28.

Quare Clericus non dans operam rei illicitæ, aut si talis sit, quę tamen nō est coniuncta mortis periculo, non subit irregularitatem ex homicidio casuali, ita Syluester *verbo homicidium* 2.*parag.*15. quia irregularitas est pœna peccati admissi, in non adhibenda diligentia requisita, quæ cum sit grauis, non est irroganda, quamlibet ob culpam, sed grauem tantum. At huiusmodi non est homicidium ex culpa leui tantùm admissum, quia cum sit est extra potestatem hominis, summam in omni re adhibere diligentiam, ita & ea quæ sunt cum leui coniuncta culpa, vitare ac fugere.

Confirm. negat *in cap. quæsitum* 8. Clem. III. puniendos parentes, remotione ab vsu ordinum, quorum incuria non mortali, liberi, qui cum iis in eodē iacebāt lecto, sunt oppressi, *sed si ipsis procurantibus vel studio se negligentibus*, culpa ergo negligentiæ admittendæ in homicidio casuali, ad incurrendam irregularitatē, grauis esse debet ac mortalis.

QVÆSTIO XX.

Quomodo irregularitas incurratur ex mandato.

SVppono primo, Irregularem esse eum, cuius imperio (quod ad efficientem caussam pertinet) aut suppeditatione armorum, vel deductione ad locum, vbi quis ab hoste expectatur ad mortem, aut consilio quod ad caussam formalem, pollicitatione præmii, quoad finalem, suppono (inquam) eum qui talis est, vt eius ministerio, vis importa-

A ta sit proximo, irregularem esse Syluester *verbo homicidium* 1. q. 7. Portelius *in dubiis irregular. verbo homicidium num.* 10. *& sequentib.* Nauarrus *Enchiridii* 279. *num.* 233. Suarez *disp.*44. *sect.*2.*num.*189. Piasecius *parte* 1. *tractatu de conferendis ordinibus cap.*1. *art.* 5. Hurtado *disp.* 11. *diffic.* 6. probatur, mandanti & cæteris, de quibus facta est mentio, mors occisi, vt minimum indirectè est voluntaria, ergo mala, ergo eiusmodi, à qua separari pœna per Ecclesiam paricidis proposita, nequeat.

B Secundo, tam qui imperant, quam qui parent, neci alienæ cooperantur, quia eius caussæ sunt morales, sunt ergo homicidarum plectendi pœnis propriis, in quibus locum habet irregularitas.

Suppono secundo, mandati summa genera quatuor esse, generale, particulare, licitum, & illicitum. Est licitum, cum quis auctoritate propria, vt Princeps supremus, Rex, Imperator, aut qui ab eo, aut alio, qui potest, auctoritate demandata, nocentem post allegata & probata, iustæ morti addicit.

C Est illicitum, cum priuatus aliquis, potestate ad id destitutus ac vacuus, aliquem occidi imperat.

Generale mandatum est, quod fit per modum legis, statuti, aut decreti, imperando scilicet, vt qui hoc, illudue facinus admiserit, capite plectatur.

Particulare est, cum tam persona interimenda, vt Ioannes, Claudius, quam dies, locus, tempus, modusue adimendæ vitæ notantur: hoc posito.

Dico primò, *Irregularitatem non contrahi, per*
D *mandatum generale mortis inferendæ.*

Ratio est, quod tale mandatum, sequutæ mortis non sit causa efficax, nec proxima, cum impediri potuerit, aut non procurari.

Excipiendus est casus, in quo, superior statuti sui exequutionem in delinquentem, more iudicis fieri præciperet nam tūc defectu lenitatis, vt iudices cæteri, forique ministri, remouendus foret ab ordine.

Dico secundo, *Speciali imperio irregularitatem opere subsequuto contrahi*, huiusmodi asser-
E tionis præsidia sunt duo.

Primum est *in canone sicut dignum* 6. *de homicid. cap. vltimo eod. tit. in* 6. *canone si quis viduam* 8. *dist.*50. vbi est his verbis: *si homicidii, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione, post baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad Clericatum venerit, deiiciatur.*

Alterum est in ratione. qui mortis alteri inferendæ est causa, hic ea sequuta vt irregularis

gularis à sacrorum vsu ordinum remouetur, at qui quempiam, ad mortem imperio suo dat præcipitē, vere est eius causa, eaque moralis, vt ex eo fit planum, quod primo & per se damna consequuta reparare debeat, & in eius defectum, exequens eius iussa.

Dico tertiò, *Tam mandato homicidij licito, quam prohibito, expresso aut virtuali, irregularitatem contrahi, si tale mandatum, est causa eius proxima, & particularis*, Henriq, *lib. 14. cap. 12. parag. 6.*

Ratio est, quod mandans ab eo imperio habeat, vt vere sit homicida, cuiusmodi quisquis est, irregularis est.

Patet ex dictis primo, vt Episcopi culpa omni carent, sibi subrogantes, qui ius suo loco subditis dicat, ita & à pœna homicidii liberos esse, cum generaliter tantum, ac vniuerse, nemine notato, Vicariis suis imperāt, vt scelera exagitent, meritaque pœna puniant, quia tunc non sunt mortis vlli illatæ, aut inferendæ causa particularis, ac proxima, nec proinde irregularitatis, sicut cum in reum certum, ac designatum, iudicem immittunt, dando ei in mandatis eum viuere ne sinat.

Patet secundo, mandantem illico irregularem effici, ac mandatarius, quod est iussus efficit, etsi inter eius imperium, remque imperatam, plusculum intercedat temporis, quia ab intercurrente spatio non habet imperans, ne non sit causa factæ necis.

QVÆSTIO XXI.

An Irregularitas incurratur tacendo, aut auxilio alteri ad se tuendum non præstito.

DIco primò, *Qui tacet, aut alterum cum potest non adiuuat, irregularitatem non incurrere, si homo sit priuatus, pari tantum, aut non maiore aliqua auctoritate præditus, quam qui vim insonti parat.*

Causa est, quod qui insidias alteri paratas non aperit, aut ab iis innocentem non eripit, silentio non fit ipse suo, aut non defensione, mortis ei illatæ causa, non effectiua vt patet, nec moralis, quia taciturnitas ac non defensio, cum conditionis æqualitas intercedit inter eum cui efficaciter mors intentatur, & qui tacet, mortis non sit causa, cum loquendo occidentis conatum irritum non redderet, & inefficacem ad eam inferendam vt patet.

Secundo, contra charitatem qui peccat, nunquam sic est damni, quod ei repugnat, causa, vt illud restituere debeat. At inferiorem, aut æqualem ei cui struuntur insidiæ, sola illi charitas obligat, vt opem adferant,

A ac imminenti eius damno occurrant & non iustitia, ergo cum homicidium, ex quo irregularitas sequitur, restituendi obligationem inducat, defensionis omissio, in eo qui non nisi ex charitate inuasum tueri debet, irregularitatem non pariet.

Tertio, omissio auxilii ad impediendum casum alterius necessarii, non est proprie homicidium, quia ex charitate tantum tale subsidium erat debitū, non autem ex iustitia.

Causa est, quod qui illud non exhibet proprie in necem influere non credatur, quod B tamen ad homicidium est necessarium, ergo non est irregularis.

Dico secundò, *Qui necem alterius vt poterat, & debebat ex iustitia, non impedit, puta quia ex officio, vel ratione stipendij, vel alicuius obligationis, ab ea illum tenebatur eripere, homicidio sequuto irregularem esse*: ita Doctores apud Maiolum *lib. 5. de irregularitatibus cap. 48. parag. 3.* Sayrum *de censur. lib. 7. cap. 4.* Bonacin. *disp. de censur. 7. q. 4. puncto 8.*

Probatur, qui ex iustitia opem ferre tenebatur alicui, & non facit, quo ex defectu C mors sequitur, reus est homicidii, cuius etiam vera est causa, quia in illud influit, occisum priuando re sibi debita, ac necessaria, auxilio scilicet, quod tenebatur ei non negare, ne periret quemadmodum is quoque vere mortis eius est causa, cui cum ipse non sit in extrema necessitate positus, panem vnicum, qui erat ei ad vitam, necessario suo tempore opportunus, ac vtilis, subtrahit, sed est homicida irregularis, ergo & qui homicidium, cum ad id ex iustitia obligatur, non impedit.

D Secundo, cum non protegere, cuius salus in discrimen vocatur, cum debes, & potes, est homicidio aliquo modo, opem ferre ex canone *periculosè 23. de pœnitentia dist. 1.* quod homicidium, in omissione opis necessariæ ad eius salutem, est indirecte voluntarium, nisi forte qui debet, iusto metu cohibitus, iniuriam non repelleret vt exigit æquitas, nam tunc tanta non videtur, & tam acri plectendus pœna, cuius rei causa non est alia, quam voluntas Ecclesię, quæ id iuste, ac cum ratione postulare nequit, cum metus qui in E constantem virum cadit, grauisque dicitur, singulos ab obseruatione legis Ecclesiasticæ eximat, ergo & à pœnis eius violatori impositis.

Contraria sententia patronos habet Gabr. Vasq. Hurtadum *disp. 2. de irregul. diffic. 6. num. 34.* Turrian. *de censuris lib. 9. disp. 63. dub. 3.* quam & probabilem his argumentis reddunt, primo.

Quod quæ ex homicidio irregularitas oritur, veros ac proprios homicidas afficiat,

At qui casum alienum ac clade non impedit, vt vere non necat, ita nec proprie causam dat homicidio, sed tantum per accidens non prohibendo.

Confirm. Qui furtum non impedit, fur in iure non dicitur, ergo nec homicidio, qui diligentia ipse sua, ac cura non obstat, ne vita auferatur alteri.

Sane excommunicatus non esset, qui Clericum in quem habet imperium, violentiæ percussorum non eximit, nisi id Pontifex *in cap. quantæ de sentent. excomm.* sanxisset, cōtra eos, qui eam dolo non impediunt, qnare cum de homicidio, eiusmodi nihil iura Ecclesiastica sanxerint, illud qui non impedit, irregularis non erit. Hæc mihi sententia probabilis videtur, superior tamen securior.

Secundum quam, patet ex dictis primo, militem, qui pacto stipendio operam suam ad defensionem alterius addictam habet, eiusque similes, irregulares fieri, si eum culpa sua sinant interimi.

Patet secundo, hac pœna non teneri, quos mentis ignauia, mortis metus, turbarum odium, vitæ traducendæ suauiter ac tranquille desiderium, à tutela aliena reuocat, est enim omissio officii, præstandi ex charitate alteri, vitiosa quidem, sed non malitia homicidii propria.

Excipiendus est casus, in quo ex omissione subsidii, exhibendi innocēti, audacia aggredienti cresceret, fieretque ad inuadendum promptior, nam tunc si non modo charitas, sed & iustitia, ab eo viri boni officia repetunt, ea negando, causa erit homicidii, quo sequuto incurretur ab eo quia non fecit officium, irregularitas.

Tertio, cum opis ferendæ alteri, cum releuandi oppressi ac iacentis, nulla sit necessitas, quādo id sine magno nostro aut rerum nostrorū detrimento fieri non potest, patet magistratū, qui ratione officii publici, quod in republica auctoritate gerit Principis, lege charitatis aut iustitię teneri ciues defendere, similiter nec Dominum, cui ex iustitia suos cū potest, incūbit eximere discrimini, irregularitatem nō contrahere, si sibi, ac rebus suis metuant, quas sartas tectas seruare, seque in tuto locare posse non credunt, si se alienæ opponant violentiæ, vt domesticos ab ea suos obtegant.

Patet vltimo. Aduocatos, eorumq; coadiuuas, quos procuratores vulgo nominant, irregulares esse, si causæ sibi commissæ præuaricentur, si datæ fidei, si clientes deserunt si momenta causæ præcipua negligunt, si arma ad victoriam necessaria abiiciunt, infirma sumunt, ex quo eos capite luere accidit,

A quia culpa sua, dolo scilicet, ac fraude, eis creauere perniciem.

Par pœna similisq; testes afficit, qui à magistratu iussi, veritatem palam eloqui, à qua salus pendet insontium, eam nunquam damnādo satis silentio subticent, Regin. *lib.* 30. *tract.* 3. *cap.* 12. *num.* 17. quia ex iustitia, dare Aduocati debent operam, ne clientes contra fas iusque opprimantur, cum ad id industriam suam ac fidem locatam habeant.

B

QVÆSTIO XXII.

Ad quos pertineat Irregularitas proueniens ex defectu lenitatis.

QVotquot ad cædem concurrunt efficaciter, etiam sine culpa, ad hos Ecclesiastica hæc pœna pertinet, & primo irregulares habendi sunt ex hoc capite iuridici, quique foro, Principis loco præsident, vbi de salute & capite nocentium agitur, huius opinionis firmamenta duo.

Primum Conciliorum auctoritas, instar C sit omnium, canon tricesimus Concilii Toletani quarti, vbi est his verbis: *Quia Sacerdotes à Christo ad ministerium salutis sunt electi, vbi consentiunt legibus fieri iudices, vbi iureiurando supplicii indulgentia promittitur, non vbi discriminis sententia preparatur, si quis ergo Sacerdotum, contra hoc commune consilium discussor in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sanguinis, apud Christum, & apud Ecclesiam perdat proprium gradum.*

Irregulares sunt ergo hi omnes ex defectu lenitatis, qui iudicia exercent capitalia, D ratio est, quod sententiam dicere capitis, quod de nocente pœnas quamuis iustas repetere, sit contra mansuetudinem Ecclesiasticam, Alexand. III. teste *in cap. suscepimus* 10. *de homicid.* est enim indecēs vt qui personam Christi gerit in altari, hostiam immaculatam Deo offerens, vitam homini auferat, cuius ille conseruandæ gratia, propriam perdidit.

Secundo sunt ideo & ex hoc defectu, incapaces ordinis, Assessores iudicum, testes, accusatores, Notarii, Scribæ publici, quique E reo custodes ad mortem eunti, comites adduntur ne euadat, quibus addendi qui in capitalibus causis sunt patroni, quos Innoc. Episcopis in Synodo Toletan. constitutis, *epist.* 24. *cap.* 2. deponi imperat, eo quod ad Clericatum peruenire nequeant, vt ipsemet ait *in epist. ad Fœlicem* 4. *cap.* 3. ad quæ accedit hæc ratio.

Quod hi operam suam ad mortem efficacem afferant, ergo cum homicidæ cuiusquemodi

quemodi, Ecclesiasticæ irregularitatis nota sint infames, ab ea fore liberos quis credat, quorum est in hac assertione facta mentio Regum scilicet, ac Principum ministros in causa capitis?

Casus excipiendi sunt duo, primus est, cum ad certi ac designati hominis interitum, nec testis, nec notarius, aut patronus, operam suam deferunt, sed vniuersè tantũ ad pœnã nocentium, quia istiusmodi hominũ opera, à morte huius, aut illius abstrahit, ergo si sequatur, eius hi censeri causa non debent.

Secundus est, cum quis tantum remote, per accidens & indirectè, alienæ mortis est causa, indirectè quidem, quia litem ei creat, qui est ex alia causa diminuendus capite, remotè autem qui ea faciunt, quæ proxime in mortem non influunt, ita qui scalas & funes ad suspendendum conficiunt remote mortem nocenti afferunt, quos tamen irregulares non esse communis est opinio.

CIRCA dicta quæritur primo, *An sit irregularis, quisquis ei litem intendit, qui postea iudicis ore, sententiaque, in foro perit.*

Qui in causa ciuili diem alteri dicit in prætorio principis, non est hic irregularis haud dubie, quia hoc non est accusare, sed agere, accusatio enim crimen desiderat, hominem vt notet, rem vt definiat, quorum primum in repetitione rei suæ deficit, & quanquam accusare, vniuersè sumptum ac generaliter, idem valeat communiter, ac vrgere ad dicendam causam, Alciatus *in leg. qui accusare Cod. de edend.* quæ causa est, cur accusationis nomine, ciuilis quoque actio veniat, *l. iudiciorum in fine dig. de accus. & inscrip.* proprie tamen accusare, & accusatio ad crimina, eorumq; delationes referuntur, vnde est accusatio proprie, ex qua pœna mortis imponitur, vel corporis coercitio, vel mulcta pecuniaria fisco applicanda. Actio autem, ius persequendi in iudicio, quod sibi debetur, Angel. *rubr. iust. de publicand. iudic.*

Secundo est id quoque certum, Clericum irregularem non esse, si iudex capite mulctandum crediderit, quem ille in causa quidem capitis accusauit, sed quæ morte punienda non erat, causa est, quod tum, iudici eiusque imprudentiæ, non autem accusationi Clerici, sententia tribui debeat.

Tertio, qui in persona vel rebus suis, aut suorum, iniuriam est passus, potest absque irregularitatis metu vllo, res suas auctoritate iudicis, in foro repetere, actionem ciuilem cõtra furem instituere, etsi intelligat, eum probabiliter damnandum, dummodo protestetur se accusati mortẽ non quærere, sed suam, ac Reip. salutem. Ita Bonifa. VIII. *in decret. 2. de homicidio in 6. Alioquin,* inquit, A *si Prælati aut Clerici, propter metum eiusmodi (quia iudex ad pœnam sanguinis posset procedere) de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona libere deprædandi,* quare qui sine tali protestatione, quempiam in foro peccati arcesseret, etsi eius mortem nollet, irregularis esset.

Quid si verbo tenus duntaxat, ac proinde cum fraude dicat actor, accusati se mortem non cupere, quam tamen desiderat?

Nauar. *cap. 27. num 226.* irregularem pronuntiat, quia protestationem eiusmodi non B adhibet, quam canones exigunt, hoc est veram, non fraudulentam & fictam, itaque causa secuturæ mortis est censendus.

Cui opinioni repugnat Couar. *3. parte relect. de homicid. num. 5.*

Primo, quia ex interno voluntatis affectu, ac opere, irregularitas nasci nulla solet.

Secundo, quia de huius protestationis faciendæ modo, nulla fit in decretali citata Bonifac mentio, frustra ergo sincera postulatur intentio.

C Quid? quod mitigari odia oporteat, restringi pœnas, quod esse qui possit, si ad verba, accedere debet vocum ac intentionis sinceritas, intelligere non est facile, sufficit ergo verbis facta protestatio, etsi futuræ mortis destituta desiderio.

In persona sua, aut suorum dixi, hoc est domesticorum, amicorum, aut ita coniunctorum, vt eorum iniuria, communione quadam sanguinis, aut necessitudinis, in conquerentem redundare videatur, nam qui de damno sibi non coniuncti hominis, iniuriaque, in foro apud iudicem conqueritur, eiusque nomen inter accusatos, reosque defert, D quamlibet immunem se, ac alienum à petitione vindictæ dicat, irregularitatem tamen non euitat, si in accusatum mortis aut mutilationis sententiam, criminis grauitate ita postulante, iudex proferat, Nauar. *cap. 27. num. 217.* Molina *tract. 3. disp. 8. num. 8.*

Ratio est, quod ad sui, suarumque rerum defensionem, interclusos vlli esse aditus, Ecclesia noluit, ne impune, cuique nocendi daretur improbis occasio, at esset ad sui defensionem via clausa, si res suas repetere in E iudicio, si earum iniquum detentorem, furti agere, sine contrahendæ irregularitatis metu non liceret, quæ ratio cum cesset, vbi res non propria, aut honor accusantis agitur, sed aliena, non est mirandum si protestatione eum iuuari Ecclesia, cõtra sua decreta, de incurrenda irregularitate noluerit, qui iniuriam ad se non attinentem, iudicio persequitur, ex quo mortis, aut mutilationis sententia consequitur.

QVÆSTIO XXIII.

An Clerici in foro accusantes sint irregulares.

SErmo hic mihi primo, de accusatione quæ pro fine deformationem habet corporis, per necem hominis, aut eiusdem mutilationem,

Sermo mihi secundo, de accusatione in causa sanguinis, Aduocato pro actore, contra reum patrocinante, vt seueritatis in eum suæ aculeos iudex erigat, hominemque his alte confossum perdat.

Et certum est, accusationi in causa sanguinis, irregularitatem adiunctam esse, decreto Innoc. III. *in canone sententiam finali tituli ne Clerici, in can. studeat dist. 50. & dist. 51. can. 1.* cui enim est incognitũ, irregularitate teneri eum, qui causam dat propinquam mutilationi, aut homicidio? eiusmodi autem esse, quis non videt, accusationem rei in foro, aut publico causarum auditorio? tam enim probabile, aut certum, accusato Clericus exitium creat, eum arcessendo criminis, quam si iudici eius necandi, auctor esset, quod qui facit, admissi notam homicidii non effugit Aug. teste *tract. 42. in Ioan. Noli*, inquit, *putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades, si fratri tuo mala persuades, occidis,* & alibi vt refertur *33. q. 3. can. perniciose 23. Perniciose*, inquit, *se decipiunt qui existimant eos tantum homicidas esse, qui manibus, hominem occidunt, & non potius eos, per quorum consilium & fraudem, & exhortationem, homines extinguntur.*

Confirm. est testimonium de his rebus, per quas mors infertur, eius causa, vt pote quod in sententiam sanguinis per se influit, iudicem ad eam determinando, at quæ testimonii, eadem quoque est accusationis ratio, cum nemo nisi accusatus, auditus, & conuictus, damnari possit ac debeat.

Certum 2. Clericum irregularem non esse, qui cum diem quidem certo homini pro ære alieno, debitisque dixisset, mulctari eum capite contigit, quia sententiæ contra se datæ, ex peruicacia obsequi noluit, nam cum talis accusatio non sit homicidii causa proxima, sed remota tantum, de irregularitate suspecta esse non potest, vt colligitur ex *cap. postulasti de homicidio.*

Certum 3. Clericum de crimine accusantem, quod capitis, aut membrorum diminutione plecti, leges ac æquitas non sinunt, irregularẽ non esse, si eum iudex ex ignorantia, aut inueterato in eum odio, funestæ cruci perdendum, sententia sua, imperioque addi-

A cat, Auila *7. parte disp. 5. sect. 1. dub. 1.*

Causa est, quod Clerici actio non sit puniendа hac pœna, nisi vt est causa per se, sequutæ mortis, at non est subiecta materia eiusmodi, sed iudicis imperitia, qui contra ius, de innocente pœnas, æquo maiores repetit.

Sentiendum secus foret, ac proinde extra irregularitatem Clericum non esse, si spectatus, tam loci quam personarum circunstantiis, videre debebat aut poterat, accusatũ ab insciente passurum iudice, quod horrentatio, B refugit æquitas, prudentia ac humanitas pati nequeunt. His præmissis sit,

Prima assertio, *Vt Clericus, reũ accusãs maleficii ob quod perire eũ legibus est necesse, non sit irregularis*, quorundam opinione profiteri debet, actionem nõ se suam eo dirigere, vt accusato periculum mortis creet, sed solum vt æquitas ius suum obtineat, nam est ideo Clericis interdicta accusatio in causa sanguinis, quod per eam, mortem accusati censeantur velle, ac quærere, at cessat hæc suspicio, cum clare, & vere iudici enuntiant, sibi C nihil in alieni criminis delatione, cum nocentis interitu esse velle, *cap. prelatis 2. de homicidio in 6.*

Deinde est Clericus, qui reo litem intendit capitis, hoc est (vt loquuntur) accusat criminaliter, ideo irregularis, quod causam det homicidio proximam, at ab hac eum suspicione protestatio eximit.

Dixi *expresse* nec enim tacita sufficit, qualis est eius, qui accusati quidem mortem non appetit, sed vitam, sed id non exprimit: debet ergo actualis esse hęc protestatio, verbisque, D aut signis declarata, vt dicitur in decretali citata Bonif. VIII. quæ incipit *Prælatis*, his verbis: *Ne contra eos talia præsumantur, protestando expresse, quod ad vindictam, seu pœnam sanguinis non intendunt, imputari non debet.*

Additur *in causa sanguinis* nam si leue crimen aliquod, resque quæpiam ciuica in foro agitur, non videtur esse hæc denunciatio necessaria, secundum Henriq. *lib. 14. cap. 12.* & Glossam *in canonem prelatis*, ac si tum accusatum mori accidat, iudicis ignorantiæ, E aut improbitati, eius erit ascribendus interitus, non actori, *alioqui*, inquit *canon prelatis citatus, si Prelati, aut Clerici propter metum huiusmodi (quia iudex ad pœnam sanguinis posset procedere) de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona libere depredandi.*

Quid si accusator significet quidem, accusati se mortem nolle, sed ore tenus duntaxat.

Respondent aliqui vt Fernandez *in medulla parte 2. cap. 10. parag. 14.* & Nauar. *supra*, irregularem

irregularem esse non secus, quæ opinio magnam apud me veri speciem habet, probabilior est tamen in fauorem Clericorum, opinio asserentium, ab irregularitate immunem actorem esse, quam defendunt Couarruuias *ad Clementinam si furiosus parte 2. parag. 5. num. 2.* Henriqu. *lib. 14. cap. 11.* quod vt Clericus eximatur ab eorum numero, qui quoniam homicidio dant causam, in irregularitatem incidunt, satis sit per canonem *prælatis de homicidio in 6.* cum vti protestatione, de qua agimus, quæ quia externa tantum esse potest, frustra postulatur interior, cum ius quo statuitur, quod vitetur irregularitas protestatione prædicta, restringi ad eam, quæ fit voce, simul & animo, non debeat. Priuilegia enim ampliari ac diduci, odia autem restringi conuenit.

Quid? quod Ecclesia de internis non iudicet? quod cum abdita eam lateant, eorum defectum punire nequeat? ne quis ergo accusando sit irregularis, exigere internum illum affectum non potest.

Verum enim, quod accusatori licet cum effectu vitandæ irregularitatis, quando reo capitis diem dicit, etiamne ad patronos, testes, Iudices, Aduocatos, cæterosque fori ministros pertinet? eam vt declinent, vitentque, cum protestationem hanc initio causæ adhibent?

Non posse censuere magni viri Vgolinus *de irregul. cap. 6. parag. 9. num. 3.* Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. parte 3. cap. 7. num. 5.* Molina *to. 4. tract. 3. disp. 74. num. 5.* Hurtado *disp. 2. diffic. 11. num. 41.* Henriq. & Turrian. ab hac ratione opinionem suam reddunt probabilem, quod facultas protestandi, accusatori soli concedatur in iure, non aliis, ad eos ergo extendi non debet, Laymanni sunt hæc verba: *Exinde intelligitur, cum Couar. parte 2. parag. 5. num. 5.* Henriq. *lib. 14. cap. 12. num. 9.* Suar. *disput. 47. sect. 3. Aduocatum ac testes, in causa criminali, nihil per protestationem adiuuari, si ex eorum allegationibus Iudex ad causam sanguinis motus fuerit.*

Pro iis dixere & sensere mitius Coninch. *disp. 18. cap. 10. num. 95.* Præpositus *in 3. parte q. 5. de irregul. dub. 13. nu. 104.* his enim visum, Aduocatis & testibus, idem, irregularitatis vitandæ causa, competere beneficium, quod accusatoribus, quare vt ab istis, irregularitatis labem omnem protestatio remouet, ita & ab illis.

Probandæ huic assertioni causam hanc afferunt, quod nisi testes, & Aduocatos, par ac similis sequeretur gratia, ac quæ accusatori est concessa, facta isti facultas foret inutilis, quam enim pauci contra reum pro accusatore dicerent, quam pauci pro veritate testi-

A monium redderent? cum omnes, tantæ pœnæ subeundæ iustus metus, à dicendo, orando, defendendo, & testando retraheret, sicque fieret, vt nec reus puniri, nec accusatori concessum priuilegium prodesse posset, ergo vt istum accusatio in causa criminali irregularitate non afficit, cum est protestatus mortem accusati se nolle, ita nec testes, & Aduocatos lædet, si idem publice eloquantur, sincere tamen ac candide: hæc mihi opinio videtur in conscientia tuta, nec proinde in praxi damnanda.

B Verum enim excusatne in qualibet causa, materiaque, eiusmodi protestatio?

Primo excusat ab irregularitate Clericum, qui eum accusat, à quo in fama, bonis propriis, suoque corpore læsum se queritur.

Secundo, cum res consanguineorum, patris, filii, fratrum sibi commissorum, ac eorum, quibuscum tam arcto necessitudinis vinculo nexus hæret, vt eorum iniuria ad ipsum communione sanguinis pertineat, Hurtado supra, Molina *tract. 3. disp. 44. num. 11.* C Laym. *supra, num. 5. parag. sunt autem.*

Tertio, excusat protestatio Clericum ab irregularitate, cum eum accusat qui damno aliquo Ecclesiam, aut commissam sibi plebem affecit, aut ei diem dicit qui Reipubl. nocere parat, nam adauertendum graue eius detrimentum, aut innocenti imminens periculum, illum accusare fas est Clericos dummodo ante sententiam protestetur ac dicat vindictam se non quærere, aut mortem vt est *in cap. 2. de homicidio in 6.* quanquam non desunt qui protestatione in hoc casu D opus non esse asserant, vt Molina & Præpositus locis citatis. Et quoniam de Clericis præsens est disputatio, hic addenda videntur aliqua quæ ad eos in hac materia pertinent, & primo.

Quæritur, *An cum in bello iusto, manus cum hoste conserunt, & pugnando interimunt aliquem, sint irregulares.*

Respondend. quibusdã non videri, ratio est, quod dum finis est licitus, permissusque singulis, media quoque ad eum, natura sua E aut vtentis voluntate idonea capessere, non sit in vitio: at est huiusmodi mors hostium, illata per Clericos, cum patria, aut ciuitas, cuius sunt membra, de fortunis ac salute, periclitantur.

Mihi tamẽ mens est alia, quã canones bini, ratioque ipsa ingenerant. Enimuero est irregularitas non tam pœna, quam moralis quædam macula, seu indignitas ad altaris ministeria, at faciũt, hæ res ambæ cõtra Clericos, congredientes in bello cum hostibus, quã est enim à personæ maiestate, quã in Dei Ecclesia Sacerdos gerit, alienũ, eum incuba-

re sanguini? vitã quam vel corpore ipse suo, saluteque, tueri Christi exemplo debet, hominibus eripere? Eum qui mortalium omniũ fuit mitissimus, se in altari hostiam, Deo Patri immaculatam offerentẽ refert, ac exprimit, id verò facere qui possit; concipere non est facile, si illi est impune, bellis assuescere, si vt milites cæteri faciunt, sanguinẽ hostium haurire licet cum laude. Eos sane cum arma gessere, cum in bello vixere aliquanto tempore, esse à sacris remouẽdos altaribus, scripsit Innocent, *epist. 24. ad Episcop. Hispaniæ cap. 2.* quod ipsum sanxere qui Concil. Toletano primo interfuere Hispani Antistites: sic enim illi *can. 8. Si quis post baptismum militauerit, aut cingulum ad necandos fideles sumpserit, etiamsi grauia homicidia non admiserit, si ad Clerum admissus fuerit, Diaconi non accipiat dignitatem.*

Secundo quæritur, *An Clerici qui capitis supplicio intersunt sint irregulares.*

Respondend. cum distinctione, aut enim morituro præsentiam suam accommodant, vt carnifex aspectu suo ad extorquendam laqueo rei animam, sit expeditior, moriturus autem ad fugiendum lentior, ac tardior, quia eorum authoritate, ne id cogitet, velitque, impeditur, & hoc si animo constitutum habent, vere sunt irregulares, iuxta Angelum, *in verbo homicidium 1. num. 25.* Innocent. III. *in decret. ex literis 10. de excessibus Prælatorum*, vbi Albigenensem Episcopum officio indignum iudicat, eoque priuandum quod auctoritatem suam ad suspendium cuiusdam furis præstitisset.

Ad hoc Innocent. responsum accedit ratio, nempe quod tunc causam homicidio proximam, Clerici tribuant, vt qui vere ei cooperentur, illudque accelerent. Quod si contra, pœnæ de nocente repetendæ per lictorẽ, se tantũ spectatores exhibent, & nihil amplius, etsi in eo de curiositate excusari nequeunt, proindeque nec de culpa, ab irregularitate tamen immunes eos esse docent, Nau. *Enchir. 27. n. 214.* Molina *de iustitia trac. 3. disp. 8. num. 13.* quia ad criminosi mortem, nihil de suo adferunt, ergo nec homicidæ dici vere queunt.

Tertio quæritur, *An Clericus pro irregulari sit habendus, qui absolutionem iudici negat, reum absoluere, ac è carcere in libertatẽ asserere paranti.*

Respondend. negatiuè cum Henriq. *lib. 14. cap. 12. parag. 4. littera A.* si iudici tantum in confessione indicet, quid ex officio, Reip. ac nocentibus debeat, quę sint eius partes, quę in infligenda pœna, nocentibus munera: qua ex oratione, factus ad vindictam animosior, rei quem in vinculis habet, puniendi pro meritis occasionem capiat, nam con- A fessario incumbit ex officio vti patri, pœnitentẽ admonere sui officii, earumque rerum renouare ei memoriam, à quarum omissione impeditur peccatorum remissio, eiusque Sacramentalis absolutio: at peccat iudex, qui de nocẽte pœnam repetere, qui in eum, notissimi maleficii conuictum, testium voce exemplum statuere publicum renuit, cum vtrumque Reipublicæ, tam iustitiæ lege quam charitatis debeat, quare cum qui prouincia defungi sua, nec facere officium sit paratus, quod tenetur explere, absolutionis B sit incapax, non peccat confessarius, cum eam iudici sic disposito non impertit, ergo nec eum admonendo officii, hortandoque vt secundum allegata & probata, reum puniat, ergo nec est ex eo existimandus irregularis.

Quarto quæritur, *An ab irregularitate excusetur Clericus, cum in bello iusto militibus est auctor, vt præclare rem gerant, seque viros in conflictu exhibeant, dicendo, state, occidite, pugnate, bombardas displodite.*

Respondend. primo, Clericum cum cohortatur tantum milites ad pugnam, irregu- C larem non esse, Glossa *in can. sciscitaris 17. q. 1.* Portel. *in dubiis regular. verbo homicidium nu. 43. in addit.*

Ratio est, quod eiusmodi cohortatio à morte abstrahat.

Secundo, quod non sit hæc opposita iustitiæ, nec cuilibet alteri prohibitioni.

Respondend. secundo, cum Clericus cohortatur ad necem, ab irregularitate excusari non posse, nisi cum eo dispensasset Pontifex. Responsionis pars prima probationem, habet facilem: nam concurrere ad alienam D necem, ex quocunque fine etiam bono, pœnam irregularitatis in Clerico adiunctam habet, ex Nauarro *cap. 27. num. 217.* Antonin. 3. *parte titulo 28. cap. 2. parag. 5.* Portelio supra, qui omnes aiunt irregularem ob eam causam esse, qui ligna ad comburendum hæreticum, vt virtutis studio, zeloque fidei, sic Caluinianæ sectæ odio conuehit, sic enim ad eius mortem, exitiumque operam suam confert, quod est malum, & Clerico E prohibitum.

Secunda assertorem habet & patronum Couarruuiam *ad Clementinam si furiosus parte 2. parag. 3. num. 2.* pro fundamento rationem hanc habet.

Potest Pontifex irregularitatem, vbi est contracta tollere, ergo & impedire ne incurratur.

Confirmatur, quod Clericus, aut alius fit irregularis ex homicidio iusto, id oritur à iure Pontificio, at in eo dispensare potest Pontifex, ac facere ne vim suam in eum

exerceat

exerceat, à quo non seruatur, ergo & ne ex eius violatione ea pœna sequatur.

Quæritur quinto, *Liceat ne sine irregularitate Clerico, cum vrbs ab infidelibus obsidetur, aut nauis in qua versatur, à piratis Caluinianis oppugnatur, propria se manu tueri, ac repugnantes occidere.*

Respondend. licere, primo, quia cum irregularitas sit pœna, extra casum defectus lenitatis, non incurritur sine culpa, at ea omni vacat Clericus, tuendo vrbem, in qua versatur, nauim qua vehitur, ab impressione hostium, nec sine eorundem clade, cum quæsito ad mortem semper sit permissum, se defendere, maxime cum est innocens, vt sunt Catholici, respectu aggredientis hæretici.

Secundo, lex positiua ad eum casum se non extendit, in quo dispensaret legislator si adesset; at talem esse præsentem, nemo sanæ mentis non intelligit, ergo, &c.

Tertio, qui necessitate impellente cædit aduersarium, quoniam alia via non ostenditur expediendæ salutis, Clementis V. auctoritate *in Clement. prima de homicidio*, omniumque Theologorum consensu, irregularitatem contrahit, at Clericus in vrbe obsessa ab hostibus inuaditur, in naui, à Caluinianis cum ferro ad mortem quæritur, ergo, &c.

Sexto quæritur, *An Sacerdos qui reum comitatur ad mortem, irregularis censeri debeat, si eum cohortetur, vt celeriter scalas ascendat, grandique passu ad locum supplicio destinatum vadat.*

Negant Henriq. *lib. 14. cap. 12. num. 7.* Regin. *lib. 30. tract. 2. cap. 9. num. 103.* Diana *tract. 5. 3. parte resp. 79.* Villal. *to. 1. tract. 21. diff. 27. num. 13.* Portelius *in dubiis regular. verbo homicidium num. 46.*

Causa est, quod cũ Presbyter non sit iudex, nec de ministris fori vnus aliquis, nec cooperetur cum iis ad mortem, eam absolute procurando, aut ea sine quibus executioni mandari nequit, faciendo, incurrere pœnam hanc nisi ex delicto mortali nequeat, quale non interuenit cum res est leuis, & indeliberata, cuiusmodi esse quæ in exemplum sunt posita, tradunt cum citatis auctoribus Vasq. Turrian. *de censur. lib. 9. disp. 66. dub. 3. quare mea sententia,* inquit Portelius supra, *religiosum infirmarium, vel comitantem ad patibulum non esse irregularem, si bona fide, absque culpa mortali, & in re parua dicat, vel faciat aliquid, ex quo per tantillum tempus, mors dicatur accelerari.*

Similiter non sunt irregulares qui furcam faciunt, funes aut crucem factam vendunt, qui ensem tribuunt, aut cætera, quibus vt instrumentis, vita est extorquenda rei, nam cum irregularitatis contrahendæ, duplex

A sit ratio, altera ex defectu, ex homicidio iniusto altera, ex neutro possunt capite, hi de quibus est mentio, irregularitati subesse; non primo, quia ministri non sunt iustitiæ; nec vt tales operantur, nec secundo, quia in eo culpa vacant, suntque secuturæ mortis causa admodum remota, vt enim in hoc genere, nempe ex defectu lenitatis irregularitatem quis contrahat, debet eius cooperatio ad mortem, aut mutilationem esse aliquo modo notabilis, & non admodum remota, aut per accidens, Layman. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. parte 3. cap. 7. num. 2.*

B Septimo quæritur, *An pro irregulari sit habendus, qui mortem rei procurat, ac appetit, iudicem ad eius vindictam acuendo, verbis, signo, atque sermonibus.*

Pro tali eum habent Doctores, præ cæteris Henriq. *lib. 14. cap. 12. num. 8.* his verbis: *Actor priuatus, seu agens, & procurator contra reum, qui mortem aut deformationem quærit, est irregularis.*

Causa est, quod cum ministris fori, ad executionem dictæ in reum sententiæ, tum concurrat.

C Secundo, quod est hic, directa voluntate causa mortis, à quo ad eam decernendam ratione officii sui moueri iudex solet, eiusmodi autem eum esse qui iudicem impellit, agitque contra reum, vt de eo meritas pœnas exigat, quis neget?

Retractari tamen secundum constitutionem canonis voluntas hæc censetur per protestationem, quam iuxta *cap. 2. de homicid. in sexto*, facere quilibet, ante litis contestationem debet, dicendo sanguinis se vindictam, mortemque rei non postulare ac quærere, nam etsi esset talis protestatio ficta, vel-

D letque actor, vt per iudicis sententiam, causa ille capiteque caderet, euitaretur tamen irregularitas non secus, secundum Laym. *loco cit. nu. 6.* Henriq. *cap. 11. in fine,* Auilam *dub. 9.* Nauar. *cap. 27. num. 226.* Sylu. *verbo homicidium 2. q. 8.*

Octauo quæritur, *An præter iudicem, forique administros, sint & alii, qui ex defectu lenitatis irregularitatem contrahant?*

Omnino, suntque de hoc numero, quotquot moraliter ad necem cooperantur alte-

E rius.

Primo, ex intentione, vt qui scienter funem offert ad suspendium, gladium ad homicidium, fasces ad vrendum.

Secundo, per actionem ad hoc ordinatam, vt si testetur quis in causa sanguinis, si furem indicet, si viam qua aufugit, si locum vbi latitat, si confessarius reo adhibitus, carnificem moneat, venisse tempus, quo iudicis imperio sit parendum, si eum oret vt gla-

dium magis acuat, &c. nam mortis acceleratio etiam ex pia causa, & meritoria, si non est culpabilis, at certe irregularitati est iuncta, Laym. *cap.* 7. Molina *tract.* 3. *disp.* 74. nisi ex charitate, eaque vrgente, originem duceret, vt accideret, si periculum esset in mora, si metus futuræ desperationis in summa cruciatuũ acerbitate, quibuscum extremo suo, maximéque necessario tempore, reus confligit, esset tamen irregularis qui criminosum iudici traderet, si hanc eius deditionem mors exciperet, Nauar. *in can. periculose dist.* 1. *de pœnit. ad finem notab.* 2. similiter qui definite magistratui imperat, certum vt hominẽ extremo supplicio afficiat, carnifici autẽ, vitam ei vt laqueo, primo quoq; tẽpore extorqueat, quia est hoc eius imperium, mortis illatæ aut inferendæ propinqua causa.

Ob rationem oppositam, qui arma facit, aut vendit, funes aut scalas parat ad mortem, non huius aut illius, aut certe cuiuspiam hominis, sed nocentium tantum in communi, irregularitatem non subit, quia talis in eorum necem non nisi valde remote influit, planeque per accidens: quod quia spectatores supplicii non faciunt, ab irregularitate sunt liberi, est tamen lege canonica Innoc. III. *in decretali sententiæ quæ est nona tituli ne Clerici vel Monachi*, Clericis prohibitum, in eo loco promiscue cum plebe consistere, vbi in eius oculis, de nocente pœna capitis repetitur coram & publice.

Nono quæritur, *An Episcopi sine irregularitatis metu vllo causas sanguinis committere possint certo homini, qui suas vices in iudicando obeant.*

Dico primò, *Posse Episcopos, temporalem iurisdictionem obtinentes, sibi substituere magistratus, ac iudices, qui suo nomine, quæstionem de delictis instituant, eaque, cum pœna sunt digna, supplicio iusto puniant.*

Ratio est, quod Episcopis incumbit pro munere, dare id operam, ne in prouinciis, quibus præsunt, scelera libere grassentur, ac impunè in insontiũ perniciem, singula meritis coercere cruciatibus, quos per se infligere Episcopi cum nequeant, esse quid potest æquius, quam vt per alios, ipsi in improbos, violatæ iustitiæ exempla statuant? eos ergo ad eam sibi rem, si subrogent, quis cum ratione arguat?

Dico secundò, *Episcopos temporale ius habentes, hoc est subditos sibi in temporalibus populos, leges sciscere sine irregularitate posse, quas transgredi sit violanti capitale.*

Ratio est, quod ad incurrendam irregularitatem ex defectu lenitatis, oporteat vt cooperatio ad mortem, vel mutilationem sit notabilis, non remota, & per accidens, ac

A Episcoporum, leges sciscentium, ex quarum transgressione mors sequitur nocentium, cooperatio propinqua non est, ac per se, sed remota, & per accidens, cum ipsi mortis sententiã nec pronuntient, nec exequantur nec intendant, sed magistratui ferendam committant, ergo cum ad incurrendam irregularitatẽ, quæ ex homicidio iusto prouenit, necesse sit, vt ab eo qui eius occasione est irregularis, procedat factum, vel dictum, directum ex se, & suapte natura, vel ex intentione speciali operantis in deformationem, vel necem: Episcopi à quibus cum legem

B subditis suis dicunt, horum nihil fit, ex morte, aut mutilatione secuta vi sententiæ sæcularis iudicis, cuius sunt occasione legis à se latæ causa per accidens, irregulares non erunt.

Confirmatur, est hoc irregularitati, de qua est hic sermo, speciale, & proprium, vt ad eam causa propinqua exigatur, quam intentio ita specialis sequatur, vt sit sufficienter ex parte operantis ordinata in homicidium, Portelius *par.* 1. *casuum casu* 50. at res hæ duæ

C in Episcopum condentem decreta, quibus publica prouinciæ suæ salus continetur, ac regitur; non cadunt, nec enim in iis promulgandis populo, aliud ei obuersatur animo, quam status sui tranquillitas, pax familiarum, fuga scelerum, vita virtutum, quo quid esse potest honestius? quid in omnem partem publicæ rei fructuosius? reus ergo esse irregularitatis non potest, quamuis ex iis sequatur homicidium, Tabiena *verbo irregularitas* 2. *num.* 4.

D Equidem non sunt Clerici, quique sunt in exercitu ducibus ac militi à confessionibus, cum eos ad constantiam animant, suorum priuari vsu ordinum, nam etsi cohortationem hanc suam, neces secuturæ sunt ac homicidia, cum res geri ex voto contra hostes in prælio, sine sanguine nequeat, nõ sunt tamen lege canonica de eorum numero, quos irregulares schola nominat.

Primo, quod nullius in vitam, membraque impetum faciant, nemini noceant, omnibus bene consultum velint.

Secundo, quod dum hi suos ad certamen

E acuunt, spectent id duntaxat, vt victores euadant, de nece inferenda aduersariis, ne verbum quidem, quare si esse posset incruenta victoria, talem haud dubie sibi, suisque peterent, innocentem, scilicet, ac ab inimicorum sanguine vacuam, puramque, quod si voti esse nequeunt compotes sine multorum clade nequeunt, id non est specialiter, ex sua cohortatione intentum; S. Antonini testimonio 3. *par. tit.* 28. *cap.* 2. *parag. fin.*

Dico tertiò, *Episcopum ex irregularitate eripi,*

eripi, cum ipse per se, in nocentem dicit mortis sententiam, aut iudici imperat vt de eo pœnas suspendio exigat, quia Ecclesiasticis, sacrisque hominibus in hoc genere rerum, aut consilium dare, aut sententiam ferre, iura Ecclesiastica minime permittunt, neque est is extra irregularitatem, qui suo consilio, mandato, aut responso, auctor est alteri, quenquam interimendi, aut mutilandi, licet iuste hoc forte ob eius delicta horrenda & grauia faceret.

A qua lege exemptos esse, qui prouinciis, ciuitatibus & oppidis Romanæ Ecclesiæ, cum auctoritate præsunt, vt legati Apostolici. Nuntii, quos Xistus quintus voluit constitutione sua quam in facinorosos & proscriptos edidit, id posse, nam his sine irregularitatis incursu, licere respondit, inferiores iudices cogere ad pronuntiandum de capite, ac fortunis huiusmodi hominum.

Causa est, quod irregularitas ex homicidio iusto nata, pœna sit Ecclesiastica, vt ergo eam infligere is potest, cuius est Ecclesiæ ius dicere, ita & tollere, adimit autem Pontifex, cum eam vigere in Christiana Republ. aut illa vnum aliquem, aut plures constringi abnuit, facere ergo Papa potest, fas vt sit Episcopo, aut cuipiam simili Prælato statuere, rei capi vt queant, ac in crucem mitti.

Quam facultatem etsi non habeant Episcopi communiter, nec qui de eorum numero, ius externi fori, gladiique, sibi per alios vindicant, sunt tamen ab irregularitate liberi, si de repurganda latrociniis prouincia legem ferant, qua lege, certo cuipiam homini moriendum esse intelligunt, quia captus à iudice, luet capite, suæ pœnas amentiæ.

Primo, quia vt irregularitas, ex homicidio contracta, ob lenitatis defectũ, pro re iustissima, opere scilicet quo æquitatis plenissimo incurritur, (nam quid iustius quam puniri scelera, furta de prouincia exigi, virtutes ab actis vitiis, ad eam quasi postliminio retrahi) vt est hæc (inquã) irregularitas operi coniuncta laudabili, nempe vindicanti iustitiæ, ita est hoc ei speciale, causam vt exigat, necis sic propinquam, intentionem autem in operante, ita specialem, vt sit ab eo ordinata in homicidium, at neutrum facit Episcopus, neutrum Ecclesiæ Præsides ac rectores, cum exterminari de prouincia, vitia statuunt, cum puniri fures, capite plecti perduelles, lege lata imperant. Enimuero id spectant, id quærunt, vt dictum est, id duntaxat moliuntur, & agunt, vt Remp. florentem habeant, homicidiis ac furtis obuiam eant, itinera publica secura reddant, errantes in viam reducant, officii sui singu-

A los commone faciãt, quod vt assequi queant legem pronunciant, qua iudici animaduertere in nocentes sit permissum, vi cuius, si quis intereat, est id illis inuoluntarium, vt docent Sylu. *verbo homicid. 3. parag. 5.* Ludouic. de Beia *parte 1. respons. casu 50.* ergo & irregularitate vacuum, similique nulla pœna plectendum.

Minor est certa, maior probatur: sunt Religiosi, ac Clerici, immunes ab hac pœna, cum in bello pro fide contra hæreticos, ad dimicandum animose ac fortiter, milites sermonibus suis animant, etsi in ardore con-
B flictus ac pugnæ, vtrinque multi cadant, quia non istorum interitum, non vulnera, non casum suadent ac quærunt, sed victoriam, sed principis sui, sed Dei gentisque Christianæ gloriam, quam hæreticis succumbere, aut iis animi fortitudine cedere indignum putant, quod si vt sunt dubii, ancipitesq; bellorum exitus aliquid humanitus eorũ alicui accidat, est id præter eorũ spẽ ac cohortationem intentũ, quare vt in eo cari-
C tatis officio, Clerici cum versantur, culpa vacant, ita & irregularitate, quæ est homicidarum pœna, notari non debent.

Equidem (quæ est altera assertionis positæ ratio) ad irregularitatem, quæ est ex homicidio iusto, duo sunt necessaria, primum eius faciendi voluntas certa, ac directa, alterum, factum aut verbum ex se, naturaque sua, vel ex speciali operantis intentione, in necem, aut membri mutilationem directũ, in neutro peccant Episcopi, aut eorum similes Clerici, temporali potestate prædiri,
D cum fures, lege lata iubent, prouincia egredi, aut si in ea manserint, nec tamen ad bonam frugem, damnata vita priore redierint, capite minui, eos primo, per se, ac directè perditos volunt, sed pœnæ metu mutatos in melius, nec est statutum, quo mentis suæ sensum, magistratui ac popularibus explicant, primo, per se, directe, ac specialiter mortis causa, aut ad eam relatum, sed vniuerse tantum ac secundario, quod ad contrahendam irregularitatem, satis non esse, dixere Archidiac. *23. quæst. 3. can. officia*, Panormit. *in cap. sententiam, ne Clerici vel Mo-*
E *nachi.*

Obiicies in reum sententiam mortis dicere, sine irregularitate Episcopus non potest: ergo nec legem, qua stante, eum ruere, ac perire est necesse.

Neganda est consequ. discriminis hæc est causa, quod Episcopus in casu consequentiæ, nemini expresse & actu, damnum statuto suo velit, inferat, aut paret, sed tam Diœcesis suæ ac prouinciæ, quam priuatorum tranquillitatem, & pacem, quos sic, saluos esse,

vult & incolumes, metuque pœnæ vitia dediscere, virtutem amplecti ac amare, in Anteced. autem actionis fit mentio, qua rei vita exprimitur, ex eaque, homicidium primo per se, & directe sequitur.

Obiicies secundo, expressi & taciti, in iure vis est eadem, quia hæc duo æquiparantur inter se *lege cum quid digest. de rebus credit. & cap. quemadmodum de iureiur.* sed qui per statutum, criminosos interimi præcipit, virtute huius, vult necem, ergo cum ad irregularitatem sufficiat, eam in causa velle, *vt ex cap. continebatur & cap. Presbyter de homicidio.* fit planum: irregularitatem Episcopi non vitabunt, si nocentes occidi lege lata præcipiant.

Respondend. primo, maiorem in præsenti materia falsam videri, quæ enim irregularitas est homicidio iusto adiuncta, fieri per causam eius propinquã postulat, cum intentione in operante, quæ ad aliud principaliter non feratur, itaque velle illud in causa virtute & implicite, nõ sufficit, vt in iis patet, qui ad pugnam cum hoste in bello iusto ineundam fortiter, milites cohortantur, quos irregulares non esse, communis est, veraque DD. opinio, sunt ergo maior, minorque, veræ duntaxat in iniusto homicidio, quod irregularitati pariendæ, sufficit in causa sua volitum esse: quare *Clericus iurisdictionem habens temporalem, ex eo, non fit irregularis, quod constituat iudicem pro causis criminalibus, siue in genere, siue pro aliquo in particulari, & indiuiduo, quamuis sequatur mors*, hæc Hurtadus *disp. 2. de irregul. difficult. 11. num. 42.*

Decimo quæritur, *An Clerici aut Religiosi, qui militiæ degunt, armisque instructi vt cæteri milites, in campum prodeunt, sint irregulares.*

Si iustum est bellum, ipsi autem propria manu nullum interimunt, à susceptorum non sunt vsu ordinum, aut suscipiendis prohibiti, Nauar. *cap. 27. nu. 215.* Suar. *disp. 47. sect. 6. num. 9.*

Causa est, quod non à conatu, non à voluntate aut à discrimine, periculoque mortis intentandæ, sed ab intentata, hoc est à facto ipso, opereque nascatur irregularitas, si ergo neminem in bello defẽsiuo iusto, Clerici cæciderint, etsi armati in eo, turmisque fuerint militaribus ascripti, irregulares non sunt futuri.

At enim (inquiunt aduersarii) præcipit Innoc. eius nominis III. *in cap. quod in dubiis 5. de pœnis*, deponi Presbyterum, qui ad pugnam capessendam, stimulos oratione sua militi in exercitu fecerat, similiter eum, Sacerdoti auctorẽ esse, *in can. 24. de homicidio*, vt si de interfectione cuiusquam in conflictu, sua eum conscientia remorderet, à ministerio altaris abstineret reuerenter, cum sit consultius, in huiusmodi dubio abstinere, quam temerè celebrare.

Respondend. ad rem de qua præsens est quæstio, citatos canones non facere, cum de vi facta per Clericũ, sermo in ea sit nullus, sed tantum de militia, in quam se conscribi est passus, & quam est professus, innocentem tamen, ac sine sanguine.

Respondend. secundo, in priori can. agi de Clerico qui alieno sanguine manus suas in bello iniusto fœdarat.

Tertio, de eo qui erat milites nominatim hortatus in prælio iniusto ad cædẽ, à qua cohortatione, ei omni abstinendũ studio fuisse, paulo ante est probatũ, ita vero esse, canon ipse loquitur. *Quia tam Sacerdotes*, inquit ibi Innoc. *qui gubernant naues ad pugnam, quã qui personaliter exercent conflictum, & hi qui alios incitant ad pugnandum, oẽs enormiter peccant, de rigore canonico eos credimus deponendos.* Enimuero si fecissent hi in bello iusto stipendia, si se, suaque tantum defendissent ab iniuria, vt essent in eo, à culpa liberi, sic iuste non fuissent ac honestè, ordinum suorum priuati vsu. Deinde quæro ecquid non auctoritate canonum, ac communi omniũ consensu Doctorum, vim vi repellere liceat? si licet, quã verè dici possunt ab Innoc. peccasse, idque *enormiter?* de cæde ergo illicita, malaque, Innocentio cum sit sermo, mirari nemo debet, si de gradu deiecti tam *Sacerdotes*, quam milites, irregulares sint habiti.

Ad alterum caput respondendum, bellum de quo ibi est sermo, non defensiuum tantum, sed ad nocendum quoque, fuisse à Sacerdote & militibus comparatum, quæ autem in bello huius generis, cædes fiunt, irregularitatem, eas facienti, pro certo inuehunt.

Vndecimo quæritur, *An censeri irregularis Sacerdos is debeat, qui suo consilio, cuidam ægro celeris interitus causa extitit.*

In irregularitatem, quæ est ex homicidio non voluntariō, eum lapsum esse, censuisse se olim, in quinque Theologorum cœtu, in quo hæc disceptata fuerat quæstio, scripsit Comitol, *in respons. lib 6. q. 5.*

Ab eo irregularitatem remouent Henriq. *lib. 14. cap. 12. num. 7.* Auila *de censur. par. 7. disp. 5. sect. 2 parag. 8.* Reginald. *lib. 30. tract. 2. cap. 9. num. 103.* Laym. *lib. 3 sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 7. num. 2.* eo quod talis acceleratio, culpam aliã non habeat quam negligentiæ, seu inconsiderantiæ, ac inconsultæ rationis in Sacerdote, qui ea non prospexit, quæ accurati ac diligentes Sacerdotes prouident.

Eum

Eum alii à paruitate, seu leuitate materiæ, ab irregularitatis incursu excusandum putant, quantum est hoc enim (inquiunt) & quam non curandum, quod qui in mortem imminet, ad quam auctoritate iudicis, imperioque à lictore trahitur, eius tempus ac horam, tātillo anteuertat interuallo, Sacerdotis opera ac consilio? quare si esset hoc notabile, si diei vnius aut plurium, ab irregularitate Sacerdotem non fore liberum dixit Laym. loco citato proxime.

A Ab eo, cæterisque, quorum hic paulo ante, nomina dedimus, dissentiunt, Vasqu. Turrian. *de censur. lib. 9. disp. 66. dub. 3.* Diana *par. 3. tract. 5. miscellaneo resolut. 79.* Negant enim hi omnes acceleratione mortis, quę culpa vacat, quantalibet sit magna, irregularitatem ab his contrahi, qui non sunt iustitiæ ministri. *Vlterius*, inquit Turrian. *est casus frequens, an incurrat irregularitatem, qui aliquo modo facit, vel dicit aliquid, ex quo citius sequatur mors rei, quando illum comitatur, vt si dicat pergamus citius, vel si dicat reo, ascende citius, P. Auila & Henriq. solum excusant hos actus ab irregularitate, quia non solent esse plene liberi, quod necessarium est ad talem irregularitatem.*

Ego vero existimo distinctione opus esse, nam vel isti actus sunt peccata motralia, quia qui illos facit iniuste, est causa, vt mors citius fiat & tunc incurritur irregularitas, quæ oritur ex delicto, de quo non agimus, neque tale peccatum fit à personis religiosis, in hoc euentu, vel non sunt peccata, & tunc non existimo incurri irregularitatem ex defectu lenitatis, nisi aliquid faciant vt ministri publici iustitiæ, concurrendo ad causæ probationem, sicut aduocati, & testes, vel pœnæ executionem vt ministri iustitiæ. Hæc ille.

Patet hinc primo, irregularitate Sacerdotes non affici, in quorum sinu ægri animam agunt, dum eos attollunt, erigunt, aut mouent.

Patet secundo, his qui in Christianæ pietatis, charitatisque officio fungendo versantur, nihil ab irregularitate metuendum esse, si dum ægros agitant, dum curant, dum de latere ad latus, è lecto ad lectum mutāt, extremū hi in eorum oculis anhelitum efflant, Reginald. *lib. 30. tract. 2. cap. 9.* Filliuc. *tom. 1. tract. 16. cap. 10. num. 278.*

Ratio est, quod irregularitatem ex lenitatis defectu non subeant, nisi qui iudices, aut eorum ministros agunt in foro, quæ autem est ex delicto, hęc peccatum mortale, vt causam sui, præsupponat necessario.

Patet tertio, esse ab irregularitate immunem ac liberum, qui reo est auctor, vt resti iugulum inserat, securi ad sectionem, caput supponat, viam ad supplicii locum, breuiorem ineat, eo quod dies in occasum vergat, populusque nimia fessus mora tumultuetur, seque diutius in loco reorum suppliciis destinato, detinere ægre ferat, ac moleste. Diana supra.

Ratio est, quod irregularitas ex homicidio, cum est iniustum, culpam in inferente supponat, eamque mortalem, cum ex lenitatis defectu trahit originem, operam ac ministerium in fori actionibus, at genus hoc hominum, de quibus in proxime explicatis corollariis est actum, culpam in earum vsu rerum, monitis, aut sermone, nullam contrahit, nec est de fori ministris ac asseclis, ergo suadendo, operando, loquendo, quæ sunt in corollariis indicata obiter, irregularitatem non subit.

B Duodecimo quæritur, *Sitne irregularis, qui iudici sententiam in reum mortis proferenti, adest vt assessor.*

Respondendum, pro tali habendum esse, ratio est, quod iustissimæ nocentis morti, consilio, ope, præsentiaque sua fauet, quod ipsum est moralem eius causam esse: quod

C ad irregularitatem sufficit, in hoc enim homicidium iniustum, quoad productionem huius effectus, à iustó distinguitur, quod ad illum, causa quæcunque ad cladem directa, in homicidio iniusto sit satis, non autem in iusto, sed proxima & specialis, quæque ad illam per se ac natura sua tendat, quod in præsenti accidit, cum assessoris sint hæ partes, iudicem pro tribunali sedentem iuuare consilio, de causa capitali quæstionem cum instituit, eius suffragio suum addere, sicque

D reum absoluere, vel perdere.

Decimo tertio quæritur, *An confessarius, lenitatis violatæ sit reus, cum interrogatus à principe, quid iudicij super crimine à reo commisso habeat, & an morte sit dignus, necne, respondet dignum videri.*

Censent aliqui consulenti principi aut iudici, Sacerdotem explicare mentem suam contra reum sine irregularitate non posse, sed eum ad iurisperitos, consilii causa remitti oportere, quare extra irregularitatē cōfessarium non fore, si reum meritas scele-

E rum suorum pœnas, non nisi capite suo luere, ac expiare posse respondeat. Ita Auila *parte 7. disp. 5. sect. 2. dub. 6.* Henriq. *lib. 14. cap. 16. num 4.* quod Ecclesiasticis, sacrisque hominibus, sententiam de vita dicere, iura Pontificia non sinant, *quare debet respondere*, inquit Turrecremata, *hoc non pertinet ad me consulatis peritos*, ita ille *in cononem pessima 23. 4. 8.*

Bonacina *de censur. disp. 7. q. 4. punct. 1.* de là Cruz *in director. 10. conscient. parte 2. de irreg. dub. 5. conclus. 4.* narrant, in confessarii iure

esse indicare iudici, quid præscribant leges, quid statuêre principes, quid æquitas, ipsa ratioque postulent, vt Deo, ac virtuti per reum offensę, fiat satis, ad id de suo quicquid addiderit, vt iudicis animum exacerbet, manusque eius ad vindictam acuat, irregularitatem parere. Vniuerse enim & in communi (vt loquuntur) de rei crimine, pœnaque ei per leges debita, mentem suam edisserere, vt vacat scelere, ita fit sine narrantis irregularitate, dicit enim, *Iudici*, inquit Turrecremata supra, *quod potuit ei dici nempe quod puniat secundum quod ius dictarit, dum tamen non exprimat, quod puniat eum ad sanguinem & ad mortem.*

Imo si meam mihi opinionem affirmare liceat, potest confessarius sine vllius irregularitatis incursu, de nocente quid sentiat exprimere, ac magistratui vt conscientiæ satisfaciat ac officio, auctor esse, coercendi eum scilicet, iustis legum pœnis.

Præeunt mihi in hac mente Vasq & Diana 7. *parte tract.* 5. *miscellaneo resolut.* 80. Turrian. *de censur. lib.* 9. *disp.* 66. *dub.* 4. sunt hæc eius verba: *solet quæri an incurrat irregularitatem vir doctus, qui interrogatus à iudice, an sit obligatus ad occidendum aliquem, respondet esse obligatum.*

Ego censeo non incurrere, etsi expresse dicat, iudicem obligari ad occidendum, quia non est ius, ex quo colligatur incurri, si interrogatus respõdeat, esse obligationem seruandi leges eius materiæ, & incurrere si expresse dicat esse obligationem occidendi. Hæc ille.

Facit etiam pro hac opinione ratio, enimuero ex defectu lenitatis, irregularitatem hi duntaxax contrahunt, qui ius dicunt, vt magistratus, aut dictum executioni in causa criminali tribuunt, vt fori ministri, aut voce ipsi sua, sicut testes, & accusatores, vel manu, vt notarii, iudicem in formanda lite de capite adiuuant: at in hanc non sunt classem cogendi, consultor & confessarius, irregulares ergo censeri nec debent, nec possunt, etiamsi clare, diserte, ac perspicue, in casu illo particulari respondeant, de quo consuluntur, peccaturum iudicem, nisi auctoritate sua, ac imperio, nocens, quod peccauit in legem, capite luat *Regibus enim & Principibus faciendæ iustitiæ, facultatem consultis Episcopis & Archiepiscopis non negat Ecclesia*, inquit canon Innocentii II. qui incipit *pessimam* 23. *qu.* 8.

Quæritur decimo quarto, *Sitne confessarius irregularis, qui tam prece, quam ratione reo suadet, iudici nihil vt eorum, de quibus accusatur, obtegat, maxime si hanc eius confessionem, mors certa exceptura sit.*

Dico primò, *Confessario absolutionis benefi-* A *cio sontem impertiendum non esse, si de crimine interrogatus iuridice, fateri id nolit, quod iudicem nosse est necesse ad vindictam.*

Ratio est, quod qui de admissis doloris sensum nullum habet, aut ea in posterum vitare, cum animo suo non statuit, absolui nequeat, quod neque contritionem, neque attritionem ad Sacramentum afferat, quæ attritio seu contritio est in actibus pœnitentis, hoc est in materia pœnitentiæ, pars ex institutione diuina omnino necessaria. Comitol. *lib.* 1. *q.* 32. *num.* 4. at qui veritatem silentio obruit, B qui de delicto, cuius est conscius, & de quo, non tantum accusatoris, ac testium, sed omnium pene communi voce, conscientiaque, est in publico vrbis prætorio peractus, non mœret, angiturque animo, hic contritione caret, cum hæc esse simul cum peccandi voluntate nequeat, qualem tamen habere cum quis neget, qui de suo crimine confiteri renuit? cum iure suis cum iudex interrogationibus, ad id vrget, in eaque inficiatione perseuerat, absolui ergo nequit.

Si tamen ipse reus ambigeret, vtrum ei esset C necessaria lex imposita apud iudicem, facti aperiendi, nulloque mendacio, ac tergiuersatione obtegendi, puta quia dubitat an hic illum legitime, iusteque interroget, an potestate ad id idonea sit præditus, aut quia est in ea opinione vt existimet, sibi sine mortifera culpa, sicut & reis cæteris esse licitum, veritatem facti inficiari, quæ iure est extorta, ac semiplene probata, cum tunc confessarius vrgere non deberet, ac cogere, ad confessionem facti publicam.

Primo, quia vt Sotus loquitur, *in lib. de ra-* D *tione tegendi secreti memb.* 2. *q* 7. *parag.* & *vero in dubio declinandum est in fauorem rei, maxime in causa mortis, quia peius est hominem occidere, quam iudici non perare.*

Secundo, quia etsi contra suam conscientiam, ac opinionem, absoluere pœnitentem Sacerdos non debeat, quia est improbi animi eam abiicere, ab eadem, in re graui discrepare, opinione tamen propria ad tempus posita, ad pœnitentis sui sensum, ac opinio- E nẽ fingere se posse, si hæc ab eruditis, ac piis probabilis iudicetur, affirmant hi omnes, *Maior in prologum* 4. *sent. fol.* 5. *Adrian. quæst.* 5. *de confessione dub.* 7. *Conradus in volumine de contractibus q.* 100. *conclusione* 3. Syluester *in verbo confessio* 4. *num.* 3. Tolet. *in lib.* 3 *de instruct. Sacerdotem cap.* 20. vt non est ergo in præsenti casu, absolutionis beneficio priuandus reus, sic nec cogendus de maleficiis suis confiteri in iudicio, vbi confessus, certo vita, fortunisque omnibus excidet.

Extra hunc casum, nocens de cuius salute agitur

agitur in iudicio, tenetur crimen prodere, de quo interrogatur iuridice, quia superiori iusta imperanti non obsequi, nunquam non est exitiosum ac turpe, cum ratione vero iudex præcipit, quando fori, legumque seruata forma, de facto doceri vult à reo.

Est hæc vero forma, in tribus rebus maxime.

Prima, quod qui iudex causæ præsidet, potestate ad id necessaria polleat, & sic sit competens.

Secunda, vt delictum semiplene sit probatum, per vnum saltem testem, omni exceptione maiorem, aut per infamiam quæ præcessit.

Tertia, vt id reum non lateat, sed quo sint in statu res suæ, intelligat, iudice, testes, eorumque verba, fidemque, ei coram exhibente, Diu. Thom. 2.2.*q.*69.*art.*2. Caietan. *ibid.* de Beia *parte* 3.*casu*.17.

Dico secundò, *In irregularitatis laqueum non se inducere confessarium, cum suo reus imperio, obiecta crimina confitetur, ob quæ vltimo est afficiendus supplicio.*

Est contra Conitol. *lib. responſ.* 6.*qu.*60. C Probatur, est cohortatio reo facta, iudici vt pareat, actio digna laude, plenaque meriti, nec tamen eiusmodi, quæ à necessaria vlla lege, cum morte obsequentis rei sit coniuncta, cum eius confessionem, per se infallibiliter moraliter, à morte excipi non sit necesse, vt patet, nec est ex intentione confessarii, ea cohortatio ordinata ad rei mortem, sed ad eius salutem, cum sine eius certa pernicie, iudici veritatē facti inficiari nequeat, de qua eum iure quam optimo interrogat.

Secundo ad contrahendam irregularitatem ex opere licito, debet esse necis, aut deformationis causa, eaque propinqua, remota ad hunc effectum non sufficit, vt colligitur ex his Augustini verbis *in epist.* 154. *ad Publicolam, An vero quoniam Apostolus satis egit, vt in tribuni notitiam perferretur, insidias sibi à quibusdam perditis præparari, & ob hoc deductores accepit armatos, si in illa arma scelerati homines incidissent, Paulus in effusione sanguinis eorum, suum crimen agnosceret, absit, vt ea quæ propter tuum ac licitum facinus, si quid per hæc, præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur.* At non est confessarius mortis illatæ reo, aut inferendę, ob crimen rerum capitalium iudici detectum, quod absque scelere reticeri ab se non poterat, propinqua causa, quid est enim propinqua causa? *Quoad præsens negotium, est dictum, vel factum licitum, directum sufficienter in deformationem inde secutam, dixi directum quia oportet vt sit tale quod tendat in deformationem ex se, siue suapte natura, vel intentione operantis, vt est*

A *ictus lethifer etiam sine intentione occidendi, vel contra, ictus ex se non deformatorius cum intentione deformandi*, hæc Nauar. *cap.*27.*manual. num.*211. ergo cum non sit confessarii cohortatio, natura sua, ac per se illatiua cladis, nec eo, ex voluntate referatur, eam adhibentis Presbyteri, irregularis nec hic esse, nec dici cum ratione poterit.

Obiicies ad subeundam irregularitatem sufficit, quod homicidium sit volitum in se, aut in causa, vt est *in cap. Presbyterum* 7. *& cap. continebatur* 8. *de homicid.* intentio enim virtualis seu tacita, æquiparatur expressæ seu B actuali; *lege cum quid dig. de rebus creditis*, at qui reo confessionem delicti suadet, aut imperat, ex qua scit iudici eius perdendi causam fore, virtute vult eius interitum, cum sit impossibile, moraliter loquendo, seruataque lege iustitiæ, criminis auctorem iudici esse notum, eundemque vitare supplicium.

Respondendum, maiorem esse veram in homicidio iniusto, non in eo, quod ex actu honesto ac iusto oritur. nam vt ex eo resultet irregularitas, oportet vt per se, & ex natura sua, causet homicidium, vel in illud speciatim, distincte, ac principaliter, feratur operantis intentio, ratio est, *quod vt speciale est in hac irregularitate, vt pro actu etiam iustissimo imponatur, ita speciale est vt ad id requiratur causa, ita propinqua, & intentio specialis*, Nauar. *cap.*27.*num.*216.

Quæritur decimo quinto, *An absque irregularitatis incurrendæ periculo, denunciare Clericus poßit ea crimina iudici, quæ suis auctoribus, cum erunt probata, certam perniciem afferent.*

Affirmant Nauar. *in summa cap.* 18. *num.* D 54. Caiet. 2.2. *qu.* 35. *art.* 7. Fagund. *lib.* 8. *in Decalogum ca.*5.

Ratio est, quod nec ea denuntiatio causam morti certam, & propinquam afferat, sed remotam tantum, nec furta homicidiaque nocentium, qui euulgat, id constitutum animo habeat, vt eorum auctores pereant, sed tātum ne in exitium boni publici, capitaque insontium bacchari pergant, ergo cum quæ irregularitas, ex actu honesto ac laudabili originem ducit, necessario exigat, vt hic eius E sit propinqua causa, vel ex intentione cladis faciendæ ab operante prodeat, non faciet ea denuntiatio irregularem Clericum, sacris ordinibus, eorumque indignum vsu.

Confirm. minus est denuncians Clericus futuræ mortis in denunciato laico auctor quā Episcopus, ei quem prouinciæ suæ iudicem præposuit, imperans, ne sontes sinat viuere, nam imperia iussaque, magis in necem influunt, quam simplicia nudaque monita, at Episcopus, *si homicidio aut alio maleficio ab*

aliquibus in iurisdictione sua commisso balliuo suo, aut alij cuicunque iniungat, vt super hoc veritatem inquirens, iustitiæ debitum exequatur, irregularis censeri non debet, Bonifac. VIII. *in cap. Episcopus ne Clerici vel Monachi*, ergo nec Clericus, furta homicidiaque, ac eorum auctores denuncians.

Quæritur decimo sexto, *An qui notario operam nauant in transcribendis actis iudicii, Principisque literis, aut magistratus, quibus mortem inferri reo imperant, eadem pœna teneantur qua Notarij.*

Nequaquam, quia ad rei necem non concurrunt, cum hæc mandanda non sit effectui, nisi accedente manu, ac subscriptione Notarii, cui soli, quia publica fides est habenda, supplicia de reo, iudicis auctoritate nunquam exigentur, nisi de ea, eiusque voluntate per Notarium constare certo queat.

Quæritur decimo septimo, *An pro irregulari sit is habendus, qui à iudice impetrat, vt mitiore morte, vel breuiore, reus violatæ legis exemplum posteris relinquat, & ita Clerico liceat, ab eo petere, vt potius gladio pereat, quam crementur lento igne.*

Nequaquam, eius rei duplex est ratio, prima, quod hæc postulatio, non sit absoluta ad eius mortem cooperatio, nec iuuare iudicem dici prudenter possit, qui impetrat vt qui est occidendus, tantum mutiletur brachio altero, aut pede.

Secunda, quod diminutio supplicii, quo reus voluntate iudicis est plectendus, reparandi damni, aut aliquid restituendi parentibus, obligationem nullam habeat, si eũ forte interimi iniuste accidat, quod est argumento, preces eius ad mortem non concurrere, postulando vt sit hæc lenior, breuiorque quam fuisset aliter.

Addi potest, quod hæc irregularitas, quæ ex defectu lenitatis tantum contrahitur, in impetrantem, vt exemplum à iudice humanitatis extet in reum, non cadat, cum id perfectam Christi mansuetudinem referat, qui non nisi infra condignum plectit, compensat autem vltra meritum.

QVÆSTIO XXIV.

Cuius sit dispensare in hac irregularitate ex defectu lenitatis.

DIco primò, *Id Episcopo concessum non esse.*

Ratio est, quia ante Concilii Tridentini tempora, hanc ei potestatem lex Ecclesiastica nulla annuebat, at hæc, Concilii beneficentia non creuit, nisi quoad irregularita-

A tes ortas ex delicto occulto, vt habetur in eius *sess.* 24 *cap.* 6. quare etsi damnare nequeam, quod scripsit Couarruuias, dari tempus aliquod, quo id non modo sine peccato tentare fas sit Episcopo, sed etiam valide, & cum effectu, *quia*, inquit, *homicidium defectu lenitatis illatum*, casuali est quam simillimum, *cui proinde æquiparatur in iure*, at infortuito dispensare potest Episcopus, ergo & in præsenti.

Sed facilem habet hæc Couarruuiæ argumentatio responsionem.

B Enimuero non potest homicidium quod à iudice inferri reo est iussum, dici fortuitum, cum sit directe volitum, & in nocentis pœnam, ab eo clare imperatum, ac diserte, cuiusmodi esse casualia quis dicat? quæ vt non sunt præuisa, ita nec ab inferente volita.

Dico secundò, *Dispensare in hac irregularitate posse omnes, qui Papæ liberalitate, dispensandi in qualibet, potestatem sibi vindicant, excepta quæ ex homicidio volũtario, mutilatione, bigamia, ac defectu natalium, oritur*, Nauarrus *cap.* 27.

C *Enchiridij num.* 240.

Ratio est, quod non sit hæc irregularitas proprie alligata homicidio, vt effectus causæ suæ, quia homicidium, est iniusta in vitam membraque alterius impressio, nec aliud quam quod est iniustum, dici potest voluntarium, Nauar. teste numero proxime citato.

QVÆSTIO XXV.

D *Quomodo ex mutilatione sequatur irregularitas.*

EST mutilatio secundum *Glossam primam Clementinæ si furiosus*, truncatio id est diminutio corporis, per membri alicuius separationem, vt colligitur *ex can. sicut vigeri* 47. *causæ.* 1. *q.* 1. *ca. Clericis* 5. *ne Clerici vel Monachi.*

Est autem membrum pars hominis, quæ per se, officium habet distinctum, ac peculiare in humano corpore, vt sunt manus, pes, oculus, Nauar. *cap.* 27. *num.* 206. Couar. *par.*

E 3. *Clem. in princip. num.* 8. Molina *tract.* 3. *disputat.* 69. oculus enim videt, pes graditur, palpat manus, enimuero si fides est Aristoteli *lib.* 10. *de partib. animalium cap.* 5. membra sunt in corpore, operationis causa, & quidem distincta: cum Paulo teste ad Romanos 12. *non omnia eundem actum habeant*, ita quidquid non habet in corpore separatum officium, proprio membri nomine non potest intelligi, quicquid in oppositum censuerint, Caietanus 2. 2. *quæst.* 65. *art.* 10. Suar. *tom.* 5. *disp.* 44. *sect.* 2. *num.* 9. vbi digitum membrum vult

vult esse hominis, in quo consentientem habet Ægidium de Coninch. *dubitatione* 8. *de Irregularitate conclusione* 4. illic enim rationem membri ab ornatu corporis, ad quem confert, vel ab auxilio petit, quod ex eius adiunctione, habent corporis partes aliæ, quod enim in corpore, specialem habet cooperationem ad principalis membri munus, hoc secundum istos auctores, membrum dicitur, ex quo inferunt irregularem esse, qui alteri digitum, aurem, aut nasum abscidit, causam hanc reddunt, quod canones mutilationem appellent, quamlibet abscissionem partis organicæ, ob quam corpus humanum sua integritate priuatur, & imperfectum redditur, sed de hac re nos postea.

Cōtraria opinio vt probabilior, est tenēda, primo, quia absurdū est, eas partes in humano corpore, habere rationem membri, quæ non habent functionem per se distinctam, sed tantum ei sunt ornamento, aut aliis habentibus proprium munus, opem in eo obeundo afferunt, cum si digitus propriam membri rationem obtineret, qui plures secum in lucem afferret, quam natura postulat, plura quoque haberet membra, quod nemo dicet.

Secundo, qui digito auriculari caret, non ideo est irregularis, cum ad contactum hostiæ non sit necessarius, ergo proprie digitus membrum non est, nec auulsus impedimentum irregularitatis affert, nisi sit necessarius ad contactum hostiæ, vt index, & pollex vtriusque manus, aut ex eius carentia, magna aliqua nascatur deformitas in operante, & hanc sententiam tenent, Auila *de censur. parte* 7. *disp.* 5. *sect.* 2. *dub.* 1. Bonac. *de censur. disp.* 7. *q.* 4. *punct.* 8. *num.* 8. Fernand. *in exam. parte* 2. *cap.* 10. *parag.* 14. Diana 2. *parte tract.* 15. *resp.* 20. his ergo præmissis sit

Prima assertio, *Irregularis occasione mutilati membri habendus est nemo, nisi qui illud è corpore resecat.*

Quia non alii sunt irregulares ex vi sibi illata aut alteri, quam qui per eam, se aut alios mutilant, at eiusmodi mutilatio, præsupponitur facta aut à natura, quia membro destitutus in lucem venit, aut ab alio qui illud resecuit.

Secunda assertio, *Non est ab hoc mutilationis prohibitæ capite irregularis, qui membrum suum, aut alterius, non amputauit quidem, sed inutile, aut aridum per contusionem, aut verberationem reddidit*, ita Nauarrus *cap.* 27. *num.* 227. Couarruuias 3. *parte prælectionis de homicidio*, Sotus *lib.* 5. *de iustitia q.* 2. *art.* 1.

Primo, quia nemo mutilatus, ac membro aliquo suo priuatus dicitur, nisi cum est resectum, sublatumque de corpore.

A Secundò, quia ex *canone sicut* 47. *causa* 1. *q.* 1. qui manum habet aridam, verum membrum habet, licet mortuum, impotens ac sine sanguine.

Tertio irregularitas non comprehendit alios, quam qui sibi sunt violatorum canonum conscii, contra quos peccarunt, cum pœnæ & odia restringi debeant, sed exsiccatio, non est mutilatio, contra quam tamen lata est irregularitas, ergo suum, aut alterius membrum qui reddit aridum, aut inutile, non est irregularis,

B Assertio tertia, *Qui mutilandi sui in rixa, aut deprehensus in crimine causam dedit, non est irregularis*, ita Hurtadus *disp.* 2. *de irreg. diff.* 14. *nu.* 52. Præposit. *in* 3. *parte q.* 5. *dub.* 114.

Ratio est, quod irregularitati nullus sit locus, nisi in casibus expressis à iure, at huiusmodi aliquod, reperire non est facile, quo statuatur vt qui rixando aut iocando cū muliere, aut vi ei inferenda, alterum eo redegit, vt vlciscendi sui causa, aut salutis expediendæ, quæ erat in discrimine, impetum in

C eum facere, membrumque ei tollere est necesse, irregularis esset, alioqui proferatur, tum nos lapsos fatebimur.

Sunt quidem canones iique non pauci, quibus mutilationi pœna decernitur, sed hi mutilantem tantum respiciunt; hunc notant, hunc ex zelo iræ, aut indignatione, abscissione partis alicuius in corpore suo, sibi ipsi infestū, irregularitate afficiūt: fit id planum ex *can. is qui dist.* 5. *can. auaritiam dist.* 33. 22. & 23. *Apostolor.* vbi hæc loquuntur: *Si quis abscidit semetipsum, id est si quis amputauit*

D *sibi virilia, non fiat Clericus, quia suiipsius homicida est & Dei conditionis inimicus, & can.* 23 *Si quis cum Clericus fuerit, absciderit semetipsum, omnino damnetur, quia sui ipsius homicida est.* Quare opposita sententia, mihi vt improbabilis, videtur reiicienda, nec in praxim deducenda.

QVÆSTIO XXVI.

E *An milites in bello pugnantes & mutilantes sint irregulares.*

DIco primò *Qui in bello iusto, ac defensiuo, aliquem mutilat aut interimit, irregularem non esse ratione homicidij*, probatur.

Fas cuique est naturæ lege, absq; irregularitatis periculo ac metu, recuperare res suas, ac si opus est, eas si sunt alicuius momenti, tuto in loco ponere, ac seruare, cum furis morte, sed bellum à Republica, aut principe indictum, pro recuperatione suarum rerum, aut defensione alicuius sui iuris, est iustum,

ergo cum bona publica priuatis præstent, non erit irregularis, qui ad ea tuenda mortem infligit aut vulnus Tannerus *in 3. parte disp. 6. q. 10. dub. 11.* Hurtadus *disput. 11. de irregul. difficult. 12. num. 44.* imo in eo bello non est prohibitum Clericis pugnare, nec occidere. Hurtadus supra.

Quid si bellum sit aggressiuum, iustum tamen?

Respondend. qui in eo pugnant, occidunt & mutilant, etiamsi sint Clerici irregulares non esse, modo hi suis ipsi manibus sanguinẽ non effundant, vtrumque autem faciant, alii, hoc est, mutilent, occidant, Diana 4. *parte resolut. 27.*

Dices, at enim tam milites, quam Clerici, ad inferendam hosti mortem, præsentia sua socios ac commilitones animant, fortesque ad audendum faciunt? ergo vt iudices forique ministri, à sacris sunt exclusi ministeriis, quia suppetias, ac auxilium morti tribuunt, suaque authoritate, executionem iusti homicidii promouent, sic & illi.

Respondend. primo, per se, & directe, milites qui vim corpori non inferunt, nocentque, cladis faciendæ auctores non esse, nec ad eam iuuare, sed tantum exemplo suo facere, strenue vt pugnent remque gerant alii, remote ergo & per accidens, ad neces cum fiunt, illi cooperantur, quod ad irregularitatem ex dictis antea non sufficit: cum illi, hoc est satellites & ministri fori, ad certã & determinatam occisionem huius scilicet, vel illius hominis, operam suam deferant.

Dico secundò, *Pugnantes in bello iusto irregulares esse ex defectu lenitatis, & significationis,* assertionis eadem causa quæ alterius de irregularitate, proueniente ex defectu lenitatis.

Dico tertiò, *Clericum in bello defensiuo, milites ad rem bene gerendam, hostesque delendos adhortantem, nemine in particulari designato, irregularem non esse*, ita Hurtadus supra, contra Reginaldum & alios, probatur.

Cum finis est licitus, media ad eum constat non esse prohibita, sed tam sui, quam Reip. defensio, quam pro fine, bellum habet, honesta est, & ad eam, militum ad hortatio vti medium ad finẽ tendit, est ergo licita & honesta, & proinde irregularitatis pœna non afficienda.

Dico quartò, *Si bellum sit iniustum, omnes in eo occidentes, aut occidentibus operam suam accommodantes, cohortando, laudando, aut seruando sarcinas, irregulares esse.*

Quia mutilatio & homicidium in bello iniusto sunt iniusta, & peccata, ergo eiusmodi, quæ pœnam propositam homicidio inuehant, quæ est irregularitas.

Secundo consulere, hortari, laudare, ad

A ad causam efficientem pertinent, eamque moralem, & efficacem, cum actio laudem sequatur, ac consilium, ergo qui bellum suadet, qui laudat aut consulit, eius moralis est causa, ergo & homicidiorũ, quę in eo fiunt implicite, & in causa sua, nam qui causa est causæ, est etiam causa causati, vt est in veteri philosophorum axiomate,

Dico quintò, *Non solum occidentes in bello iniusto, eos qui sunt partis aduersæ, sed etiam pugnãtes, irregulares esse*, Ægid. de Coninch. *disp. 18. dub. 10. n. 98.* Hurtado *de irreg. disp. 2. diffic.*
B *6. num. 45.*

Causa ita asserendi illis, & mihi, est vnica, nẽpe quod eorum quilibet, homicidiorum quæ ab aliis fiunt, morales sint causæ, cum ad ea, mutuo se conspectu animent, quam opinionem tuentur etiam Villal. *to. 1. tract. 11. difficult. 29. n. 1.* Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. parte 13. cap. 8. num. 2.*

QVÆSTIO XXVII.

C *Explicantur dubia quæ in præsenti materia, tuique possunt esse obuia.*

QVæritur primò, *An vt homicidium sit voluntarium, necesse sit voluntatem in illud ferri, primo, per se & directè.*

Nequaquam, nam qui Virgini grauidæ potionem medicatam offert, excutiendo vtero, qui vicino, cui est infestus, aut cum quo simultates gerit, venenum propinat, vt eius morte, illas exitiabili concludat exitu, ho-
D micidii tã est reus, quã qui maxime, & tamẽ quis nõ videt, de veneno, dãdo, capere eum posse cõsilia, etsi actu & expresse, eius opprimẽdi voluntatem actualẽ nullam habeat, vt ergo homicida quis sit, ac audiat, sufficit, satis eum alieni, ac interitus causam efficacem esse, (vt aiunt) hoc est ei cohærentem, nec nisi raro ab illo abiunctam, ita qui in præparatam materiam faces iniicit, eius est exustæ causa, qui gladio in aliquem districto irruit, nocendi animo, vulnerisque ei imponendi, in quacunque corporis parte, & quo modo, est irato hosti licitum, si istud erit lethale, si
E mortiferũ, sequuta morte, qui plagam fecit, homicida dicetur tam vere, quam qui animam ense hausit, quia hoc modo percutere velle, moraliter loquendo, est homicidio causam dare, eamque efficacem, cum de mille, quos ira furorque in fatum alienum animant, vix sit vnum inuenire, qui non vitam, sensumque ei eximant, in quem male animati, infesto gladio sic irruunt, vt eum percussum omni modo quo licet, velint & appetant.

quæritur secundo, *An Clericus irregularis haberi debeat, qui alium quidem consulto læsit, sed non in ea parte corporis, cuius plagæ sint lethales, vt in manu, brachio, aut fœmore, quam tamen cicatricem, mors est inopinatò ac præter expectationem, spemque sequuta omnem.*

In quæstionis huius explicatione sic est versatus, Suar. *in tomo de censuris disp. 64. sect. 1. num. 4.* vt existimet.

Primo tale homicidium dici non posse voluntarium, cum præter scientiam, & animũ occidentis sit factum: voluntarium enim homicidium auctore Couar. *in 2. parte relect. de homicidio fermè in principio*, est, *quod dolo malo, animo occidendi committitur.*

B

Secundo, est in ea quoque opinione vt credat, cum irregularitate, quæ est homicidarum pœna propria, impeditum esse.

Ratio est, quod iniusta hominis occisio casu facta, irregularitatis in Clerico sit causa, cum hic rei sibi prohibitæ, nec naturæ, diuino, aut humano iure permissæ, dabat operam, quod hic accidit.

Cordubæ tamen 2. *quæstionarij q. 26.* Soti *lib. 5. de iustit. q. 1. art. 9.* Hurtado *de irreg. disp. 11. diffic. 8. num. 29.* Henriq. *lib. 14. ca. 15.* Vasq. 62. *disp. 100. num. 39.* Layman. *lib. 3. tract. 3. sect. 5. parte. 3. cap. 10. num. 1.* opinio est, irregularem non esse, quod ex homicidio casu facto, non incurratur irregularitas, vt est *in ca. ex literis 15. de homicidio*, ibi enim ab Innoc. III. cuidã permittitur Monacho, ad cuius motum, lignum è campanili casu decidens, puerum oppresserat, promoueri ad superiores ordines, idem *in cap. significasti 16.* eiusdẽ tituli, de eo respõsum est, cuius equus præter voluntatem sessoris, raptus in cursum, quandam mulierem pedibus conculcatam attriuerat, cum enim interrogatus ecquid equi sciuisset vitium, ignorasse se respondisset, Episcopo Paduano, à quo de re consultus fuerat, dedit in mandatis Innoc. *quatenus si ita esset, ad cautelam, eidem iniungeret pœnitentiam competentem, qua peracta, non impediret, quo minus in susceptis ministraret ordinibus, & ad maiores valeret promoueri.* Fuit idem Alex. III. iudicium *in cap. lator nono eodem titul.* Enimuero Clerico, cuius cultellus, quem ad latus habebat, in alterum, quem ad terram ioco & per ludum proiecerat, incidens, eum casu fortuito confoderat: Clerico (inquã) ad sacros ordines liberũ esse oportere accessũ, nec ob improuisum Clerici occasum, ab iis, aut susceptorũ vsu remouendũ tradit, quare mihi admodum est probabile, laicum ex homicidio mere casuali ac fortuito, irregularitate non ligari, Clericum autem, eo dũtaxat tempore, vt ante diximus, quo vacabat rei periculosæ ac vetitæ. Differentiæ est hæc

A causa, quod in illo, id est Laico, hanc canones conditionem non exigant, vt in Clerico manifestè postulant, Innocent. quidem *in decretali dilectus filius 13. & cap. Ioan. Sacerdos 23. de homicid.* Gregor. autem nonus, *cap. quidam vltimo eod titulo*, sic enim iste. *Attendens igitur quod Sacerdos dabat operam licitæ rei, studuit etiam, quam potuit diligentiam adhibere, circunstantibus (quibus periculum imminebat) ità tempestiuè & alta voce premonitis, quod & intelligere potuerunt, Inquisitioni tuæ respondemus, quod ob hanc causam, non debet, quoad officium, vel beneficium impediri.* Contraria tamen sententia, est probabilis, etiam quoad Clericum ea facientem, quæ non licent, ex quibus casu homicidium sequitur, quia irregularitas non nisi in casibus iure expressis contrahitur, at canonica lex est nulla, qua lege casu interimens irregularis fiat: ergo, &c.

Quæritur tertio, *Ecquid ei, qui irregularitatem fugere cupit, quæ ex inuoluntario ac fortuito homicidio oritur, necessario sit vitandum.*

Dico primò, *Quando homicidium casuale est voluntarium, hoc est præuisum in causa, saltem ex suspicione, & non fuit adhibita prudens diligentia, ne eueniret, eo secutò irregularitatem incurri*, colligitur *ex canonibus Ioann. Sacerdos 23. cap. quidam 25. cap. dilectus filius 13. extra de homicidio*, nam ibi habetur capellanum Lingonensis Episcopi, & alium Sacerdotem, ex homicidio casu facto, irregulares non esse, quod nec voluntate, nec actu illud perpetrauerint, nec operam rei illicitæ dederint, studuerint autem omnem adhibere diligentiã, ne hæc vlli noceret, ergo à contrario sensu, si non est hæc allata, remouebit operantem à suscipiendo ordine, vsuque suscepti.

C

D

De causa autem, in qua effectus præuideri non debuit, ne esset voluntarius, est decretalis Alexand. III. *Presbyterum numero septima* Innoc. III. *significasti 16. & 15.* in quibus est, Clericum & Monachum, quorum ex opere, quidam casu interierat, in susceptis versari posse ordinibus, Clericum quidem, quod equi sui, à quo improuiso puer attritus fuerat vitium non sciret, Monachum autem, quod aliquem per locum transire, aut ibidem existere, vel etiam illuc, de consuetudine venire non crederet, quando lignum mouit, cuius casus puerum oppressit, causæ ergo præuisio, eiusque volitio, maximè si cum illa effectus certò cohæret homicidium fortuitum irregularitati facit esse annexum.

E

Dico secundò, *Duo necessario ei vitanda esse, qui irregularitatem quæ ex homicidio fortuito nascitur, fugere cupit.*

Primum est, ne rei non licitæ, nec sibi permissæ det operam, alterum ne culpam subeat negligentiæ, seu inconsiderantiæ, in

præcauendo futuri homicidii periculo, nam si eius animum vel leuis perstringat suspicio, aut cum aliqua etiam minima percellat dubitatio, quod ex opere cui incumbit, mors sit secutura, irregularitatis maculam ex homicidio tali non effugiet, vt pote volito saltem indirectè, & in causa sua præcognito, quamuis suspiciosè tantùm ac dubiè, colligere id pronum cuique, ac facile, ex decretali Bonifac. VIII. *vltima de homicid. in 6.* perscripta his verbis: *Is qui mandat aliquem verberari, (licet expresse inhibeat ne occidatur vllatenus, vel membro aliquo mutiletur) irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet, vel occidat, cum mandando in culpa fuerit, & hoc euenire posse debuerit cogitare,* hinc enim sequitur, in negligentia practicè & efficaciter non cogitandi de præcauendo homicidii periculo, illud indirectè fuisse volitum, vt in causa, & proinde, cum hic ideo, Bonifac. opinione ac sensu, qui alium verberibus affici mandarat, irregularis ex eius nece fuerit, quamlibet hæc præter voluntatem, iussaque imperantis accidisset, & hunc quoque pari impediendum nexu, in quem culpa, seu negligentia inconsiderantis, seu inconsultæ rationis cadet, super opere, ex quo sequuturum est homicidium casuale, ac fortuitum, qualẽ autem esse hanc negligentiam oporteat, leuem an latam, iuridicam an Theologicam, an vtramque, dicetur postea.

Quæritur quarto, *An homicidium aliquod, cuius causa casus extitit, irregularitate afficere eum possit, qui in alterius interfectione culpam non contraxit vllam.*

Layman. *lib.3. sect.5. tract. 3. par.3. cap.10. nu. 3.* eo propendet vt velit, sine Clerici culpa vlla, irregularitatem induci, cum hic in eo occupatur opere, quod ea ratione illi est illicitum, quod cum homicidii periculo sit coniunctum, quomodo Monachis, & Clericis in sacro ordine constitutis, specialiter est prohibitum, *cap. tua nos 19. de homicid. & cap. sententiam ne Clerici vel Monachi,* per incisionem, aut adustionem, morbis remedia facere, quo modo à Chirurgis adhiberi sunt solita.

Verùm enim hanc eius opinionem multa redarguunt, primum canonum auctoritas, deinde grauium doctrina hominum, postremo ratio, canones quidem, nam vt est *in ca. is qui 18 de sentent. excom. in 6 nemo irregularitatis, (cum id non est expressum iure) laqueum incurrit,* at nusquam eos irregularitate Pontifex notat, ac stringit, qui, cum sint Clerici, ad ea se ministeria demittunt, quæ à Chirurgis in ægrorum curatione, per adustionem aut sectionem factitari sunt solita: prohibentur hæc quidẽ ab Innoc. Sacerdoti, Diaconis

A & Subdiaconis *in cap. sententiam 9. ne Clerici vel Monachi, & in decretali tua nos 19. de homicidio,* sed non cum irregularitate, iure ipso ac facto subeunda à trãsgressore: sic enim Pontifex *in cap. illo 19. Licet ipse Monachus multum deliquerit, officium alienum vsurpando, quod sibi minimè congruebat, si tamen causa pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgiæ, omnemque studuit, quam debuit, diligentiam adhibere, non est ex eo, quod per culpam mulieris, contra consilium eius accidit, adeo reprobandus, quod non post condignam satisfactionem, cum eo misericorditer agi possit, vt diuina* B *valeat celebrare.*

Quinto quæritur, *An qui alteri ad cædem promittit auxilium, in numero sit irregularium.* Ab irregularitatũ numero promissũ ad necẽ alienã auxiliũ, excipiũt aliqui, quod eiusmodi impedimentũ in toto Ecclesiasticarũ sanctionũ volumine, nõ reperiatur expressum.

At ipse tum canonicarum, quam philosophicarum legum authoritatem secutus, ad contrariam opinionem abeo, censeoque, ab his pollicitis, irregularitatem, seu impedimentum nasci, ad ordinis susceptionem, sus- C ceptique executionem ac vsum, si ab his occisor ad necem inferendam, factus est animosior, & ita moralis eius causa.

Ratio est, quod vt sacræ nos sanctiones, Doctorumque præceptiones edocent, irregularitatem effugere homicida nequeat, at qui promissis suis, alteri causa extitit, lethi inferendi audacius, & celerius quam fecisset, si hunc eiusmodi pollicitis ac verbis non implesset, ei ergo iure quàm optimo irrogata est irregularitas hoc nomine, quod iniquissimæ occisioni fauit, promissione auxilii.

D Sexto quæritur, *An eum irregularem censeri oporteat, qui vulnus hosti non lethale inflixit, ex quo tamen dum curatur, medici imperitia egit animam.*

Dico primò, *si chirurgi inopia, aut quia deerant qui læsi curam susciperent, hic ad vulneris sui, etsi non mortiferi curationem, necessariis remediis destitutus interiit, iniuste vulnerans, est irregularis.*

Ratio est, quod ei soli, tum vt morali causæ, mors debet tribui, cuius haud dubie inflictum vulnus, causa physica extitit, tra- E dunt id Sotus *lib. 5. de iustitia q. 1. art. 9.* Nauar. *cap. 27 num. 223.* Auila *parte 7. disp. 6. sect. 1. dub. 5.* idemque de eo esse iudicium, qui occasione plagę à se impositę, causa fuit, cur læsi valetudo tentari cœpta est morbo, à quo interiit docent, Layman. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. par 3. cap. 10.* Couar. *parte 2. Clement. parag. 2. num. 6.* ita loquendi rationem hanc habent, quod *est causa causę,* inquiunt, *sit etiam causa causati.*

Sed

Sed eorum pace sit dictum, non facit commune hoc axioma philosophicum ad rem præsentem, nisi ea, quæ causæ censentur nomine, inter propinquas locum habeant, remotæ vt non propriè, sed tantum vt occasiones in mortem influunt, ita nec eos qui illas præbent, homicidas propriè denominant, illustrabo hoc exemplo, quod est doctissimi Hurtado *de irregularitate disput.* 11. *difficult.* 8. *num.* 31.

In publicum Sacerdos cum armis progreditur, aliquantulum viæ cum processisset, in aduersarium incidit, hic cum se illi viribus esse videret imparem, ex eius se oculis festinus eripit, in fugam abiicit, Sacerdos fugientem insequitur, tormentum quod gerit, eminus displodit, hostẽ in femore vulnerat, sed non lethaliter, statuit tã hic auctor quàm Suar. *disp.* 45. *sect.* 6. Ægid. *num.* 86 & Nauar. *cap.* 27. *num.* 223. hunc irregularem non esse *si ex malo regimine infirmi*, verba sunt Hurtado loco cit. *imperitia chirurgi mors sequatur, quia quamuis percussio illa sit occasio, vt ex intemperantia, aut ex labore percussi, aut ex vento corrumpentibus vulnus, aut ex medicamento nociuo applicato, percussus moriatur, est tamen occasio adeo remota, vt ob eam non dicatur percutiens occidisse, nec proxime iuuisse ad mortem, sed tantum ad eam dedisse occasionem remotam, & ex ea mortem originatam fuisse*, atqui hoc ipsum est, quod in præsenti materia accidit, cum non tam vulnere quam morbo superuenienti, tanquam causæ extrinsecæ, mors ascribi debeat.

Dico secundò, *Quando percussus diem suum obit, non tam ex vulnere, quam medici imperitia, seu negligentia, aut ipsiusmet percussi incuria, vulnerans tenetur tantum de vulnere, non autem de homicidio quoad pœnam, hoc est irregularitatem & obligationem resarciendi damni.*

Pars prima, defenditur ab Hurtado loco citato, Suar. *disp.* 45 *sect* 6. Ægid. *num.* 86.

Causa est, quod percutienti mors percussi tribui tùm non debeat, vt causæ, sed chirurgo eiusque inertiæ, ergo cum irregularitas pœna sit, eius duntaxat propria, qui homicidii causa propinqua extitit, & non remota tantum in occasione, inferendæ mortis ab alio, aut futuræ casu aliquo, & ex accidenti, qui vulnus non lethale imposuit alicui, ex quo hic, non tam est mortuus, quam ex incuria propria, aut chirurgi imperitia irregularitate, homicidarum pœna propria non tenetur.

Confirm. qui ad mortem de suo nihil confert, non est omnium opinione irregularis, at in nostro casu id accidit. Enimuero cum plaga leuis fuerit, non lethalis, per eam vulnerans, mortis dedisse causam, aut ad eam cooperatus esse dici nequit.

Verum enim Nauar. *cap.* 27. *num.* 223. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 14. *num.* 4. Layman. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 10. contrariam sententiam, veram iudicant, opinione hac inducti, quod existiment irregularitatem vitare non posse, qui per actionem suam culpabilem, periculosam, ac cum aliena coniunctam iniuria, homicidii occasionem præbuit, quod eum fecisse non est dubium, qui læsit, cum si à plaga læso inferenda sibi temperasset, mors secuta non esset, quare non sola medici aut vulnerati negligentia, sed simul etiam vulneratio causa mortis extitit. Hæc illi.

A quibus tamen nulla assertioni nostræ fit noxa, eo quod Maior propositio, in qua vis est argumenti tota, sit falsa, cum non omnes, qui alienæ neci occasionem culpa sua tribuunt, hi eiusdem censeri causa debeant, Lessii est hic sensus, *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 15. *num.* 102. *Si alicui*, inquit, *vulnus inflixisti non lethale, sed mors est secuta, vel malitia medici, qui noxia apposuit, vel negligentia eiusdem, vel temeritate læsi, qui remedia opportuna adhibere noluit, hæc occisio censebitur tibi fortuita, vnde non eris reus homicidij, nec teneberis ad restitutionem vt homicida, sed solum vt vulnerans, ratio est, quia etsi vulnus est aliqua occasio, tamen reuera non est causa mortis, sed negligentia medici, vel ipsius læsi, tenebatur enim vterque diligentiam adhibere.* Hæc ille.

Ex quibus duo mihi, necessario quodam inuicem colligata nexu, inferri posse videntur.

Primum reum homicidii non esse, qui vulnerauit.

Secundum secuta morte chirurgi improbitate, aut alia causa simili, putà si læsus se neglexit, si remedia curando vulneri opportuna non adhibuit, si se discrimini vltrò obtulit, si intemperanter vixit, eum qui læsit, sed nõ lethaliter, irregularem non videri secundum Less. *lib.* 2. *cap.* 9. *dub.* 15. *num.* 102. qui id ex his Innocent. verbis colligit *in cap. significasti* 18. *si iudicio peritorum medicorum, talis percussio asseritur non fuisse lethalis, cum de cæteris credendum sit ipsi, qui non accusatur, vel denunciatur ab aliquo, sed per seipsum consilium appetit salutare, post pœnitentiam ad cautelam iniunctam, in Sacerdotali poterit officio ministrare.*

Quæritur septimo, *An qui homicidium fieri iussit, irregularis censeri debeat, si post reuocatum à se necis faciendæ imperium, mandatarius quod erat iussus, faciat.*

In certa quædam theoremata conferam, quæ ad quęstionis intelligentiam, viam struunt.

Primũ est, in irregularitatis se laqueos induere, effectu secuto, qui aliquẽ interimi imperat, cõstat ex *c. sicut dignũ 6. de homicid. can. si quis viduam 8. dist. 50.* vbi est his verbis ex Concil. Martini Papæ *cap. 26. si homicidij, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione, post baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem, ad Clericatum venerit, deiiciatur.*

Secundum, vt criminosos occidere non licet, nisi iis qui publicæ personæ potestatem gerunt, ita nec mandare fas est vlli, præterquam illis ipsis, pœnas vt ab iis admissorum aliqui repetant eaque nocentium sanguine eluant.

Tertium vt sunt tamen facinorosi nonnulli, ad quos occidendos, sine vllo scelere natura gladium porrigit, vt sunt nocturni fures de quibus Tull. in Miloniana, August. in *quæst. 84. in Exod. & lex furem dig. ad leg. Corneliam de sicariis*, in hæc verba: *Furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impunè feret, si parcere ei sine suo periculo non potuit*, præterea occidi possunt, quotquot alienæ vitæ struunt insidias, nam his ad defensionẽ propriæ, adimi vitã posse, est ex intimo naturæ iure erutũ, & à Iurisperitis probatũ, *ff. de iust. & iure lege vt vim ff. ad legem Aquiliam lege sed etsi*, vt (inquam) cum cæde alterius qui vim infert, aut timetur ne inferat, vt fur nocturnus, vitam tueri suam quisque potest, ita & seruis, ad eius defensionem vt incumbant, etiam cum alienæ vitæ detrimento, iuberi sine peccato vllo potest, quod enim facere per nos impunè possumus, nostra quoque fieri causa per alium, quis culpæ arguat? His ita prænotatis.

Dico primò, *Qui mandauit, suasitue homicidium, reuocato mandato, vel consilio, scelere liberatur.*

Causa est, quod ea reuocatio, impedit ne mãdans, mortis alienæ sit causa, cum in eã influere imperio suo, consilioque desinat.

Dico 2. *Mandatum reuocatione finiri, quam reuocationẽ semper facere, mandanti est concessum, etiamsi id se non facturum, esset iurisiurandi religione interposita pollicitus*, Piasec. *in praxi parte 2. cap. 4. art. 2. de persona Actoris num. 19.*

Partis primæ hæc est causa, quod aliena vti opera in procuratione suæ familiæ, aut rei cuiuspiam alterius, ea nemini imposita sit necessitas, à qua illi recedere non sit licitum, ergo nec mandanti culpę dabitur, si quam mandatario prouinciam interimendi hostis dedit, eam reuocet, suoque nomine, executioni dari nolle significet,

Pars altera æqualis est cum ista firmitudinis.

Primo, quia *non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum de regul. iuris in* A *6. reg. 58.* quod de vita alicui adimenda præceptum datur est eiusmodi, ergo & iuramentum, cum *accessorium naturam sequitur principalis de regul. iuris in 6. reg. 42.*

Secundo, non est iuramentum iniquitatis vinculum, esset autem, si mandatum de interimendo aliquo datum, reuocari non posset, eo quod ad id non reuocandum se mandans astringi iuramento voluit, ergo, &c.

Dico tertiò, *Mors à mandatario illata homini, post reuocationem mandati, ei à mandante intimatam, illum irregularitate non vincit.*

B Primo, quia facit hæc reuocatio, vt mandans necis factæ, moralis non sit causa, cum ab eius mandato, ac iussione, mandatarius non fuerit ad patrandum facinus motus.

Secundo, tunc mandatum aut consilium in mortem nec delictum influit, quando nec istud, nec illa, ab ea volũtate procedit, cuius ipse mandans, aut consulens causa fuit, atqui ascribi neutrum potest cum efficaciter mandans aut consulens, mandatario & consultario significauere, non placere sibi, res suo vt nomine geratur ac fiat.

C Probatur, in mandato res mandantis agitur, nẽpe in eius gratiam, & vt ei placeatur. at est mandati reuocatio causa certissima, cur non operetur mandatarius mandantis causa, nec vt ei gratum aliquid ab eo accidat, nam quæ sunt grata, aut in gratiam fiũt alterius, hęc ad eius facere stomachum, voluntatemque est necesse, quod hic locum non habet, cum ei mandantis voluntas aduersetur.

Hancque sententiam tuentur vt veram D Nauar. *cap. 27. num.* Portelius *in dubiis regular. ver. homicidium num.* 10. Hurtado *de Irregul. disp. 2 diff. 6. num. 23.* Ægid. *numer.* 180. *disp.* 14.

Dico quartò, *Licet plus operæ studiique in reuocatione consilij, quam mandati Doctores exigant, eadem tamen est vtriusque ratio, quando mandati reuocatio, non innotescit mandatario.*

Pars prima, intellectum habet facilem, qui enim consilium dat, eius qui consilium petit, causa dat, qui autem mandat, sua causa mandat, quę causa est, cur cum mandatarius nomine mandantis agat, nempe vt eius E voluntati morem gerat, hoc ipso quo hic mandatum reuocat, & hęc eius reuocatio innotescit mandatario, iam iste suo, non illius nomine operatur, & agit, cessat enim eius motio, ratione cuius, opus ex illa sequutum, ei vt causæ efficienti morali, erat imputandum.

Dixi *si innotescit mandatario*, nam si de ea hic nihil audierit, mandator de effectu sequuto tenebitur non secus, quia ex vi mandati præcedentis sequetur, tanquam

causæ

causæ sine qua non, *vnde etiam incurret censuras, & irregularitatem, si forte mandanti (V.C. in percussione Clerici) posita sit,* Less. supra *n.17.*

An autē (quæ pars quæstionis secunda fuit) si mandatarius post reuocationem consilii, in sententia perstet, nec à concepto scelere desistere, ac modum sibi statuat imponere, lædendum, aut ad mortem destinatum, admonere mandator per literas, aut nuncium debeat, vt salutis suæ rationem habeat, ei prouideat sibique caueat, iam est videndum pro rei grauitate accuratè, pro solenni mea in scribendo, dicendoque, breuitate, paucis, non tamen obscurè.

De eo autem, (quod ferè in rebus cęteris vsu venire solet) sententiæ variant. Faciunt pro affirmante Turrian. *de censur. lib. 7. dub.* 3. Hurtado *de irregul. disput. 2. diffic. 6. num.* 24. Angel. *in verbo homicidium num.* 14. Rosella *eod. 2. num. 2. & 3.* Panorm. *in cap. ad audientiam de homicidio.* Subscribit hanc opinionem Comitol. *lib. 4. q 10. num. & theoremate* 19. his verbis: *Itaque si quempiam vides tuo consilio ad cędem alterius animatum, nec te dissuadentem cædem, ab illo audiri, certiorem facere debes eum, cuius vitæ paratur exitium.*

Ab his dissentiunt Auila *par. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 4. conclus. 3.* Villalobos *to. 1. tract. 21. diffic. 20. num. 7.* Henriqu. *lib. 14. cap. 16. num. 2.* Opinionis suæ habent hoc firmamentum, quod etsi mandans iniuriam ei fecerit, cuius mortem imperauit, cessauit tamen hęc eius iniuria, per reuocationem mandati de ea facienda dati, quia quantum potuit sustulit, ostendendo non modo eam sibi ingratam ac insuauem fore, sed ab ea quoque mandatarium diducendo verbis, ac oratione.

Quid? quod eum in cuius caput conspirauerat, admonendo vt saluti suę perspiciat, se apud eum, de conflato sibi per illum exitio, suspectum reddat? quod his suspicionibus, amicitiam, si quæ inter eos coaluerat, dissoluat ac perimat? cum quo metu, periculoque, vtrum mandatori necesse sit loqui, consiliaque olim concepta de morte eius consciscenda, eaq; occidendo prodere, iuris de conscientia ambigui scientes, ac peritos, iudicare volo. Ego sanè mentem inducere nequeo vt credam, mandanti præceptum ea de re impositum vllum esse, ac proinde priori sententię, posteriorem hanc anteponendam credo.

Contra quam sic pugnant aduersarii. qui mortem alterius suadent, aut imperant, ei haud dubie iniuriam faciunt, ergo quæ ex ea damna consequentur, reparare quoque eos est necesse, ergo & ne accidant impedire pro viribus, mandans ante alios, ergo cum via ad id certissima sit occisio eius, qui ad

A mortem est destinatus, hæc ne eueniat mandantem obligari, quis non videt? ergo & ad monendum illum vt sibi caueat.

Respondendum ad primam consequentiam, quæ ex iniuria primo illata (nempe cum de interimendo homine, mandatum ad mandatarium à mandante primo exiit) detrimenta contigere, aut accident, ab ęo ex ęqualitate reparanda esse, non ea vero, quorum mandatarius solus est auctor, qualia sunt, quæ ab eo post reuocationem mandati aut consilii, eiusque actione redundant in eum, cui vt noceretur, mandans imperaB uerat. Quod hæc ei vero soli imputari debeant, fit hinc planum, quod ab eius voluntate sola, non mandantis, eaque ex alio motiuo concepta prodeant, quę voluntas plane per accidens, & fortuito, priorem mandantis sequitur.

Obiiciunt secundo, mandans est causa, cur mandatarius vim fortunis aut corpori eius, in quem incurrit, afferat, nam si hunc ille non odisset, si illum irę mandatarii ac C furori minimè obiecisset, nunquam isti haud dubiè venisset in mentem, insontem petere, stantem affligere, valentem lædere, eius corpus aut bona profligare.

Respondend. negando Anteced. quod enim molitur mandatarius à reuocatione mandati sibi antea à mandante impositi, non ex opere mandantis, aut eius aliqua erga lædendum maleuolentia prouenit, sed ex mandatarii malitia, qui suopte motu ei facit iniuriam, cum iam mandantis nomine amplius non agat, sed suo, vt patet, & ita ab hac obiectione incommodum nullum opiD nioni nostræ est timendum.

Quæritur octauo, *An quando plures adoriuntur aliquem, irregulares censendi sint omnes, etsi eum vnus quispiam lethaliter percusserit, non alij.*

Communis est sententia Nauarri & aliorum affirmans, quam his verbis est complexus Hurtado *de irregular. disp. 2. difficult. 6. nu.* 21. *Quando multi aggrediuntur aliquem, si occidatur omnes sunt irregulares, quamuis vnus tantum percutiat.*

Ratio est, quod omnes admissæ per eum E necis sint rei, nempe, quia vulneranti animos sua præsentia addidere ad facinus, & ne vicissim ab isto, qui in vim adorientis incidit, humanitus pateretur aliquid, conferti tam armis obstitere suis, quam multitudine ac numero, idipsum scripsit Comitol. *responsion. lib. 4. quæst. 10. Socii ait, homicidæ, siue ad eius auxilium, siue ad necem expediti, cum sequitur homicidium, homicidæ sunt,* irregularitatis ergo notam fugere nequeunt, cum hæc homicidas promiscuè ac sine discrimi-

ne & ex æquo omnes afficiat. Itaque non tantum, *quando præmisso consilio sed etiam quando subito aggrediuntur, si percutiens, aliorum aggreßione fuit animatus, aut defensus, ac proinde in bello iniusto, omnes milites, quamuis sint plura millia, & etiam omnes custodientes sarcinas, fiunt irregulares, quamuis vnus tantum occidat, aut mutilet, quia quilibet aßistentia aliorum animatur, & custodia adiuuatur.* Ita Hurtado loco citato.

Quæritur nono, *An magistratus qui scit itinera latrociniis infesta esse, in vrbe, autem per noctis tenebras grassari sicarios, in capita insontium nec eos cum potest cohibet, aut è cœtu arcet ciuium, sit irregularis.*

Omnino, quia qui scit agitari consilia, de quopiam interficiendo, certóque eius rei gnarus est, & non enunciat, cum debet in eo dolose agens, homicida est, proindeque irregularis, at magistratum cædes non latent insontium, vt supponitur, non insidiæ comparatæ in vitam, fortunasque ciuium, quas & auctoritate sua dissipare, quibus sine capitis sui periculo possunt, ac debent obsistere, id ergo cum non agunt, homicidæ sunt existimandi, proindeque irregulares, ac ordinum non capaces. *Qui enim non repellit à socio iniuriam, cum potest, tam est in vitio, quam ille qui facit,* Ambros. *lib. 1. de officiis cap. 36.* vide Angelum *in verbo homicidium 1. num. 17. & 19.* Sylu. *eod. tit. 1. num. 14.*

Quæritur decimo, *An Clericis qui iurisdictionem obtinent temporalem, causas delegare sanguinis sine irregularitate liceat.*

Quæstioni pridem est à Bonifac. VIII. responsum: sic enim ille in decretali *Episcopus 3. Ne Clerici vel Monachi, Episcopus seu quicunque alius prælatus, vel Clericus iurisdictionem obtinens temporalem, si maleficio, aut homicidio in iurisdictione sua commisso, balliuo suo, aut alij cuicunque iniungat, vt super hoc, veritatem inquirens, iustitiæ debitum exequatur, irregularis censeri non debet, quamuis ipse balliuus, vel alius, contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit, iustitia mediante. Nam licet Clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum iurisdictionem obtinent temporalem) debent & possunt metu irregularitatis cessante, aliis delegare.*

Quæritur vndecimo, *An qui alteri homicidij faciendi, consilio suo est auctor, eo secuto sit irregularis.*

Toletus *in sua summa lib. 1. cap. 79.* consilium tripertito diuidit, in cõsilium exhortationis, approbationis, & simplicis opinionis cui quoad hoc astipulatur Præposit. *in can. si quis viduam distinct. 60.* Differt autem consilium à mandato, & auxilio quod quis homicidæ ad interimendum hominem tribuit,

A primo, quod qui mandat, ac præcipit, sola voluntate mandat, ac præcipit, perque eam solam operetur, qui vero consulit, rationum momenta quasi subminicula adhibeat, quibus fidem faciat, & ad agendum, quod persuadet ac consulit, impellat.

Dico ergo irregularem esse, qui rationibus apud aliquem efficit vt credat, interesse sua, vt in aliquem impetum faciat, eique vitam ac spiritum hauriat. Ita Doctores Comitolus *lib. respons. 4. q. 10. theoremate vndecimo,* Portel. *in dubiis regul. verbo homicid. n. 11.*

B Causa est, quod qui alium iniuste opprimit, aut eius opprimendi est auctor, sit irregularis: At qui cohortando, monendo, consulendo est hoc assecutus, vis vt alienæ vitæ fieret, eius impressionis est causa, eaque efficax, cum si ea defuissent consilia, in eam nunquam mentem venisset interimens; insontem vt perimeret, tam est ergo existimandus irregularis, quam qui manus ipse violentas ei infert, aut inferri iubet.

Sunt hæ tamen quæ sequuntur ad eam pœnam subeundam conditiones necessariæ.

Prima, vt homicidium verè consilio im-
C putetur, hoc est vi eius fiat, nam si is, cui cõsilium tribuitur, non ab eo ad faciendam cædem, sed impellatur aliunde, hoc est ab insito sibi in interfectum odio, vel alia quapiam causa simili, erit ab irregularitate liber consulens, Portelius *supra num. 12.*

Secunda conditio est in eo, *vt qui consilium recipit,* antea per *se ipse,* de necando homine consilia minime cœperit, nam id sibi constitutum si fuisset, certumque, ab hac pœna immunis foret, Hurtado *de irregular. disp. 2. difficultate 6. num. 20.*

D Causa est, quod tunc non sit consulens homicidii, quoad substãtiam, vera causa, quam in sententiam iuere D. Antonin. *parte 2. cap. 1. tit. 12. parag. 12.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 13. dub. 2. num. 6.* non eum ergo irregularitas quæ homicidii facti est pœna, afficit.

At habet (inquies) à cõsulẽte interfectio, vt hæc sit numero nõ illa, aut alia, deinde vt citius, vt inhumanius, ac crudelius illata fuerit, est ei, ergo vt causæ imputanda, nõ alteri.

Antecedente concesso, neganda est consequentia, eius non admittendæ est hæc
E causa: quod etsi consulens causa tunc sit distincti numero actus, non tamen in homicidium, quoad substantiam influat, sed quoad modum, duntaxat, si qui sibi dari consilium patitur, ita erat animo comparatus, affectuique ante illud auditum, ac receptum, vt ipse sine illo, rem confecturus esset.

Verum enim, an eo reuocato consilio, qui suasit, liberetur à scelere, controuersantur Doctores. Affirmatiua Nauar. placet *ca. 17.*

summa

summa Maiol. *cap.* 48. Comit. *responsion. lib.* 4. *q.* 10. P. de Nauarra *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 27. Portelio *in dubiis verbo homicidium num.* 12. nam quid ab eo exigi præterea debeat ac possit, non est facile dicere, quam in alterius exitium, male consultus telâ texuerat, aura meliore afflatus è cœlo retexit, quid ab eo, si ipsa superne in terras laberetur æquitas, postularet amplius? hæc illi coniectura satis probabili, ad fidem non absone.

Quæ tamen Lessio non probantur, *lib.* 2. *de iustit. cap.* 13. *dubit.* 3. *nu.* 16. negat enim ad culpæ fugam, consulenti satis esse, si quæ ipse consuluit, reuocet, insectaque nolit, vtpote prohibita legibus, nisi etiam opposita persuadeat, V. C. suasit quis amico vt litem contra fas æquumque, vicino intenderet, si pecuniam quam sibi mentitur debitam, deneget, eidē vim faciat, è re id sua esse, enimuerò si contēni se siuerit, honoris se ac famæ facturū aleam, proinde audendū esse, quod metuitur dedecus, vitæ alienæ periculo redimendū esse. Cōtēdit hic auctor, ad officiū boni viri cōsulēti satis nō fore, si se deceptū afferat, si contra quàm prudentia postulabat ac caritas, de vi inferenda fortunis, aut vitæ alienæ, iniqua se ac turpia dedisse cōsilia dicat, nisi quam habet anticipatam animo voluntatem ea faciendi, oppositis rationibus abstergat, ac dissipet. Est hoc firmamentum eius præcipuum, quod ostēsione commodi, honoris, aut famæ, sibi ex hoc grandi, vastoque facinore conciliandæ in populo, consulēs, eius voluntati, quam est consiliis suis ad illud patrandum aggressus, fortes acresque ad malum stimulos addidit, qui stimuli perseuerant haud dubiè manentque, quandiu eodem incitatus motiuo (vt aiunt) conceptum scelus vult prosequi, ex quo sequi ait, Lessius, quod cum sit consulens, huius voluntatis author, ac causa: fore quoque & effectus, id est necis, damnique, ac proinde, veri speciem habere, extra irregularitatis periculum consulentem non fore, si dati consilii reuocatione mera, solaque contentus, non id agat, vt in contrarium inflectat eius animum cui auctor sceleris admittendi fuerat.

Est hæc sententia probabilis, prior tamen tenenda in praxi, ratio est, quod quando id operam consulens dedit, vt priora sua consilia, argumentis euerteret, faceretque pro viribus, ea vt iniqua, malaque esse paterent omnibus, nec sequenda, non videtur horum executor, illis moueri, agique amplius, sed improbitate sua duntaxat, ac malitia.

Duodecimo quæritur, *An de damnis quibuslibet, vi mandati secutis, mandans teneatur.*

A Factum est tale. Domesticis suis, vni ac alteri, dedit in mandatis dux belli, vt facto in prætereuntem impetu, eum opprimerent, ea non contenti iniuria, porro pergunt, domum aduolant, omnia dissipant, suppellectilem euertunt, vasa aurea, argenteaque auertunt, secumque improbe euehunt, quæritur, an cum defuncti nece, præstare hæc damna eius hæredibus, mandantem sit necesse.

B Pepulit hæc dubitatio non ita pridem aliquorum animos, quod animaduerterent, ciuili Imperatorum lege, teneri reum, damni (vt loquuntur) extrinseci interesse omne sarcire, illudque domino quanti eius interérat non fieri, rependere, *lege qui tabulas, & lege is cui de furt.*

Erat & alia dubitandi causa, nempe quod legerent *in decret Greg. noni si culpa tua finali de damnis & iniuria data quod qui occasionem damni dat, damnum quoque dare videatur.*

C Quid? quod vt est *in cap. finali de homicid. in* 6. *cum mandando in culpa fuerit, & hoc euenire posse cogitare debuerit*, ei domus, bonorumque euersio, in mandato suo tanquam in causa, volita esse censeri debeat? ob quam causam, vt est in eo canone, *is qui mandat aliquem verberari (licet expresse inhibeat, ne occidatur vllatenus, vel membro aliquo mutiletur) irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet vel occidat.*

Nihilominus si incommoda, damnaque de quibus est in quæstione mentio, imperantis non subiere animum, eaque proinde inferri non iussit, crederem hæc ei præstanda

D non videri.

Primo, reparare damna non alius debet, quam qui eorum est causa positiua, vera & efficax, vt probat Sotus *lib.* 4. *de iustit. qu.* 7. *conclusione* 4. at in hoc causarum numero, locum sibi nullum imperans vendicat, respectu euersæ domus à famulis. Fuit ille quidem causa sine qua non, cum si homicidium fieri non iussisset, in occisi fortunas, bonaque non inuolassent eius domestici, non fuit tamen huius tam perniciosi effectus causa

E per se, & efficax, cum ad eum operæ nihil suæ contulerit, nec ad actum, quo esse ille cœpit, & per quem, damnum est illatum proximo.

Secundo damnum quod nullo modo est volitum, non necessario est restituendum, at quæ domestici, domino nesciente damna intulere occisi hæredibus, ea nempe de eius domo, familiaq; sibi præter ius fasque vindicādo, quæ erant ad res varias illi futuræ vtiles, nec in se & directe, nec in causa, & implicitè sunt volita, non primum, vt est per se planum, non alterum, quia quæ indirectè

ſub voluntatem cadunt, hæc neceſſarium cum ſua cauſa vinculum habent, at quæ, qualiſque intercedit furto, cum homicidio connexio? aut quando, & vbi viſum, vt à nece hominis, ſemper ad eius fortunas, bonaque euertenda, progreſſio fieret? non eſt ergo homicidium, furti cauſa, nec ad illud ex ſe, naturaq; ordinatum ac directum, nec habent hæc duo delicta, connexionem inter ſe neceſſariam, ſic vt vnum ſequatur, nec natura ſua dependeat ab alio, vt effectus à cauſa. A diuerſis autẽ non fit illatio, vt colligitur *ex cap. audientiam 12. de decimis*, vbi ex hac voce *labores* negat Alexand. III. inferri poſſe noualia, cum hæc genere naturaque ab illis differant.

Argumentis reſpond. nẽpe in iis, de eo agi, qui damni cauſa poſitiua eſt ac efficax, per concurſum affirmatiuum ac realem, & non negatiuum tantum, qui in eo eſt, quod ſine tali cauſa, res non fieret, & nihil amplius, nec enim eſt ratio cauſæ, ab iſta petenda negatione, ſic vt illud dicatur cauſa, quo non concurrente, effectus non eſſet, ſed ab affirmatione, quæ eſt concurrere, ſeu efficere, quod in præſenti vt patet, locum non habet.

Decimo tertio quæritur, *An qui in necem alienam conſentit, dum fit eius nomine, ſit irregularis.*

Affirmat Portelius *in dubiis regularib. verbo homicidium num. 16.* cuius opinionis firmamentum eſſe illud videtur, quod vt culpæ, pœna eſt comes, ita & homicidii irregularitas, ſed homicidio dum fit actu, aſſenſum dare, eſt eius cauſam eſſe, eique cooperari. Subſcribunt hãc ſententiam Theologi, dum in cauſarum moralium numerum, conſenſum referunt, dum homicidam aiunt, ad facinus, exhortatione, ad illud, ac ab aliorum approbatione ac conſenſu, expeditiorem reddi, quod ad rationem cauſæ pertinet.

Si tamen mea cauſa vis proximo (inquit) non fieret, grata mihi hæc tamen accideret, abſque alio in eam cõcurſu, irregularis non fierem, Portelius ſupra.

Ratio eſt, quod meus ille cõſenſus ad mortem, tum nihil afferat: vt enim hic occidentem latet, vt in animi mei intimo penetrali occultus hæret, ita illi ad eam inferendam, ſtimulos vireſque non addit, quare ſi ſe proderet, ſi foras ad eius conſpectum erumperet, tum enimuero metuendum eſſet, ne conſentientem irregularem faceret.

Huic quæſtioni affinis eſt iſta, ecquid à ſe factam cædem approbans, cum ſui impos eſſet, ſomnoque captus, irregularitatis maculam contrahat, ſit hoc pro exemplo Mæuio veteres intercedebant cum Titio ſimul-

A tates, dum eas vterque decoquit, forte accidit, vt in iſtum, ille diſtricto enſe, ſed abalienata per morbum mente, ferox irrueret, hominemque conficeret, nec diu fuit, cum ſanitate ſibi reddita, ad ingenium priſtinoſque mores rediit, de necãdo Titio, cum quo inimicitias agebat, vt olim fecerat, cogitat, dumque ſe ad id pro viribus comparat, ſua illũ confectum manu expiraſſe, nec ſine gaudio intelligit, de hoc ergo homine quæritur, an mors Titii, quam tum approbat, quam tum à ſe procuratam audit, & B lætatur, cum irregularibus adnumeret?

Inficiantur Suar. *diſp. 64. de cenſur. nu. 29.* Portelius *ſupra num. 17.* nec ſecus quam illi iudico, nam etſi complacendo ſibi in eo homicidio peccet, non tamen in illud, verè hic & nunc influit, nec cum factum eſt, peccauit, ergo cum irregularitas, quæ eſt pœna homicidii, in eius auctores duntaxat, cauſamque cadat, eſt ab ea futurus hic liber.

Decimo quarto quæritur, *An qui bona fide, reoque ipſo ſuadente, eius nomen ad iudicem detulit, ſit irregularis, ſi hunc culpa ſua mori accidat.*

C Res eſt talis, cum animam ageret N. profeſſione Clericus, Sacerdotem, quo erat hactenus ad confeſſiones vſus, aduocat, eius operam ad ſuorum expiationem ſcelerum implorat, & quia decretoriam adeſſe diem vitæque ſibi ſuæ veniſſe finem credebat, confeſſione animum eluere ſuum parat, ea peracta, Sacerdotem orat, iudicem ſuo vt nomine admoneat, latere tali loco argenti facti vim non modicam, quam ipſe olim, dum ſanus eſſet, clam domino auerterat, paret iſte, ſed in pœnitentis ſui perni- D ciem, nam vt ex morbo conualuit, in vincula, magiſtratus imperio compingitur, dies ei de furto dicitur, conuincitur, damnatur. Quæſtio eſt, Sacerdos ille irregularis fuerit, necne, ideo quod facto ſuo, hoc eſt explicatione culpæ à pœnitente commiſſæ, interitus eius cauſa extitiſſe videatur. Ei tribus propoſitionibus reſpondebitur.

Prima propoſitio, certum eſt à peruulgata ſummiſtarum doctrina, eum Sacerdotem, E in irregularitatem, quę eſt ex homicidio voluntario, lapſum non eſſe.

Huius noſtræ propoſitionis fundamenta præcipua duo, primum, quod ei propoſitum nunquam fuit, per ſe primo, ac directe, pœnitenti nocere, nedum eius ſalutem in diſcrimen capitis vocare. Alterum, quod fuit ea furti declaratio ad pœnitentis preces ſuſcepta, quod exonerandæ conſcientiæ vtriuſque, id eſt Sacerdotis, ac rei cauſa, inſtituta, quod propter lęſum facta, nempe ne quid illi è rei ſuæ iactura detrimenti accideret,

datum

datum autem eius subductione repararet.

Propositio secunda, *Non est improbabile, eum Sacerdotem irregularitatis, quæ est ex homicidio non voluntario, seu casuali, contraxisse maculam.*

Primo, quia facta iudici per eum, furti manifestatio, eius auctori, hoc est pœnitenti suo, certissimum attulit exitium.

Secundo, quia futuri obitus causam, Sacerdos minime considerauit, quam tamen ipsi, diligenter animaduersam esse oportebat.

B Enimuero in id est incumbēdum singulis, qui irregulares esse nolunt, irregularitate quæ est ex homicidio casuali, cui initium fuit ex opere licito, vt diligentiam necessariam afferāt ne ex suo facto mors sequatur, qualis est futura testimonio P. Suar. *disp. 35. sect. 5. num. 41.* si fecit, quod potuit, ac debuit, ab eoque est id tantum præteritum, quod non est animaduersum, quia sine ingenii perspicacitate, solertiaque plusquam vulgari, animaduerti non potuit. At videre Confessarius potuit, sicut & quilibet alius, non omnino rudis ac hebes, ægrum reualescere, datamque iudici de furto per eum commisso notitiam, prædicto pœnitenti nocere posse, eique viam ad patibulum, crucemque sic facere, est ergo istiusmodi diligentiæ defectus in Sacerdote, certa eidem irregularitatis conciliandę ratio, causaque.

C Confirm. vt pœnitenti consultum esset, Sacerdoti satis erat, Iudici, aut auersę rei domino patefacere, locum, vbi hæc noctis, ac tenebrarum velata tenebris latebat, de fure sermonem facere, quid erat necesse? itaque cum ille, quod alius parum licet cogitans non faceret, eum de nomine appellauerit, imprudentię sane, inconsiderationis, ac incogitātiæ in rebus politicis non vltimæ, notam in ea sibi nomenclatura inussit, ideoque & irregularitatem subiit, ob non ādhibitam, in præcauendo secuturæ mortis periculo, sufficientem curam ac prudentiam.

D Quid si prædictæ diligentiæ omissio lethalis non erit? quid si fuit aliqua circunspectio, sed necessaria minor, sed sufficienti inæqualis ac impar?

E Tertia propositio, *Si in prodendo fure, si in manifestando bona fide eius crimine Sacerdos mortaliter non peccauit, non est existimandus irregularis.* in opinione Suar. *disp. de censur. 45. num.* 8. Portelii *parte 3. casuum casu 23. num. 3.* Soti *in lib. 5. iustit. q. 1. art.* 9.

Ratio est, quod in communi opinione Doctorum positum sit, culpam, siue cōmittendo, siue quid omittendo suscipiatur, aut latam, aut leuem esse debere, nec ad contra-

hendam irregularitatem satis esse leuissimam, ergo nec venialem.

Conseq. probatur, est leuis culpa iuridice sumpta, non Theologice, discessio ab eo quod diligentes faciunt, lata, deuiatio ab ea diligentia, quam communiter etiam parum frugi patres-familias, rerumque suarum incuriosi, in procuratione familiæ afferunt: est autem vtraque plusquam venialis, vt patet, cum ferendum non videatur, id à quoquam non prospici, aut omitti, quod eiusdem generis accurati, diligentesque viri præuident, aguntque cum est necesse, vt ergo in hoc homicidii genere, cuius causa est casus, irregularitas non inducitur, ita & vitari nequit, quando est culpa iuridica cum Theologica coniūncta vt semper accidit.

Quanquam dici potest ad subeundam irregularitatem ex homicidio casuali, culpam satis esse leuem & quæ exitialis non sit, eius sunt opinionis Diu. Thom. *in 2. 2. q. 64. art. 7. ad 3* Nauar. *in summa cap. 27. num.* 222. Franc. Mayra *in 4. sent. dist.* 18. *q. 4. parag. notandum*, Comit. *respon. moral. lib. 6. q. 13. nu.* 1. vbi in eorum præceptione, qui summas cum cura studioq; elaborarunt caput esse ait, *teneri eum irregularitate, qui aut rei non licitæ dat operam, quamuis nihil diligentiæ seu cautionis omiserit, siue cum rei licitæ eandem nauat, in considerando delinquit, in re aut genere, & tum negligentiæ culpam quæ sit perniciosa*, eos non exigete, sed de hac re nos antea.

Decimo quinto quæritur, *An vt incurratur irregularitas, quæ ex homicidio fortuito nascitur, istud ex opere quocunque modo illicito sequi sufficiat.*

Non videtur. fac enim mihi quidpiam esse à superiore prohibitum V. C. equo in publicum die festo progredi, quis me ideo irregularem existimet, si sanitatis causa, cum in equo auram medici consilio captarem, inopinatò è manibus elapsus equus, puerū quē in itinere iacentem reperit, pedibus atterat? nec enim est hæc infantis attritio mihi primò, per se, & directè volita, cum de ea, ne leuis quidem animum cogitatio subierit vnquam, nec indirectè, in progressione scilicet ad publicum, contra Superioris mandatum, nec enim est eiusmodi prohibitio causa secutæ necis, & tamen ex opere illicito, equitatione scilicet, cum hanc esse non decebat, ortum habet, non ergo opus malum quodlibet, irregularitatem ex homicidio casuali ac fortuito, aptum est parere.

Eiusmodi illud ergo, & quale esse ad hunc effectum conuenit?

Respondet Ludouic. de Beia *parte prima responsion. casu* 40. cui astipulantur Nauar. *cap. summæ 27. num.* 220. Ludouic. Portelius

in dubiis Regular. verbo homicidium, fore tum eiusmodi, si homicidii propinqua sit causa, ex sua natura, consuetudine, aut operantis intentione, ad necem aut deformationem comparatum, quo ex principio inferendum, irregularem non esse, qui captus vino, aliquem interemit, nam etsi culpa se sua, vino epulisque oppleuerit, cum tamen id ei non sit in more, nec vnquam alias ei cum sui esset impos, aliquem contigerit lædere, nec in se, nec in ebrietate facta ab eo miseri occisio, voluntaria censeri potest. Similiter *si furiosus, aut infans seu dormiens hominem mutilet, aut occidat nullam ex hoc irregularitatem incurrit*, Clem. V. *in Clement. 1. de homicid.* quia non est somnus, causa per se propinqua talis effectus, ad eum natura sua aut consuetudine directa.

Decimo sexto quæritur, *An chirurgi & medici, qui secundum artis præcepta mutilant, sint irregulares.*

Dico primò, *Tales habendos esse, si mutilati, eorum negligentia aut imperitia diem suum obeant.*

Ratio est, quod tunc ex delicto, causa sint eorum interitus, ac ex consequenti veri homicidæ, per actionem positiuam ac vetam.

Dico secundò, *Qui iuxta artem, eiusque præcepta secat, ac mutilat, non est irregularis, etsi ex eo, aut alia curatione mors sequatur præter intentionem.*

Ratio est, quod extra defectum lenitatis, mors ex opere aliquo nostro secuta, irregularitatem non pariat, nisi sit criminosum ac lethale, at eiusmodi esse truncationes ac vulnera, quæ ex arte fiunt, nemo prudens existimauerit. Deinde cui non compertum, irregularitatem ex defectu lenitatis natam, esse pro iudicibus, forique asseclis, ac ministris, & non medicis ac chirurgis, nisi quid ergo ex imperitia, negligentiaque in curando vulnere, aut secando membro omiserint, qua ex omissione mors sit sequuta, irregulares non erunt.

QVÆSTIO XXVIII.

An ad contrahendam irregularitatem ex homicidio indirecte voluntario, proindeque culpabili, culpa requiratur lethifera.

SVfficere venialem existimant hi auctores Caiet. *ver. irregularitas*, Armilla *eod. num. 14.* Molina *tract. 3. disp. 77.* cum enim in tria genera, legalis culpa distribuatur, leuem, leuissimam & latam, à leuissima irregularitatem gigni aiunt, si illa culpa sit in A committendo, non autem si eadem sit in omittendo. *nam iura*, inquit Armilla. *plus tolerant culpam omissionis, quam commissionis*, Comitolus nullam exigit, quando quis nauat operam rei sibi non concessæ, ex ipsoque homicidio, quamuis careat culpa, irregularitatem oriri ait *lib. 6. q. 52. & sequenti.*

In contrariam partem abeunt reliqui cum aiunt, culpam siue committendo, siue quid omittendo suscipiatur, latam esse debere, nec ad contrahendam irregularitatem satis esse, leuissimam aut leuem: Opinionis huius B asserendæ, ac propugnandæ principes, sunt Petr. Nauar. *lib. 2. de restitut. cap. 1. numero 69.* Auila *disput. 6. sect. 1. dub. 11. concl. 3.* Henriq. *lib. 14. cap. 15.* Layman. *lib. sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 10. num. 3.* Quod meum sit iudicium de re proposita explanabo assertione duplici.

Prima assertio, *Vt in irregularitatem quis offendat, cum rei licitæ dat operam, necesse est, vt culpam subeat negligentiæ, seu inconsideratæ, ac inconsultæ rationis, quæ sit lata ac mortalis* Laym. loco proxime citato expresse, estque contra Caiet. & cæteros, qui scribunt ho- C micidium, cuius causa est casus, eos afficere irregularitate, qui in alterius interfectione culpam admisere tantum leuem, & non mortiferam. Assertionis hæc est ratio quod mors sequuta, non potest homini esse voluntaria, nec ipse proinde cum ratione, audire homicida, nisi in causa, effectus ipse qui est nex aliena, fuerit ab eo volitus, quod nunquam accidit quantum est ad irregularitatem satis, nisi culpa præcesserit, & negligentia inconsiderantis, eaque non vulgaris, qualis est eius, qui non prospicit, D quod eiusdem generis ac conditionis homines quanquam non diligentes, prouident, in hoc enim est lata culpa legalis, quod sit deuiatio incircunspecta ab ea diligentia, quam communiter habent homines, Bartolus *in leg. quod Nerua ff. depositi num. 27.*

Assertio secunda, *Quando Clericus nauat operam, rei sibi non permissæ*, si mors præter eius votum, ac expectationem casu consequatur, fit irregularis, si non omnia prospexerit, quæ diligentes quique in operando, si- E bi perspecta, cognitaque esse volunt, & sic ad incurrendam irregularitatem ex homicidio fortuito, non est necesse culpam vllam exitialis, ac mortiferæ indiligentiæ, sed circunspectionis incautæ præcedere, satis est ad hunc effectum venialis, quia vt dicitur in *reg. 19. de regul. in 6. Non est sine culpa, qui rei quæ ad eum non pertinet, se miscet*, at qui operatur quæ sibi non sunt concessa, iis se immiscet, quæ ad eum non pertinent, ergo cum

culpa

culpa, non mortali cum eorum quæ prudens facere solet, ne operando noceat, nihil omiserit vt supponitur, ergo veniali, maxime si opus in quo versatur Clericus, non sit ab homicidii seiunctum periculo.

Ratio est, quod imprudentiæ sit nō modicæ tali se periculo exponere, & licet effectus qui cum illo cohæret, hoc est homicidium, non censeatur esse in eo implicite volitum, ob diligentiam quæ adhibetur ne accidat, quia tamen in iis quæ vt plurimum contingunt, nec nisi ægre separari à causa mali queunt, fortunam tentare velle, peccatum est venialis imprudentiæ, ab ea non est futurus immunis ac liber Clericus.

Ex primo capite, Irregulares sunt Iudex, & Magister, ille cum in exquirenda, aut tormentis exprimenda à reo facti veritate, iste, cū in castigando discipulo modum sic ambo exeunt, vt inde vtrique mors accidat, Nauar. *lib. 5. consilij parag. 6. de homicid. & cap. Manual* 25. *num.* 235. Couar. *par. 2. parag.* 4. *num.* 5. Henriq. *lib.* 4. *num.* 4.

Ex secundo, Bombardæ explosio irregularitatem Sacerdoti affert, qui cum ad venatum isset, in hominem intentam exonerauit, quem tamen adhibita diligentia credebat esse animal, quia contra iura Ecclesiastica, venationi clamosæ, & quæ non nisi cum armis exercetur, operam tanquam rei sibi non concessæ dabat, Comitol. *respons. lib.* 6. *q.* 12.

Ex eodem capite, in irregularitatem incidisse censendus est Clericus, qui ad curationem ægri ferrum & ignem adhibuit, effectu alio nullo quam sequutę mortis, etsi hic nulli prorsus negligentiæ, aut iniuriæ culpę affinis esset.

Ratio est, quod sunt hæ artes Clericis prohibitæ, quibus non nisi adustione, aut abscissione membri, afferri medicina potest *cap. tua nos de homicid.* nec mortis discutere periculum, quod illis, earumque functionibus est insitum, quantacunque diligentia valeat.

Contra primam assertionem obiicit Molina, Irregularitas ex homicidio, culpæ non est agnata necessario, nam quid peccant Reges, quid Principes, quid Iudices, cum nocentium iugulum petunt, ab iisque extremum spiritum resti exprimunt? & tamen eo facto irregularitatem subeunt, huic ergo pœnæ culpa mortalis nulla, est præmittenda necessario.

Consequent. est falsa, nec satis apte ex Anteced. illata, quod enim à Iudice auctoritas stet publica, in damnando nocente non peccat, est tamen ex defectu lenitatis irregularis, quod manibus, animoque sontium cruore tinctis, perfectam Christi mansuetudinem non referat.

A Qui autem priuata potestate, vitam eripit alteri, vt ei nocet, ita peccat, ergo hoc ei peccatum debet esse voluntarium saltem indirectè, in negligentia, hanc autem si sit tolerabilis, si ferenda, si venialis, irregularitatem parere posse, grauem vtique pœnam, quis dicat? est enim hoc in Doctorum præceptione caput, culpam pœnę oportere parem esse, at est irregularitas, pœnarum, quas infligit Ecclesia, si non maxima, saltem tamen inter magnas non vltima, hanc subiri ergo non nisi ob culpam, quæ aliquo modo grauitate ei respondeat, est necesse, cum hæc abest in hoc homicidii genere, cuius causa est casus, irregularitas est nulla. Nam de periculo quod addit Sotus, ad rem non facit, quia si est probabile, & prospectum fuit, homicidium admissum, à casuali in voluntarium transfertur, nec culpa tantum in genere, & obiecto residet, sed etiam in agente, qui non tantum propter rem illicitam cui dabat operam, sed multo magis propter homicidium à se commissum, & volitum indirecte in sua causa, nempe diligentia & cautione non adhibita ne accideret: damnandus erit.

QVÆSTIO XXIX.

An qui in mortem alienam consensit, quam tamen nec intulit, nec inferentibus comitem se addidit, sit irregularis.

FActum est eiusmodi, in armatum, cum scholares incidissent aliqui, ab armis inopes, ab eoque pessimè essent ac indigne habiti, pleni ira, eius interficiendi commune consilium capiunt, ab eo ergo digressi, domum se quisque recipit, data sibi & accepta vicissim fide, faciendæ necis, vbi se primum daret occasio, post aliquanto, duo ex illis prætereuntem nacti, alia omnia quam de paratis sibi insidiis cogitantem, opprimunt. Quæritur hic ergo an tertius ille, qui cum istis societatem consilii paulo ante coierat, aberatque, cum sunt illud eius, socii in miseri exequuti perniciem, ex illa cæde irregularitatem contraxerit.

Respondendum, in vtroque illum foro, irregularem censeri. In externo quidem, quia palam, de eo interimendo promissa dedit. In interno vero, quia consuluit, quia hostis necandi causam, ac modum elegit, *can. si quis viduam 8. distinct. 50 parag. similiter, similiter si homicidij, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione, post baptismum conscius fuerit, & per subreptionem ad Clericatum vene-*

rit, deiiciatur.

Nec eum iuuat, quod cum à sociis facta est in prætereuntem impressio, domi esset, à cædis illatę loco, sociisque procul abesset. Nam qui homicidio causam dedit, fit hic eo nomine irregularis, at dedisse hunc tam voluntate, quam verbis, ac pollicitis, est planum, ergo, &c.

quid? quod cum est communi consensu, ab his tribus conflata scelerata illa societas, cladis ei inferendæ, à quo se offensos aiebant, mutuo illam sibi suo faciendam nomine imperauerint, sed qui mandat homicidium, in irregularitatis laqueum incidit, si sequatur, illa ergo hunc teneri, verisimile est propeque ac certum.

Quid si ore tenus duntaxat, & non corde, intentandæ mortis approbator extitit? quid si eam optare præ se tulit, ne timidus appareret, ac honoris parum appetens?

Irregularem tunc eum non esse, existimare quis posset, quod in illum homicidii macula, ob defectum voluntatis eius faciendi, non cadat, ecquid ita vero? nempe quod clades, tantum homicidii vocanda sit nomine, quæ voluntarie vitam personæ adimit, quod iste non fecit.

Equidem si qui est oppressus, sacris foret initiatus ordinibus, nemo diceret tertium illum, qui mortis quidem afferendę suasor fuit ore tenus, non vere & ex animo, abfuit autem cum est à sociis illata communi opera, nemo (inquam) eum excommunicatum diceret, eo quod Ecclesia actus duntaxat perfectos in suo genere, ac completos puniat, cuiusmodi homicidium esse sine voluntate commissum, nemo opinor asseret, at eadem est irregularitatis causa, quæ excommunicationis, sunt enim ambæ peccati pœnę, ambæ Ecclesiastica vincula, quibus, ne in illud diffluat, ac labatur humanus animus, impedire Ecclesia satagit.

Deinde Theologorum hoc axioma, actus scilicet tantum in genere suo completos, puniri ab Ecclesia, peræque, imo multo magis in irregularitatem transfertur, siquidem non quælibet hominis interfectio irregularitatem parit, sed quæ scienter ac consulto suscipitur.

Nihilominus in eam incurrisse est credendus, quia mortis causa extitit, quia de ea consilia cum sociis pestifera habuit, quia eam sua causa, nomineque procurari voluit, quia socios in proposito, assensu suo firmauit, à quo illis animum ad efficiendam cædem esse additum, quis non videt? nec enim ausuros fuisse eos vnquam tantum, ac tam fœdum facinus, est credibile, si sibi persuasum fuisset, huic tertio odiosum futurum ac graue.

Ad argumentum responderi debet, factam cladem à duobus, huic tertio, quantum est satis ad effectum præsentem, fuisse voluntariam, nam etsi forte initio abhorreret à crimine, nec ad illud afferret animum, illum tamen cum causa mortis, id est externa illa deliberatione coniunxit, cum eius esse voluerit particeps,

Equidem si voluntas deerat, si factum oderat, cur non id indicauit sociis? cur pertæsus culpæ, à se admissæ, in deliberando cum iis de nece consciscenda consilia prima non retexuit? cur nō ea de re socios admonuit? cur à meditato facinore, vt debebat, & poterat, non reuocauit? quare cum sequuta morte, is qui eam suo fieri nomine imperauit, in irregularitatem incidat, quin istius hic quoque nexibus irretitus hæreat, ambigi cum ratione non potest.

QVÆSTIO XXX.

An qui homicidium factum suo nomine, ratum habet, sit irregularis.

RAtihabitionem, irregularitatis notam inurere, dixere Molina, *de instit. 4. disp. 33. memb.* 4. Sylu. *verbo homicid. 1. qu. 7.* Maiolus *de irregular. lib. 5. cap. 48.* Nauar. *cap. 27. num. 233.*

In contrariam partem sunt transgressi hi auctores, Hurtado *disp. 2. de irregul. diffic. 7. num. 25.* Vega *2 parte summæ verbo irregularitas casu 3.* Portelius *in dubiis regularib. verbo homicidium num. 16.* Henriq. *lib. 14. cap. 16.* Corneio *in 3. parte tract. 5. de irregul. disp. 1. dub. 2. qu. 2. num. 3.* Suar. *de censur. disput. 44. sect. 3.* Coninch. *de Sacrament. disp. 18. num. 72* pro eadem opinione facit Angelus *in verbo homicidium 2. parag. 7.* Laym. *lib. 3. sect. 3. tract. 3. par. 3. cap. 4. numr6.* Ab his argumentis fidem accipit hæc opinio,

Primum est eiusmodi, ab homicidio non subitur irregularitas, nisi procurato, at qui scelus homicidii, facti suo nomine approbat, is illud non procurat, cum ratihabitio illud consequatur, proindeque sit eo posterior, ergo eius non est causa, ergo nec irregularitatis in eo, qui illud vt nomine suo, causaque factum, ratum habet.

Secundum, Homicida voluntate (verba sunt Diu. Thom. *in 4. dist. 25. q. 3. art. 1. quæstiuncula 1. ad quartum argumentum*) *incurrit reatum pœnę æternæ, sed non irregularitatem, vel excommunicationem, vel aliquid huiusmodi.* Sed ratihabitio non se necessario verbis, nutu, vel alio signo quopiam prodit, cum sit facti alicuius approbatio, quæ tota quanta est

interna

interna est, ac in voluntate residens, irregularitatis ergo non est causa.

Tertium, (quod est Laymanni monitum) non contrahitur irregularitas nisi in casibus, qui nominantur in iure Pontificio, vt loquitur Bonifac. VIII. *in decretali is qui de sentent. excommunicat. in 6.* sed nulla lege Ecclesiæ est cautum, irregularitatem ob ratihabitionem incurri, hic ergo ei effectus non debet tribui.

At enim (inquies) *ratihabitionem retrotrahi & mandato comparari,* non est dubiũ *de regul. iuris in 6. regula* 10. & in decretali Bonifac. VIII. *cum quis de sentent. excomm. in 6.* sed qui cædem fieri imperat est irregularis, ergo & qui ratam habet.

Respondet Diana *par.4. tract.2. de irregul. resolut.* 13. ratihabitionem mandato similem esse quoad culpam, eique proinde comparari posse quoad pœnam, si superior ita statuat, vt fecisse est certum, in causa Clericorum, quos vt lædere, verberare, iniuria afficere est scelus, excommunicatione latæ sententiæ à Bonif. VIII. & Innoc. vindicarũ, ita & hanc iniuriã probare, ita & plagas, vulneraq; eis inflicta rata habere culpa est testimonio, Bonifac. *in decretali cum quis 23. de sent. excom. in 6.* his verbis: *Cum quis absque tuo mandato, manus iniicit in Clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam à canone incunctanter incurris, cum ratihabitio retrahatur, & mandato debeat comparari, si vero iniectio tuo nomine non sit facta, tunc licet pecces ratam habendo eandem, non tamen propter hoc excommunicationis vllo vinculo innodaris, cum quis ratum habere nequeat, quod eius nomine non est gestum.*

QVÆSTIO XXXI.

An si Adulter, adulteræ maritum defendendi sui causa interimat, sit irregularis.

DIuersis hac de re sententiis inter Doctores certatur; inter quos etsi conueniat, qui aduersarium impellente necessitate obtruncat, quoniã expediendæ salutis alia ei via nõ patet, hunc nece inuadẽti afferenda, nec peccare, nec vlla se irregularitate illigare, dubitant tamen ecquid ex inuoluntario, ac casuali homicidio, cuius inferendi, culpa aliqua, aut res inferenti nõ licita, causa extitit, aliqua in operantẽ redũdet irregularitas.

Molina *de iustit. tract. 3. disput. 72. num.* 5. eo propendet, vt hæc in adulterum resultet. Hanc eius opinionem sunt amplexi Villalobos *tom. 1. tract. 21. difficult. 24. numer.* 4. Vgolin. *de irregular. cap. 29. parag. 3.* ex

A antiquis Diu. Thom. 2.2.q.64.art.8. Tabiena *verbo irregularitas 1. parag.4. conclus.1.* Nec alium mentis sensum habuisse videntur, seu Theologi, seu quicunque iuris Pontificii interpretes, qui de hoc genere irregularitatis, quæ ex homicidio casuali nascitur, præcepta in commentarios suos retulere multa, ac varia, est enim in iis homicidium casuale ac inuoluntarium, irregularitatem ei gignere qui dat operam rei illicitæ, etsi eidem, tale homicidium vere non sit mortale, ita vero sentiunt Sylu. *in verbo homicidium 2. regul. 3.*

B Tabiena *verbo irregularitas 1. parag.4. conclus. 1.* & alii qui cum Diu. Thom. 2.2.q.64.art.8. affirmant vniuersaliter, casuale homicidium, danti operam rei illicitæ, semper imputari quoad pœnã irregularitatis, licet non semper quoad culpam homicidii.

Secus existimatum est, à non minus multis bonarum rerum disceptatoribus, vt à Soto *lib.5. de iustu. q.1. art.9.* Sayro *de censur. li. 6. cap.17.* Auila *par. 7. disp. 5. sect, 3. dub. 3. conclus.1.* Turriano *de censur. lib. 9. disp. 65. dub. 2.* Less. *lib. 2. cap. 9. dub. 15. num. 106.*

C Hæc sententia, cum & auctorum numero, & ratione, & humanitate sit commendatior, priori est anteponenda, ratio est multiplex.

Prima quod homicidium ex casu, eius auctori tunc tantum irregularitatem afferat, cum cladis factæ propinqua est causa, Ludouic. de Beia *parte 1. casu 40.* Ancharan. *in Glossa penult. cap. final. de homicid. in 6.* Sed Adulterium causa eiusmodi dici nequit, ecquid ita vero? nempe quod rebus his duntaxat conueniat, Nauar. teste *cap. 27. num. 220.*

D de Beia supra, causæ propinquæ nomen, quę ex natura sua, vel consuetudine, aut intentione operantis, in necem diriguntur, ac tendunt, quo de rerum genere, adulterium esse quis putet? & primo, si naturam spectes, non vim, non iniuriam corporis, non necem mariti adulteræ; pro fine constitutam habet, sed voluptatem sensuum, sed libidinem, hanc explere adultero est propositum, cum thorum alienum inuadit, ac maculat, de faciendo in vitam impetu, de necando marito adulteræ non cogitat, non est ergo adul-

E terium, homicidii propinqua causa, qualem tamen esse oportet, vt homicidium ex casu, operanti imputetur ad pœnam, quod in maiori positum fuit & probatur.

Qui periculo sui capitis, aut fortunarum, de capite periclitantem non protegit, cũm potest, qui fame morientem pane non iuuat, etsi violatæ charitatis sit reus, non tamen Ecclesiasticæ legis, quæ peccantem pœna irregularitatis afficit, quia auxilii, ac victus negatio, in maxime necessario tempore

pauperis, natura sua, aut negantis voluntate, certo & efficaciter mortem ei non conciliat, cum aliunde recipere, & ad vitam opportuna sibi salutis remedia quærere ab alio valeat.

Similiter non est equus à Commodatario præstandus Domino, quem ad palum, aut sepes illigatum in via, cum iste luderet, aut turpiter ac fœdè ageret, cadens è cœlo fulmen cæcidit, eo quod nec equi mora in itinere, eiusque in palo reuincti quies, nec sessoris oblectatio, aut fornicatio, res sint eiusmodi quæ cum equi interitu, vinculum vllum habeant ex natura sua, aut voluntate equitis necessariũ. Verum est ergo, quæ fortuito accidunt, multa ac varia quotidie in hominum vita, ad pœnam, aut culpam operanti non tribui, si eorum propinqua non extet causa.

Secunda, (quæ est Soti argumentatio) vt homicidium casuale, ratione rei illicitę irregularitatem pariat, exigit, vt opus illud cui consulto quis dat operam, sit periculosum ex genere suo, & mortis inductiuum, quando vero (inquit) opera illa non sunt Clericis ideo prohibita, quia periculosa, sed ob aliam causam, nempe quia indecora, quia ab eorum aliena sunt dignitate ac statu, tunc homicidium quod est casuale, irregularitatem non inducit. Sed Adulterium non est per se mortis causa, nec via ad occisionem mariti adulteræ, sed potius adulteri, neque hæc occisio est culpabilis in defensione, cum hanc natura cuique permittat, seruato tamen inculpatæ tutelæ moderamine, ergo marito adulteræ mors illata defendendi sui gratia ab adultero, non est isti, irregularitatis futura causa vel occasio.

Idem dicendum, quando quis conuitio alium ad se aggrediendum impulit, nam si vim eius repellere nequit, nisi inferendo ei mortem, vt non est hæc eius actio vitiosa ac culpabillis, ita nec pœna irregularitatis, conuitium enim via non est ad occisionem læsi, sed conuitiantis, Less. supra *num.* 106.

Similiter non est irregularis, quem casus eo redegit, vt illi sit necesse mori, aut se tueri, tunc enim etsi cum culpa impulerit nocere alteri, si tamen ab illo quæratur ad mortem, quam euadere non sit facile, nisi illo è viuis sublato, vt omnis ei est honesta ratio custodiendæ salutis, cum alieno detrimento, ita & vitandæ irregularitatis Diana *parte 4. tract. 2. resol. 2. parag. dicendum est igitur.*

Quid si Adultero probabile erat fore, vt adulterio cognito, maritus vxorem interimeret? aut ipse in eas redigeretur angustias, vt in hunc cogeretur impressionem facere,

A aut eius manibus interire?

Respondent Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. ca.* 10. Suar. *de censur. disp.* 46. *sect.* 1. *num.* 12 Coninch. *de Sacram. disp.* 8. *dub.* 9. *num.* 64 adulterum irregularem esse, quando certum ei fuit aut verisimile, non sine morali periculo aut occumbendi, aut occidendi, offerre se stuprum mulieri.

Ratio est, quod tum adulter in necessitate se constituat, inferendi damni proximo, & ita habet adulterium rationem non solum adulterii, sed homicidii, indirectè in eo periculo voliti, ratione cuius
B indirectæ volitionis, desinit esse casuale, quod definitur, occisio nec in se, nec in sua causa voluntaria.

De quæstione altera, est hic meus sensus, Adulterum irregularem non esse, si accidat adulterã à marito suo adulterii admissi conscio opprimi, quia illius respectu, est hęc eius occisio, à fortuna & casu, cuius rei est hoc argumentũ, quod adulterium causa non sit mortis adulteræ efficax, cum ex eo non soleat vt plurimum sequi, quàm enim vbique, & quàm sæpe, datam maritis fidem, mulie-
C res multæ fallunt? quam multæ iis ex adulterino concubitu sobolem supponunt? quibus non modo, vis non est illata à coniugibus, sed ne signo quidem, aut nutu, earum est ab iisdem læsa, aut in suspicionem vocata cum probitate fidelitas, ergo cum quę causæ sunt fortuitæ (quales sunt habendæ quæ effectus certo & *efficaciter non sunt* productiuæ, sed tantum per accidens) irregularitatem non pariant, quisquis marito libidine sua causa erit, per iracundiam, vt vxorem secum in adulterio deprehensam
D infesto ense transuerberet, necetque, irregularis non erit.

Secundo (quod est monitum Megalæ *de censur. lib. 7. cap. 2. q. 5.* ad incurrendam irregularitatem ex homicidio casuali, proueniente ex opere illicito, requiritur vt sit tale opus, per se aptum ad inferendum homicidium, & ea in agendo non considerarit, quæ animaduersa ab eo esse oportebat, ne sequeretur, secundo est necesse, vt eiusmodi opus ho-
E micidii immediata sit causa, at neutrum competit adulterio, comparato cum morte quam adulteræ, maritus suus, culpæ eiusdem conscius ei intulit: non est ergo adulter ob eam necem irregularis: qua de re consulendi Præpositus *in 3. parte qu. 5. de irregular. dub. 11. num.* 88. Turrian. *de censur. lib. 9. disp. 63. dub. 4.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXII.

An qui abortioni dat causam, pro irregulari haberi debeat.

DIco primò, *Qui casu, ac sine intentione vlla prępostera, quidpiam efficit, vnde perterrefacta mulier, fœtum abigit, irregularitate non tenetur*: ita asserunt summarum scriptores penè omnes, Panormitan. secuti *in cap. de cætero & in cap. exhibita de homicid.* præcipui Sylu. *in verb. homicidium 2. num.* 14. Angel. *eod. tit, 2. num.* 12.

Causa est, quod opus ex quo sequitur irregularitas, cui initiũ est à casuali homicidio, causa eius propinqua esse debeat. At nec metus iniectus fœminæ, nec id quo animo imprimitur, eius est causa alia, quam remota ac per accidens, ergo incutienti irregularitatem non affert.

Dico secundò, *Qui poculum mulieri propinat amatorium, eo animo vt fœtum eiiciat, rationali anima præditum, nec sacris ordinibus initiari, nec receptis vti potest.*

Ratio est, quod ea actio, reum illum homicidii, iniustæque abortionis faciat, & ex constitutionibus Xisti quinti, & Greg. XIV. excommunicationi submittat, quæ non potest nisi auctoritate Episcoporum, seu Ordinariorum absolui Comitol. *lib. respons.* 4. *qu.* 13. at quisquis est reus homicidii, idem quoque est irregularis, procurare ergo necem prolis animatæ, eiusque abortionem, est, in irregularitatis laqueum incurrere.

Secundo, expetere per se necem hominis, eique causam afferre, malum est, quod irregularitatis pœnam adiunctam habet: homicidium enim tam casu, quam ex scientia obueniens, sic naturam ac conditionem causæ sequitur, vt si in ista, culpa tantum leuis hæreat, leue sit homicidium, si grauis, graue. Sed fœtum animatum eiicere, aut eius exclusionem herbarum succo procurare, ac quærere, est interfectioni causam dare, quam rem Xistus V. in sua constitutione aduersus eos edita qui abortum fœtus procurãt *parag. insuper: immanissimum scelus nominat*, ergo irregularitate, vt homicidia cætera puniendũ.

Dixi *rationali anima præditum*, nam etsi effusio conceptus voluntaria, semper sit scelerata, vt pote generationi contraria, *homicidij enim festinatio est, prohibere nasci, nec refert an natam quis eripiat animam, an disturbet nascentem, quare nobis homicidio semper interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis delibatur in hominem, dissoluere non licet*, Tertull. *in Apolog. cap.* 9. non habet hæc tamen fœtus

A dissolutio atque proiectio irregularitatem, nisi cum anima rationali vegetat, ac viuit, quia est hæc pœna homicidarum propria. At antequam mens intus sanguinem agitet, qui formatur in hominem in matris vtero, homo nõ est *sed futurus quia fructus est in semine*, inquit Tertul. supra, quo circa *in c. si quis* 5. *de homicidio* dicitur, *eum qui fecerit vt mulier non possit concipere, vel vt proles non possit nasci, non absolute homicidam sed vt homicidam tenendum*, quia ergo homicida non est, non punitur morte, sed exilio, si nobilis est, ad metalla si ignobilis, vt expresse habetur lege *si quis*

B *aliquid* 38. *digest. de pœnis.*

Quid si animatio sit dubia, quid si ei, qui mulieri auctor fuit, deponendi vteri, excutiendæ prolis conceptæ, non constet, an cum de eo consilia cœpit pestifera, animam superne è cœlo infusam haberet?

Censuere authores aliqui vt Gomez *de delictis cap. 3, in rubrica de homicid. num.* 3. & Præpositus *in 3. parte q. 5. de irregul. dub. 8. num.* 58. extra irregularitatem esse, qui de conditione fœtus dubitat, esset-ne rationis expers,

C an compos, cum matri ad eum expellendum medicatum pharmacum præbuit, & quidem *si adhibita diligentia remaneat dubium non videtur irregularis*. Hæc ille.

Verum enim sententia vera, eaque sola tenenda est, in dubio, viueret-ne fœtus rationali anima, necne, irregularitate teneri, qui mulieri prægnanti medicinam ad propulsandum ex eius vtero conceptum fœtum præbuit. Ita præstantes Theologi Sotus *in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. conclus.* 4. Merolla *in disp. Theol. to. 1. disp. 3. cap. 3. num.* 237. Sanch. *tom. 1.*

D *summæ cap.* 10. *libri primi*, nec secus sentire possunt, qui id à Pontif. decretum norunt *in cap. significasti* 18. *de homicid.* vbi cum de quodam sermo esset percusso à Sacerdote, occiso autem à Parœcianis, dubitaret autem Abbas istius Presbyteri, qui & Canonicus regularis erat an irregularitatem ex ictu furi inflicto suscepisset, respondit Innoc. III. in hæc verba, *Si discerni non possit, ex cuius ictu percussus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos, & si homicida forte non sit, à Sacerdotali officio abstinere debet, cum*

E *temerè celebrare, pro eo quod in altero nullum, in hoc casu cessare sit tutius, quam temerè celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.*

Eximendi autem dubii de animatione fœtus in materna aluo, ratio esse hæc potest, vt sciatur, quando & in quod tempus incidit eius cõceptio, hoc est, prima ex mare & fœmina commixtio, sic enim eam nominat Arist. in primo de generat. animalium *cap.* 20. nam cum ab eo die eorum sumendum sit

initium, quibus in ventre muliebri, pueri corpus formatur, absoluatur autem maris quidem quadragesimo die fœminæ octogesimo secundum Gloss. *in cap. 12. Leuitici* ex decreto Hippocratis qui eo die, vel post illum, aut 42. ad proiiciendum fœtum remedium mulieri daret, vel acciperet, homicida esset, & ex Ecclesiæ sanctione irregularis, Comitol. *lib. 4. respons. q. 13.*

Huic quæstioni est hæc agnata, an Clericus qui sciens mulierem à se prægnantem redditam, meditari conceptæ ab ea sobolis abortionem, irregularitatem suscipiat, si hanc pro virili non impediat.

Qui affirmantem sequuntur, nituntur his rationibus, prima irregularitatem non effugit, cui cum incumbat ex iustitia, alienæ saluti consulere, eam cum protegenda esset, negligit, sed patris sunt hæ partes, eæque ex iustitia, vitam tueri filii. ergo, &c.

Secunda, reus est homicidii, qui ei causam præbet. Fecit id Clericus, nam imprægnanda muliere, in has eam angustias redegit, vt aut fœtum ab illa extingui, aut famæ suæ iacturam pati esset necesse, in irregularitatẽ ergo incidet Clericus pueri pater, si eius eiectionem non impediat, sic sentiunt Portel. *in dubiis regular. verbo Abortus num.* 14. Laym. *lib. 3. sect. 3. tract. 3. parte 3. cap. 4. num.* 7. Auila *parte 7. disp. 6. sect. 2. dub. 7. conclus. 2.*

In negantium partes qui sunt transgressi Turrianus *de censur. lib. 9. disp. 63. dub.* 3. Hurtado *de irregularit. disp. 2. difficult. 9. num.* 34. principiis nituntur oppositis, nempe nec patri necessitatem vllam esse lege iustitiæ impositam, tuendi filii sed pietatis, paternique officii, quæ est opinio Lessii *lib. 2. cap. 9. dub. 13. num. 94.* nec qui ex iustitia patrocinium, ac defensionem debent alteri, si vim ei fieri non impediant, aut vitam adimi, irregulares esse.

Vtraque sententia probabilis, prior tamen prę posteriore, quod assensum habeat Patrum, ac probationem *in can. inferenda* qui est Ambrosii 3. q. 3. his verbis: *ex lib. 1. de officiis cap. 36. Qui non repellit à socio iniuriam, cum potest, tam est in vitio, quam ille qui facit, & in can. qui sequitur,* qui est Anastasii & Damasii *nec enim caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, & in can. extremo ead. quæst. & causa,* qui est D. August. *in Psalm.* 81. *Qui desinit obuiare cum potest consentit,*

QVÆSTIO XXXIII.

An Dominus irregularis sit censendus, eo quòd seruus cui mandauerat Ioannem occidere, ab eodem Ioanne sit occisus.

Esse, docuere hi omnes Suar. *de censur. disp. 44. sect. 3. num.* 18. Auila *de censuris parte 7. disp. 6 sect. 2. dub. 5. conclus. 4.* Sayrus *lib. 7. cap. 3.* Reginald. *lib. 30. tract. 2. cap. 11. sect. 1. n. 126.* Villalob. *to. 1. tract. 21. diffic. 20. n. 10.*

Ab hac vna ratione sensum suum reddidere probabilem, quod Dominus tali suo imperio peccarit, cum nunquam non sit illaudabile, nunquam non perniciosum ac exitiabile animæ, mandare alicui, vt inopinato impetu, & ex insidiis, hominem e viuorum numero tollat.

Pugnant pro Domino Henriq. *lib. 14. cap. 16. num. 1. litera K.* Turrian. *lib. 9. disp. 63. dub.* 3. Hurtadus *de irreg. disp. 2. difficult. 6. num. 21.* vbi hæc habet. *Addo mandantem aut consulentem alicui vt occidat alterum, & idem est de mutilatione, non esse irregularem, ex homicidio casuali, etiamsi mandatarius, seu consultarius occidatur ab alio, quem inuadit.* Ab illis stat Vasqu. in primam secundæ *to. 1. disp. 100. q. 73. art. 9. dub. 3* *Qui alteri,* inquit, *suadet furtum ex quo sciit illum puniendum pœna mortis, non incurrit irregularitatem, quia non fuit causa homicidii. Hæc* ille.

Cuius opinio his mihi argumentis fulciri posse videtur.

Primo, quia irregularitas, est inflicta iure ob mandatum aut consilium, quo quis imperat, aut consulit alicui, sibi manus violentas vt afferat, aut alteri, quod in præsenti casu non accidit, sed oppositum, nam nec Dominus est auctor ei, quem seruus suus aggreditur, vt eum perimat, nec seruo ipsi, seipsum vt perdat, nam verè causam non apponit, ex se ordinatam ad homicidium nec indepẽdentem à voluntate aliena, quod tamen esset necessarium, vt seipsum diceretur occidere.

Secundo non est Dominus directa necis illatæ seruo suo, vel inferendæ causa, nam hæc ei non est pro fine proposita, sed Ioannis, à quo ille est victus. Non indirecta in causa: nempe in consilio, aut mandato, nam cum Dominus seruum suum nesciret viribus Ioanni esse imparem: ei venire in mentem non potuit, quod in iis pœnis adhæresceret, quas per illum de Ioanne repeti mandabat.

Quia res est tamen ob opinionum varietatem ambigua, auctor sum Domino, vt rehabilitari

habilitari se ab Episcopo postulet, qui id potest vi concilii, à quo ei *in sess. 24. cap. sexto*, permittitur dispensare in irregularitate proueniente ex casuali homicidio quale est præsens, cum nemo eius homicidium intendat ac velit, cui dat in mandatis alteri vim facere, indirecte ergo tantùm imputatur Domino, serui sui interitus, & ideo casualis est (vt loquuntur) ac fortuitus, similiter & quæ ex eo nascitur irregularitas, casualis, quod est Suaresii monitum, argumentumque præcipuum, quo probat irregularem esse Dominum.

QVÆSTIO XXXIV.

An qui mutilari aliquem imperauit, sit irregularis.

Qvidquid secus Doctores sentiant, dicere non verebor, ab ea me opinione procul esse, quod vt notarunt Præpositus *in 3 par. q. 5. de irregul. dubio 9.* P. Corneio *tract. 5. de irregul. disp. 2. dub. vnico q. 5.* de eo expresse mentio nulla sit in iure, ergo cum irregularitas inuehenda sit nulla in mores, vsumque communem hominum, quæ non sit suo, proprioque comprehensa decreto, inter irregulares numerari eum non oportet, qui de mutilando, id est membro resecando à corpore, non de occidendo, mandatum dedit.

At enim (inquies) quisquis alieno sanguine madidas manus habet, quisquis exhauriri vitam mandat aut consulit, irregularitatis laqueo se induit, ergo & qui membrum de corpore adimi.

Neganda est consequentia, primo, quia in re quæ est alieni arbitrii, ei stare oportet, non fingere, aut quærere argumenta, quibus fiat confirmatior, aut ad fidem leuior. Itaque cum consulentes homicidium, aut illud committentes, pari pœna iura Ecclesiæ afficiant, non qui mutilationem suadent, aut imperant, tam erunt isti ab ea liberi irregularitate, quam vere sunt illi ea obligati.

Secundo non valet in pœnis argumentum à simili, à paritate rationis, aut à maiori ad minus, ab his ergo qui necem consulunt, aut mandant, ad eos qui præter mutilationem nihil postulant, solidi nihil pro incurrenda irregularitate, ab his qui eam volunt, & mandant, inferri potest.

Quid si Dominus sola exigebat verbera, aut plagam leuem, morsque vt fit communiter, est sequuta, quia vehementiore quodam furoris æstu abreptus seruus, longius est nocendo progressus, quam à Domino erat iussus?

Quæstioni pridem factum est satis à Bonif. VIII. in decretali vltima *de homicid. in 6.* his verbis: *Is qui mandat aliquem verberari (licet expresse inhibeat, ne occidatur vllatenus, vel membro aliquo mutiletur) irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, aut occidat, cum mandando in culpa fuerit, & hoc euenire posse cogitare debuerit.*

Secus visum Præposito *q. 5. de irregul. dub. 10. num. 78.* sed quo fretus argumento in eam mentem venerit, quia non video à Bonifac. recedi non posse sentio.

QVÆSTIO XXXV.

An qui homicidam in faciendo scelere, necandoque homine comitantur sint irregulares.

Dico primò, *Qui homicidæ comitem se offert, siue ad auxilium, siue ad necem alicuius expeditus, si hæc sequatur, est irregularis.* Glossa *in canonem studeat 39. distinctionis quinquagesimæ*, Nauarr. *in capite 27. manual. num. 227. illatione 13.* loquitur his verbis: *Decimo tertio infertur, quod est irregularis huius speciei, qui illicite rixatur, aut certat cum alio, si eius amici superuenientes eum deforment, etiamsi absque eius consensu id faciant*, videntur vt istius auctoris opinione, qui neci factæ præsens fuit, quamlibet eam nollet, ex aliorum facto irregularitatem suscepit? Nauarro astipulari Comitolum video *lib. 4. respons. q. 56.* ibi enim roganti, ecquid Sacerdos quidam in irregularitate esset, qui iuuenem districto ense, hominem cum quo eius auunculus simultates gerebat, & quem ille eius interimendi causa cursu sequebatur præcipiti, currens & ipse subsequutus erat, quamuis nec eius cædi interesse, nec eam accidere cuperet.

Respondit irregularem videri, quod eius occisioni fauerit comitatu, insecutione, & transcensu fossæ, quam superauerat, ne miseri homuncionis cladi is interesset.

Dixi *ad auxilium*, quia si casu quis in homicidam incidat, aut forte quidpiam aliud agens, inopinato euentu, ad latera sua hominem interimi videat, illum ea clades irregurem non faciet, quia eius non est causa, quid enim dixit, aut in quo opere est versatus, vnde alteri animus accreuerit? vel quo ad cædem expeditior homicida fuerit, aut ab occiso securior? ergo cum ex homicidio nasci solita irregularitas, concursum ad illud aliquem irregularis exigat, qui talem nullum adhibuisse probabitur, ab ea pœna, futurus est quam liberrimus.

Dico secundò, *Qui amico dat se comitem in via, cum armis, non interimendi animo, non nocendi, sed eius colendi causa, stipãdique, dum in publicum progreditur, in irregularitatem non incidit, si inimico cui casu fit obuiam, vitam exhauriat.* Ita Auila *parte 7. disp. 6. sect. 3. dub. 1. conclus. 3.*

Ratio est, quia ex homicidio casuali irregularitas contrahi nulla solet, nisi ab eo qui operam rei dabat illicitæ, quo de numero, non est amici ad honorem, cultumque eius apud populum, insequutio, non comitatus ad splendorem & gloriam, & non ad cladem.

Principio hoc Nauar fretus dixit *in consil. 32. de homicid.* irregularem eum non esse, qui bono animo tenebat ensem districtũ manu dextera, quadoquidã alius à fratre percussus sic est in rixa, vt ex vulnere naturæ cõcesserit, satisque quia (inquit) operam nauabat rei licitæ: Ex opposito. *Illi qui non vt ferirent, sed vt percussoribus opem ferrent, si forte per aliorum violentiam impedirentur, paulo minori pœna debent mulctari, quia cum scriptum sit, qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit, eum occidit, constat ab homicidij reatu immunes non esse, qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare,* Alexan. III. *in decret. sicut dignum 6. tit. de homicid.*

QVÆSTIO XXXVI.

An qui homicidium consuluit, ignorat tamen aut dubitat an sit admissum, pro irregulari haberi debeat.

QVi facta diligentia dubitat, an quod fieri præcepit, aut consuluit, exequutioni ut mandatum, habere se necessario pro irregulari non debet, Sanchez *tomo 1. Decal. cap. 10. num. 48.* Suar. *to. 5. de censuris disp. 40. sect. 6. num, 48.* Fagundez *lib. 2. in Decalog. ca. 10, num. 12*

Ratio est, quod irregularitas non incurritur nisi in casibus iure expressis, vt est *in cap. is qui de sentent. excommunic. in 6.* at in dubio facti homicidii solius, iura irregularitati locum esse volunt, vt est *in decretali petitio penultima de homicid,* ergo ad consilium non est eorum vis extendenda.

Confirmatur, qui facta diligentia sibi vt de re vniuersa constaret, remanet tamen dubius, an is cui vim inferre alteri suasit, consilio suo paruerit, necne, & an illam, etsi nõ monitus, aut consilio suo ad illam non fuisset inductus, verè fecisset, de homicidio à se admisso non dubitat, cum non sit homicida, sed de sua ad illud cooperatione, at in dubio, melior est conditio possidentis suam immunitatem ab irregularitate, quam non habentis, ergo cum non stet possessio legis, contra consulentem, nec sit præsumptio, factum ab eo homicidiũ, irregularis non erit.

In contraria sunt sententia, Couarr. *in Clement. si furiosus 2. par. parag. 2.* Sayrus *de censuris lib. 7. cap 3. num. 2.* cæterique omnes, qui non solum in homicidio, sed etiam in omnibus aliis delictis, quibus pœna irregularitatis imponitur, in dubio facti, irregularitatem volunt contrahi: vt Rosella *verbo dubium num. vnico,* Angelus *eod. num. 2.* Rebell. *de instit. par. 2. lib. 1. qu. 13. sect. 2. num. 15.* Vasq. *1. 2. q. 19. art. 6. disp. 65. cap. 3. num. 9.*

Huius opinionis sunt hæc præsidia.

Primum, in dubio facti homicidii, irregularem censere se quisque debet, hic est tale dubium, ergo, &c.

Secundum, pro eo stat possessio, pro quo facit iuris præsumptio, at hæc est contra consulentem, cum sit probabile, tali consilio non dato, cladem non fuisse futuram: ergo & legis possessio, parendum ei est ergo à consulente, si dubitat, ex consilio suo secutam esse cladem.

Hæc sententia est probabilis, & in praxi tenenda, quando consulens non dubitat, an factum sit homicidium, cum certo constet esse admissum, sed consiliũ an suum ad illud sit cooperatum, & vtrũ alter, sine eo illud fuisset commissurus, nescit, sed dubitat: in hoc eum casu irregularem esse, mea est opinio, ob argumenta allata pro secunda sententia, quia stat præsumptio & possessio legis contra consulentem, quandiu enim hic non probat oppositum, censetur suum consilium cooperatum, & verè influxisse in homicidium, & iuxta hanc præsumptionem, damnabitur in foro externo, & tenebitur de damnis ex tali occisione resultantibus.

Non influxisse vero præsumi poterit, si qui manus violentas occiso attulit, hostis eius erat, si veteres cum eo, acresque simultates exercebat, si ad necem omnia comparauerat, si se cõsilio inductum, consulẽtis ad eam neget. Henriq. *lib. 14. c. 16. n. 3.* Sanch. *de matr. disp. 41. num. 17.* Sayrus *lib. 7. de censur. ca. 3. num. 2.* Quod si consulentis causa, ac vt illi gratum faceret, de vita hosti adimenda cœpisse se consilia dicat, irregularis erit consulens, per *canon. si quis viduam dist. 50.* qui ex cõcilio Martini Papæ est desumptus *& per cap. 26. & cap. 2. de Clericis pugnantib. in duello* vbi est his verbis: *Homicidium autẽ tam facto, quam præcepto, siue consilio, aut defensione, non est dubium perpetrari, poterit tamen cum eo, ad habendum beneficium, misericorditer dispensari.*

QVÆSTIO

A

QVÆSTIO XXXVII.

An qui dubitat an mutilauerit sit irregularis.

NOn esse vt sentiam, inducor hac causa maximè, quod mutilatio propriè sumpta non sit homicidium, sed eius inchoatio tantum, ergo cū Pontifices irregularitatem, vti iustam peccati pœnam, soli dubio facti homicidii adiunxerint, ad mutilationem trahi non debet, quæ est opinio Sanch. *lib. 1. summæ cap. 10. num. 49.*

B A nobis dissentiunt Couar. *par. 2. parag. vnico num. 2. comment. in clement. si furiosus verbo mutilet de homicidio*, Angelus *verbo homicidium 5. num. 3.* Sylu. *eod. 3. q. 4. dicto 1.* Tabiena *verbo irregularitas num. 41.* Nauar. *in summa cap. 27. num. 206.* causa ita illis sentiendi vnica. Quod in iure mutilator & homicida, pro eodem vsurpari soleant, sicut mors & mutilatio, pro eodem accipi, vt fit planum *ex Conc. Nicæni can. 1. Si quis sanus seipsum abscidit, hic etiam si est in Clero, cessare debet, & ex hoc, nullum talem ordinari oportet.* Idem statuit Græcanica Synodus vt ex Martino Braccar. refert. Gratian. *dist. 55. can. si quis 9. Si quis*, inquit, *sanus, non per disciplinam religionis & abstinentiæ, sed per abscissionem plasmati à Deo corporis, existimans posse à se carnales concupiscentias amputari, castrauerit se, non eum admitti decernimus ad aliquod Clericatus officium, quod si iam ante promotus fuerit ad Clerum, prohibitus à suo ministerio deponatur.*

C Sed respondend. est primo ex allatis canonibus aliud non colligi, quam pari pœna plecti solitos homicidas, & corpori infensos, grauesque mutilatores.

Deinde cum in pœnis argumentum à simili non valeat, ab homicidio, eiusque facti dubio, ad mutilationem, eiusque factæ dubium, irregularitas trahi non debet.

D Tertio, cum verba legis pœnalis accipienda sint propriè, sitque mutilatio distincta ab homicidio, quod de isto iura decernunt, ad illam deriuari nequit. Quæ causa est cur existimem, consulentem mutilationem, irregularem non esse, quia irregularitas non incurritur, nisi sit in iure expressa, at canones ante citati contra consulentes homicidium, de mutilatione capi non debent cum ab illo ista differat, Præpositus *qu. 5. de irregul. dub. 9. num. 64.* Corneio *in 3. parte Diu. Tho. tract. 5. de irregul. disp. 2. dub. vnico q. 5. nu. 3.*

QVÆSTIO XXXVIII.

An sit irregularis qui alteri nasum, digitum, aut aures abscidit.

AFfirmant Toletus *lib. 1. cap. 76. num. 5.* Caiet. *2. 2. q. 68. art. 1.* Suar. *tom. in 3. par. disp. 44. art. 2. num. 9.* Sotus *lib. 5. de iustit. qu. 2. art. 1.* eo quod digitum, qui non est alter ex duobus minimis, nasum, & aures, membra esse existiment humani corporis, distincta à cæteris, suamque ac propriam functionem habentia, hinc enim sic argumentantur.

Ad irregularitatem sufficit, quod pars membri quæ absciditur, specialem (vt aiunt) functionem habeat ad munus principalis membri. Deinde pollicis priuatio, cum cui est auulsus, à sacrorum vsu Ordinum remouet, ergo & qui abstulit. Hæc illi, quæ probanda non videntur his auctoribus Couar. *in clementin. si furiosus par. 3. num. 8.* Henriq. *lib. 8. cap. 8. parag. 3.* Sayro *de censuris lib. 6. cap. 15. num. 15.* Filliuc. *to. 1. tract. 20. cap. 1. num. 14.* Bonac. *de censur. disput. q. 4. punct. 8. num. 8.* Villalob. *to. 1. tract. 21. diff. 19. num. 4.* Hurtado *de irreg. disp. 2. diffic. 5. num. 18.* Præpos. *q. 5. dub. 10. num. 71.*

Ratio est, quod irregularitas quæ ex mutilatione oritur, membri esse debeat. At digitus, nasus, & auriculæ, membra non sunt: hæc enim Aristotele iudice, ac teste, sunt in corpore, operationis gratia, quam autem digitus, auris, & nasus, propriam ac sibi peculiarem vindicent, dicere non est facile. Auris quidem, cartilago est, ad ornatum corporis, tutelamque auditus pertinens, non membrum. Turrian. *de censur. lib. 9. disp. 67.* digitus autem pars manus, nasus quidpiam in humana facie, quod eam decoram reddit.

E Patet ergo ex dictis primo, amissione cuiuslibet digiti Clericum irregularem non fieri, sed pollicis tantum ac indicis, qui duo ad decentem sacrificii celebrationem sunt necessarii.

Patet secundo, extra irregularitatem esse, qui alterum occæcat, qui ei per iniuriam visum adimit, non tamen oculos exhaurit, quia excæcatio, quia oculorum suffossio, membri non est mutilatio.

Patet tertio, ex debilitatione membri, aut eius contusione, irregularitatem non nasci, quia debilitatio membri non est mutilatio, Villalob. supra *num. 7.*

Dices qui nasum corrasum habet, aut nullum, inter sacros templi ministros, accenseri nequit, ergo & qui illum possessori suo

infesta dextera secat, ac adimit,

Neganda est consequentia, nam qui membrum virile cuipiam amputat, irregularitate se vincit & illigat, eo tamen, qui est à morbo, aut hostium inuidia destitutus, pro irregulari non est censendus, vt est *in can. 1. Concilij Nicæni. Si quis à medicis propter languorem desectus est, aut à barbaris excisus, hic in Clero permaneat,* eadem totidem pene verbis habentur *in can. nono distinct. 55. Si quis pro ægritudine, naturalia à medicis secta habuerit, similiter & qui à barbaris, aut dominis suis castrati, & moribus digni fuerint visi, hos canon admittit ad Clericatus officium promoueri.* Ita ex Antec. in argumento posito, patet valide nihil ac efficaciter inferri, quod sententiæ nostræ præiudicium afferat.

Equidem est membrum, cuius amputatio irregularitatem amputanti affert, pars in corpore, quæ propriam ac distinctam functionem sibi in eo vendicat, eamque distinctam à cæteris, vt colligitur ex his Pauli verbis primæ *ad Corinth. 12. Si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, non ideo non est de corpore, & si dixerit auris, non sum occulus, non sum de corpore.*

Cum quo facit & Aristoteles de partibus animalium *lib. 10. cap. 5.* iam hoc quæro, quod sit nasi munus in homine, quo si hic careret, aliqua sui functione destitutus dici posset? per eum, cerebri sordes egeri quidem constat ac diffluere, sed hoc non est agere, non officio fungi in corpore. Quod autem de hac parte dicitur, eodem intelligi iure debet de digito, quem in membrorum numero reponendum negat Bartol. *in leg. publicorum digestis de publicis iudiciis.*

QVÆSTIO XXXIX.

An quando in rixa orta subito, quis occiditur, dici hic possit occisus casu, & an Episcopus in ea dispensare irregularitate valeat.

DIco primò, *Si præter intentionem, hoc est sine voluntate necandi, è rixantibus alter cadat, casu cæsus esse dicetur non voluntariè.*

Probatur, Hoc differt casuale homicidium à voluntario, quod istud, dolo malo, animo occidendi committatur, (homicidas enim eos appellamus, qui dolo malo necant homines) casuale autem ex electione non fiat, ergo si voluntas, qua communiter efficitur homicidium, & quæ illud cogitatum velle solet, in illud non feratur, sed forte, animoque ob iram sui non compote accidat, casuale erit, inductaque ex eo irregularitas, ab Episcopo dispensari, per leges

A *Concil. sess. 24. cap. 6.* poterit, nam ibi sit ei facultas dispensandi in omnibus censuris, & irregularitatibus, quę ex delicto inducuntur occulto, excepto homicidio voluntario, cuiusmodi non est casuale, quæ opinio est Auilæ *de censur. parte 7. disp. 6. sect. 2. dub 1. & sect 5. dub. 5. conclus. 2.* Ægid. de Coninch. *de Sacramento. disp. 18. dub. 14. num. 111* Dianæ *1. par. tract. 15. resol. 21.* Didaci Perez *lib. 8. ordinamenti tit. 13.*

Dico secundò, *Communiter tale homicidium, esse voluntarium, eiusque auctorem irregularem.*

B Pars prima, patronos habet non infimæ notæ Theologos Molin. *de iustit. to. 4. tract. 3. disp 70. num. 7.* Suar. *to. 5. de censur. disp. 44. sect. 1. num. 3.* nec ad eius fidem faciendam deest ratio.

Nam etsi præter spem atque voluntatem coorta sit repente inter occidentem & occisum, ex vehementi iracundia contentio non tamen vulgo lucem adimit, quæ cognoscendis est facinoribus necessaria, quæ si sint vera, dicta est causa, voluntatem suscipere rixantes ambo possunt, interimendi se mutuo, suasque alterutrius morte vindicare iniurias, C quo in casu admissum ab illis homicidium, futurum est voluntarium, ipsi vero irregulares, cum manus alieno imbutas sanguine habeant, cuius effusio, nisi cum à necessitate tuendi sui ortum habet, irregularitatem effundenti affert.

Dico tertiò, *In Episcopi iure non esse, dispensare in tali irregularitate, sed solius Papæ,* quia eius solius est dispensare in lege, qui eius est auctor, nisi forte qui potestate legislatorem superat dispenset, ergo cum beneficium dispensandi in irregularitatibus ex homicidio D voluntario contractis, sibi reseruet Pontifex, id ab Episcopo conferri non poterit.

QVÆSTIO XL.

An qui sæpius cum suspensione aut censura quapiam alia celebrauit, plures irregularitates incurrerit, quarum in obtinenda dispensatione fieri mentio debeat.

E PRobabile mihi est nō contrahere, causa est, quod idem effectus à duabus causis produci simul nequeat, ergo nec irregularitas, cuius est macula, ob homicidium vnum V. C. aut censuram contracta, irrogari per aliud, aut cebrationem in eadem censura iteratam.

Confir. Est irregularitas inhabilitas ad ordines suscipiendos, aut vsum iam susceptorum, ergo cum hæc sit indiuisibilis, totaque ex quolibet opere, cui hæc ex præscripto

Ecclesiæ

Ecclesiæ est annexa, redundet in operantem contra id, quod hæc sub hac pœna præcipit, aut vetat, nihil est reliquum, quod ab eiusdem facti iteratione, produci in operante valeat.

Ita Henriq. *lib.* 12. *cap.* 10. *parag.* 3 Filliucius *tom.* 1. *tract.* 10. *par.* 2. *cap.* 10. *q.* 7. Castrus Palaus *in opere mor. to.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *punct.* 16. *parag.* 4. Et de eo qui in excommunicatione iteratò celebrauit tenet, Nauar. *consil.* 3. *de raptorib.* Sane etsi vnus idemque liberos in baptismo suscipiat non resultat tamen nisi vna compaternitas, ergo à pari ex repetita celebratione in censura, non resultabit in celebrantem nisi vna irregularitas.

Contraria tamen sententia Romæ est in vsu, vbi fama est, eam opinionem in animis ministrorum fori Pontificii, pridem (incertum qua ex causa) inueterasse, plane vt sentiant, conscientiæ suæ satis non facere, qui suppressa eiusdem facti iteratione, à quo canonica lege irregulares sunt facti, contenti sunt narrare Pontifici, absolute tales se esse, numero non notato, quo in eius legem committentes, laqueo se irregularitatis induere, quam ego praxim vt magis tutam, ita in conscientia (nisi eam summus Pontifex seruari in Ecclesia imperauerit) non necessariam existimo.

Obiicies, cum de relaxanda irregularitate, Pontifici supplices libelli dantur, non plures, sed vnam duntaxat, vt rogatur, remittere ei est animus, at tot, quanquam numero tantum diuersas, in censura V. C. qui celebrat, incurrit, quot Deo in sacra ara, Ecclesiæ nomine, sacrificia offert ac dicat, ergo earũ facienda est in prædicto libello mentio.

Min. est falsa, quia cũ irregularitas, sit inhabilitas, eaq; per modũ habitus, non potest operans, ex eadẽ causa magis inhabilis, reddi, cũ tota inhabilitas, quãta est, prima celebratione in censura aut suspẽsione sit producta. Et licet (quod nõ admittimus) secus esset quã dicimus, vnius tamen tantum meminisse satis foret, in cuius rei fidem exempla produci solent à scriptoribus varia, trium Diana meminit *de irregul. parte* 4. *resol.* 86. omnium clarissimum est quod de repetitis nuptiis profertur, has enim, etsi quarto, quinto aut sæpius quis frequentauerit, non est tamen huius iterationis necessario facienda mentio, quando petitur bigamiæ dispensatio, secundum Vgolin. *de irregul. cap.* 56. *parag.* 7. Auilã *de censur. par.* 7. *disp.* 8. ergo nec earum rerum, quæ ex vno eodemque principio irregularitatem pariunt. Eodem mihi pertinere videtur, quod de impedimentis matrimonii dicitur. Certum enim est ex coitu illicito affinitatem contrahi, quæ matrimonio ad secundum vsque gradum inclusiue opponit obicem, fac ergo aliquem rem habuisse non semel, sed centies cum consanguinea eius, cuius tenetur amoribus, ac desiderio coeundæ cum ea societatis vitę ac lecti, quæro ecquid sit necesse Pontifici hunc numerum exprimere, an non sit satis rem nude, hoc est factum exponere? id si conceditur, concedere quoque est necesse, cum dispensatione super irregularitate consequenda agitur, fungi eum officio, qui causam Papæ, clare ac diserte, ex qua ea sit nata significat, non expressis vicibus, quibus ei ex iteratione eiusdem causæ, principium est factum.

DE CVRIALIBVS.

QVÆSTIO XLI.

Quinam intelligendi hoc nomine, & an irregulares haberi debeant.

INtelliguntur primo, hoc nomine quilibet, publicis occupati ministeriis, quique magistratum ciuilem gerunt, siue temporarium siue perpetuum.

Secundo, vasalli (vt loquuntur) hoc est dominis eorumque potestati obnoxii homines, quique onera illis personalia certa debent, vt feudatarii, quos dominis inuitis ac reclamantibus, fieri posse Clericos, paucorum est opinio.

Tertio, eo quoque nomine intelligendi veniunt serui, qui operas suas locatas habent dominis, certo in annum aut menses pretio, quibus haud dubie fieret iniuria, si sine causa, addictis sibi priuarentur hominibus.

Quarto, sunt inter curiales numerandi milites, & Aduocati in causis non criminalibus, Doctores item, Chirurgi, Medici, & si qui, aliis Sacramento adstricti, publica ab iis stipendia capiunt, de militibus & aduocatis expressa sit mentio *in can. legem dist.* 53. *& in can. aliquanto dist.* 54. de Chirurgis & Medicis loquuntur Maiolus *lib.* 2. *cap.* 12. Henriq. *lib.* 14 *cap.* 5.

Intelliguntur etiam hoc nomine tutores, pupillorum curatores, testamentorum executores, vt est *in canone magnus Episcopus ante citato.*

Et quanquam permittatur Monachis, Episcopis & Clericis 21. *q.* 3. *canone peruenit*, Minorum tutelas, siue procurationes obire, cum est necesse, quia tamen iis muneribus, cum obligatione ad ratiocinia non funguntur, ob eam causam irregulares non esse, dixit Maiolus loco citato.

A Quæres quid de Clericis, qui Regi sunt à consiliis, aut causarum in Parlamentis arbitri sedent, vt Parisiis, vel sæpe sunt præsides, prouinciarumque Præpositi, vt Neapoli & Auenione, censere sit necesse?

Respondendum, si sententiam mortis dicant irregulares videri, Alexand. III. decreto *in cap. sed nec procurationes 4. titulo ne Clerici vel Monachi sæcularibus se immisceant* quam in sententiam eunt Maiolus *lib. 2. cap. 3. finem & cap. 5. num. 15.* Henriq. *& alii.* contra quos pugnant Syluester *verbo excommunicatio 9. num. 28.* & Nauarrus *cap. 27. num. 117.* cum à Prælato, excommunicationem incurri negant, qui suæ dignitati, aut patrimonio, procurationem annexam habet, dummodo causis se sanguinis non immisceat, quanquam ad commune bonum leges eum condere posse, quas capitis pœna proposita seruare oporteat dixit Henriq. *lib. 14. capite sexto in fine*, aliique cum illo, quos citat, qui omnes fatentur, Clericos, principum Consiliarios esse posse, eo quod ad id munus, tacitam habeant vel expressam Papę licentiam, videre id tamen debent pro cætera sua prudentia, ne iudicio, in quo de capite & salute aliena agitur, intersint cum reliquis, quod enim id sit alienum à dignitate personę quam sustinent, Alexand. III. iis interdictum voluit, *in cap. 5. ne Clerici vel Monachi*, his verbis: *Clericis in sacris ordinibus constitutis, ex Concil. Toletano iudicium agitare sanguinis non licet, vnde prohibemus, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut iudicent inferendas, quod si quis tale quid fecerit, honore priuetur & loco.*

Obiicit Maiolus quod est *in decretali quarta*, Alexand. III. *titulo ne Clerici vel Monachi*, interdici Clericis ne operam suam in defungendo iudicis officio, sæculari vlli Domino nauent, id facere ausi si fuerint, à sacrorum remouendos vsu ordinum.

Respond. eam decretalem contraria consuetudine abrogatam videri.

Secundo latam sententiam non habere, sed ferendam, verba ipsa quibus est concepta indicant, sic enim Alex. *Procurationes villarum, aut iurisdictiones etiam sæculares, sub aliquibus principibus, vt iusticiarius eorum fiat, Clericorum quisquam exercere non præsumat, si quis autem aduersus hæc venire tentauerit, ab Ecclesiastico ministerio fiat alienus*, quæ verba cum pertineant ad iudicem, eius sententiam exigunt.

QVÆSTIO XLII.

De seruis & obligatis ad ratiocinia.

HOs obligatione similes, & æque propemodum alieni iuris, ideoque natura coniunctos, tractatione non separabimus. De seruis ergo & mancipiis, quanquam seruos tales natio nostra non habet.

Dico tria, primò, *Eos ad omnes ordines irregulares esse.* B Est enim id ex Leonis primi decreto planum, *distinct. 54. can. 1.* nam quid hac eius oratione clarius? *Nullus Episcoporum, seruum alterius ad Clericatus officium promouere præsumat, nisi forte eorum petitio, aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eo vindicant potestatis*, & *can. sequenti nulli de conditione serui*, & *can. si quis 18. ead. distinct.* specialiter à sacris arcentur ordinibus sicut & *cap. de seruorum titulo de seruis non ordinandis.*

Rationē subdit Leo Pontifex *in epist. 1. ad Episcopos per Cāpaniā*, quod *debeat esse immunis ab aliis, qui diuinæ militiæ est aggregandus,* C *vt à castris Dominicis, quibus nomen eius ascribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur*, quo loco ad illud Pauli alludit: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus 2. ad Timoth. 2.* propria autem ratio est, quod vt est *in can. admittuntur 21. dist. 54. seruilis vilitas, hunc honorem non capiat.*

Dico secundò, *Hanc irregularitatem, non esse latam simpliciter, sed sub conditione*, quæ habetur in canonibus *si quis 7. dist. 54. can. admittuntur 21. & can. nulli 2. eiusd. distinct.* in priori exigitur vt seruus qui est ordinandus, D *sit probatæ vitæ, & patroni consensus accedat, aut eorum qui aliquid sibi in eum vindicant potestatis can. admittuntur 21.* cuius consensus *ac libertatis charta, ante ambonem publicè est legenda, & tunc, si nullus contradicat, ordinari permittitur, can. nulli 2. disp. 54.* nam hoc ipso ordinatus, fit ingenuus, *dist. ead. can. si seruus sciente Domino*, & sub eadem conditione, licet eidem religiosum fieri, *can. generalis 12. eiusd. dist.* debet ergo seruus libertatem à Domino E prius consequi, & quidem integram, nullo sibi speciali retento obsequio, sic enim debet intelligi *canon quicunque libertatem 72. Concil. Tolet. 4.* potest hic tamen spirituales sibi serui operas retinere, argumento est, quod *in cap. nullus 4. de seruis non ordinandis*, iubeatur deponi, si post Sacerdotium domini consensu receptum, *in superbiam elatus, horas canonicas, domino suo psallere noluerit*

Dico tertiò, *In pœnam violatæ huius conditionis præter peccatum mortiferum, seruum iterum in seruitutem redigi*, nisi forte factus iam esset

esset Sacerdos, tunc enim Presbyter huiusmodi, in suo gradu manet, sed peculii amissione multatur *dist.* 34. *can. de rebus & can. ex antiquis*, si caret peculio, redimere illud debet, si non potest, domino in his deseruiet, quæ Sacerdotii dignitatem non dedecent, *dist.* 54. *can. frequens.*

Dabit autem Domino Diaconus aliquem, qui suo loco, ac nomine serui ministeria expleat, (idemque de Subdiacono statuit Innoc. III. *in cap. miramur de seruis non ordinandis*) aut in seruitutem reuocabitur, cæteri gradus, ordinatum à nexu seruitutis non liberãt, sic Gratian. ex Conc. Tolet. *can.* 2. *dist.* 54. *canone de rebus* 8. *Cæterum si à Dominis suis libertatem consecuti non fuerint, & ad Ecclesiasticos ordines aliquo modo irrepserint, Presbyter peculii amissione mulctetur, Diaconus vero, aut Vicarium pro se præstabit, aut in seruitutem reuocabitur, cæteri vero gradus, non possunt quenquam à nexu seruitutis absoluere.*

De his, qui in canonibus curiales nominantur.

Dico breuiter eos irregulares esse, donec suis se negotiis expediuerint, sicut serui, donec fuerint libertatem consecuti, ita diserte cautum esse reperio *in can. magnus Episcopus* 23. *dist.* 54. qui repetitur *in decretalib. titulo de obligatis ad ratiocinia & tota dist.* 53. *&* 51.

C

Causa est, quod non patiatur æquitas, Curiæ vel Principi, seruos suos, ac iustitiæ administrandæ præpositos, cum populi detrimento eripi, aut priuilegia Ecclesiæ lædi, si facti Clerici, ad sæculares retraherentur iudices, essetque plerisque occasio, non pietatis intuitu, sed pœnæ vitandæ desiderio, conuolandi ad Monasteria, aut nuncupandi se Clero, de qua re Gregor. *lib.* 7. *epist.* 11. *ad Episcopos Siciliæ, & habetur dist* 53. *can. legem.*

D

QVÆSTIO XLIII.

An sint Irregularitates aliquæ, quæ ex culpa, in Sacramentis recipiendis, ac dandis admissa, solitæ sint nasci & quæ.

QVinque esse, quæ ob defectum, irregularitatem homini afferunt, dicere ante memini, eaque memoriæ causa, hoc versu inclusa esse, voluere summarum scriptores *Baptismus, ratio, sexusque, scientia, corpus.*

Prior particula, ab ordinibus, eorumque vsu non baptizatos remouet.

Secunda, expertes rationis.

Tertia fœminas, & hermaphroditos, *Scientia* ignorantes, vltima vitium habentes in corpore, cum quo, sine periculo, aut labe, ac deformitate non vulgari, ministeria or-

A

dinis propria obire nequeunt, quo de genere sunt, mutus, cæcus, pollice carens, aut indice, &c. vitia occulta, irregularitatem non pariunt, vt pote ad sacram functionem non necessaria, nec scandalum natura sua, aut infamiam afferẽtia: Ad vitia corporis, animi quoque debent addi, vt esse ignarum, energumenum, in fide neophytum.

Ad conuersationem pertinent, seruitus legalis, obligatio ad ratiocinia, histrionia, artesque cæteræ, quæ homini generant infamiam, nec hæ modo, sed & coniugia parum honesta, vt cum prostituta.

B

Delicta autem non alia irregularitatem conciliant, quam quæ mortalia: Suar. *disput.* 40 *de censur. par.* 3 *num.* 17. *&* 18. idque secundum qualitatem externi operis, in quo dolus, contumacia, & contemptus reperiri debent, vt in excommunicatione maiore, ex quo sequi Doctores aiunt, ab irregularitate excusare ignorantiam etiam crassam, docetque maxime Nauar. *consil.* 15. *de temporib. ordination. in fine, & consil.* 15. *de Cleric. excom.* quia irregularitas est pœna, quam par est, non infligi nisi ob graue delictum.

Habet autem hæc irregularitas ex delicto, species quatuor, declaratas his verbis: *Infamis mutilans, duplex Baptismus & Ordo.*

Et primo quidem irregularis est, qui à Schismatico aut hæretico baptizari se sinit, *Conc. Tolet* 4. *can.* 18. pari enim pœna ibi afficiuntur, qui *in hæresim lapsi sunt, & qui in hæresi baptizati esse dicuntur, can. autem qui in qualibet ætate, qui alibi, quam in Ecclesia Catholica baptizati sunt, ad Ecclesiasticã militiam admitti prohibentur*, nullus ergo eorum, qui sunt ab hæreticis baptizati, cooptatur in vllum Clericorum ordinem, causa huius rei vnica, nempe quod ab hæreticis baptizati, aut hæretici ipsi sint, aut eorum credentes (vt loquuntur) ergo cum hi, & illi, sint irregulares, *ex cap. ad abolendam* 9. *de hæreticis & cap.* 2. *&* 6. *eiusdem tituli in* 6. eos quoque pari cum iis pœna teneri necesse est, qui ab iis baptizari volunt.

Tres ad id tamen sunt conditiones necessariæ.

Prima vt deliberate se ac scienter, ab iis lauari sinant, nam ab hac pœna excusat

E

ignorantia, quare sapientissime in Africano Concil. sancitum video, *ne infantes, quod non suo fecerint iudicio, cum ad Ecclesiam Dei salubri consilio fuerint conuersi, parentum illos error impediat, quo minus promoueantur sacri altaris ministri, can. placuit* 3. *q.* 4.

Secunda vt id cum culpa faciant, enimuero reiectio à Clericatu, & ordine, pœna est, eaque grauis: culpam ergo sequatur est necesse.

Tertio, quia Clericatus & ordinis tantum sunt capaces rationis compotes, quales vulgo sunt adulti, itaque non alii, quam qui norũt quis in actionibus tenẽdus sit modus, pœna hæc, ob baptismum, secundo receptum irrogatur, vt habetur *in canone qui apud Donatistas 1. q. 4.* ibi enim qui sine consensu, aut iudicio, *nondum scire valentes erroris eorum interitum, & postea quàm ad ætatem rationis capacem peruenerunt, agnita veritate, falsitatem eorum abhorrentes, ad Ecclesiam Catholicam, ordine antiquo per manus impositionem sunt recepti, tales ad suscipiendum ordinem Clericatus, non debet impedire nomen erroris.* Non sunt ergo ab hæreticis baptizati, parentum errore, aut culpa, à Clericatus remouendi insignibus; nec propriis eius priuandi muneribus, maxime si veritate agnita errorem exuant, illudque forti ausu ante omnes, ac palam detestentur. Extenditur vero hæc pœna irregularitatis, manantis ab hæresi, ad generationem secundam paternam, & primam maternam, ita decernẽte Alex. III. *in decret. 2. de hæretic. in 6.* nam ibi eos prohibet in *parag. inhibemus* admitti ad beneficium Ecclesiasticum, ergo & ad ordines, & ad tõsuram, cũ sine ea, dari nullum vlli possit ac debeat.

QVÆSTIO XLIV.

An Rebaptizatus & rebaptizans sint irregulares.

DIco primò, *Eum qui voluntarie & scienter, iterato baptizari se patitur, irregularem esse:* Patet *ex canone qui in qualibet prima q. 7. cap. ex litterarum de Apostatis primo can. Afros. dist. 98. canone qui bis 118. de consecratione dist. 4.* his verbis: *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundum canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat.*

Pœnæ huius inferendæ occasio, ab Ecclesiæ in Donatistas odio est nata, quæ cum fidelibus nihil cum illis rebaptizare solitis, commune esse vellet, hanc iterati baptismi pœnam statuit, nec immerito, cum neminem Deo bis nasci per baptismum liceat, cum vna sit tantum originis macula, per huius Sacramenti gratiam delenda non plures, quod ipsum, per primo collatum fit amplissimè, frustra ergo ei secundus additur: quod autem Donatistæ rebaptizarent, patet ex titulo. *Ne sanctum baptisma iteretur, & can. cum itaque baptismo de consecrationib. dist. 4.*

Ab hac pœna excusant sequentia, primo ignorantia inuincibilis baptismi ante recep-

A ti, quæ ignorantia facti dicitur, ita Sotus in *4. dist. 6. qu. 8.* Syluest. *verbo Baptismus 5. q. 3.* Nauarrus *Enchiridÿ cap. 27. num. 246.* Couarruuias *ad Clementinam si furiosus parte prima num. 8.* Suar. *disp. 31. sect. 6. parag. solet autem to. 3. in partem 3.* Diu. Thom. neque enim punitur hac pœna, actio alia hominis, quam quæ est vitiosa, sed actionis factę contra legem, culpam omnem abstergit ignorantia, eaque inuincibilis operis, ei repugnantis: ita Henriq. *lib. 14. cap. 4. num. 3. & lib. 2. cap. 31. num. 2.* infantem rebaptizatum ab irregularitate excusat, quia caret vsu voluntatis pro-

B priæ.

Secundo, addit irregularem eũ non videri qui rebaptizatum se sciens, id non improbat, quia ratihabitio subsecuta non est causa facti præteriti, in quo repugnat, Syluestro *verbo irregularitas qu. 3.* Maiolo *lib. 3. cap. 13. in fine.*

Tertio, excusat mortis incurrendæ metus, nisi baptizatus iterum baptizari se sinat, dummodo id tamen in odium Dei, contemptumque Ecclesiæ non fiat, hæc e-

C nim cum intrinsece sint mala, nunquam, ne quidem mortis vitandæ causa sunt licita.

Hancque sententiam tenet Henriqu. *lib. 14. cap. 4 parag. 3. litera L.* & alii apud illum, nititurque hac ratione, quod non videatur cum hoc rigore, Ecclesia obligare velle fideles, vt vitam legibus suis posteriorem habeant, maxime cum carere possint *voluntate* recipiendi Sacramenti, eamque non concipere, cum eis mors intentatur, nam cum sine hac voluntate stare sacramentum nequeat, ea destitutus, Sacramentum recipere se fingit, non recipit.

D Quarto, excusat coactio, nempe si quis inuitus, deque suo nihil ad baptismum afferens, iterum baptismo admoueatur, quia tunc eius iteratio non est illi voluntaria, cum violentum id dicatur, quod fit passo vim nullam afferente, vt ait Aristoteles.

Dico secundò, *Rebaptizantem & qui ei ministrat irregulares quoque esse.*

Huius assertionis, eædem sunt probationes quę superioris, & quidem de ministrante rebaptizanti, constat *ex cap. ex literarum 2. de Apostatis,* & consequenter de reba-

E ptizante, cum ille ideo sit irregularis quod isti cooperetur.

Vt eum tamen pœna hæc afficiat, requiritur primo, vt crimen rebaptizantis sit publicum, quale est, cum rebaptizans Baptizatum publice, & non clam, & secretore baptizat, Syluester *verbo irregularitas qu. 4.* Hurtadus *disp. 2. de irregul. diffic. 1.* Auila, (etsi seipsum corrigat stando pro contraria sententia) *septima parte de censuris disp. 7. dub. 1.*

Propositionis

Propositionis duplex est causa, prima auctoritas Alexandri III. *in decretali ex literarum de Apostatis*, ad Abbatem sanctæ Genouefæ Parisiensis, à quo rogatus ecquid esset irregularis Acolytus, qui secundo baptismum ægro contulerat, quod sic eum valetudini restituendum crederet, respondit *ad superiores ordines*, verba sunt canonis, *promouendum non esse, si eius crimen est publicum, si vero occultum promoueri posse, & excessum suum dignis pœnitentiæ fructibus expiare.*

Confirm. de Rebaptizante, eodem iure fit Rebaptizans irregularis, quo minister, sed hic irregularitatem non incurrit, quando non est crimen eius publicum, ergo, &c.

Secunda, lex pœnalis in irregularitatis materia, strictè est interpretanda, non fieret id vero, si ob baptismum quomodolibet iteratum, & proinde occulte, conscioque nemine, irregularitas Clericum afficeret, occulte contra Ecclesiæ decreta, de non rebaptizando Catholico peccantem, sunt hæc ergo de Clerico publice peccante intelligenda, quam in sententiam inclinant, Suar. *de Baptis. disp.31. sect. 6. dub.3.* Ægidius *num.36.*

Secundo ad incurrendam hanc pœnam, necesse est vt cum Baptismi cæremoniis, iterentur verba, & ad eius materiam accedat forma cum intentione ministri, quia nudæ cæremoniæ baptismum non faciunt, sed essentiales eius partes, cum intentione debita, at sola veri baptismi iteratio, irregularitate plectitur, vt pœna meritâ.

Confirmatur, per hanc pœnam, crimen punit Ecclesia perfectum in suo genere, at externa baptismi iteratio, cum eius conferendi voluntas interna deest, Baptismus non est. Deinde sine intentione baptizans Donatistas non imitatur, quos tamen Ecclesia eorumque asseclas, propriè punire hac pœna voluit.

Tertio ad subeundam hanc pœnam in præsenti materia opus est vt rebaptizans absolute rebaptizet, & non tantum sub conditione, ita Theologi, vt refert Thesaurus *praxis Ecclesiast. parte. 2. cap. 1.* Diana *in addition. ad tom. 2. & resolut. 9. tract. 4. parte 1.* suntque pro hac opinione argumenta sequentia.

Primũ, irregularitas non incurritur nisi sit in iure expressa, *cap. is qui 18. de sent. exco. in 6.* sed ista non habetur expresse, quia in iure ponitur irregularitas, propter rebaptizationem, cuiusmodi non est ista, nam qui hypothetice tantum baptizat, voluntatem habet lotioni baptismali contrariam, si is cui eam largitur, antea baptizatus fuerit, ergo vere non rebaptizat, si baptismus ei legitime ante collatus fuerit atque canonicè, ergo nec qui eum rebaptizat, de quo non constat an aliquando sacris fuerit vndis tinctus, ex ritu Ecclesiæ, (etsi id fieri sine peccato nequeat, quando eius iteratò conferendi causa iusta nulla suppetit, nec est adhibita diligentia, vt de re vniuersa constaret) ergo (inquam) qui eum rebaptizat, quem est incertum, fueritne aliquando baptismalibus admotus aquis, irregularis non est.

Secundum, bona fides ab irregularitate liberat Henriq. *lib. 14. cap. 4. num. 4.* at facit pro rebaptizante bona fides, cum id licere in Theologia viri principes asserant.

Tertium, *Vt non monstratur iteratum esse quod nescitur factum: canone solemnitates 16. de consecratione distinct. prima, ita nec intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum, nec male de Sacramento sentitur, cum illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit, ca. finali de Presbytero non baptizato.*

Quare qui scienter sub conditione rebaptizat, non est irregularis, ita docent Izaberna *in 4. sentent. to. 1. dist. 6. q. 8. disp. 24.* Cabrera *de Sacrament. q. 66. art. 9.* Barthol. de Angelis *in exam. confess. Dial. 2. parag. 129.* Suar. *to. 5. disp. 31. sect. 6. dub. 5.* Valerus *in differ. verbo irregularitas diff 2. n. 1.*

Contra hos pugnant Canonistæ, Sayrus *lib. 7. cap. 8. num. 23.* Maiolus *lib. 3. cap. 14. num. 5.* Cuccus *lib. 5. Institut. tit. 2. num. 142.* Thesaurus *parte. 2. praxis cap. 1.*

QVÆSTIO XLV.

An ex iteratione aliorum Sacramentorum sequatur irregularitas.

ASsertio prima, *Iteratione Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, non incurritur irregularitas.*

Causa est, quod istorum Sacramentorum frequentatio, Eucharistiæ & Pœnitentiæ præ cæteris, vtilis sit ac in laude, ergo eiusmodi, quę puniri irregularitate non valeat,

Assertio secunda, *Nec Ordinis, aut Confirmationis repetitio, irregularitatem inuehit*, ita à Castro *lib. 1. de lege pœnali cap. 7.* Couarruuias *in Clementinam si furiosus parte prima num. 8.* Auila *parte 7. disp. 7. dub. 5.* Suarez *to. 3. disp. 43. sect. 2.*

Causa assertionis est vnica, nempe quod irregularitatis istiusmodi, in iure mentio reperiatur nulla; non est ergo repetenti hæc Sacramenta, imponenda facile, ac temere, cum vt dicitur *in canone is qui de sententia excommunicationis in 6.* non nisi in casibus iure expressis, incurri soleat.

Pars secunda. TTt

Sententia contraria est Antonini apud Sayrum *lib. 7. cap. 8. num. 27.* sed non tenenda, eo quod Sacramentorum iteratio, solo Baptismo excepto, irregularitatem non pariat, sed periculum sacrilegii, ipsumque graue, Toleto teste *lib. 1. cap. 65. num. 3.* Thesauro *in praxi parte 2. cap. 30. verbo Ordo*, cui suspensionem addidere nonnulli, eamque latæ sententię, & reseruatam, *ex cap. 1. de secundis nuptiis*, vbi de iterante Sacramentalem benedictionem est sermo, sed suspensionem esse tantum ferendæ sententiæ & non latæ, scripsit Thesaurus *in praxi Eccles. verbo matrimonium cap. 2. & verbo Ordo cap. 30.*

QVÆSTIO XLVI.

Quæ & quales irregularitates ex Ordinis abusu impositæ sint Clericis.

PRima assertio, *Qui furtiue ordinatur, id est ignorante Episcopo, & per fraudem, iis se adiungit, qui eius voluntate ac consensu, sacris sunt initiandi ordinibus, est irregularis, nec ad illos prouehi per Episcopum ei licitum.*

Sanxere id Pontifices duo, Cœlestinus III. *in decretali 2.* & Alexand. III. *in prima tituli de eo qui furtiue*, ibi enim, Episcopis fas esse ait, cum eo, qui furtiue ordinem se Diaconatus suscepisse narrabat, *in promotione ipsius ad Sacerdotale officium, condigna satisfactione imposita, nisi alia impediant, arbitratu suo dispensare*, nisi forte (quod est in more vbique modo fieri) talis accessus ad ordines, fuisset ab Episcopo, aut eius Archidiacono, sub excommunicatione prohibitus, nam tunc cum eo dispensare, illi est lege Alex. III, & Cœlest. III. vetitum, *nisi in aliquo Monasterio seu Canonia habitum suscipiat regularem: nam tunc postquam in eo aliquanto tempore fuerit laudabiliter conuersatus, ei poterit misericorditer prouidere*, Episcopus ipse, vel eius Abbas, dispensando in aliis ordinibus *cap. 1. & 2. de eo qui furtiue.* Clarissime Galli Pontifices, in Synodo Suessione habita anno 853. Leone IV. Papa his verbis: *Iudicatum est à Synodo, vt qui Presbyteri sine examine, per ignorantiam, aut ordinantium dissimulationem sunt prouecti, cum fuerint cogniti, deponantur.*

Assertio secunda, *Qui in censura actum sacri ordinis exercet, est irregularis.*

De excommunicatione maiore, res est nota, ex *cap. si celebrat. de Clerico excommunic. ministrante*, de suspensione & interdicto præcipiunt Pontifices; de priori quidem Gregor. IX. *in cap. Apostolicæ nono eiusdem tit.* de altero Bonifac. VIII. *in cap. is qui 18.*

A *& is cui Ecclesia 20. de sent. exco. in 6.* sic enim ille *cap. 18. Is qui scienter in loco celebrat imposito interdicto, (nisi super hoc priuilegiatus existat, aut iure sit concessum eidem) irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium, quam per Romanum Pontificem liberari: vigesimo autem canone*, idem in eo seruandum tradit, qui est interdictus personaliter.

Dixi *sacri ordinis*, quia ministeria minorum propria, irregularitatem ea obeuntibus vix afferunt, cum à Laicis impune fieri etiam solemniter, mos communis gentium fere omnium obtineat, vt notarunt, Henriqu. *lib. 14. cap. 7. num. 1. litera P.* Sotus in *4. dist. 22. q. 3. art. 1.* Laym. *cap. 5. parte 5. cap. 3.* itaque non sunt irregulares Episcopi, Clerici, Subdiaconi, primi quidem, si in excommunicatione, aut suspensione, præsertim, quamuis illicitè, quæ sunt iurisdictionis, non ordinis officia, vt sunt censuram ferre, ab ea absoluere, modo sine stola, & precum solemnitate, in Parocho autem, matrimonio assistere, illi benedicere, Auila parte 7. *disp. 9 sect. 2. dub. 2.*

C Similiter nec sunt irregulares Clerici, si censura innodati, in Ecclesia responsoria & lectiones canant, si epistolam legant sine manipulo, quod insigne est ordinis Subdiaconatus, si tamen collectam præmisso *Dominus vobiscum*, in officio sacro legerent, si aquam solenniter benedicerent, si in loco sacro tempore interdicti, publicè mortuú, ac cum cantu sepulturæ mandarent; aut baptizarent cum solemnitate, pœnam hanc non euaderent, Nauar. lib. 5. consil. *de Clerico excom. ministrante edit. 2. & in manu. cap.* D *27. nu. 244.* Laym. *supra num. 4.*

Assertio tertia, *Irregularis est Clericus qui scienter, serio, atque solenniter, sacro ordine vtitur, quem non habet.*

Sanxere hanc pœnam Pontifices duo, Hormisda, & Vrbanus III. *iste ca. 2. ille primo de Clerico non ordinato ministrante*, his verbis: *Si quis baptizauerit, aut aliquod diuinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur*, sunt tamen ad eam rem conditiones aliquæ in eo, cui hæc pœna irrogabitur, neces-E sariæ.

Primo enim debet esse Clericus, Angel. *verbo irregularitas 5. num. 38.* Henriq. *lib. 14. cap. 24. num. 4. litera S.* Armilla *verbo irregularitas num. 65.*

Primo, quia in pœnis pars est amplectenda benignior, at est humanitatis in Pontif. Laicos lege sua non complecti, velle tantum Clericos hac pœna plecti.

Secundo, cum irregularitas alium notet

nemini.

neminem, quam quem iura ea volunt affici, ad Laicos non pertinebit hæc pœna, si de iis nulla fiat in constitutione Ecclesiæ mentio; verum est consequens, nam de Clerico ministrante, non autem de Laico est hæc irregularitas, vt Rubrica, & Titulus indicant.

Dixere sententiam oppositam hi authores, Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 1.* Sylu. *verbo irregularitas q. 12. dicto 2.* Suar. *3 parte to. 3. disp. 31. sect. 4.* Valent. *tom. 4. disput. 7. q. 10. parte. 1.* opinioni suæ fidem esse volunt.

Primo à decretali Hormisdæ *prima, de Clerico non ordinato ministrante*, quæ verbis est generalibus ac indefinitis cõcepta, *si quis baptizauerit*, quæ ad Laicos pertinent, peræque ac Clericos.

Secundo quod sit turpius à Laicis ea exerceri, quæ sunt ordinis, quo carent, quam à Clericis, qui eius saltem initia prima habent in tonsura, qua sunt insigniti, non ergo eos sine pœna esse decuit.

Ad primum, respondendum negatione minoris.

Secundi est vtraque propositio vera, negamus tamen eos irregularitatis pœna affici, quod hæc iure non sit expressa, & ita habendum est pro vero, ac constanti, pœnam hanc solis irrogari Clericis.

Secunda ad eam incurrendam conditio est, vt actus ordinis non habiti exerceatur solenniter, id est cum propriis eius ordinis insignibus, eiusmodi sunt, quæ ei iure, vel consuetudine competunt, quare qui aquam benedicit, non cum superpelliceo, stola, aut alba, non est irregularis, nec qui his instructus ornamẽtis, dicit è superiori loco ad populum, quia non est concio, de earum numero actionum, quæ ordinis sunt propriæ, Nauar. *cap. 27 num. 163.* peccat tamen qui cum non sit Diaconus, ad concionandum cum stola, pulpitum inscendit.

Dictum est ergo verissime exigi ad hanc pœnam vt ministerium quod à non ordinato obitur, sit ordinis quo caret proprium, seu vt ab alio qui talem ordinem non habet, exerceri nequeat.

Tertio requiritur vt scienter fiat, vt enim à culpa, ita & à pœna, quæ eam sequitur, excusat ignorantia.

Quarto, vt serio & non per iocum.

Quinto, vt secundum Ecclesiæ institutionem, aut consuetudinem, ei operam dare, his qui tali ordine carent non sit permissum.

Eos tamen irregulares esse, qui à deposito, excommunicato, aut suspenso, ordinari se sunt passi, certi res est, ac indubitati iuris sic enim Episcopi Galli *in Synodo Suession. anno* 853. Leone Papa quarto, interrogati enim

A à Iudicibus quid de his canonicá authoritate decernerent, quos Ebbo post suam depositionem præsumpserat ordinare; *responderunt vt quidquid in ordinationibus Ecclesiasticis Ebbo post damnationem suam egerat, secundum traditionem sedis Apostolicæ, præter sacrum baptisma, quod in nomine sanctæ Trinitatis perfectum est, irritum & vacuum habeatur, & ordinati ab eo, in quamcunque orbis partem agentur, Spiritus sancti iudicio, ab Ecclesiasticis gradibus perpetuo habeantur*, alieni, circa prædicta est.

B Dubium primum, *An excommunicatus in irregularitatem incidat, si coram se fieri sacrificium imperet.*

Affirmant Villalob. *in summa to. 1. tract. 21. difficult. 14.* de Corneio *in 3. parte tract. 5. de irregul. disp. 6. dub. vnico q. 5.*

Contraria sententia quæ est Præpositi est tenenda, causa est, quod irregularitas in iis tantum casibus incurritur qui sunt iure expressi: at istius ne vestigium quidem est vllum in decreto aut Conciliis, peccasse quidem excommunicatum ait Innoc. III. *in ca. illud 3. de Clerico excomm. ministr.* cum sub spe

C veniæ, diuina sibi facit celebrari, & communioni fidelium se ingerit, eum tamen irregularem esse non asserit: hac ergo macula aspersus haberi non debet

Dubium secundum, *An per indignam administrationem ordinis, incurratur irregularitas.*

Assertio prima, *Non quælibet ordinis administratio indigna, irregularitatis est causa.*

Ratio est quod Sacramentorum collatio, facta cum peccati mortalis conscientia, fœditatem habeat viro pio indignam: at ali-

D quem sacrilegio irregularem esse ac fieri quis putet? ergo, &c.

Assertio secunda, *Ordinis administratio, quæ est ideo indigna, quod fiat cum censura, pœnam habet irregularitatis adiunctam.*

Causa est, Pontificum voluntas, Canonum ac Conciliorum authoritas, quibus id statuere placuit, scripta lege.

QVÆSTIO XLVII.

E *De Irregularitate quæ prouenit ex Infamia.*

Est Infamis, cuius vita & mores probari nulli probo possunt, vel vt loquitur Angelus *verbo infamia, cuius status, vita & moribus est reprobatus*, est enim infamia nihil aliud quam famæ diminutio, seu mala de aliquo opinio, quæ disseminata est inter viros bonos, & graues, estq; orta ex proprio diffamati vitio, aut parentũ eius, aut qualitatibus, quæ nõ sine culpa famam eius diminuunt, nã si in eo culpa nulla erit, famaque proinde nullo eius

eius vitio diminuta fuerit, ab ea imminutione purgare se infamatus poterit, & sic ordinari, Suarez *de censuris disp.* 48.

Dixi *apud viros graues*, nam dicta paucorum, & vilium, non inducunt infamiam, Piasecius *in praxi Episc. titulo de conferendis ordinibus cap. 1. art. 5.*

Est autem infamia duplex, iuris & facti, prior appellatur legalis, & oritur ex peccato aliquo mortali proprio, cui, ex constitutione iuris, annexa est infamia, vt est *in canone infames 6. qu. 1. Infames*, inquit canon, *esse eas personas dicimus, quę pro aliqua culpa notantur infamia, & omnes quos Ecclesiasticæ vel seculi leges, infames pronuntiant*, quæ infamia etsi pœnitentia tolli consueuerit, secundum Viualdum *de irregularitate num.* 10. incurritur tamen ante iudicis sententiam, cum crimina quibus est annexa, palam cōmittuntur & publicè, quæ autem & qualia sint hæc crimina dicetur postea.

Dictum est *seculi leges* nam quoties infamia quis à iure ciuili afficitur, infamis quoque censetur esse canonico iure, *can. 5. omnes vero 6. qu. 1.* Innoc. *in cap. qualiter num. 6. de accusat.* Maiolus *de irregul. lib. 3. cap. 1. num. 3.* Thesaur. *par. 1. cap. 33. parag. aduertendum 1.*

Oritur & iuris infamia, à confessione delicti, aut sententia iudicis, confessione quidem, cum reus in foro, crimen de quo accusatur, à se commissum fatetur, à iudice autem, cum punitur publice, soli mutatione, mulcta bonorum, confiscatione vt aiunt possessionum, aut cum definitiua (vt aiunt) iudicis sententia, renunciatur quis nocens, *canone infames 3. q. 7. parag similiter & lege, palam digestis de ritu nuptiarum.*

Dixi *de quo accusatur*, quia ad incurrendam infamiam ex hoc capite, tria sunt necessaria, accusatio, rei defensio, postremo eius condemnatio, Clarus *li. 5. sentent. parag. practica criminalis qu. 71.* accusatio quidem, quia reo lis est intentanda, vocandusque ad iudicium, vt causam dicat, defensio autem, quia nemo indicta causa aut non auditus damnari debet, postea sequi debet sententia condemnatoria, quia sola iudicialis probatio, aut confessio criminis, non habentis adnexam infamiam, ipso iure, facti inducit infamiam, non iuris, Angelus *verbo infamia num. 6.* Auila *parte 7. disputation. 4. dub. 5.* si reus tamen confessus crimen puniretur, vt diximus antea, pœna competenti ac proportionata eius delicto, vere diceretur infamis esse, iuris infamia, sicuti dicunt Molina *loco ante cit. disp 8. num. 19.* Laym. *lib. 1. tract. 5. cap. 4. num. 3.*

Est & alia iuris infamia, à priori diuersa, quæ non ex aliqua hominis culpa vt prior,

A sed à parentum delicto ortum habet, laborant hoc infamiæ genere, filii eorum & nepotes, qui Cardinalem sunt insequuti hostiliter, *cap. Fœlicis de pœnit. in 6.* aut qui patre sunt nati perduelli, hoste patriæ, & de maiestate læsa principum, publicè conuicti, ac damnati.

Infamia facti est, *ex ipsa rei indignitate secundum censuram bonorum virorum, lege 1. de obseq. à liber. præst. parentibus*, seu sinistra de aliquo opinio, quam eius peccata, populi, à quo extra iudicialiter cognita sunt, impressere animo.

B *Peccata* dixi numero multitudinis, quia vnus aliquis actus, aut duo minus recti, hominem non notant, infamiaque maculant, nisi id expresse iura definiant, iuxta Piasecium *prima parte praxis cap. 1. art. 5. num. 2.* quibus præmissis sit

Assertio prima, *Infamia omnis tam iuris, quam facti qui laborat, vt irregularis à sacris est ordinibus, eorumq; vsu semouendus*, tam decreto *Concil. Tolet. 4. can.* 18. Stephani Papæ *in epist. prima ad Hilarium cap.* 1. Greg. I. *in cap. omnipotens 4. de accusationibus*, quam communi

C Doctorum sensu Nauar. *cap. 27. num. 204.* Sayri *lib. de censur. cap. 9.* Suar. *de censur. disp. 40. sect. 2* Sanch. *in opuscul. lib. 6. cap. 3. dub. 5.* nec enim decet hominem sine re, sine nomine, vita & moribus turpem, honoris summi, qualis est Clericorum, fieri participem, quo non nisi viros bonos, non nisi virtutibus claros, ac proinde vt *Paulus* loquitur *epist. primo ad Timotheam capite tertio* irreprehensibiles, atque vitæ innocentia, morumque, laicis priores frui oportet, quare cum

D *personis vilibus & indignis portę dignitatis patere non debeant vt est in cap. inter dilectos de excessib. prælatorum*, ab infami beneficia Ecclesiæ nulla acquiri possunt, Abb. *in cap. querelam de iureiurando*, Couar 3. *resolut. cap. 3. num.* 3. Sane à beneficiis & officiis Ecclesiasticis obtinendis repellit infamia, secundum Garciam *parte 6. de benef. num.* 41 Thesaur. *supra parag. Aduertendum 2.* non tamen priuat ipso facto beneficiis obtentis, etiam habentibus dignitatis titulum Garcias *supra num.* 37.

Ad hoc autem, vt quis ex facto quopiam suo, maculam nominis contrahat, re-

E quiritur primo, vt hæc iure sit ei imposita, & non imponenda tantum, quia lex pœnalis non obligat ante iudicis sententiam, secus est, cum infamia hæc, principis voluntate operi est alicui adnexa, nam tunc iuxta legis exigentiam, hoc ipso quod fit, absque alia iudicis declaratione incurritur: Diana *tract. 15. resol.* 240. non tamen in Gallia vbi hæc sola iudicis sententia irrogatur, cum cognitione causæ, quæ sola tunc facit rem notoriam

riam & publicam, vt probat Brodeus ad Louetum *litera D. art. 43. ex decretali Gregor. noni decima, de cohabitatione Clericorum, vbi concubinariū publicum in officiis vitandū negat, nisi peccatum eius sit notorium, per sententiam, seu confessionem factam in iure, aut per euidentiam rei, quæ tergiuersatione aliqua celari non possit*, vt si quis vicinia conscia, concubinam domi suæ perpetuo aleret, Glossa *pragmaticæ sanctionis de concubinariis verbo publica*.

Secundo necesse est vt crimen, cuius causâ dicitur quis infamis, sit cognitum, nam sententia communis est, ex occulto nullo crimine, præter quam homicidii, irregularitatem contrahi, ita *cap. ex tenore de temp. ordinat. & cap. vlt. eiusd. tit.* Henriq. *lib. 4. cap. 5. num. 1.* Floron. *de cas. reseru. parte 2 casu 7.* Finellus *de cas. reseruatione cap. 9. num. 6.* & sane magna sequerentur incommoda, si cogerētur, culpæ occultæ rei ac conscii, habere se in numero irregularium, sic enim tenerentur se prodere, & prodendo, facere iacturam suæ famæ, seque iure suscipiendorum ordinum, aut susceptorum vsu priuare.

Equidem Sodomiam cum occulte exercetur, non inducere irregularitatem, tradit Nauar. *cap. 27. num. 249.* Val. *to. 4. disp. 7. qu. 19. puncto 3. par. 5.* Coninch. *de Sacram. disput. 18. dub. 7. num. 50.* Dian. *tract. 17. resolut. 21.* & habetur expresse *in cap. vlt. de tempor. ordinationum*, ratioque ipsa fauet, quæ enim sunt occulta, non pariunt infamiam, vt ex multis probat Auila *de censur. par. 7. disp. 4. concl. 1.* quę doctrina valet in omnibus aliis criminibus, quibus à iure infamia est annexa, ob hęc enim, non debet quis ab vsu, vel susceptione ordinum impediri, nisi in iudicio comprobata, vel alias notoria fuerint, Finel. *de casib. reseruat. cas. 9.* Garzias *de benef. to. 2. par. 11. num. 15.*

At enim (inquies) iubentur à Pio V. Sodomitæ occulti, quique voluntate sunt tales, omni officio priuari, & ordine, quod est irregularem esse.

Respond. primo, hanc Bullam receptam non esse quoad forum interius, ita Henriqu. *lib. 4. cap. 5. num. 1. littera F.* Sayr. *lib. 7. cap. 12. num. 23.*

Respondend. secundo, Bullam hanc Romæ & alibi receptam non esse, quoad peculiarem hanc circunstantiam incurrendæ irregularitatis, aut priuationis beneficii, ex peccato tantum volito, & non reuocato in actum, cum sit contra naturam, vt quis se prodat, vt quis iacturam suæ famæ fructu nullo faciat.

Vt autem factum censeatur esse publicum, non est necesse, illud euidens illis esse, quorum respectu dicitur tale, hoc est publicum,

A sufficit quod sit notorium, & ex coniecturis valde probabilibus eiusmodi, quod credi possit, Nauarrus *27. Enchiridij num. 255.* nam fama non est in virtutum euidentia, (cum multi viri boni nullo suo merito audiant, quibus tamen nihil est in omni genere turpius, vt hypocritæ) sed est hæc in opinione populi, ergo nec infamia facti, facti cuius causa incurritur, euidentiam exigit, sed opinionem tantum vulgi, de eo admisso, à qua factum habet vt probabiliter sit admissum.

Exigit aliquid amplius Hurtadus: nam de *Irregular. disp. 11. difficult. 4. num. 12.* asserit, ad
B incurrendam irregularitatem per crimina, quibus iure non est ipso facto imposita infamia, requiri quod sint notoria, siue confessione rei in iudicio, siue sententia irreuocabili, siue notorietate facti, quando scilicet non sunt ita euidentia maiori parti viciniæ, aut Collegii, vt nulla possint tergiuersatione cælari, vt deducitur *ex cap. vlt. de temporib. ordinat.* vbi excipitur homicidium, ex quo etiam occulto irregularitas oritur, an autem
C requiratur ad hanc pœnam subeundam, sententia eius declaratoria, aut criminis facti, propter quod contrahitur dicetur alibi, verba Greg. IX. in decretali citata, sic habent. *Respondemus, quod si proposita crimina ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerunt, non debent hi, (præter reos homicidij) post pœnitentiam, in iam susceptis, aut suscipiendis ordinibus impediri.*

QVÆSTIO XLVIII.

D *Quænam sint crimina ob quæ infamia incurratur.*

INfamiam, quælibet crimina conciliant, modo enormia, quęq; depositione sunt digna, qualia sunt stuprum virginis, Sodomia, periurium, adulterium, Gregor. IX. *cap. quæsitum finali de temporib. ordinationum*, concubinatus, diu continuatus, Nauar. *cap. 27. nu. 248.* homicidium, falsum testimonium, vsuræ vsurarum, sacrilegium, duellum, crimen læsæ maiestatis, persecutio hostilis Car-
E dinalium, & vniuerse crimina omnia, quæ scandalum creant, quod cum ludendo aleatores faciant, infames appellantur *in cap. inter dilectos de excessibus prælatorum*, Ebriosi *canone ante omnia canone Ecclesiæ princeps dist. 25.* seditiosi *dist. 46. canone seditionarios*, exercentes histrioniam, & artes sordidas, *Clementina prima de vita & honestate Clericorum & canone meritum dist. 23.* quæ duo totidem canonibus complexi sunt Galli Antistites, in Concilio Agathensi *can. 69. & 70.* his ver-

bis: *Seditionarios, non ordinandos Clericos, sicut nec vsurarios, vel iniuriarum suarum vltores, scurras, & verbis inhonestis sonantes, ab officio remouendos Synodus statuit.*

Insuper infames habentur fornicarii cum coniugata *canone si Diaconus dist. 50. can. si in aliquo dist. 50.* habentes domi suæ ancillas (vt vocant) reipsa concubinas *can. qui in aliquo dist. 52.* item qui publice pœnitent *canone maritum dist. 55.* quod & ab Hormisda sancitum est decreto 1. quod habetur insertum eius *epistolis tomo. 2. Conciliorum pagina 535.* à Patribus Concilii Epaunensis *can. 40.* Agathẽsis sub Symmacho Papa III. *can. 43.* in hæc verba: *de pœnitentibus placuit obseruare, quod sancti Patres nostri Synodali sententia censuerũt, vt nullus de suis, Clericus ordinetur.*

Præterea infames habentur qui vxores suas prostituunt, *can. si quis vxorem distin. 54.* hæretici insuper *Conc. Tolet. 4. can. 18.* relatum *in canone qui in aliquo 5. dist. 51.* sed de his postea.

His adiungendi qui duas eodem tempore coniuges, aut cum vna, concubinam habẽt ad libidinem, cuius fœdis irretitus amoribus, vt familiam, ita famam ipse suam, tam suis, quam maiorum præclaris collectam facinoribus, turpiter pessundat, *lege cum qui Cod. ad legem Iuliam de adult. lege fin. digest. de his qui not. infam. parag. si vero.*

Similiter & infames esse dicimus incestuosos, raptores maleficos, veneficos, de bellis publicis fugientes, & qui facultates Ecclesiæ abstrahunt iniustè, & qui fratres calumniantur, & accusant, & non probant, *& omnes anathematizatos vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsos, &c. 6. q. 1. can. infames 1.*

Et quoniam parit omnis culpa, quæ est lethalis, auctori suo infamiam, vt est *in epistola 1. Fabiani Papæ ad Orientales Episcop.* & refertur à Grat. *causa 6. qu. 1. can. illi qui 3* ideo ob quodcunque peccatum mortale, licet non enorme, irregularitatem contrahi, dixit Hurtadus *disp. de irregular. 2. dubit. 4. num. 11.* quod non de facto, sed iure, intelligi debet, nam etsi in pœnam patrati alicuius facinoris mortiferi, ea macula, notaque aspergi quis possit iudicis Ecclesiastici, aut ciuilis auctoritate, eam tamen actu, & de facto, peccando non subit.

Adhæc infamia quæ ex parentibus redũdat in posteros, aut ab vxoribus in viros, Clericos reddit irregulares, solẽnis itẽ pœnitentia, *can.* pœnitentes *dist. 50. can. ex pœnitẽtib.* de quo sicut & de reliquis consulendi sunt Maiolus *lib. 3. cap. 2. & 3.* Couar. *1. par. Clement. si furiosus nu. 10.* Sylu. *verbo irregularitas parag. 17. verbo infamia & verbo crimen* Petr. Greg. *lib. 31. syntagm. cap. 29.* Henriq. *lib. 14. cap. 5.*

A

QVÆSTIO XLIX.

An crimina, quæ authorem suum infamia iuris inquinant, effectum hunc habeant, cum sunt occulta, & an talia, hoc est, non cognita irregularitatem generent.

AFfirmant S. Antonin. *par. 3. tit. 28. cap. 6. parag. 7.* Sylu. *verbo irregularitas 10. 14.* Suar. *disp. 48. sect. 1. num. 17.*

B Contra pugnant cæteri, negantque, irregularitatem infamiæ, quę iuris dici solet, creari vllo delicto, quod ignoratur à populo. E multis exempli causa, paucos hos in medium proferre sufficiet, Couar. *lib. 3. resolut. cap. 3. num. 2.* Nauar. *cap. 27. num. 248.* Coninch. *disp. 18. dub. 7. nu. 56.* *Tertio dico,* inquit Nauar. *quod quæcunque enormitas, sine notorietate non sufficit, contra quosdam male mittentes scrupulos multis Ecclesiasticis, qui enormia delicta, occulta commiserant.*

C Tueri se hæc opinio potest, primo, authoritate Greg. IX. *in cap. quæsitum fuit de temporib. ordinat.* vbi habet, *suspectos de adulterio, homicidio & falso testimonio, si proposita crimina ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent (præter homicidij reos) post pœnitentiam, in iam susceptis, aut suscipiendis ordinibus impediri.*

Secundo *in cap. is qui de sent. in 6.* statuitur, à nullo crimine quantumlibet graui, irregularitatem contrahi, *nisi de quo id iura decernunt,* at hæc, delicti quod nõ patet, quod non scitur, quod soli suo authori est cognitum, meminisse nuspiam leguntur, quod ergo

D crimen occultum est, effectum hunc in admittente, non producit, vt irregularem eum faciat, eo quod per nullum crimen occultum, vt paulo antea diximus, excepto homicidio, aut violatione censuræ, incurritur irregularitas.

Si tamen flagitium, quod iure ipso est damnatum infamia, esset multitudini notum, vel grauium honestorumque sermone damnatum, is notatus esset infamia iuris & facti, iuris quidem, quia hoc habet qualibet sententia, vt per eam factum damnetur,

E facti autem, quia infamia quæ hoc appellatur nomine, est publica notitia, vel opinio commissi criminis, per quod existimatio hominis apud viros graues læditur, quod in casu præsenti accidit, in quo supponitur, delictum esse cognitum: at ex notitia tam extra iudicium, quam intra, nascitur infamia: quæ est essentialiter in diminutione famæ posita, vnde sic argumentandi, occasio sese mihi tertia offert.

Infamia

Infamia formaliter nihil est aliud, quam opinionis de aliquo conceptæ decrementum, ac imminutio, at hæc non minuitur, aut interit, nisi per admissionem criminis, à quo, de eius auctore male sentiendi materiam honestam homines trahant, ac iustam, quod facere prudenter, ac cum ratione non possunt, nisi factum nouerint, ergo occultum latensque, infamiam non parturit.

QVÆSTIO L.

Abstergendæ Infamiæ, tollendaeque, quis sit modus.

EAm, cum est facti, mutatione vitæ eiusdemque traductione ad bonam frugem elui, dixit Nauar. *cap. 27. manual. num.* 204. Alii eam ad rem pœnitentiam sufficere, eamque iustam censent.

De tota controuersia quod meum sit iudicium, aliquot enunciationibus docebo.

Prima Enunciatio, *Si crimen cui iure est alligata infamia sit occultum, tolli hæc pœnitentia poterit.*

Probatur, per quas causas quid ponitur, per easdem & dissoluitur, *de regul. iuris regula* 1. at delictis ipse suis, quilibet est causa, cur sit ac audiat infamis, maculam hanc ergo, quâ est suo vitio, culpaque sordidus, adimet, si eius causam, hoc est crimen à se admissum lacrymis ac dolore resecet.

Quid si occulta quidem est culpa, sed ne in vulgus emanet, eiusque notitiam, metuendi causa est aliqua?

Ego isti auctor essem vt de infamiæ irregularitate anxius esset, nam si sacris se admoueri ordinibus sinat, si magistratu Ecclesiastico donari, aut simplici aliquo beneficio, vt isto priuari à iudice, sic & ab Episcopo ordinum ministerio, vsque interdici poterit, eo quod ab his suisque dignitatibus ac honoribus, infames repellit Ecclesia, quapropter quisquis est talis, tâ conscientiæ suæ, quâ rationibus suis prudenter prospiceret, si ad sedem Apostolicam supplex accederet, suam vt infamiam authoritate qua præstat, abstergat.

Dico secundò, *Cùm est infamia iure contracta, aut per sententiam Magistratus politici illata, in ea solus Princeps dispensat, cuius authoritate, huic operi adnexa est infamia, aut irrogata per sententiam Magistratus, quem iuri dicundo subditis suis præpositum esse voluit.*

Ratio est, quod ad eundem pertineat soluere, & ligare, priuare bonis & ea cum placet reddere exulatum mittere, & in integrum restituere, quare non potest Pontifex

A infamato ciuiliter, reditum ad honores, magistratus, ac officia concedere, quibus per admissionem criminis excidit, cui pro pœna, adiuncta est infamia à Principe, aut Iudicis sententia.

Dico tertiò, *In infamia quæ oritur ex crimine, quod iure auctorem suum notat, solus Papa directe dispensat, indirecte Episcopus.*

Pars assertionis vtraque vera Nauarro est visa, *in cap. manua. 27. num.* 204. pars eius prima fidem habet tam à decretali Honorii III.

B *cum inferior 16. de maioritate & obedient.* quam à ratione, nam quid absonum magis, quam vt inferior superioris acta refigat? leges abroget? vel quid rationi minus consonum, quam vt is ius dicat, quem ad obsequendum natura peperit? at Papæ supremum est in omnes imperium, *ergo cum inferior superiorem soluere nequeat vel ligare, sed superior inferiorem liget regulariter, & absoluat, & satis absonum videatur, vt filius potestatem habeat in parentem cap. cum inferior citato,* mirabile videri nulli debet, si in legibus, quæ authoritate Pontifi-

C cum de Infamia sunt positæ, dispensare Episcopus directe nequeat, quod ei tamen indirecte, ac accessorie non est negandum.

Enimuero illegitimis indulgere ei est licitum, vt ad minores ordines aspirare ausint, & possint, at sunt hi infames ex dictis proxime.

Quid? quod est in Episcopi iure, dispensare super delicto occulto, ex quo iure redundat in personam infamia, hoc vero quid est aliud quam accessorie, consequenter ac indirecte infamiam tollere? quare pari mihi

D veritate, pars hæc assertionis vltima niti videtur, ac prima, proindeque in praxi sequenda.

Dico vltimò, *Infamiam quæ facti dicitur, abstergi factis oppositis, hoc est, vita ad præscriptum virtutis composita, quæ, quod errore naturæ aut cæca libidine prius est factum, cogitandi sagacitate, morumque excellenti specie emendat, & corrigit,* huc tendunt quæ sapienter argumentatur Gregor. Papa primus *ad Secundinum epist. 53. lib. 7. post dignam satisfactionem,*

E inquit, *credimus posse redire ad honorem,* cur ita vero, rationē reddit, *quoniā perditam ouem nonaginta nouem non errantibus relictis in deserto, humero pij pastoris, ad ouile reportatam dominus testatur, si ouis perdita, errans post inuentionem ad ouile humerò reportatur, cur post pœnitentiam ab Ecclesiæ ministeriis lapsus non reuocetur?*

Eandem sententiam confirmant Hieronymi verba *ad cap. 3. Michææ Animaduerte in præsenti loco posse docere aliquem post peccatum, si tamen vitia pristina pœnitentia digna diluerit.* Clarissime Agathense Concil. nam in eius *canone primo,* est, quod cum Clericos qui ob

superbiam de loco moti suo fuerant, *pœnitentia correxerit, rescripti in matricula, gradum suum, dignitatemque recipiant.*

Equidem fluit hoc genus infamię à vita, quæ vitiorum est fœdata labe, vt effectus à causa, sunt enim infames, *qui pro aliqua culpa notantur infamia, id est omnes qui Christianæ legis normam abiiciunt, & statuta Ecclesiastica contemnunt 6.q.1.can.17.* sed sublata causa, effectum quoque cessare necesse est, *de appellat. cap. cessante 60.* ergo & infamiam, morum conuersione, vitæque in bonam frugem mutatione.

DE HÆRETICIS.

QVÆSTIO LI.

An sint Irregulares.

Dico primò, *Tam hæreticos, quam qui eos domi suæ recipiunt, ac fouent, iis fidem adhibent, eos tuentur ac protegunt, irregulares esse, ac infames.*

Probatur, illo communi axiomate Canonistarum quòd quodcunque crimen promotum deiicit, etiam impediat promouendum, quod habet Maiolus *lib.1. ca.2. num.9.* Sed hæresis, prædictos omnes si fuerint Clerici, à suis ordinibus degradatos, sæculari iudicio facit obnoxios, vt statuit Gregorius IX. *in Constitut. 3.* quæ habetur in magno Bullario, vbi inter cætera statuit, vt si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, à sua super hoc præsumptione non curauerit cessare, ipso iure sit factus infamis, nec ad publica consilia, vel officia, nec ad eligendos aliquos ad eiusmodi, nec ad testimonium admittatur, sit etiã intestabilis, sic vt nec habeat factionem testamenti, nec ad hęreditatis successionem accedere valeat, quæ confirmauit Innocentius IV. & omnes deinceps Pontifices, de quorum mente luculenta testimonia extare constat, *in titulo de hæreticis, & causa 1.q.1.can. si quis, & can infames 17. causæ sextæ q.1.* nec sunt hęretici irregulares modo, quia animum errore corruptum habent, sed insuper quia sunt infames, quia excommunicati, quia ab hominum semoti consortio, ad extremum quia non decet eis locum in Clero esse, qui in Ecclesia sedem non habent.

Quæres, *An hæc accipienda sint de notoriis tantum, an etiam de occultis?*

Respondendum, mentaliter hæreticos, ac per se occultos, irregulares non esse, vt diserte asserit Nauarrus *cap. 27. num. 249.* de aliis qui sunt tantum occulti per accidens,

A res est dubia.

Sane negat idem author *num.248.* crimen quodlibet enorme licet, nisi notorium, irregularitatem inducere, cui astipulatur Henriq. *lib.14. cap 4. num. 6.* & probat hoc argumento maxime, quod irregularitas non nisi in casibus expressis iure induci soleat canone *is qui de sententia in 6.* at canon proferri nullus potest, in quo hæreticus, qui nulli est pro tali notus, dicatur irregularis, quinimo, vt pœnis prædictis subiaceat, denunciatus esse debet, vt Gregorii IX. aliorumque Pontificum bullatum diploma indicat.

B Quid? quod *canon ex tenore de temporibus ordinationum,* habeat criminosum occultum si promoueri velit, prohibendum non esse, quod *in capite vltimo eiusdem tituli* etiam repetitur, dummodo tamen de homicidarum non sit numero, ergo cum iuxta commune pronunciatum, *exceptio in non exceptis firmet regulam:* homicidii designatio, tam hæresis, quam aliorum criminum, quæ sunt occulta, certa est ab iis, quæ irregularitatem pariunt, exclusio.

Contraria tamen sententia probabilitate
C non caret.

Primo, quia Ecclesia hæreticos etiam occultos spiritualibus pœnis afficit, vt est excommunicatio.

Secundo. quia *in can. ventum 1.q.1.* venientes ab hæreticis, simpliciter & absolute dicuntur irregulares, canones autem qui publicam huius criminis notitiam *requirunt,* eam, vt puniri, repelliq; *publice illi* possint, exigunt, non autem, vt non sint in animo suo irregulares, & si resipiscunt dispensatione non egeant, quod autem *in cap. vltimo de*
D *temporibus ordinationum,* homicidium tantum excipitur, fit ideo, quod Pontifici quatuor tantum crimina occulta, proposita fuerant non plura, adulterium, periurium, homicidium & falsum testimonium, de his ergo solis cum esset quęstio, quodnam suum esset iudicium declarauit Pontifex, de hæresi autem quia de ea postulatum nihil fuerat, tacuit.

Dico secundò, *Non tantum hæreticos, sed*
E *& eorum complices,* vt aiunt, *etiam post factam pœnitentiam, vitæ mutationem, & conuersionem ad fidem, esse irregulares,* Nauarrus & Syluester *verbo irregularitas parag. 5.* Maiolus *lib. 5. cap.46. num.2.*

Ratio est, quod pœnitentia culpam tollat, non pœnam Ecclesiasticam, aut censuras patet *ex canone saluberrimum 21. prima causa q. 7.* vbi hæretici resipiscentes ab hæresi iubentur *in magno beneficio habere si adempta sit omni spe promotionis, perseuerent in quo inueniuntur ordine,* hoc est, eo quo sunt antea magno

Ecclesiæ

Ecclesiæ in eos beneficio insigniti, *stabilitate perpetua maneant, si tamen iterata tinctione non fuerint maculati.*

Est hoc vero beneficium, dispensationis gratia, vt patet *ex canone conuenienter 4. eiusdem qu. 4. & causæ, & 1. q. 1. canone ventum in fine,* vbi ne exiguum quidem Clericatus honorem, venientibus ab hæreticis, concedi oportere iura docent, nominatim autem ad primatum est hæreticus inhabilis, docet Maiolus *lib. 5. cap. 26. num. 6. in fine,* verba canonis citati cui initium est, *ventum est ad tertiam,* sunt ista, *nostræ lex Ecclesiæ est, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem, laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatus honorem vel exiguum subrogare:* ita nati parentibus hæreticis, per lineam paternam, vsque ad secundam generationem, per maternam, vsque ad primam tantum, defensores ciuitatum, vocari ad consilia, esse milites, ad Doctoratum promoueri, aut iudices constitui nequeunt, Fagund. *in primum præceptum Decal. cap. 19. num. 3.*

Dico tertiò, *Hæreticorum tam filios, quam nepotes, irregulares esse, & ad beneficia Ecclesiastica possidenda, obeunda officia publica, iure Ecclesiæ, ineptos videri, nisi hi à quibus sunt nati, ante mortem ad vnitatem Ecclesiæ redierint, idemque de filiis ac nepotibus, tam credentium, quam receptatorum, & defensorum hæreticorum,* dicendum esse nonnulli tradunt, idque vsque ad secundam lineam tam paternam, quam maternam: ita Bonifacius VIII. confirmans Innocentii statutum. & Alexander *in capite statutum 2. de hæreticis,* Fredericus Imperator *in lege,* quæ est Bullæ Innocentii IV. inserta, cuius initium est *cum aduersus hæreticam,* idque valet siue fuerint denũtiati, siue non, quia *Extrauagans ad euitanda,* non fauet reis, aut eorum familiis, notandum tamen pœnam hanc inhabilitatis ad honores, & dignitates Ecclesiæ, ad eos pertinere tantum, quorum parentes verè sunt hæretici, aut tales mortui, vt habetur *in cap. statutum citato,* his verbis *hoc sanè de filiis & nepotibus hæreticorum, credentium, & aliorum eiusmodi, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur.*

Notandum secundo, etsi admodum sit probabile, quòd *lib. 14. c. 4. n. 3.* Henriq. asserit, si occulta fuerit hæresis, aut in natione infecta hac lue, pater in ea decesserit, filium si sit absque nota infamiæ non videri irrregularem esse, cum factus erit Catholicus irregularitate quæ suâ ex eatrahit originẽ, eã tamen vitare hũc non posse, quam hæresis primo & per se inducit, licet occulta sit, in quorundã sententia, quin imo extat de-

A cretũ Pauli IV. Greg. XIII. quo quibusdam in locis, hæreticorum filii, vsque ad quartam generationem excluduntur ab ordinibus, officio gubernandi, & prædicandi, & si in illo sint, deponuntur, licet per lineam fœmininam descendant quod duntaxat de his intelligitur quorum parentes per sententiam publicam condemnati sunt ac puniti, vt ait Nauarrus *lib. 5. conciliorum titulo de hæreticis concilio 22.* filius tamen ante crimen hęretici patris natus, quem in pertinacia sua fœde constantem, mors infœlix occupauit,

B quorundam opinione non est irregularis, vt ait Henriquez loco ante citato, quare.

Notandum tertio, hæreticorum filios, absolute & simpliciter, infames non esse, Menochius *volumine 4. consil.* 888. Sanchez *tract. de hæresi cap. 25. num. 12.*

Ratio est, quod nemo pœna affici irregularitatis debeat, quæ non sit in iure expressa *cap. is qui de sent. in 6.* atqui pœna infamiæ nullibi reperitur imposita hæreticorum filiis, sunt quidem inhabiles ad officia, & beneficia Ecclesiastica, non tamen ad testandum,

C & accusandum, vt ait Fagund. proxime citatus, quam tamen capacitatem excludit infamia, quæ est talis absolute, & simpliciter, cum est hæresi coniuncta vt est *in can. non potest 2. q. 7. & cap. testimonium & ca. licet de testibus.*

QVÆSTIO LII.

An Apostatæ sint Irregulares.

D DIco primò, *Apostatas à fide quantumuis pœnitentes, irregulares esse.*

Probant, id Pontificii canones, ac decreta, nam hoc ipso quod edocent, eiusmodi hominum generi, esse ad ordines necessariam dispensationem, consequenter quoque supponunt eos irregulares esse, quod ipsum diserte quoque asserunt Sylu. *verbo irregularitas q. 5. ver. apostasia n. 2.* Soto *in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. post quartam conclusionem,* Tabie-

E nus *verbo irregularitas 4. num. 8.* Fœlic. *verbo irregularitas ca. 7. in fine* Maiol. *lib. 5. cap. 34.* & Caiet. *verbo apostasia,* ibi enim apostatam à fide, in excommunicationem reliquasque hæreticorum pœnas, in quibus est irregularitas, incidere asserit. Verum cum Apostatarum varia sint genera, diuersique peccantium gradus, ita & diuersa irregularitas, qui fidei Christianæ propter iustum timorem, remisere nuntium, si erant Sacerdotes cum iis dispensare Papæ solius erit, vt est *in can. Presbyteros dist. 50.* si vero Diaconi, aut his dignitate inferiores Clerici, vel laici, eius-

VVu

dem erunt culpæ conscii, hanc illis condonare Episcopus, eosdemque reconciliare Ecclesiæ poterit: si autem sine timore, sed sponte fidem deseruerint Papa cum eis dispensabit non alius vt ait Sylu. loco cit. *ex can. Presbyteros dist.* 50. iuxta Hostiensis interpretationem, & illi quidem etsi contra fidei professionem peccauerint, non sunt tamen in foro conscientiæ Apostatæ, si eam in animo seruauerint, etsi vt Apostatæ in foro externo puniri possint, qui eam ore tam quam mente eiurant, veri sunt in vtroque foro Apostatæ, Sylu. *verbo Apostasia num.* 4. quod si qui in Iudaismum, Paganismum, vel Hæresim iterato labantur ac ruāt, tanto hi difficilius dispensationem obtinere poterunt, quanto eorum est culpa grauior, imo sæpe eam non obtinent, cum sine vlla audientia, Alexard. III. *decreto in cap.* 4. *de hæreticis in* 6. *iudicio* sæculari puniendi tradantur Maiol. *loco cit. num.* 2. *&* 3. & Sylu. *verbo hæresis* 1. *q.* 9. si tamen manifesta pœnitentiæ signa ostenderent, his pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta, saltem in morte neganda non essent. Idem Alexand. *cap. super eo* 4. *de hæreticis in* 6. his verbis: *Respondemus quod taliter deprehensi, etsi (vt dictum est) sine vlla penitus audientia, relinquēdi sint indicio sæculari, si tamen postmodum pœniteant, & pœnitentiæ signa in eis apparuerint manifesta, nequaquam sunt illis (humiliter petita) Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ deneganda*, consulendus Sylu. *verbo hæresis* 1. *q.* 8. *versu* 13. *&c.*

Dico secundò, *Apostatas à religione (quo nomine sunt intelligendi qui vitæ sunt religiosæ ab ipsis professæ desertores, cum proposito vitæ sæcularis amplectendæ cum animo, non reuertendi ad Monasterium) irregulares esse*, Sanchez *lib.* 6. *cap.* 8. *numero* 2. *in Decalog.* Roderic. *q. regul.* 30. *art.* 1. *to.* 1. Portelius *in dubiis regular. verbo Apostata numero* 1. Bonacina *de clausura quæst. secundo punc. vndecimo parag.* 1. *num.* 5. Nauar. *lib.* 5. *consil. tit. de Apostatis cons.* 1. quare differt à vago, & fugitiuo, qui iniussus exit è Monasterio, siue cum habitu, siue sine eo, non abiecta voluntate vitæ religiosæ, siue Monasticæ, qui proprie non est apostata, nec eius pœnis tenetur, nisi forte in externo foro Thesaurus 2. *par. praxis verbo Apostata cap.* 1. Sylu. *verbo apostasia q.* 4.

Hos porro Apostatas à religione irregulares esse, diserte traditur *dist.* 50. *can. vlt. &* 16. *q.* 1. *can. legi* 36. vbi negat Aug. sicut & *in ep.* 76. ad Aurelium tales ad Clerum admittendos, hoc enim ipsis facilioris lapsus præbetur illis occasio, quo se putant, *posse eligi ad aliquid melius cum facti fuerint deteriores, & ordini Clericorum fit indignissima iniuria, si desertores Monasteriorum, ad militiam Clericatus eligantur, cum ex eis qui in Monasterio permanent, non nisi probatiores, atque meliores in Clerum assumere soleamus, &c.*

Clarissimè autem in Concil. Arelat. 2. *can.* 25. sub Syluestro *Hos qui post sanctæ religionis professionem apostatant, & ad seculum redeunt, iubemus ad Clericatus officium non admitti.*

Etsi in apostasia ordines sacros receperint, etiam post pœnitentiam, absque dispensatione Romani Pontificis, ministrare in iis sic susceptis non possunt, statuit Honor. tertius *cap. finali de apostatis*, in minoribus autem sic receptis dispensabit Episcopus, nisi sint exempti vel deposuerint habitum, quia tunc erunt excommunicati, & à Papa dispensationem eos requirere erit necesse, vt patet *ex cap. cum illorum de sententia excom.* & Sylu. *verbo Apostasia q* 8. *in fine*, & Maiolo *lib.* 2. *ca.* 1. *num.* 15. qui addit Religiosum non censeri apostatam, nec fieri irregularem, si transeat ad alium Ordinem Religiosum, præsertim arctiorem, etiam sine licentia, quod satis probatur *ex cap. ex parte de temp. ord.* Paulus tamen IV. vult vt translationes tales sint nullæ, nisi translati ad parem, vel arctiorem ordinem, in obseruantia maneant, quo pertinet illud Trid. *sess.* 14. *ca.* 11. alias *redeant ad ordinem suum sub pœnis Apostatarum*: Huc pertinet eiusdem Pauli IV. constitutio quæ incipit *postquam diuina*, in qua omnes religiosos, quouis prætextu extra claustra viuentes, ad omnia Ecclesiastica ministeria reddit inhabiles, & ab executione quorumcunque ordinum, etiam sacrorum, & præsertim Presbyteratus, suspensos & inhabiles sub grauibus pœnis, super qua tamen irregularitate, Pius IV. dispensauit in cōstitutione quæ incipit *Sedis Apostolicæ*: & alias quoque pœnas ad ius antiquum reduxit, vide Bullam Pii quinti quæ *incipit equum reputamus.*

Dico denique Apostatas ab ordine Clericali, esse irregulares, quod de iis intelligendum non videtur, qui prima tonsura accepta, aut etiam quatuor minoribus, ordini Clericatus, verbo, aut facto renunciant V. G. vxorem ducendo, fatetur Sylu. *verbo Apostasia qu.* 2. *&* 3. cum Maiolo *lib.* 5. *cap.* 34. *num.* 4. & aliis, sed de iis duntaxat qui sacro ordine suscepto, eoque cum habitu relicto, tanquam laici conuersantur, ac degunt in sæculo.

Probatur assertio partim *ex cap.* 1. *&* 3. *de Apostatis*, partim *ex can. vlt. dist.* 50. vbi pœnam apostatarum à religione, Glossa his quoque apostatis conuenire dicit, imo totum illud cap. de Clericis explicat, suntq; huiusmodi cogendi ad habitum Clericalem, alioqui priuantur priuilegio canonis. *Si quis suadente*

suadente. Addit Sylu. loco cit. eum qui primam tonsuram & beneficium habet, & retento beneficio, habitum & propositum Clerici deponit, mortifere peccare, esseque vere Apostatam, consequenter irregularem, quod tamen non satis probat Maiolus, qui huius est opinionis auctor.

De Schismaticis eadem ferme omnia, quæ de hæreticis sunt dicenda, cum vt plurimum sint hæretici, & sæpe decreta, contra vtrosque sint lata, vt causa *24.q.1.& 1.q.1. can. omnis cuiuslibet*, vide & *cap. 1. & 2. de Schismaticis* & Maiolum *lib. 5. cap. 46. num. 4.*

QVÆSTIO LIII.

An hæretici sint irregulares ante sententiam iudicis declaratoriam.

SEnsus est an in foro conscientiæ, & ipso facto, hæretici sint ad officia, & beneficia publica obtinenda inhabiles, ante sententiam iudicis.

Cuipiam videri posset, nullo iure, necessitatem imponi iudici, ferendæ contra hæreticum sententiæ, ac declarandi criminis, cuius acerbitas, viam ei omnem ad honores Ecclesiæ præcludit.

C Primo, quia sententia declaratoria tantum exigitur, cum irregularitas iure non incurritur, at communis est opinio Azor. *parte 1. lib. 8. ca. 11. q. 15.* Rodrig. *in additionibus ad Bullam cruciatæ parag. 13.* Farinacii *tract. de hæret. q. 182. num. 70.* Reginal, *lib. 3 prax. trac. 3. c. 15. num. 193.* hæreticos iure ipso irregulares esse, ergo, &c.

D Secundo, pœnæ quæ in priuatione rei cuiuspiam spiritalis sunt positæ, hominem vt afficiant, sententiam iudicis non postulant, vt planum est in excommunicatione, & suspensione, quæ quia ipso facto incurri iubentur, illico, ac est commissum in legem, vim suam in nocentem exerunt, at habet irregularitas omnis, priuationis instar, non actionis, cum sit inhabilitas ad ordines, eorum vsum ac beneficia, ita Suar. *de fide disp. 11. sect. 5. num. 4.* à Castro *lib. 2. ca. 5.* de Raff. *singulari* 81. Aragon. *22. q. 11. art. 3.*

E Quibus habeo quod opponã primo, quod infamia, à qua habent hæretici, vt sint extra regulam, hoc est, irregulares, ordinumque ac Magistratuum in Christi Ecclesia incapaces, quod infamia (inquam) sit in famæ, ac opinionis iactura posita, quam quis in hominum animis de probitate sua ac moribus bene viuendo impresserat, at sicut hæc, isti non perit, ita nec illis bona de aliquo concepta opinio, quandiu est eius crimẽ occultum: ergo

A declarandum, ne sine causa, ac contra fas, & æquum, beneficiis, ac honoribus publicis excludi videatur: Infamia enim in facto, & actuali aliorum notitia est posita.

Secundo, etsi iure bonis sit suis exutus hæreticus, iis tamen decedere, ac abire non tenetur ante sententiam, ergo nec se pro infami gerere, quandiu talis esse nescitur, accedat ergo ea de re sententia, est necesse, quam declaratoriam communiter nominant.

B Huiusque sunt opinionis Simanc. *de Cathol. institut. tit. 9. num. 205.* Farinacius *de hæresi qu. 289. num. 56.* Sanch. *to. 1. Decal. lib. 2. cap. 26.* volunt enim hi authores, hæreticum quandiu de eius crimine certum nihil habet populus, infamem non esse.

Est vtraque sententia tam Doctorum pondere, quam ratione approbanda.

QVÆSTIO LIV.

An beneficiis suis abire eaque ante sententiam relinquere hæreticus debeat.

ITa ne existimem persuadent argumenta sequentia.

Primum, pœna Ecclesiastica nulla hominẽ re possessa priuãs, siue illa tẽporalis sit, siue mixta, inflicta etiam ipso facto, vel iure, locũ habet in conscientia ante iudicis sententiam, vt affirmant Summistæ *verbo assassinus & verbo pœna*, Suar. *lib. 5. de legib. cap. 8. num. 5.* quam eius solius opinionem non esse, sed Doctorum omnium, tam ciuilis, quam Canonici iuris interpretum, docet Azor. *to. 1. lib. 5. ca. 7. q. 1. & 3.*

Quare magnum est discrimen inter pœnas Ecclesiasticas mere spirituales, vt sunt censuræ, & irregularitates, pœnasque alias temporales, vt est summa pecuniaria, & mixtas, cuiusmodi est priuatio beneficii, vel suspensio ab eo, nam illę id est spirituales, incurruntur ipso facto etiam in conscientia, quando infliguntur ipso iure, sed non pœnæ mixtæ, vel temporales, nisi sequatur sententia, ergo cum carere beneficio, eo spoliari & excidere, pœna sit mixta, non spiritualis purè, eius subeundæ nulla est ante iudicis imperium, sententiamque necessitas.

Secundum, si beneficiis excidit, officiisque hæreticus ipso iure, quæro, quo maxime? diuino? at in instrumento tam veteri quam nouo nulla eius rei fit mentio, naturali? at nulla est necessaria inter fidem, officiaque fori tam ciuilis, quam Ecclesiastici connexio, nam etsi Christiana fide informata humana ratio, hæreticis imbutum er-

toribus hominem, Eccleſiæ Magiſtratibus, eiuſque bonis remouendum dictet, vt tantis honorum faſtigiis imparem, iis tamen vere, ipſoque facto ſpoliatum eſſe, non indicat, cum natura ad ea quę ſunt nobis cum gentibus communia ſe extendat, non vero ad ea quæ ſunt in ſe diuina, aut ad ea ordinem habent, vt beneficia. Non Canonico ſimiliter, quæ enim lex, quæ ſanctio, quæ Pontificum decreta, hæreticum vnquam dixerint, iure, factoque priuatum eſſe beneficio ſibi collato, antequam fidem diuinam dediſceret, nouam imbiberet, non conſtat, & ſi quæ extarent, iudicis tamen ſententiā non excluderēt, cū qui canō fieri aliquid ante ſententiā præcipit, aut ea non requiſita, ante eam tamen non obliget, argumento eſt *can. 1. de homicid. in 6.* nam ibi pœna depoſitionis à beneficio, ipſo facto imponitur, & additur nullatenus alia requiſita ſententia, & tamen in eodem canone excipitur declaratio facti ſeu criminis, *Poſtquam*, inquit canon, *probabilibus iſtud conſtiterit argumentis.*

Ratio eſt, quod in canonibus aliud ſignificet ſententia proprie loquendo, & aliud declaratio criminis, ergo licet dicatur in canone, *abſque alia ſententia*, non propterea excluditur declaratio criminis, ſeu ſententia declaratoria, quare hæreticum ipſo facto non amittere beneficia, officiaque, quibus ante lapſum ſui in hæreſim inſtructus erat, ſed his per ſententiam priuari poſſe, à die commiſſi criminis, docent Sanch. *to. 1. Decalog. lib. 2. cap. 26. num. 1.* Suar. *de fide diſput. 21. ſect. 2. num. 18.* Vaſq. *lib. 1. diſp. 12. cap. 2. num. 11.* Henriq. *lib. 13. de excom. cap. 56. num. 2.* Simancas *de Catholic. inſtit. tit. 46.* hocque ipſum indicat Bonifacii VIII. *decretal. duodecima Vt commiſſi de hæret. in 6.* in qua inquiſitoribus ſanctæ fidei facultatem facit priuandi, *Vel priuatos denunciandi dignitatibus, ac aliis beneficiis Eccleſiaſticis, de Diœceſanorum, vel eis abſentibus Vicariorum ſuorum conſilio, & officiis publicis, ac honoribus quibuſcunque hæreticos credentes, receptatores, & defenſores ipſorum, eorumque filios, & nepotes*, nam denunciare aliquem beneficio priuatum eſſe, idem eſt, ac declarare id ab eo admiſſum eſſe, cuius cauſa dicta eſt olim à Pontifice, in ſui ſimiles ſententia, eos poſſeſſis à ſe beneficiis priuans, vera eſt ergo aſſertio, ſuum hæretico beneficium non neceſſario relinquendum, antequam iudex cogat per ſententiam.

Poteſt tamen ante eam impetrari, & conferri alteri, quia à die commiſſi criminis vacat, nam vt eſt *in decretali 2. Alexandri tertij de hæreticis in 6.* facta ei de beneficio collatio, aut ad illud, officiaque publica promotio, nulla fuit ac irrita, *Hæretici*, inquit canon proximè nominatus *credentes, defenſores eorū, ipſorumque filij, vſque ad ſecundam generationem, ad nullum Eccleſiaſticum beneficium, ſeu officium publicum admittantur, quod ſi ſecus factum fuerit, decernimus irritum & inane.*

Non poteſt tamen eius poſſeſſio illi eripi, niſi per ſententiam, Leſſius *lib. 2. capite 29.*

Ratio eſt, quod beneficiarius duo in ſua prouiſione iura capiat, titulum beneficii ſcilicet, & inductionem in poſſeſſionem actualem, realem, & corporalem, at hæreticus, cui, antequam Chriſtiana fides ei nulla eſſet, aut dubia, à Papa eſt aut Epiſcopo collatum beneficium, neutrum perdit, non titulum quia ei non aduerſatur hæreſis, cum hic in fide non fundetur, ſed in Epiſcopi collatione, facta idoneo ac capaci, qualis fuiſſe hic ſupponitur, cum inter beneficiarios, ſuperioris indulgentia locum ſibi reperit, quæ cauſa eſt, cur ſi reſipiſcat, ſi errorem deponat, Caluinique aut Lutheri peſtifera dogmata eiuret, ac euomat, beneficium ſibi ſuum retinere tuta conſcientia nulla noua collatione facta, aut prioris confirmatione poſtulata, valeat, Suar. *de fide diſp. 21 ſect. 5. num. 16.* Fagund, *in primum præceptum Decalogi lib. 1. cap, 18. num. 10.* nec ſimiliter poſſeſſionem amittit, vt planum eſt, *ex cap. 28. Licet Epiſcopus de præbend. in 6.* nam ibi habetur, eum cuius beneficium iure vacat, vel etiam alteri eſt collatum, non poſſe ſua poſſeſſione ſpoliari, niſi audiatur, & nouus inſtituatur proceſſus, de iure poſſeſſorio.

Et quia quiſquis beneficii poſſeſſionem retinet, titulum eius quoque coloratum habet, vt ait Leſſius *lib. 2 cap. 29. num 63 & 64.* hinc eſt, quod hæreticus eius ſibi fructus vindicare, illoſquə ſi officium expleuerit, retinere omnes, ac exigere valeat: Fagund. *lib. 1. cap. 18. num 13.* quia eius verus eſt poſſeſſor ac dominus, Suar. *loco cit. nu. 19.* reſignare ergo illud ipſum ſimiliter, ac permutare poteſt, quandiu eius crimen per ſententiam non declarabitur, *Declarato autem*, inquit Fagund. *retrohabitur ad diem commiſſi criminis ſententia, factaque per hæreticum reſignatio, aut permutatio beneficij, ab eo die nulla pronunciabitur*, & vt reſignatum authoritate iudicis auferri reſignatario poterit, conferendum alteri, Sanch, *tomo 1. Decal. lib. 2. cap. 26 num. 9.* Azor. *to 1. lib. 8. cap. 13 q. 8.* ita & compermutanti ad ſuum, hoc eſt hæretico traditum, vt eius haberet, authoritate propria redire in conſcientia eſt licitum, quia cum eius capax nonceſſet hæreticus, à compermutante ad illum, tranſire beneficii dominium non potuit, ergo penes permutantem remanſit, ad

eum

cum ergo quasi postliminio redibit sua sponte, hoc est sine Episcopi aut alterius collatoris noua voluntate, ac collatione.

QVÆSTIO LV.

An Episcopus posit dispensare in irregularitate contracta ex hæresi occulta.

HÆreticos irregulares esse, non modo quia infames, sed multo maxime, quod à Christi fide, ad errores desciuerint ei oppositos, definierunt Episcopi in Concil. Elibertino *can.50.* his verbis: *Ex omni hęresi, qui ad nos fidelis venerit, minime est ad Clerum promouendus, & si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponantur,* sanxit eorum exemplo Gregor. I. *in can. nos consuetudinem dist. 12.* ne qui eiurata hæresi Episcopus ad Christiana sacra redierat, Cleri suffragio, ad primatum vocari posset, *causa autem prima q.7. can. saluberrimum 21.* statutum lego, vt qui ad Catholicam fidem reuerti ambiunt, *in magno habeant beneficio, si adempta sibi spe omni promotionis, in quo inueniuntur ordine, stabilitate perpetua maneant, si tamen iterata tinctione non fuerint maculati.*

De hoc ergo genere hominum quæritur, an cum sunt occulti, cum Deo soli cogniti, Episcoporum singulari erga eos pietate, in pristinum honorem restitui, ac ad sacros admoueri ordines, iure quam optimo valeant.

Qui eosdem reconciliari Ecclesiæ, ac per Episcopos absolui posse negant, in eorum iure esse non putant, dispensare cum illis, quando in hæresim, occultam licet ac latentem, labi eos ac ruere contigit.

Eius sunt opinionis Suar. *to.5. de censur. disp. 43. sect. 1.* Bonac. *de censur. disp. 7. q.3. par.6. nu. 11.* Rodrig. *to.3. cap.183 num.5.* Quia Episcopo (inquiunt) remittere hæresim occultam, eamque condonare hoc tempore per Bullam cœnæ, non est licitum, eo quod facultas quæ illi à Trid. *sess.24 cap.6.* ad eam rem concessa fuerat, omnis voluntate Pontificis euanescit, cum quot annis eam in promulgatione prædictę bullæ inanem vult esse, ac nullam, multo ergo minus, fas ei est futurum (inquiunt) in irregularitate, contracta ex hæresi occulta dispensare.

Contraria mihi sententia, vt longe priori vero propior placet, quam sunt secuti Garzias *de beneficiis to.2. par.11. cap.10.* Sanch. *lib.2. Decal. cap.25 num.18.* Viuald. *in candel. de irregul.* Fagund. *lib.1. de precept. cap.17.* Farinacius *de hæresi q.192. num.79.*

Ratio est, quod legis, qua pœna nocenti A imponitur, verba stricte explicari debeant, ac proprie, eiusmodi est, quæ facultatem Episcopis adimit, absoluendi ab hæresi, etiam occulta, ergo cum absolutio à dispensatione differat, priorisque tantum fiat in bulla mentio, non posterioris, ab vna facta ad aliam illatio, non valet.

Secundo minus est dispensare quam absoluere, cuius rei est hoc argumentum, quod cum forum animæ Abbatissæ non teneant, nam constat eas peccata monialibus non remittere, cum iis tamen ex causa, quoties res tempusque exigunt, in statutis ordinis dis- B pensant, ergo etsi Episcopis absoluere de hæresi latente, nec cognita, iura non permitterent, illis tamen, quod est in eius dispensatione liberali ac gratuita fieri consuetum, non prohiberent.

QVÆSTIO LVI.

De Irregularitate quę ex defectu corporis nascitur.

C

IRregularitas quæ nascitur ex defectu corporis, ad has reuocanda causas videtur.

Primo, ad eá quæ ex absente eius pulchritudine oritur, aut quæ ex deficiente membro, ad pulchritudinem enim tria faciunt, secundum Diuum Thomam *1. parte q 39. art. 8.* in corpore, integritas membrorum, eorum cum reliquo corpore, & inter se proportio, postremo claritas, quare ex horum, aut omnium, aut singulorum defectu, deformitas nascitur, cuius iudicium demanda- D tur Episcopo, vt statuat eane sit tanta, quantam oportet, vt faciat irregularem, Nauar. *cap.27. num.200.* Henriq. *lib.14. cap.8. num.1.* Syluester *verbo corpore vitiatus num. 2.* qui etiam addunt Prælato regulari, aut Confessario id non competere, Prælato autem in id incumbendum esse, virum vt se præstet in iis repellendis ab ordine, quos casus, aut errans natura deformes fecit, ne decorem domus Dei, non satis dilexisse pro rei dignitate videatur, qua de re consulendi sunt hi canones, *can. hinc etenim distin. 49. can. nullus* E *pœnitentem dist. 55.*

Tertio, irregularitas quæ ex defectu corporis incurritur, ad inualetudinem, seu sanitatis priuationem reducitur, cuius, vt aliarum duarum, est hoc fundamentum, quod cum eiusmodi defectu, exerceri ordo susceptus nequeat, sine scandalo, & offensa spectantium, vt recte notauit Corasius *part. 3. de beneficiis cap.6.* quæ vt melius intelligantur, ad certas conclusiones sunt reuocanda.

Assertio prima, *Omnis defectus membri*

functionem ordinis impediens, aut notabilem deformitatem inducens, iure diuino, & naturali, eum in quo est, reddit irregularem.

Patet ex *distinctione* 55. vbi cum in genere, corpore vitiatos, iura Ecclesiastica à sacris officiis arceant, multo magis destitutos membris, ad functionem sui ministerii necessariis, pro quo faciunt, *canon primus de corpore vitiatis & penultimus eiusdem tituli*, deinde ratio, nec enim hi, quibus pars aliqua corporis deest spectabilis, possunt defúgi sacris ministeriis, sine magna indecentia, populique nausea ac stomacho, vt habet *canon qui in aliquo dist.* 51. *& canon primus de Clerico ægrotante*, proindeque nec possunt esse beneficiarii, maxime cum cura, quia beneficium officii causa datur, *ex capite finali de rescriptis*, at orbati membro aliquo, ad præstationem suæ prouinciæ, nequeunt vtiles esse Ecclesiæ, eique deseruire Clericorum more, & quia cessante causa, cessat quoque effectus, *canone cessante 6. de appellationibus*, ideo vbi horrori non est aut scandalo membri additio, aut defectus, cessat irregularitas, quare leprosus inter leprosos, Æthiops inter Æthiopes, ritè ordinatus, celebrare sine culpa potest, Maiolus *lib. primo cap.* 131. *in fine* cui subscribunt Henriquez *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 3.

Dixi *functionẽ impediens*, irregularitas enim impedimentum est suscipiendi ordinis, aut in suscepto ministrandi, ergo si membri priuatio, functionem hanc non impediet, irregularitatem non pariet.

Excipit Nauarrus *cap.* 27. *num.* 200. *parag. septimo dico*: casum in quo Clericus, culpa sua, id incommodum à susceptis ordinibus pateretur: nam tunc (inquit) ad eorum executionem, quibus est initiatus, & ad quos est habilis, accingere se potest, & nõ ad alios, respectu quorum est irregularis, ob inhabilitatem ad eorum exercitium.

Sed contra primo, quia inferiores ordines referũtur ad Sacerdotium, ergo si istius non est quis capax, nec ad alios futurus est ordines idoneus, dare hic tamen operam confessionibus audiendis poterit.

Secundo, non est potior vnius quam alterius ratio, nec collatio ordinis ad vnum fuit ipsius officium, & non ad alterum, ergo qui ob impedimentum exercendi aliquod officium ordinis, ab eius susceptione arcetur, simpliciter censendus est prohiberi ab omnibus.

Tertio, quia in eo qui sponte, aut culpa sua, defectum patitur, cessat omnis excusatio.

Assertio secunda, *Quicunque monstruosa fœditate est natus, vt si caret pede altero, si iusto minor est, vt Pigmæi, si gibbosus, si cornua ha-*

A *bet in capite, vlcus in facie perpetuo fluens, etiam sine vlla sua culpa, est irregularis*, secundum Maiol. *lib.* 1. *cap.* 13. Nauarrum *Enchiridij* 17. *num.* 200.

Ipsaque praxis Ecclesiæ, & ratio indicat, habet enim indebita quantitas in defectu aut excessu indecentiam, statu Clericali non satis dignam, quare monstris affines, vt Gigantes & Pigmæi, à sacris sunt exclusi ordinibus, Maiolo teste.

Assertio tertia, *Non modo notabilis deformitas ex defectu membri præcipui in corpore, sed mediocris quoque, ex priuatione occultæ partis, non*
B *necessariæ ad vsum ordinum proueniens, eum irregularem efficit, cui hæc cum peccato aliquo suo accidit*, Couarruuias *in Clementinam si furiosus parte* 1. *num.* 5. Valentia *to.* 5. *disp.* 7. *qu.* 19. *puncto* 3.

Pars prima probatur, quæ horrorem spectantibus faciunt, aut sine magna exerceri indecentia nequeunt, hæc eum in quo sunt, irregularem reddunt, eiusmodi est haud dubie deformitas insignis, aut alia similis ex membri priuatione nata, vt innuitur *in cap.* 1.
C *de corpore vitiatis non ordinandis*, ergo, &c.

Pars altera similiter est certa: Enimuero constat à iactura virilium, celebrationi sacrorum impedimentum nullum obiici, cum his vacare Eunuchis liceat, cum natura, aut absque aliqua sua culpa, sunt tales, *Eunuchus enim*, inquit canon 21. Apostolorum, *si per insidias hominum factus est, vel si in persecutione, eius sunt amputata virilia, vel si ita natus est, & est dignus, efficiatur Episcopus*; & tamen Eunuchis ad ordines aspirare, est lege Ecclesiæ prohibitum, si in se, infesta sæuierint dextera, ea se parte truncantes, à
D qua habent vt sint Eunuchi: eius rei testis canon Apostolorum *numero* 22. his verbis: *Si quis abscidit semetipsum, id est si quis amputauit sibi virilia, non fiat Clericus quia est sui ipsius homicida, & Dei conditionis inimicus*, hæc canon in quam sententiam scripti sunt canones alii plurimi *dist.* 55. *vt canon si quis pro ægritudine* 9. *canon Eunuchus* 8. *canon si quis abscidit* 4. & *canon qui partem* 6. qui omnes legi possunt apud Gratianum loco citato: Eodem quoq; pertinet *can.* 2 *dist.* 3. vbi ad sacros Clericorum ordines admittendus esse non dicitur,
E *qui semetipsum quolibet corporis sui membro, indignatione aliqua, vel iusto, vel iniusto timore superatus, truncauerit*, quam id vero iuste statuerint, ac prudenter Romani Pontifices, indicant argumenta sequentia.

Primum pœna culpam sequitur, ergo si membrum erit amissum eius culpa, qui eo est priuatus, pœnam peccantium subire eum est necesse, at hæc est irregularitas.

Secundum non magis licet vim sibi inferre

ferre quam alteri, sed illata tertio, membri cuiuslibet amputatione, irregularitatem inferenti conciliat, ergo & sibi, quisquis abscissione partis cuiuslibet, etiam occultæ, vim facit, irregularis erit.

Dixi *cum peccato*, quia aliunde orta deformitas, vt ex inualetudine, non est irregularitati coniuncta, maxime si est leuis, aut operta vestibus, Rebuffus *parte 1. praxis titulo de dispensatione in corpore vitiatis num.* 150. aut si paret, si cernitur, modica tamen est, quo de genere est, habere oculos inæquales, & oblique tantum spectantes, aut casu amisisse partem digiti alterius, quam indicis, aut pollicis, vel totum, de parte est *canon qui partem 6. de tota canon later 11. dist. 55. Qui partem*, inquit Innoc. *epist. 4. ad Fœlicem cap. 1.* relatus à Grat. in citata *dist. can. 6. cuiuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum, canones non admittunt, cui vero casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens, se non sponte percussit, hos canones præcipiũt, & Clericos fieri, & si in Clero reperti fuerint, non abiici*, in eandem sententiam scripta est decretalis Honor. III. vltima, de corpore vitiatis: Stephani autem ad Rober. Metensem sunt hæc verba: *si ita est quod Nortmannus digitum habeat abscissum, ad promouendum (si alias dignus fuerit) nihil ei nocebit.*

Patet ex dictis primo, claudicationem eiusmodi, quæ accessum ad altare prohibet, aut incessum in functione ministeriorum, sine subsidio baculi, irregularitatem gignere, sic Nauarrus *cap. 27. num. 199.* Auila *7. parte disp. 3. dub. 10.* Glossa *in canonem si quis infirmitate dist. 55.*

Dixi *sine baculo*, minor enim claudicatio irregularitatem maxime in Gallia non inducit, quare claudos quibus ingredi facile siue vsu baculi licet, passim & vbique, volentibus Episcopis promoueri sine dispensatione, dixit Rebuffus *prima parte praxis titulo de dispensatione in corpore vitiatis numero* 20. nisi hoc forte paterentur incommodum sua culpa, nam tunc eos irregulares habendos esse Reginal. asserit, *lib 30. tract. 10.* estque in *canone qui partem sexto canone pœnitentes 3. distinct. 55.* & primo tituli de corpore vitiatis vbi parte digiti imminutus sua culpa, & cum infamia (nam in campum descenderat pugnaturus cum hoste singulariter) dispensandus dicitur, vt ei inter ordinatos sit locus: *Satis potes*, inquit Alexand. III. *cap. primo eius tituli post peractum pœnitentiam misericorditer cum eo agere, & permittere ipsum in suo ordine ministrare*, & *in can. 9. distinct. 55. qui sanus, non per disciplinam religionis, vt abstinentiæ, sed per abscisionem plasmati à Deo corporis, existimans, posse concupiscentias carna-* A *les à se amputari, castrauerit se, dicitur non admittendus ad aliquod Clericatus officium.*

Patet secundo, non modo ab vsu ordinum, maxime Sacerdotii remotos esse, qui gradiendi, aut standi facultate sunt destituti, sed insuper à beneficiis necdum obtentis, quæ ordinem sacrum requirunt, arcendos lege canonica esse, vt sunt præfectura Cœnobitica, *cap. exposuisti 6. de corpore vitiatis*, Parochia, Corasius *3. parte de beneficiis cap. vltimo num. 5.*

B Dixi *necdum obtentis*, quia quibus tale incommodum post receptos ordines superuenit, hi beneficia retinere iam habita possunt, modo de legitimo iis adiutore prouideatur ab Episcopo.

Patet tertio, eum cui digitus est amputatus in pœnam admissi à se delicti, irregularem esse, vt & qui caret naso, & labiis, Nauar. *cap. 27. num. 223.* Idque ob deformitatem non exiguam, quæ ex harum defectu partium, à quibus tamen faciei venustas pendet, oritur, similiter cui sine vlla sua culpa, deest digitus, ad frangendam, aut eleuandam hostiam necessarius, vt est pollex, C aut index, irregularis est *cap. vltim. de corpore vitiatis*, hac enim lege dispensandum cum eo, cui ex digito auulsus vnguis erat, respondit Honor. eius nominis III. *si ad frangendam Eucharistiam esset in pollice ipso potens*, eius ergo priuatio, certa est à sacris ordinibus, hominis remotio.

Atenim (inquies) non impedit labiorum, ac nasi deformatio, vsum ordinis suscepti, aut susceptionem non habiti.

D Neganda est sequela, tollit enim harum priuatio partium, faciei ac vultus claritatem, cuius defectus parit irregularitatem, D. Th. teste, *in dist. 52. q. 1.*

Simiter est irregularis, cui aures sunt abscissæ, sicuti ex communi opinione docet Nauar. *cap. 27. n. 128.* nisi capillatura prolixa ac longa, defectum hunc tegeret Auila *7. parte disp. 3. dub. 1. parag. sequitur 2.* Coninch. *disp. 38. dub. 13. n. 108.* irregularis quoque est hermaphroditus, ad sexum virilem minus inclinans, quam fœmineum, eo quod characteris sit incapax cum ad fœminam magis accedat, quam virum: Laym. *lib. 1. tract. 5. parte 5. cap. 7. num. 1.* E

Assertio quarta, *Deformitas quæ consistit in priuatione membri, ad Ecclesiastica munia necessarij, est indispensabilis*, quia sicut quæ sunt iuris naturæ, stata sunt, certa ac mutationis nescia: ita quæ iure diuino sunt omittenda, aut agenda, in nullius sunt iure, præterquam Dei, quæ ne fiant, aut contra, vt omittantur, arbitratu ipse suo, cum expedire iudicat, concedere potest, in cæteris tamen quæ non

sunt eius generis, dispensare Papa potest, ita Sylu. *verbo casus num. 1. versu ibid.* Henriq.*num. 2.* Tabiena *verbo dispensatio num. 15. & verbo corpore vitiatus num. 2.* quæ assertio probari posse videtur, *ex cap. 2. de corpore vitiatis*, vbi Alexand. III. dispensans cum Cistercienſi electo, quod maculam haberet in oculo, mandat Cantuarienſi Archiepiscopo *vt cum consilio suffraganeorum suorum, quod exinde visum fuerit exequatur, in quo tibi,* inquit, *ex maxima dispensatione curauimus prouidere.*

Idem de truncatis naso, de monoculis, altero scilicet aut fœde maculato, aut eruto, præsertim sinistro, qui ex stylo Romano, dicitur oculus canonis, apud Nauar. *cap. 27. num. 199.* nisi dexter tali virtute polleret, vt eius ope sine deformi faciei conuersione legi canon posset Laym. supra.

Assertio quinta, *Modica seu mediocris deformitas, ex culpa incursa, irregularitatem generat*, ita Nauar. *cap. 27. num. 198.* probaturque Alexand. testimonio *in decret. prima de corpore vitiatis*, vbi Sacerdos quidam, qui cum alio singulari congressus certamine, digiti partem amiserat, post peractam pœnitentiam, facultatem ab Episcopo recipit, ministrandi in suo ordine cum hæc pars tanta non esset, *quin sine scandalo celebrare posset.*

Est autem mediocris deformitas, si oculi grandiores sint quā deceat, si sunt inæquales, si luculenta cicatrix in facie appareat, si os sit distortū, &c. si claudicatio deformis ac magna: Cum Clerico autē vt in ordine suscepto ministrare, aut recipere non habitum liceat, dispensare posse Episcopum indicat hæc Alexand. III. oratio *in decret. 2. de corpore vitiatis: De macula verò, prædicto Archiepisc. mandauimus, vt cum consilio suffraganeorum suorum, quod exinde visum fuerit exequatur, in quo tibi ex maxima dispensatione curauimus prouidere in cap. 1. eiusd. tituli* permittit Episcopo dispensare cum Presbytero, qui in duello partem digiti amiserat.

Sunt tamen qui asserant, Episcopo, eiusque ad hanc rem authoritate opus non esse, quod membri abscissio, aut defectus partis alicuius in corpore, ad sacri functionem ministerii non necessariæ, irregularitatem non pariat, nisi ratione infamiæ, si crimen sit publicum, ac tale quod infamiam generet, ita Henriq: *lib. 14. cap. 8. parag. 4. litera C.* Sylu. *verbo corpore vitiatus q. 2.*

Ita opinandi causam hanc habent, quod ea de re, Pontificia nulla sit sanctio, decretum nullum, ergo cum irregularitas non nisi in casibus expressis in iure, contrahi non soleat, *cap. is qui de sent. excomm.* membri abscissio, cuius vsus est nullus ad sacra ministe-

A ria, aut eiusdem mutilatio, culpa mutilati facta, non est irregularitati nexa iure communi, quod si hic effectus eam non nūquam consequitur, non illi præcise ascribi debet, sed infamiæ, ita Henriq. *loco ante cit. littera Z.*

Assertio sexta, *Leuis deformitas, sine culpa contracta, irregularitatem non conciliat.*

Probatur *ex cap. vlt. de corpore vitiatis* vbi qui vngue pollicis destitutus erat, ad sacra altaris ministeria admittendus dicitur, si tantum ei vitium, ab hoc casu natura reli-

B querit, quantum diuidendæ hostiæ honestas exigit: *Mandamus quatenus si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens, & aliud canonicum non obsistat, propter deformitatem huiusmodi nō dimittas, quin eū ad ordinē promoueas Sacerdotij,* Honor. III. *in c. Thomas Monachus citato,* mancus ergo dexteræ suæ vngula, non est in irregularium habendus loco, quia tantillæ partis defectus in humano corpore, inuenustum nihil habet ac indecens, sic qui mediocrem à tergo gibbum habet, qui digitos indicem & medium coniunctos, sine impedimento, qui decentes quidem oculos, sed

C acie videndi impares, eo quod dexter est obtusus, parumque aut nihil contuens, Pro leui quoque habendum est deformitate, quicquid est ex membri occulti deformatione, aut carentia, turpe ac dissonum in corpore, cuiusmodi est senos habere digitos in pede, aut manu Maiol. *lib. 1. cap. 13. nu. 3.* Fœlician. *de irregular. 6. versu habens membra superuacaneo,* quare eos sibi quemque rescindere posse, sicut etiam dentes, vel vngues nimium prominentes, si inde nullum vitæ periculum imminet, scribit idem auctor.

D Ratio est quod tales partes non sint membra, sed monstra, quare nec is cui deerunt, mutilatus dici poterit, nec membro vllo ad corporis perfectionem necessario, mancus.

Dico vltimò, *Eum cui iam ordinato deformitas superuenit ex mutilatione, aut aliter, irregularem non fieri,* Patet *ex can. præcepta 12. dist. 55.* qui est Gelasii ad Palladium Episcop. *Præcepta,* inquit, *canonum quibus Ecclesiastica regitur*

E *disciplina, sicut ad Sacerdotium debiles corpore non patiuntur venire, ita & si quis in eo fuerit constitutus, ac tunc fuerit sauciatus, amittere non potest, quod tempore suæ sinceritatis accepit,* quod est de membris ad Ecclesiastica munia, non necessariis capiendum, quia mutilatio membri, ad sacrum necessarij, diuino iure, & naturali, facit hominem ad id munus inhabilem, primò propter incapacitatem exequendi officii, secundo ob scandalum ex deformitate sequi solitum, quæ etsi culpa careat, ab ordinibus tamen remouet sic enim ex Con-

cil.

cil. Illerdensi colligere facile vbi statuere Patres, quod *si quis in infirmitate positus medicorum incisione clausus efficitur ad sacros ordines,* non promoueatur.

Quod si defectus eiusmodi, post promotionem superueniens, hominem nimis deformem non reddit, exequi officia poterit, ad quę defectus ipse, nullo est impedimento, ita cæcus, qui litare nequit, aut litanti nauare operam, confitentibus aures dabit, ad populum è superiori loco dicet, nec beneficio abire suo iubebitur, si ipse non fuit in culpa, quia afflictio afflicto non est danda, *7. qu. 1. can. cum percussio*, sed Coadiutor ei dabitur, si beneficio ipse suo deseruire non poterit *de Clerico ægrotante cap. 3.*

Quę sequuntur dubitationem nonnullis minime absonam afferre possunt.

Primum dubium, *An surdaster è numero sit irregularium.*

Ambigendi causæ duæ, prima quod non videatur digne Sacramenta tractare posse, quod tamen Clemens *in epist. ad Iacobum fratrem Domini 2.* exigit *tales, inquit, ad ministerium eligantur Clerici, qui digne possunt* Dominica Sacramenta tractare, quod facere auribus capti, non nisi ægre possunt, quam enim decore, quam honeste, sacris in altari operabitur, qui ministrum sibi respondentem, nisi magno sonitu vocum eius auribus obstrepat, non audiet? quod tamen ab isto factum quis probet? cum sit vocis istiusmodi contentio insolens, ac noua, de se ridicula, & ad aucupandos spectantis populi cachinnos idonea.

Secunda, præcipit Gelasius Papa primus *in epist. 1. ad Episcopos constitutos per Lucaniam ca. 2. Vt si quis ad Clericale officium accedit, etiam de Laicis, anteacta eius vita requiratur, ne sit aliquo facinore infectus, vel illiteratus, vel bigamus, vel corpore vitiatus can. priscis 1. distin. 55.* sed surdaster est vitiatus corpore, surdastritas enim (fas mihi sit ita loqui) vitium est auditus, seu aurium, quæ ad corporis integritatem cum pertineant, his laborans, dici iure potest vitiatus corpore, hæc Comitol. *respons. lil. 6. q. 55.*

1 At ipse tam rationum, quam Doctorum authoritatem secutus, in contrariam opinionem abeo.

Primo quod eiusmodi impedimentum toto in volumine canonum, hoc est Ecclesiasticarum sanctionum, nequaquam reperiatur, quod tamen esset necesse, si à sacræ arę ministeriis, ordinumque susceptione, remoueret vitium auditus, seu aurium: *Irregularitatis enim, cum id non est expressum in iure, laqueum nemo incurrit*, Bonifac. VIII. *in decretali is qui de sent. excom. in 6.*

2 Pars secunda.

A Secundo diuinis præfici Sacramentis, officiisque, qui potest, è numero excerpendus est irregularium vt habet Innocent. III. decretali quæ incipit, *ars artium extra de qualit. & ordine præficiendorum*, sed hæc surdastrum, maxime si eius non sit insigne vitium, sacrorum ordinum muneribus valde incommodans, obire quid vetat? baptizare potest, ægros vngere, ad sacram aram, rem diuinam loco à turbis, populique consortio remoto facere, ac ne respondendo, vocem minister effundat, ei ad altaris cornu cominus adesse.

B Quid? quod sine ministro saltem qui respondeat, sacrificare non fit in vitio, cum est id necesse. *Eum* (inquit Nauar. *lib. 1. consil. 7. & 8. de corpore vitiatis*, & post eum Layman. *lib. 1. tract. 5. num 1.*) *qui post legitimam ordinationem, omnino surdus factus est, secreto sine ministro celebrare posse*, est certum, quę si sunt vera, vt esse, prudenter ambigi nequit, dicendum est ab hoc genere vitii, quod est in auribus, irregularitatem non existere, quod cum eo, sacrorum ordinum munera rite fieri possint, ac decenter.

C Ad argumenta contraria facilis est expeditaque responsio: nam primi neganda est minor, ad id quod de ministro additur, responsuro cum effusione vocis, nec proinde sine eorum cachinno probabili, qui sacrificio intererunt, dicendum est, vitari vtrumque posse, si aurium morbo, vitioque affectus, seorsim, non palam & in publico sacrificet.

Sumptum est in secundo argumento, ad genus illud irregularitatis quod indecorum appellatur, reuocari vitia, morbosque corporis, eorumque vno aliquo laborare surda-

D strum, quare

Respondendum, ex fine minime obscuro legis, & ex mente non dubia Romanorum Pontificum, perspici posse, surditatem de eorum morborum genere non esse, qui à sacra ara, ac ordinibus arceant, cum ad diuina celebranda officia, Sacramentaque ministranda, eum quem afficit, absolute non reddat inhabilem, sed secundum quid tantum.

Dubium secundum, *Sitne irregularis qui senos habet in dextera manu digitos.*

E Non esse vt sentiam, persuadent argumenta sequentia.

Primum, quod irregularitas ex vitio existẽs corporis, deformitatem habere debeat, cũ impotentia faciẽdi officii in altari, at numero quinario digitus sextus additus, splendori manus, sacrorumque ordinum muneribus, non incommodat, maxime si is qui est multiplicatus, à pollice, indiceque differat, nam tunc attolli hostia, frangique potest, peræque ac si digiti non essent nisi quinque.

XXx

Secundum, est morbus, ex Galeni sententia, *affectus lædens operationem sicut vitium*, quod virtuti opponitur, quæ est secundum Aristot. *lib. 7. physicorum textu 17. quædam dispositio perfecti, interruptio & remotio eorum, quæ sunt secundum naturam*, sed sexti digiti adiunctio ad quinque, manuum opera non tollit, nec in multis impedit.

Quid? quod digitus additus ad numerum consuetum, nihil eorum quæ natura ipsa per se exigit, adimat? quod vim ac robur dexteræ non imminuat? morbo ergo non laborat, ab eo ergo macula irregularitatis timenda nulla, quemadmodum nec deformitatis, cum tegi possit, cum abscondi, ne videatur.

Huiusque sunt opinionis Henriq. *lib. 14. cap. 8. nu. 7.* Auila *parte 7. disp. 13. dub. 1.* Campanile *in diuersit. iuris Canonici rubrica in cap. 17. num. 103.*

Quod si nihilominus ambigendi locus foret, ecquid ab eo digito corpori deformitas accideret huiusmod, quæ irregularitatem inueheret, Episcopi super ea re iudicium inquirendum esset, ac sequendum, vt habetur *de corpore vitiatis*, cui adiungenda Glossa, cum testimonio Doctorum Molinæ *de iustitia to. 4. tract. 3. disp. 70.* Suar. *de censur. disp. 51. sect. 3. n. 16.* Laym. *lib. 1. tract. 5. par. 5. cap. 1. n. 5.* similiter si de Regulari erit quæstio, deque membri eius deformitate, proprius eius prælatus, modo ab Episcopi potestate exemptus, suisque, commendatitias ad ordines litteras dare sit solitus, arbitrabitur, secundum Angelum *verbo corpore vitiatus num. 5.* Auila *loco citato disp. 3. dub. 2.*

QVÆSTIO LVII.

De Irregularitate proueniente ex morbo corporis.

SIcut deformitas inhabiles reddit ad ordines, propter indecentiam & impotentiam eorum exequendorum, ita & morbus, quoniã vero morbi vitia sunt corporis, plerique hæc, quæ hac quæstione dicentur, ad idem caput vitiatorum in corpore reuocant, quæ nos distinctionis maioris causa separabimus: morborum porro aliqui ex indispositione cerebri, vel ex alio defectu rationem perturbant, vt contingit in omni amẽtium genere, siue illi perpetuo, siue ad tempus insaniant, in quibus sunt phanatici, lunatici, furiosi, fatui, epileptici, quibus adduntur arreptitii siue Energumeni, de quibus pleraque Petrus Greg. *lib. 13. syntagmatum cap. 5 & alibi*, & Maiol. *lib. 2. à cap. 13. ad finem*, de quibus vniuersę.

A

Dico amentes esse irregulares *dist. 33. can. Vsque adeo si corpore*, inquit, *sauciatum ac debilem nequidem sancta contingere lex diuina permittit, quanto magis doni cœlestis dispensatores esse non conuenit (quod est deterius) mente perculsos & capite maritum & cap. infames parag. hi nimirum omnes 6. qu. 1.* à Clericatu arcentur non illi solum qui lucida habent in dementia interualla, sed etiam qui in furorem aliquando versi, insanierunt, vel afflictione diabolica vexati sunt.

B

Soto *in 4. dist. 25. q. 1. art. 2. concl. 3.* ait amẽtes iure diuino esse incapaces ordinum, quoad vsum & cum grauissimo sacrilegio ludibrio Sacramenti; ac ordinari videtur autem falli Archidiaconus in dictum *can. maritum*, cum putat eum qui lucida habet interualla, posse ad minores ordines promoueri, cum canon simpliciter dicat, non esse ordinandum in Clericum, & ita sentit Maiol. *lib. 2. c. 16. num. 16 cap.* tamen *16. num. 12.* contra sentit de comitialibus, non satis consentaneè & sine fundamento nititur enim textu qui nil

C

eum iuuat; & solus Papa cum eo dispensare potest vt vult Nauar. *num. 203.* nec tantum hi morbi impediunt promouendos, sed etiam promotos deiiciunt, id est inhabiles ad vsum ordinum reddunt, vt patet ex *dist. 33. can. communiter*, & Diu. Thom. *3. parte q. 82. art. 10. ad 3. vide etiam 15. q. 1 can. vlt.*

Assertio prima, *Qui morbi moraliter curari nequeunt, aut cum insigni vel perpetua corporis deformitate, debilitate animi, imminutione viriũ, quæ sunt ad exercendum officium necessariæ, vel sunt cum proximorum scandalo coniuncti, hi irre-*

D

gularitatem inducunt, Ita Nauar. *Enchirid. 27. nu. 202* Reginaldus & alii: Assertionis fides est à sanctionibus Pontificum Lucii III. *de rectoribus 3.* Clementis III. *cap tua nos duxit 4* Innoc. III. *cap. ex parte tuâ de Clerico ægrotante*, vbi Parochus ob lepram, ab executione susceptorum ordinum remouetur, consequenter à susceptione eorundem Maiolo teste *lib. 2 cap. 18.* quare sine Papæ dispensatione, leproso ad ordines aspirare, etiam vt inter sui similes ministret, non est secundum Nauarrum *num. 202.* licitum. Equidem

E

hæc olim à Clem III. dicta in eiusmodi hominem sententia *in decretali tua nos de Clerico ægrot. De Sacerdote qui diuino iudicio lepræ morbo repercussus, in Parœciali Ecclesia prælationis officio fungitur, dicimus quod pro scãdalo & abominatione populi, ab administrationis debet officio remoueri, ita quod iuxta facultates Ecclesiæ sibi necessaria quoad vixerit, ministrentur.*

Est huic cõstitutioni adiũgenda rationẽ pe quod cum morbi incommodis, nõ nisi ægre ac vero etiam sæpe sit impossibile, id cuius causa

causa ordines instituti sunt in Ecclesia, exequi cum laude, at est Pontificum decretis ei rei coniuncta irregularitas, à qua fit ordinibus eorumq; executioni mora. Irregularitatē ergo hi morbi inferent, quibus medicina afferri nulla potest, sic tamē vt si hi, ordines præcesserint, eorum susceptionem penitus impediant, si subsequantur, eorum vsum cui morbus est contrarius, cumque eo incompatibilis.

Notant tamen Diu. Thom. *in 4. dist. 9. art. 4. dist. 9. art. 4.* & Tabiena *verbo corpore vitiatus*, leprosis iam ordinatis concedi posse, vt inter sui similes, ministerium sacrum obeāt, nisi forte manus, inquinata plus æquo aut facies eos indignos tali prouincia faceret, Reginaldus *sectione citata nu.* 55. non tamen priuātur dignitate sua, nec beneficio etiam Episcopatu, vt patet *ex causa 7 qu. 1. præsertim cap. de rectoribus & cap. tua nos de Clerico ægrotante*, sed eis dandi sunt coadiutores qui eorum vices agant, redditusque participes fiant. Idem sentiendum est de impetigine scabieque deformi, ob quæ mala non patebat olim ad Sacerdotium aditus · maxime si erat Herculea, quæ vicina lepræ, ex atra bile sicut & lepra gignitur.

Est similiter irregularis abstemius, cuiusmodi est quisquis vinum sic odit, vt illud sine periculo vomitus gustare non nouerit, ratio est, quod Presbyter celebrare, nisi communicando sub vtraque specie nequeat, canone comperimus *de consecratione dist.* 1. Tabiena *verbo vinum num.* 2. Henriqu. *cap.* 8. *num.* 7. Nauarrus *cap.* 20. *num.* 240. irregularis est item qui sic est affectus, vt commode ac sine horrore, Clericalia exercere officia non possit, quo de numero sunt etiam paralitici, eo genere paralisis, quę membra sic extenuat, sic vires, eorumque robur dissoluit ac enecat, his vt vti homini nō sit liberum. Eodem aggregandi, dolore quasi continuo capitis oppressi eoque tam graui, vt de ministrandis Sacramentis, diuinis obeundis officiis, cogitationem suscipere nullam fructuosam ac vtilem valeant: hanc enim ob causam datur Episcopo à Greg. I. coadiutor in *canone scripsit primo, & in canone qualiter* 12. *causæ septimæ q.* 1.

Sunt his adiungendi, qui podagra laborant aut chyragra, eaque tam acuta & acri, quæ eos in altari consistere non sinat, vel vsum manus habere ad tractationem Eucharistiæ expeditum ac facilem, aut saltem non sine labore, & scandalo, ob tumorem manuum, deformitatem digitorum, eorumque debilitatem: Glossa *ad canonem si quis dist.* 55. Panormitanus *ad cap. secundum de Clerico ægrotante.*

A

QVÆSTIO LVIII.

Quomodo & per quos tollatur irregularitas.

DIco primò, *Irregularitates à Papa tolli posse, præter quinque, quæ sunt iuris diuini.* Quia vt sacrorum est princeps, vt condendi iuris Ecclesiastici auctor, ac arbiter, ita tollendi cum lubet, at est irregularitas istiusmodi iuris effectus 2. q 7. *can. nos incompetenter*, ergo, &c.

B

Dico secundò, *Soli Papę iure communi ac ordinario, licitum esse dispensare in irregularitate.*

Ratio est, quod iura refigere canonica, ea mitigare, aut tollere, nemini sit præterquam illi concessum, quæ enim agenda sunt cuique, quæ fugienda præstituunt, eaque auctoritate, cui cæteræ omnes, vt Episcoporum, & Sacerdotum, in procuranda salute communi populorum, sunt impares. At est omnis irregularitas, iure præscripta canonum, vt est in decretali Bonifac. *is qui 18. de sent. excommunic. in 6.* tolli hæc ergo ab Episcopis, iure communi ac ordinario non potest.

C

Dico tertiò, *Id eos tamen, facere Papæ facultate posse*, ita omnibus, quos sua virtus, cōsecutis temporibus ad gubernacula Christianæ Reip. euehet, data est à Concil. probante Pontifice, potestas dispensandi super omni irregularitate, proueniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, cæterisque quæ ad forum sunt deductæ contentiosum Trid. *sess. 24. cap. 6.*

D

Dico quartò, *Regularibus plurimis idem in hac causa, singulari Pontificum erga eos beneficentia licere, quod Episcopis.* Sane constat, Sixtum eius nominis quartum, indulsisse Patribus è familia S. Francisci de Paula, vt confessionibus sæcularium aurem dare, eos absoluere à censuris, cumque iis dispensare in irregularitatibus, ordinario reseruatis possent, *Compendium Mendicantium verbo Absolutio quoad sæculares* 2, *parag.* 20. Vega *in summa verbo Absolutio casu* 44. Quo illi priuilegio, si in causa sæcularium, vtendum sibi non credunt, quod est modestiæ, possunt tamen, tam concessione dicti Pontificis, quam Iulii secundi, à quo, id audere vt possent, tam circa sæculares, & Ecclesiasticas personas, quam regulares sui ordinis, Pontificio suo diplomate significatum esse posteris voluit vt scripsit Rodrig. *to. 1. qu. 61. art. 3.* Portelius *prima parte casuum casu 3.* qua eos facultate Romæ vti dixit Henriq. *lib. 7. de indulgent. ca. 28. parag. 5.* an autem ea similiter in Gallia

E

vti illos cum sæcularibus expediat, cum periculum scandali, iustæque offensionis Antistitum, aliorum esto iudicium.

Dicere hoc tantum placet, Prælatos regulares dispensare cum subditis posse.

Primo, in mutilatione membri voluntaria, occulta tamen, nec deducta ad forum contentiosum. Rodrig. *to.1.q.24.art.*10. Portelius *de dub. regularib. verbo Prælatus num.39. & verbo dispensare num.6.*

Secundo, per concessionem Eugen. quarti factam Cistercienſibus, possunt Generales, Ordinis sui professos, Nouitios, ac donatos, semel absoluere à quacũque inhabilitate, & irregularitate contractis, ante vel post ingressum religionis, etiam Papæ reseruatis, ex quacunque causa, dummodo eis pœnitentiam pro modo culpæ imponant salulatem, ac vtilem, Rodrig. *tom.1. quæst.*20. *art.*20.

Tertio dispensant in foro conscientiæ Regulares cum suis subditis, in omnibus, in quibus possunt Episcopi, Portel. *in addit ad verbum Abbas num.* 2. quam facultatem datam à Pio V. Prioribus Dominicanorum, ac Prouincialibus, & consequenter religiosis quibuslibet, qui voluntate Pontificis, iisdem ac illi, communione quadam beneficii, priuilegiis gaudent, tradit Rodriguez *in Bullario fol.*926. & Portelius proxime citatus, nominatim autem, hoc est peculiari ac proprio diplomate, fratribus S. Bernardi in Hispania, id permissum esse voluit Gregor. XIII. vt est in eorum *Compendio verbo Absolutio quoad fratres parag.* 11. per se autem, & non per alios facere id superiores oportere, adnotauit idem qui supra Portelius *in dubiis regular. verbo Prælatus num.* 2. *& in addit. ad verb. Abbas num.*2.

Quarto dispensant cum suis subditis in irregularitate, quam aborsus animati occulta procuratio, iis attulit, Vega *in summa tom.* 2. *disp.*15.*casu* 6. Villalob. *to.* 2.*tract.*12.*difficult.* 24.*num.*6. Hieronym. Rodrig. *in compend. qq. regularium resolut.*4.*num.* 6. & quanquam *num.*15. citatæ resolutionis, asserat cum Aloysio Vega, loco adnotato, non modo cum est occulta irregularitas ex prædicto abortu, sed etiam cum est manifesta, notoriaque fratribus in cœnobio, dispensare cum eis Prælatum posse, negant id tamen nec sine ratione cæteri, quod coerceri scelera grandia, quale est præsens, pœnarum acerbitate oporteat, non palpari facilitate ea remittendi, cum aliorum scandalo.

Quinto dispensant in irregularitate, cuius causa homicidium voluntarium extitit, modo occultum. Compend. *mendicant. verbo dispensatio parag.*24. Corduba *in commentar.* A *ad eundem parag.* Miranda *to.* 2.*qu.*80.*art.*10. *conc.*2. Portelius *verbo abortus nu.*10. Laym. *de irregular. cap.*9.*num.*7.

Ratio est, quod Martinus eius nominis V. vt est *in Compend. Mendicantium verbo dispensare num.*24. *& apud Rodrig. tomo* 1. *qq.*9.24. *art.*12. absolute in Superiorum iure esse velit, dispensare posse cum subditis, in irregularitate nata ex homicidio, at ista voce, quodlibet, id est tam quod casu, quam quod voluntate est admissum, comprehendi est certum. Vetus enim est, verum tamen axio- B ma canonici iuris, cuius etiam fit mentio in *lege non distingue dig. de recept.* distinctioni locũ nõ esse, cum eam lex nõ adhibet, at nulla Martinus est vsus, sed vniuersè, à Regularium prælatis, subditos suos absolui posse ait, ab irregularitate, cui ab homicidio factum esset initium, ergo tam quod est fortuitum, quam quod voluntarium, vox homicidii in eo priuilegio posita comprehendit, hoc tamen discrimine, quod à volũtario absolui regulares nequeant, nisi cum est occultũ, dispẽsari autem in irregularitate à se incursa valeãt, ex homicidio casuali publico, C aut defendendi sui causa admisso, coram & in multorum oculis, Rodrig. *to.*1.*q.*24.*art.* 13. *Compend. Diu. Hieronymi verbo dispensare in foro pœnitentiæ* §. 10. quo in genere, illustre est quod à Paulo tertio Religiosis S. Benedicti vallis Soleti indultum traditur, nempe vt *prima die lunæ quadragesimæ à singulis eorum peccatis, sententiis, censuris, & pœnis, per eos pro tempore incursis, etiam in casibus quomodolibet reseruatis, (exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini) absolui à superioribus suis possint, & cum iis super quibusuis irregularitatibus, per eos* D *pro tempore quauis occasione, vel causa contractis dispensare,* Rodrig. *fol.* 807. *Bullar.* quam potestatem delegare confessario possunt, tam prædicti superiores, quàm quilibet alii, cum iis in eo priuilegio communicantes, quia est iurisdictio, per Papæ priuilegium habita, ordinaria secundum Sanch. *lib.*2. *de matrim. disp.*40.*n.*14. Portel. *de dubiis in additionib. ad verbum dispensare n.*2. *& verbo Abortus num.* 12. ordinarios autem subrogare sibi certos posse homines, in quos potestatis suæ partem deriuent, notius est, quam vt explicari E à me debeat, nisi id priuilegiatis vetitum foret, vt prohibuit Pius V. Prouincialib. & Prioribus sui ordinis, nec enim in reconciliandis suis subditis cum Ecclesia per absolutionem censurarum, & dispensationem irregularitatis, in quo tantum eos posse voluit, quantum Episcopis per Concil. est permissum *in sess.* 24.*ca.* 6. modo id per seipsos, respectiue erga subditos duntaxat, facerent.

Et quoniam in his quæ conceduntur Episcopis,

copis, per Concilium, suntque Papæ reseruata communiter, continentur sequentia, Censuræ eæque numero tres, excommunicatio, suspensio, interdictum, secundo peccata reseruata, vt simonia in beneficiis, tertio irregularitas, quarto officiorum, vel beneficiorum iam obtentorum priuatio, quarto inhabilitas, qua quis, ob culpam eamque grauem, ad beneficia, aut officia obtinenda in posterū redditur inhabilis, hęc absoluere, aut in iis dispēsare similiter ac Episcopi, Prælati regulares, vi huius priuilegii, poterunt, dūmodo sint occulta, & non deducta ad forū cōtentiosum, quā ad rēduo sunt necessaria, primum, vt ad iudicem, saltem per vnum testem sint delata, secundum vt *hæc reo intimata sit delatio, nam si non sit intimata illi à iudice, non dicetur eius delictum, deductum ad forū contentiosum*, Portel. *in addition. ad verbum Abbas & Prior num.* 5.

At enim (inquies) inhabilitatis ad beneficia, & officia non meminere Patres in citata *sess.* 24. *Concil. cap.* 6.

Respondendum, eam suspensionis nomine intelligi, hęc enim lato modo (vt aiunt) impropriecque sumpta, & interdictum à locis sacris continet, Thesauro teste 2. *par. praxis verbo censura cap.* 2. & priuationes officiorum, ac inhabilitates, Rodrig. *in explicatione motus proprii Pij V. de ingressu mulierum in Monasteria virorum*, quare ad beneficia religiosi regredi, quibus sunt priuati, & rehabilitari ad officia, quibus iudicati sunt indigni, dispensante Prælato suo poterunt.

Sexto dispensant in irregularitate ex indecenti celebratione contracta, vt puta in suspensione, excommunicatione, &c. Portelius *de dubiis verbo dispensare num.* 9.

Septimo Generali, & Prouincialibus, permissum esse voluere Pontifices, dispensare cum subditis in pœnis incursis ob violationem Bullarum Apostolicarum, nisi eas sibi specialiter reseruauerint, quare si per eas sint prædicti regulares priuati honoribus ordinis, ac officiis eiusdem, eos rehabilitari posse per Superiores, post iniunctam factamque condignam pœnitentiam, habent Capucinus *in addition. ad compendium verbo Absolutio ordinaria quoad fratres fol.* 27. *ex priuilegio Minist. infirmorum* Rodrig. *to.* 1. *q.* 24. *art. vlt.*

Octauo, dispensant in irregularitate ex bigamia similitudinaria, quæ accidit, cum Regularis professus contraxit matrimonium, & cum fœmina, quanquā non sua legitima vxore, ob impedimētum voti, tale matrimonium irritū consummauit Rodrig. *loco proxime citato art.* 20. *& in Compendio societatis*, habetur eius Generalem Præpositum,

A cum subditis in Bigamia per priuilegium ea de re à Xisto quarto datum Carthusiensibus, dispensare posse, idem concessum Hieronymitis, vt est in eorum Compend. *verbo Ordines sacri parag.* 6. Deinde.

Nono, dispensant, cum corpore vitiatis, vt promoueri possint ad ordines sacros, dummodo defectus non sit notabilis, nec scandalum generet, Rodrig. *supra q.* 3. De la Cruz *de statu Relig. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 17.

Decimo, dispensare quoque prælatos posse in vera Bigamia cum suis subditis, imò & Confessarios quoslibet ordinis approbatos

B & expositos, tradunt Auila *par.* 7. *disp.* 7. *dub.* 4. *conclus.* 8. Henriq. *lib.* 2. *de matrim. cap.* 6. *nu.* 11. *in glossa litera Z.* idque eis licere aiunt per Sixti quinti priuilegium, de quo, & alio Rodrig. *in compend. qq. regularium resolut.* 6. *num.* 14. vbi sic habet.

Nota cum Portel. *in additionibus ad dub. verbo dispensare num.* 5. *quod Prælati Regulares, per quandam concessionem Pauli tertii, de qua in Bullario, possunt semel singulis annis, prima die*

C *Lunæ Quadragesimæ, dispensare cum suis subditis, in omni irregularitate quauis occasione, vel causa contracta, vbi nihil excipit, neque bigamiam, neque homicidium voluntarium, quæ solent excipi priuilegiis, vnde cum nec lex, nec Princeps distinguat, nec nos distinguere debemus, quæ sententia tanquam pia & probabilis potest in praxi teneri.* Hæc ille, eam confirmat, à Sixto quarto data par facultas Carthusiensibus, de qua fit mentio in Societatis compendio.

Vltimo, dispensant Benedictini Valisoletani, quique eorum priuilegiis fruuntur,

D cum subditis suis, in omni irregularitate, *quauis occasione, vel causa contractis, in quo non limitat*, inquit Portel. *de dubiis regular. in addit. ad verbum dispensare num.* 53. *si sit delictum publicum, vel occultum, nec excipit bigamiam sed in communi ait & absolute, quauis occasione & causa contractis, qua concessione cum ab aliquo successore* (Pauli scilicet III. à quo hoc priuilegium fuit concessum prædictis Religiosis) *non sit reuocata, videtur posse Religiosos vti, sicut iacet sine limitatione.* Hæc ille.

E

QVÆSTIO LIX.

An Episcopis dispensare in irregularitate nonnunquam liceat, & qua?

Dico primò, *In Episcoporū iure esse, dispensare in irregularitate, cui causa est ab homicidio, per se primo ab inferente non intento, & voliuo, sed casuali.* Assertioni huic fides est ab auctoritate Nauarri & ratione.

Est homicidium voluntarium, illicita hominis interfectio, intenta siue volita in se saltem æquipollenter, ob aliam causam, & finem, quam vitandæ mortis, Nauar loco citato, tunc autem æquipollenter (vt aiunt) cadit sub voluntatem, quando est intenta in causa, adeo propinqua morti, vt moraliter sit impossibile, eam causam velle, & nolle occidere. Sed Episcopis, quando & quoties est libitū, potestateà Conc. tradita, in Trid. *sess. 24. cap. 6.* dispensant in homicidio non voluntario, ergo & in eo, quod non ex proposito directo ac formali, sed indirectè tantùm & in causa est intentum.

Quæ opinio non est Nauarri tantum, sed Barbosæ *de potestate Episc. par. 2. allegat. 39. num. 42.* Bann. *in 2. 2. q. 40. art. 2. dub. 4.* de la Cruz *in director. 2. de irregul. lib. 9. conclus. 1.* Laym. *lib. 3. sect. 5. tract. 3. par. 3. cap. 12. num. 2.* Henriq. *lib. 14. cap. 14. parag. 1. litera N. & parag. 2. litera S.* quare dispensare cum iis Episcopi poterunt, qui cum imprudenter, & incaute, mulierem grauidam pulsassent, ei fœtus abigendi causam præbuere, cum iis item, qui cum seruo imperassent, hosti plagas vt aliquas imponeret (hoc tantum) eum tamen è medio iratus sustulit, Nauar. *supra nu.* 40. Similiter & cum eo, qui cum in publicum processisset, ne hosti pauidus videretur, aut irridendi sui, si domo pedem non efferret, populo materiam daret, repente inter eum, & illum exorta rixa, ne eius manu caderet, sua illum occidit.

Ratio est, quod eiusmodi homicidia non sunt simpliciter & perfectè voluntaria, sed ex casuali, voluntarioque mixta, secundum Diu. Thom. *2. 2. qu. 64. art.* 8. ergo cum sunt occulta, in indispensabilibus non sunt censenda, cum sub exceptione voluntarii homicidii, cuius à Trident. fit mentio, non sint contenta. Nauarr. *capite 27. numero* 240.

Confirm. fuit olim regularis quidam canonicus, qui ligone furem in capite percusserat, quo ex vulnere, aliisque à circunstante plebe, eidem inflictis, diem suum obierat, iudicatus ab Innocent. Papa tertio irregularis, eo quod, cum discerni non potest, ex cuius ictu quis interiit, *in dubio tanquam homicida, is qui plagam intulit, debeat haberi, & si forte homicida non sit, Sacerdotali tamen officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare, cap. significasti* 18. *de homicid.* Sed cum eo Sacerdote, dispensandum esse respondet Innoc. in proxime citata decretali, eo quod sine voluntate, animoque occidendi, fossorio ad ictum vsus erat, *& quod sine scandalo Sacerdotale officium posset celebrare.* Vera est ergo assertio

A in irregularitate, quæ ex homicidio per se non intento prouenit, dispensare Episcopis licere.

Dico secundò, *Idem illis quoque tentare liberum esse, cum est irregularitas ex mutilatione occulta membri, quamuis ex proposito facta,* vt declarasse Congregationem Cardinalium, scribunt Hurtadus *de irreg. diff. 20. n. 66.* Piasecius *parte 1. praxis cap. 1. art. 10. num. 7.* nam si est publica, remanebit in terminis iuris antiqui, vt dispensari ad minores mutilans possit. Hæc iste, cuius & Hurtadi testimonio ad- B denda est hæc ratio.

Nempe quod Episcopis concessa est irregularitatum omnium dispensatio, præterquam homicidii, bigamiæ, & defectus natalium, at ab homicidio, distincta est mutilatio, ergo in irregularitate, qua hæc mutilantem afficit, dispensare poterit Episcopus

Confirm. dispensare in irregularitatibus omnibus potest Episcopus, excepto homicidio voluntario, at mutilatio non est homicidium, nec pœnalia ex identitate rationis trahuntur ad similia, vt habet Glossa *in cap. 1. de temporibus ordination.* quare si erit mutilatio C occulta, in ea dispensabit Episcopus virtute Concil. & ita nobiscum sentiunt Barbosa *de potest. Episc. allegat. 39. num. 40.* Homobonus *de bonis in examine Eccles. par. 1. tract. 12. cap. 3. q. 10æ.* Tannerus *in 3. part. disp. 6. q. 10. dub. 11. num. 129.* Gauantus *in Enchirid. Episcop. Verbo irregularitas num. 108.*

Dico tertiò, *Cum est irregularitati initium ab homicidio occulto, ad propriam defensionem illato, sed cum excessu tamen aliquo, in seruando* D *moderamine inculpatæ tutelæ, tollere eam similiter Episcopo legibus Ecclesiæ esse integrum.* Ita Nauar. *cap. 27. summæ 240. & consil. 36. de homicid.* Laym. *lib. 3. tract. 3. sect. 5. cap. 12.* Hurtad. *de irregul. dificult. 20.*

Primo, quia tale homicidium primo & per se non est intentum, nec proinde simpliciter, & absolute voluntarium.

Confirm. cum de Sacerdote consultus esset, Innocent. qui ligone furem in capite repercusserat, dubiumque esset an iste tam hoc ictu, quam aliis, ei à rusticana plebe impositis, irregularis foret, respondit in hæc E verba: *Quamuis vim vi repellere omnes leges, & omnia iura permittant, quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam, non videtur idem Sacerdos à pœna homicidii penitus excusari,* quem tamen ab Episcopo reconciliari oportere Ecclesiæ, ac rehabilitari dixit *in decretali 18. de homicid. vt sic post pœnitentiam, ad cautelam iniunctam, possit in Sacerdotali officio ministrare,* quæ sunt ergo de irregularitate ab eo tollenda hic dicta, pro

veris

veris sunt habenda.

Confirm. Potest Episcopus dispensare in irregularitate, ex homicidio casuali contracta, ex dictis supra, *Sed homicidium censetur casuale, non tantùm quod est indirectè commissum, sed etiam quod est directè commissum, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, & etiam quod est commissum ex subita ira, quamuis directè & plenè voluntariè*, Hurtadus *de irregul. difficult. vltima num. 66.*

Causa est, quod occidens, primo & per se, necem non quærat inuadentis, sed defensionem sui, respectu cuius, mors illata est per accidens. Addidi *cum excessu* nam quæ clades expers est culpæ, cum nullam inducat irregularitatem, dispensatione non indiget, vt habent decretales duæ, prima Alexand. III. *in ca. lator 9. de homicid.* Innoc. III. altera *numero 13. eiusdem tituli.*

Dico quartò, *Religiosos parum scientes literarum ac gnaros, & eamobrem irregulares, ad Ordines sacros Episcopo dispensante, aspirare posse.*

Ab hac assertione stant hi viri, non opinione magis, quam re magni: Rodrig. *in Compend. qq regularium resolut. 52. num. 22.* Diana *de irregularit. parte 4. resolut. 74.* Peirinus *de religios. Prælat. q. 3. cap. 7. num. 20.*

Ratio est, quod cum illi curam animarum non habeant, nec sint habituri, non videtur in iis tanta eruditio exigi, quanta in sæcularibus, quos administrandis Sacramentis sæpe præfici, Episcoporum prouidentia, curaque est certum. Ego sane, eos à Sacerdotio remouendos non crederem, maxime si dispensatio accedat Episcopi, cum canonem intelligunt, ac rubricas, quæ sunt de Missę sacrificio, in Missali Pontificum auctoritate positæ.

Peirinus loco citato, & Bariola *in Aphoris litera R. Verbo regulares ad Ordines*, satis esse aiunt, si legere norint & canere. Ac si cum iis dispensare Episcopi noluerint, sufficit eos à Prælatis suis mitti cum literis, quibus doceant à se examinatos esse, idoneaque ad ordines literatura instructos videri, Diana *par. 2. tract. 16. resolut. 29.* nam si Episcopi, sæcularibus, quibus Clericos de doctrina examinandos committunt, fidem adhibent, cur eam Regulari in pari causa negatum irent?

Dico quintò, *In Bigamia quoque reali, quando est hæc occulta, magnaque instat animæ necessitas, estque periculum scandali futuri, nisi Bigamo consulatur, Episcopum dispensare cum eo posse*, ita affirmandi dux mihi ac auctor Portelius *parte 1. casu. 3.*

Sit pro exemplo vir quidam, qui cum procul ab ea prouincia degeret, quam modo in-

A colit, & in qua domicilium sibi ac rebus suis constituit, duas sibi virgines copulauit vxores, quibus fato functis, bona se fide, ordinandum Episcopo obtulit, impedimenti sui ad suscipiendos ordines, occasione Bigamiæ nescius, de hoc homine contendo, ei ab Episcopo facultatem concedi posse, vtendi ordine suscepto sacerdotii, cum hac Bigamia.

Primo, quicquid Pontifici in vniuersa Ecclesia, ad animarum bonum & commodum, ius naturale ac humanum vult concessum,

B id Episcopo in sua Diœcesi, cum est necesse, nisi Papa sibi id speciali sanctione reseruauerit, tentare ac facere est permissum. Sed pro casu præsenti facit necessitas, periculum scilicet amittendæ famæ, ac opinionis, quam de sua virtute, vitæque innocentia, præclaris suis factis, apud plebem obtinuit, si à dicenda Missa prædictus Sacerdos, diu cum populi offensa abstineat, in eam enim venire mentem poterit, quidpiam in eo subesse culpæ, quamobrem ad sacra Missarum solennia pro cæterorum mo-

C re, non nisi raro, ac infrequenter, audeat accedere.

Et quanquam ab ordine repellatur Bigamus *in cap. nuper, & cap. extremo de Bigamis*, & à Concil. Nicæno vt est *in epistola D. Ambrosii 82. in can. 2. Concil. Arelat. tertij sub Leone primo, in can. primo Concil. Romani sub Hilario, Hispalensis secundi circa tempora Honorij & Sisebuti Regis canone 4. & Apostolorum 17.* vbi *si quis post baptisma, secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, vetatur Episcopus esse, vel Presbyter, aut Diaconus, aut*

D *prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deseruiunt*, si hæc tamen statuta vim suam omnem, ea seueritate qua sunt concepta, in istum exercerent, de quo fit in quæstione mentio, in apertum eius exitium haud dubie cederent, cum perpetuò sacris eum altaribus carere cum famæ suæ detrimento esset necesse, aut certe non modico tempore; nempe dum Roma istius impedimenti dispensatrices venirent literæ, quod quam à Christi Romanique Pontificis benignitate

E absit, in eorum opinione relinquo, qui potestatem condendarum legum, datam ei ad Catholicæ plebis commodum norunt, nullo modo ad exitium, fidem ergo omnem superat, velle Pontificem, in hac istius Presbyteri, de quo nobis est sermo, necessario tempore, Episcopo facultatem omnem ademptam esse, dispensandi in eius impedimento.

Secũdo qui canones contra Bigamos, sunt à Conciliis, aut Romanis Episcopis scripti, eos à suscipiendis ordinibus prohibent, nullo modo à susceptorum vsu, in eos ergo non

committit Episcopus; si ordinato cum impedimento Bigamiæ, ordinum suorum vsum patiatur aut velit esse liberum.

Tertio, in Papæ, conciliorumque legibus, dispensare potest Episcopus, cum est necesse, nec facilis est in vrbem, Papamque transitus, ita culpas lethales, graues & acerbas, quas vti sui iuris in Bulla Cœnæ sibi Pontifex seponit, in necessitate, pœnitenti condonat Episcopus, secundum doctrinam Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 16. num. 1. & cap. 9. num. 7.* similiter cum res, temporaque exigunt, nec facilis est ad Papam recursus, dispensat in impedimentis matrimonii, vt notarunt Sanch. *lib. 2. de matrim. disp. 40. num. 2. & sequentib.* Coninch. *de Sacram. matrimonii & alii.* Sed res hæ ambæ faciunt pro Sacerdote, de quo est quæstio, ergo ei concedi per Episcopū poterit, vt in suscepto ordine ministret, eaque præstet omnia, quæ facere Sacerdotibus est in more.

Hanc opinionem tenuit in re dispari Antoninus Diana, huic enim quæstioni, an Episcopus possit in aliquo casu dispensare cum irregulari ex homicidio occulto, vt ministret in susceptis ordinibus, respondet posse, cum est periculum scandali, nisi ministrauerit, *aut difficilis est ad Papam recursus ob inopiam, vel distantiã, & hoc ex eius ordinaria potestate, aut ex tacita eius commissione*, quod non sit verisimile, Papam in tanto, tamque certo animarum discrimine, dispensationem hanc sibi tũ reseruatam esse velle, Diana 4. *parte tract. de irregular. resolut.* 100. & expresse Sanchez *de matrim. lib. 7. disp.* 86. *num.* 14.

Extra necessitatem, de qua proximè non dispensat Episcopus in Bigamia vera & reali, sed solus Papa *cap. vnico de Bigamis in 6.*

Quid si sit interpretatiua, eaque occulta? Censet hanc Piasecius *in praxi Episc. par. 1. ca. 1. art. 10. num.* 11. ab Episcopo dispensari non posse ad vllos ordines, Suffragantur. Nauar. *in manuali cap. 27. num.* 197. Suar. *de censur. disp. 49. sect. 6 num.* 8.

Ab iis dissentiunt Syluest. *in ver. bigamia q.* 6. Præpositus *in 3. parte q. 5. de irregul. dub. 7. num.* 338. his verbis: *Non est*, inquit, *improbabile quod possit dispensare Episcopus in irregularitate quam contrahit, is qui cognouit vxorem postquam adulterium commisit cum alio, etsi adulterium vxoris sit occultum, quia talis irregularitas oritur ex delicto. Item in ea quam contrahit Sacerdos, qui post mortem vxoris, legitime existens in sacris, tentat aliam in vxorem accipere, quia etiam hæc irregularitas oritur ex delicto, idque etiamsi conetur contrahere cum vidua, nam cum matrimonium sit irritum non inducit irregularitatem ex defectu significationis, sed ex peccato.* Hæc ille, qui cum Sanchez *lib. 7. de matrim.*

A *q. 84. & disp. 86. num* 4. existimat in eiusmodi casibus Bigamiæ, quando est occulta irregularitas, Episcopum dispensare posse ad suscipiendos ordines tam sacros, quam non sacros, eosque cum suscepti sunt exercendos, cuius & aliorum opinio *admitti potest quoad vsum susceptorum, sed non ad accipiendum nouos*, (inquit Nauar. *cap. 27. num.* 19.) Quorum vero vsum? minorum (inquit idē) quod negant tamen alii vt Suar. & Piasec. sed sine causa, vt videtur, quare eorum mihi sententia, priori postponenda videtur.

Dico sextò, *Episcopum dispensare posse cum*
B *irregulari, ex homicidio occulto casuali, tã ad minores ordines, quam eorum vsum, beneficiumque simplex*, Henriq. *lib. 14. cap. 14. num 1. & 13. cap. 57. num.* 1 Sylu. *verbo homicidium 3. qu. 8.* Laym *lib. 3. sect. 5. tract. 3. parte 3 num. 3.*

Addit Nauar. *cap. 27. summæ num. 240. parag. quarto nota*, irregulari ex huiusmodi homicidio casuali, indirecte voluntario, permittere posse Episcopum, vt benef[ici]um curatum iam obtentum retineat, sed non vt nouum acquirat.

Ratione hac maxime niti hi auctores so-
C lent, quod per Concil. non sit Episcopis adempta facultas ea, qua gaudebãt ante illud, sed vt est *in ca. 2. de Clericis in duello pugnantib.* cum homicida *circa habendum beneficium, poterat misericorditer ab Episcopo dispensari*, decreto Cœlest. III. ergo & modo.

Ex vi tamen huius canonis, aut priuilegii concessi in Trident. non potest Episcopus, sibi ius ac potestatem vendicare, dispensandi cum Iudice, Aduocato, teste, aut milite, qui in bello iusto stipendia meruit, & forte occidit, nec super irregularitatibus, quas
D contraxere hi omnes, procuranda iusta morte nocentium in foro, aut hostium in bello, Nauar. 27. *summæ num.* 294. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 16.

Causa est, quod Episcopi potestas in dispensandis irregularitatibus, reuocetur à Concil. ad casum, in quo ex delicto occulto, irregularitas prouenit, cuiusmodi non sunt eæ haud dubie, quæ Iudicis, Aduocati, & militis sunt propriæ, cum sit in laude Iudici, vitia è Republica exigere, eorum auctores plectere, militi autem, iustas de hoste pœ-
E nas repetere, accusatori, reo litem intendere, testi pro veritate testimonium non fallax, ac captiosum dicere.

Cuius ergo futurum est hoc munus? cui demandanda prouincia dispensandi cum hoc hominum genere, si quando, eos capido sacrorum Ordinum incesserit?

Regularium, si per Pontificem illis licuerit super omni irreglaritate dispensare, præterquam in ea, quæ ab homicidio voluntario,

rio, vt causa oritur, Caiet. *verbo irregularitas in fine*, Suar. *de censur. disp. 47. sect. 6.* Caietani sunt hæc verba: *sciant priuilegiati in dispensatione irregularium citra homicidium voluntarium, posse se dispensare in omnibus casibus occisionis humanæ, in quibus non interuenit crimen homicidij, scito autem, quod appellatione irregularitatis homicidii voluntarii, non venit irregularitas propter occisionem in bello iusto, aut iudicio iusto, quoniam vbi non interuenit homicidium ibi non inuenitur irregularitas homicidii, quando autem homo iuste occiditur, non committitur homicidium, quoniam homicidium, non significat occisionem qualemcunque, sed iniustam*, est hæc ergo Caietani ac nostra ratiocinatio.

Homicidii voluntarii nomine, intelligitur tantum occisio iniusta, at talis non est rei in foro, hostis in bello iusto, ergo in irregularitate quam iusta clades Iudici affert, eiusque ministris, dispensare regularis poterit, si Papa in priuilegiis ordini concessis, homicidium duntaxat voluntarium exceperit.

Induxit in eam mentem hæc ratio Doctores non paucos, vt crederent, Episcopis id quoque per Conc. permissum esse: *Liceat*, inquit, *Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & aliis exceptis, deductis ad forum contentiosum dispensare.* Sed non vident, istorum iura, potestatemque, ad delictum restricta esse, ergo cum Iudex, Aduocati, & testes, culpæ sint in suarum ministerio functionum expertes, beneficio ibi concesso Episcopis, gaudere non poterunt.

Est tamen contraria opinio, Doctorum numero probabilis, cuius sunt hi patroni, Barbosa *de potest. Episcop. parte 2. allegat. 39. num. 47.* Molina *in summa parte 1. cap. 12. parag. 12.* Nauar. *Enchirid. 27. n. 140.* indicant eius verba, initio huius quæstionis posita, Rodriguez *in Compend. qq. regular. resolut. 81. nu. 3. Campanil. in diuersit. iur. can. rubr. 11. cap. 23. n. 138.* Diana *parte 4. tract. 2. de irregular. resol. 70. qui resolut.* 100. addit, Clerico in sacris ordinibus constituto, irregulari tamen, eo quod bello iusto interfuit, permitti posse ab Episcopo, proprium ordinum officium vt præstet, ac beneficium sibi modis licitis comparet, ne mendicare in ordinis probrum ac contemptum, rei domesticæ pressus angustiis cogatur, pro qua opinione citat Mercerum *de Sacram. in 3. part. Diu. Tho. q. 24. dub. 9. num. 1.*

Quod autem de Regularibus proxime diximus, eorumque facultate ad dispensandum in irregularitate, maximè locum habet cum in eorum priuilegiis mentio facta est

A homicidii absolutè sumpti, & sine addito, vt est in priuilegiis societatis. Nam vi huius priuilegii, Religiosi dicti ordinis, possunt absoluere à iusto homicidio, quod fit vi legum, quia in facultatibus à Papa concessis, voces accipiendæ sunt propriè, maxime eo tempore, quo earum propria acceptio magis est fauorabilis, atqui homicidium iustum, proprie non est homicidium, vt ex D. August. docet Diu. Thom. 1. 2. *quæst.* 88. *art. 6. ad 3.*

Confirm. Irregularitas quæ oritur ex homicidio iusto, non oritur proprie ex homicidio, neque ex delicto, sed defectu solo lenitatis, qui defectus proprie non est homicidium, ergo irregularitas ex defectu lenitatis proueniens, non continetur sub reseruatione homicidii, Viuald. *in candelab. tract. de irregular. num.* 217. Armilla *ver. Irregularitas num. 3.*

B

Septimò, cũ eo qui ideo factus est irregularis, quod male ordines susceperit, aut non habitos vsurpauerit, dispensant Episcopi, vt in ordinum ante acceptorum officio permaneat, non tamen vt ad maiores ascendat Vrbanus III. *in cap. ex literis 2. de Clerico non ordinato ministrante*, Gaugericus *comment. ad Caiet. summam verbo irregularitas, versu quis in irregularitate possit dispensare.*

C

Octauo, cum eo qui ordinis actum exercẽdo, interdictum generale, aut speciale locale, aut personale violauit, sepeliendo, administrando Sacramenta, aut celebrando diuina officia, dispensat Episcopus *non ad ascendendum ad maiorem ordinem, sed ad vtendum accepto*, Nauarrus *in manuali cap. 27. nu. 243. sub finem.*

D

Nonò cum eo, qui furtiuè suscepit ordines, si id facere, non fuerat sub anathemate prohibitus, dispensat Episcopus ad Sacerdotale officium, *si vero interminatio anathematis super hoc facta est*, monendus est, *vt in aliquo Monasterio, aut canonia, habitum suscipiat regularem, cui ex quo in habitu illo, aliquanto tempore fuerit laudabiliter conuersatus, poteris*, inquit Alexand. III. *in decretali veniens 1. de eo qui furtiue ordinem suscepit, misericorditer prouidere, alioqui nulla ratione concedimus eum ad Sacerdotalem ordinem promoueri*, quare qui contra Episcopi iusta imperia, prohibentis ante inchoatam ordinationem, sub pœna excommunicationis, ne quis non approbatus ordinem susciperet, ad eum tamen accessit, Romam est mittendus, vt à Papa irregularitatis à se sic contractæ dispensationem obtineat, Rebuff. *in praxi beneficiar. in regul. de Clerico male promoto Glossa* 4. Piasec. *in praxi Episc. par. 1. cap. 1. art. 10. num.* 8. qui tamen *ad religio-*

E

nem aliquam voluerint se transferre, & peracta pœnitentia, pro arbitrio Episcopi eis iniuncta, ibidem laudabiliter fuerint conuersati, processu temporis, cum eis poterit de Papæ licentia dispensare, vt postmodum susceptorum ordinum executione lætentur. Cœlest. III. *in cap. innotuit extremo de eo qui furtiue ordinem suscepit.*

Decimo, cũ eis qui ignoranter ordines suscepere ab Episcopo excommunicato, hæretico, suspenso, degradato, tam in susceptis quam suscipiendis dispensat Episcopus *cap. vltimo de ordin. ab eo qui renunc. Episcop.*

Vndecimo, cum Religioso à Religione Apostata, minores ordines suscipiente, si tamen habitum non deposuit, dispensat Episcopus *cap. 2. vt periculosa ne Clerici vel Monacci in 6.*

Duodecimo, dispensat cum illegitimo ad minores, & simplex beneficium, *cap. finali de filiis Presbyteror. & cap. 1. eod. tit. in 6.* Claudam hunc locum breui, sed vtili & ad hunc locum pertinente Piasecii sententia, loco proxime citato *num. 14. Regulariter tenendum est, in omnibus irregularitatibus Episcopum dispensare posse, quoad minores ordines, & simplex beneficium, præterquam in Bigamia* (quæ tamen an sit à cæterarum eximenda numero, non pauci dubitant) *& homicidio voluntario.* Hæc ille.

Et hæc dicta sunto de priore modo, quo desinit Irregularitas, nempe auctoritate Pontificis, & Episcopi, beneficioque ac opera regularium, qui ad id ex priuilegio Pontificis, potestatem sunt nacti necessariam.

Irregularitatis tollendæ modus alter est per Baptismum, quanquam non omnis ante eum susceptum contracta, eius beneficio, operaq; abstergitur, nam quæ à bigamia, seu defectu Sacramenti, vitio corporis, animi, ac natalium ortum habent, hæ eo suscepto remanent, *can. si quis viduam 13. dist. 34.*

Abolentur hæ duntaxat Baptismi aquis, quæ sunt ex delicto, quo nomine homicidium quoque intelligendum esse, docuere Villalob. *to. 1. tract. 21. difficult. 7. num. 2.* Dicunt alii irregularitates omnes, præter eam quæ est ex bigamia, Baptismo remoueri vt Fœlician. *c. 11.* Sylu. *verbo Baptismus,* Honor. *in Cõpendio iuris canon lib. 5. tit. 39. nu. 111.* vbi sic ait. *Tollitur Baptismo omnis irregularitas, etiam ex homicidio contracta, præterquam ea quæ contracta est ex defectu Sacramenti.*

Contra sentit Hurtadus, sic enim ille loco citato, *Ob eandem rationem Iudex, aut miles qui ante baptismum contraxit defectum lenitatis, occidendo, aut mutilando, fiunt post baptismum irregulares,* quia post baptismum perseuerat defectus lenitatis.

A Hæc me ratio impellit vt credam, per baptismum irregularitatem non tolli, quæ est contracta per delictum, cui infamia iure est annexa, vt est crimen maiestatis, nam facere baptismus nequit, ne quis iuris infamia sit affectus, si tamen esset hæc iure annexa officio, illudque exercuisset non baptizatus, inter non baptizatos, vt hæc pro nihilo habenda foret inter Christianos, si apud illos, peræque ac Gentiles tale officium infame non esset, ita censeri debet aboleri ac cessare per baptismum, Suar. *disp. 48. sect. 2.*

B Quænam ergo, inquies, contracta ex delicto irregularitas, per baptismum tollitur? Quæ oritur ex delicto cui non est infamia iure addita. Hurtad. supra *num. 4.*

Tertio cessant irregularitates bene multæ, per professionem in religione, ac dispensationem Prælati, & quidem de vitio corporis, atque bigamia, dictum est supra, in qua dispensare eum posse, tenent Auila *de censuris parte 7. disp. 7. dub. 4. conclus. 8.* Henriq. *lib 2. de matrim. cap. 6. num. 11. in Glossa litera Z.* imo & hoc à quolibet Ordinis confessario fieri posse validè, ex priuilegio Sixti V. (C) habet P. Corneio *in 3. parte* Di. Thom. *tract. 5. de irregular. disp. 10. dub. 1.*

Legitimari quoque quoad ordines suscipiendos, ac susceptorum vsum per professionem, nemo est qui non asserat, post priuilegium Greg. XIV. de quo Barbosa *de iure Pontif. lib. 1. cap. 42. num. 290.* Est & aliud isto longe prius tempore, Patribus Congregationis S. Ioann. in Portugallia, ab Eugen. IV. concessum, in quo asseritur, *admissum ad* (D) *professionem inter illos, si defectum natalium habet, ipso facto censeri dispensatum, non solum ad ordines, sed etiam ad omnia solita gubernari per fratres illius Ordinis, Prioratus, Præposituras Rectorias, aut officia se inuicem compatientia. Compend. fratrum S. Ioan. Euang. fol. 9. parag. 1.* In cuius communionem an religiones cæteræ veniant, non est facile dicere, ex eo certè fructum sibi aliquem, præterquam ad ordines sacros, deriuari Minoritæ nolunt, cum ad præfecturas ordinis, neminem ex copula natum illicita, admittant, itaque Generalis, Prouincialis, Guardianus, Conuentus Vi- (E) carius, Definitor, Discretus, seu Procurator ad Capitulum Generale, aut Prouinciale, esse inter eos duntaxat hi possunt, de quorum origine, natalibus, ac genere constat, dubiæ stirpis ac incertæ homines, ab his magistratibus excluduntur.

Dixi *per professionem* nam qui ea non emissa, remigraret ad sæculum, aut qui nullam fecisset ac irritam, ad ordines, Papa non dispensante, admouere animum, aut iis ab Episcopo ornari non posset, Riccius *in praxi to. 1.*

resol.

*resol.*311. Barbosa *in collect.to.*1.*lib.*1.*tit.*17.*cap.* 1.*num.*9.

Causa est, quod irregularitatis istiusmodi cessatio, effectus sit veræ professionis, ac validæ, sed quæ professio, inanis fuit ac nulla, quæ Episcopi authoritate ac sensu, in irritum abire est iussa, vera nunquam fuit ac valida, ergo, &c.

Neque id modo est necesse ad abstergendam maculam, quam culpa nulla sua, sed parentum, famæ suæ, ac nomini Regularis aspersam habet defectu natalium, oportet insuper, vt in ordine vitam agenti, ex præscripto regulæ, Prælato approbante ac iubente, locus ab Antistite inter sacros Ecclesiæ ministros, ordinis sacri collatione detur, nam qui emissis tribus votis substantialibus, per quæ verè Religiosi simus, Gregorio XIII. teste ac iudice in Bulla cui initium est, *Ascendente Domino in nauiculam*, è societate, ex causa ante susceptos Ordines dimittitur, hic si natalium laborat infamia, priuilegio Ordini concesso excidit, nec nisi ea purgata deletaque, dispensatione noua Pontificis, ordinari potest: quia vt habet, Turrian. *de censur.lib.*9.*disp.*71 *dub.* 2. *prædictus fauor, concessus videtur iis, qui ita sunt Religiosi, vt in eo statu suscipiant ordines.*

Quid? quod è societate manumissi, necdum sacro Ordinis charactere insigniti, in ordinem redigantur sæcularium? quod nulla votorum lege astricti hæreant? quod amodo suo nutu, arbitrioque viuere queant? quo eos in statu propriis religiosorum priuilegiis gaudere, quis credat?

Habet tamen opposita opinio suos patronos, Barbosam *de iure Pontificio lib.* 1. *cap.*42. *num.*191. *Sanctarell. & Suarez*, quæ si est vera, vt è societate eiecti homines, in irregularitatem, ex natalium vitio contractam, quasi postliminio non redeunt, quia hęc fuit priuilegio ordinis sublata, ita sine nouo vllo Papæ commeatu ac facultate, ordinari possunt.

Scire quis hic auebit, an sola hæc irregularitas, professione regulari ac canonica cesset, an aliæ quoque in eandem sint classem includendæ?

Qua de quæstione iudicii quid Sotus haberet, expressit his verbis: *in* 4. *dist.* 25.*qu.*1. *art.*3. *Mos in Religionibus seruatur, siue iure communi siue consuetudine, siue priuilegio obtentus sit: vt per professionem, omnis irregularitas, quantum ad ordinis susceptionem aboleatur, præter illam, quæ ex homicidio voluntario & ex bigamia contrahitur, non autem quantum ad prælationem.* Ei sunt in hoc causæ genere aduersati Auila *disp.*10.*dub.*3. Henriq. *lib.*4.*cap.* 8. *numero* 10. *litera X.* abdicatione sæculi, per pro-A fessionem vitæ religiosæ, irregularitatem quæ est ex natalium defectu tolli, præterea nullam, quibus eo assentior libentius, quod pro se prisci æui sensum habeant, literis testatum, in Pictau. Concilio à quo desumptus est canon primus tituli *de filiis Presbyterorum ordinand. vel non*, præscriptus his verbis: *Vt filij Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati, ad sacros ordines non promoueantur, nisi aut Monachi fiant, vel in congregatione canonica viuentes, prælationes vero nullatenus habeant.*

B Quarto, cessat irregularitas cessante eius causa, exempli causa, sunt irregulares qui ætatem non attigere, ad ordines lege canonica necessariam, irregulares, qui eruditione non sunt instructi, quantam exigunt sacra sacrorum hominum ministeria, fac eos vt annis & robore, sic & eruditione crescere, hoc ipso irretiti esse desinent irregularitatis vinculo.

Quinto, desinit irregularitas, Episcopi dispensatione, in casu necessario, qualis est eius, qui ob factum homicidium, dedita operà ac consulto, à sacris repulsus est altaribus, C & tamen ne de hæresi, aut peccato aliquo graui sit suspectus, celebrare debet, hic si Romam petere, aut eò propter inopiam mittere nequeat, qui inde ministrandi in ordine sacro, facultatem sibi reportent à Pontifice, dispensare cum eo, vt susceptis fungatur ordinibus, Episcopo ex tacita Papę commissione, tunc est integrum, Sylu. teste *verbo dispensatio num.* 15. Auila *par* 7. *disp.* 5. *dub.* 3. *conclus.* 1. Addit Laym. *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.*3. *par.*3. *cap.*12. qui hoc modo est irregu-D laris, posse post peractam pœnitentiam, Episcopo ante non rogato, aut dispensante, celebrare, quoties absoluta necessitas postulat, ad vitandam infamiam, aut aliud graue periculũ, pro qua opinione citat Alfonsũ à Castro *lib.* 2. *de lege pœn. cap.*15. Gutier. *lib.* 1. *canonicar. qq. cap.*13. *num.* 21. & alios, quam opinionem vt probabilem defendi posse, cum de Bigamo ordinato in hac quæst. agerem, Doctorum authoritate ac testimonio fretus, dixi.

E Addo, vtrique ex probabili quorundam sententia iniungendum, vt dispensationem ex vrbe, suæ sibi irregularitatis procurent quam citissimè, eo quod *Episcopus*, vt aiunt, *non simpliciter irregularitatem adimat, sed solum eius effectum, suspensioni similem, vt nimirum celebrare liceat, interim dum culpa, & defectus occultus manet, & donec à Papa dispensatio impetretur*, Laym. *num. extremo.*

In quo, ei ne assentiar, abducor ab hac causa.

Quod tam absolutio à culpa, quam dispensatio à pœna, eius authoritate data, cui

reseruata est vtraque, absolute & simpliciter sit rata, nec à futuro euentu pendens, aut noua dispensatione Papæ indigens, patet in ea quæ est de impedimentis, cum quibus est contractum matrimonium, his enim per Episcopum, in casu necessitatis dissolutis, iterato non est eorum petenda à Pontifice dispensatio, accepta ab ordinario, ambos coniuges extra peccati periculum in tuto locat, ergo quæ ob causam infamiæ, vel periculum graue quod metuitur, si Missa ab irregulari non celebretur, ac fiat, difficultates itinerum, ac cætera, quæ aditum ei ad Pontificem, si non præcludunt, molestum tamen, alearque plenissimum efficiunt, quæ (inquam) datur ab Episcopo irregularitatis remissio, absoluta est, & simplex, nec à Papa iterato expetenda.

QVÆSTIO LX.

Dispensandi in irregularitate forma adhibenda quæ, & qualis.

CErtam nullam vidi hactenus, nec in iure esse puto, verbis præscriptam determinatis, ac propriis aliquam. Sufficit ad officium viri boni, dispensantem mentem suam iis exprimere vocibus, quæ cuique indicent, constitutum sibi esse ac certum, irregularitatis laqueum, quo is vinctus tenetur qui ab eo liberari ac eximi postulat, authoritate qua pollet, soluere Adhibentur hæc tamen communiter, *Dispenso tecum in irregularitate quam contraxisti ob tale delictum.* Interdum sufficit si signo, nutu, aut verbo vnico, indicet Episcopus, id vere se velle, nec gratius accidere sibi quidquam posse, quam postulata facere, itaque si oblato sibi libello supplici, in quo irregularis ab irregularitate petat eximi, ac benigne secum agi, respondeat Episcopus placere id sibi his vocibus *Volo, Fiat, celebret, ordinetur, reconcilietur Sacramentis Ecclesiæ,* quid amplius exigere irregularis, ad culpæ fugam, nexusque canonici solutionem quo stringitur, cogitanti mihi non occurrit, indicant hæc enim Episcopi animum, ac cum eo dispensandi voluntatem, ac desiderium.

Quanquam nec verbis, aut literis ad hanc rem est opus, satis est, Episcopo annuente, ac conscio, ea ab irregulari fieri, quæ illi lege non sunt Ecclesiæ licita, aut ab eodem isti imperari, vt quæ ei sunt prohibita faciat.

Dispensat ergo cum irregulari Episcopus, id ei concedendo, à quo eum irregularitas submouet, vt si per se licere, integrumque esse dicat in id incũbere, cui per irregularitatem, ei vacare non licet, habet enim vim A eandem hæc operis faciendi concessio, ac si verbis dicta esset, cum dispensandi animum perinde ac verba significet, idem est de imperio quod irregularis, recipit, in ea incumbendi munera, quæ ei irregularitas prohibet, eo quod tale imperium, dispensationis instar habeat, cũ sit perinde, ad opus authoritate Superioris adigi, ac ad illud, per eundem dispensari.

In quo tamen ne quid peccet, ei duplex est adhibenda cautio.

Prima, vt non nisi re discussa, cognitaque B irregularitatis incursæ causa, in ea dispẽset, est enim Episcopus iudex, at hunc sententiam incognita causa dicere, nec decet, nec licet. Deinde tempora incidere possunt, cum irregularitatem remitti non oporteat, ne qui eam contraxit, officio restitutus ac Sacramentis Ecclesiæ per Episcopum, insolescat, ne ergo temere quidpiam, ac imprudenter fecisse in hoc genere videatur Episcopus, prius de re vniuersa, causaque dispensationis dandę, quæstionem iudice se ac arbitro, in animi sui tribunali instituet, vt quid ab eo officium postulet quid publica, priuC ataque caritas, intelligat.

Secunda nunquam irregularem, irregularitatis contractæ nexu, liberum à se abire sinet sine pœnitentia: id enim Pontifices, id Ecclesiæ leges, id praxis ipsa, longo sæculorum firmata vsu exigit, nec Roma literæ ad nos vllæ dispensatrices huius vinculi veniunt, quæ pœnam irregulari *aliquam non* imponant, aut imponi *ab Episcopo*, vel Ordinario iubeant, hæcque est causa altera, cur non nisi cognitione præuia, cum irregulari dispensare oporteat, vt enim culpæ par esse D pœna debet, æquari autem nequeat, illa, eiusque natura plene non perspecta, aut personæ, conditione, à qua est admissa, statu, ac moribus, ad ea omnia, singulaque dispensaturus Episcopus, oculos ac animum intendet, vt ad æquitatis, prudentiæque normam exacta pœnitentia, ipsi laudem, irregulari salutem afferat. Quam ad rem vtile in primis est, ac necessarium, vt si irregularitas illum multiplex afficit, de omnibus EpiscoE pum commonefaciat, nam si hic ab vna duntaxat eum liberet, nec officium irregulari præstare, nec ei, rei diuinæ admouere animum sine culpa erit integrum.

Secus sentirem ac dicerem, si quod vsu venit in Religiosorum sacris cœtibus, dispensatio generalis foret, non vnam irregularitatem modo, sed omnes complectens, hac dispensandi communi forma. *Dispenso tecum in omni irregularitate*, qui enim omnem vult abstersam ac deletam esse, nullam excipit, ab omnibus eum eximit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO LXI.

Quænam excusent ab Irregularitate.

ASsertio prima, *Excusat primo metus non quilibet sed grauis, qualem Sacerdoti Princeps imponeret, si hunc cum excommunicatione cognita celebrare, vel sine ea, ante excommunicatum denunciatum id eum facere cogeret metu mortis, certo sibi subeundæ ni pareret, aut si hæc non incutitur, celebrare tamen ad vitandum scandalum est necesse,* Henriq. *lib.* 14. *cap.* 7. *num.* 6. Nauarrus *Enchirid. cap.* 27. *num.* 231.

Causa est, quod fidem omnem superet, Ecclesiam qua nihil est mitius, tam acerbe, nos ac durè habere velle, vt decreta obseruari sua, legesque, cum vitæ, famæque detrimento oporteat.

Assertio secunda, *Ab ignorantia inuincibili malitiæ annexæ actui, propter quem pœna Ecclesiastica incurritur, habet operans, ne irregularitatem ex delicto nasci solitam contrahat,* Sanchez *lib.* 9. *de matrim. disp.* 32. *num.* 16.

Ratio est, quod quę irregularitas ex peccato oritur, causam sui non habet aliam quam mortalem, sed actio facta cum ignorantia inuincibili malitiæ quam habet, scelere caret.

Maior probatur, pœna esse debet par culpæ *cap. fœlicis de pœnis in* 6. *& cap.* 2. *de iis quæ fiunt à maiore parte capituli*, his verbis: *pœna non est vlterius protrahenda, quam delictum fuerit*, sed esse irregularem est pœna, eaque maxima, non est ergo inducenda, vbi deest culpa.

Dixi *ex delicto* quæ enim irregularitas nō tam culpam, quam factum sequitur, hæc ob solam duntaxat indecentiam, defectumque significationis subitur, & proinde sine noxa & hanc constat, data ignorantia qualibet tam iuris, quam facti contrahi: Caietanus 1.2 *q.* 76. *art.* 6. Syluest. *verbo ignorantia qu.* 8. *dicto* 8. Causa ita affirmandi duplex.

Prima, ratio incurrendæ irregularitatis in casu indecentiæ, ex significationis defectu, ordini necessariæ petitur, at hæc deficit, tam quando res fit vitiose, quam cum sine vitio, vt patet in irregularitate ex defectu natalium, aut bigamiæ, quid enim peccauit illegitimus? quid bigamus? & tamen ambo sunt extra regulam, ambo incapaces ordinis, nisi per Papæ facultatem ac veniam.

Secunda, ignorantia ideo eximit à pœnā, quod liberet à culpa, at in casu præsenti culpa nulla exigitur, sed tantum res ipsa, cui ex dispositione canonum, irregularitas est annexa, ergo, &c.

A Quid si de qualitate rei constet, malamque eam esse, ac iure tam naturali, quam diuino prohibitam, sed non sub pœna irregularitatis? quid iuris?

Prima sententia notitiam pœnæ, id est irregularitatis adiunctæ actui, in operante vt hic eam incurrat, non exigit, hanc tenent Corduba *lib.* 2. *quæstionarii qu.* 27. Caietan. *in summa de excomm. num.* 377. Suar. *to.* 5. *de censur. disp.* 40. *sect.* 5. *num.* 10. Laym. *lib.* 2. *tract.* 5. *parte* 1. *cap.* 5. Rosella *verbo ignorantia numero* 13.

B Secunda aliorum opposita quam tuentur Portelius *de dubiis Regularibus verbo ignorantia num.* 19. Sanch. *de matrim. lib.* 9. *disput.* 22. Nauar. *in summa cap.* 23. *num.* 47. horum ego scriptorum vestigia, quamuis eminus oculis, animoque legens,

Dico, *Ignorantiam iuris inuincibilem excusare ab irregularitate ob factum, iure licet naturali prohibitum imposita.*

Ratio est prima, quod iusta, hoc est probabilis legis seu facti ignorantia, necessitati sit æquanda, ergo cum ab humanæ, id est
C Ecclesiasticæ legis præscriptione, cogente necessitate, recedere sine pœnæ metu liceat, licebit & per inscitiam, seu expertem culpæ ignorantiam, quæ quia iusta est & probabilis, par est impotentiæ.

Secunda, irregularitas ex delicto, absque sui contemptu legisque eam infligentis non incurritur, Fagund. *lib.* 2. *in Decal. ca.* 27. *n.* 10. Nau *ca.* 27. *manu. n.* 252. *quia est pœna contemptus*, quod ipsum dixit Dominicus *in cap. solet de sentent. in* 6. sed contemptus notitiam exigit in contemnente, tam rei quæ contemnitur, quam legis quæ illam recipi aut fieri po-
D stulat, *non enim contemnit disciplinam, qui ignorat militiam lege si ignorans* 52. *dig. locati.*

Tertio, id indicant non obscure decretales Pontificum epistolæ *in canone proposuisti dist.* 82. *& capite* 2. *de constitut. in* 6. nam in earum priore scribit Pontifex, Clericos qui impure ad eam diem vixerant, si ignorabant constitutionem Papæ Siricii, id prohibentis sub pœna depositionis, hac pœna plectendos non videri, & tamen clam iis non erat, libidinem tam à natura, quam Deo prohibitam esse *in cap. autē* 2. *de constit. in* 6. ha-
E betur ignorantes non ligari sententiis ordinariorum, ergo nec pœnis per eos impositis.

quarta, irregularitate quæ *pœna est valde grauis, quippe quæ ordinum omnium vsu priuat & ideo non imponenda pro culpa veniali*, Nauar. *cap.* 27. *Enchirid. n.* 252. non alii puniuntur, quam qui sunt contumaces ac inobsequentes Ecclesiæ, quo vitio non alios laborare est cerum, quam qui norunt præceptum

iubentis, aut prohibentis aliquid sub irregularitate omitti, aut fieri, non hæc ergo contrahetur nisi cum constabit delictum esse sub pœna irregularitatis prohibitum, & nihilominus fiet.

Assertio tertia, *Irregularitatem ex delicto, excusat defectus rationis, in operante.*

Quia est hæc irregularitas effectus peccati, vt indicant hæc verba ex delicto, quibus significatur, eam à culpa vt à causa fluere, at est peccatum, humana actio, qualis esse sine ratione eiusque aduertentia quî potest? pœna sane tunc affici, vt pote culpę expers non debet, ob quam causam infert Couarr. *ad Clementinam si furiosus*, ebrium, aut quemlibet alium, qui cum sui potens non esset, occidit, irregularem non esse, nisi, experti essent & hic, & ille, antea cum vino capti forent, arma se capere: & obuiis vim inferre solitos, quia in ebrietate, tanquam in causa, censeretur illis homicidium esse tunc voluntarium, eo quod ex tali opere sequi posse, præuideri debebat, ac poterat.

Assertio quarta, *Vt ab irregularitate excusat defectus actionis internæ, sine qua exterior esse vitiosa non potest, ita & externæ,* Auila 7. *parte disput.* 1. *dub.* 1. Nauarrus *cap.* 27. *num.* 192.

Pars vltima, patet nam Ecclesia primo, & per se externa duntaxat punit, cum quæ latent, solique sunt Deo cognita, vt maleficii peragi nequeunt, ita nec plecti, quare quantuncunque quis ex deliberata occidendi volũtate, in hostem impetum faciat, non est irregularis, si voluntatem effectus non sequitur, sicut nec cum interimit, sed insciente, ac indeliberate, eaque actione, quę ab illo non proficiscitur, vt est rationis, suique vere compos, atque adeo voluntate imperante, intellectu autem eam in illum finem dirigente, ita diximus irregulares non esse, qui bombardas distrahunt, enses donant, ad bellum iustum, aut defensionem alterius licitam cõmodant, pro talibus autem habendos, qui arma deferunt: hæc aliis in malum finem, vt necandi hominis causa, tribuunt.

Assertio quinta, *Cum ex delicto contrahitur irregularitas, excusat bona fides,* Ludouic. Portelius *parte* 3. *casu* 40. Nauar. *in summa cap.* 25. *num.* 155.

Ratio est, quod quæ irregularitas est ex delicto, hæc culpam tanquam causam sui supponat, at bona fides eam impedit, ergo, &c.

Confirmatur cum pœna præsumenti irrogatur, hac non tenetur, ex bona fide aut ignorantia operans, Henriq. *lib.* 13. *cap.* 23. pręsumere enim, est scienter, ac ex proposi-

A to, in legem committere, audere, & tentare aliquid contra ius, quo fere modo Romani Pontifices, ea voce vtuntur, sic Alexand. III. loquens de Clericis & Monachis in Concil. Lateran. *sed nec procurationes, inquit, aut iurisdictiones etiam seculares, sub aliquibus principibus & secularibus viris, vt iustitiarius eorum fiat, Clericorum quisque exercere præsumat,* hoc est tentet, audeat, *ne Clerici vel vouentes cap* 4 sed quæ irregularitates ex delicto proueniunt, hæ maximam partem præsumptionem exigunt, vt patet, ergo ab his bona fides liberat.

B Secundo, si Sacerdos quem culpa aliqua sua in excommunicatorum numero posuit, celebret cum ignorantia vinculi, quo astrictus hæret, aut bona fide existimet à se admissum nihil esse, quamobrem eam pœnam subeat, non est irregularis, vt docent Sylu. *verbo irregularitas num.* 18. Nauar. *cap.* 27. *nu.* 244. & 155. Henriq *lib.* 14. *de irregularit. cap.* 7. *num.* 1. freti hoc principio Nauar. *in summa cap.* 27. *num.* 15. Portelius 3 *parte casu* 41. asserunt, eum qui bona fide ante ætatem legibus canonicis necessariam, offert se

C initiandum Episcopo, irregularitate non affici, si post factam diligentiam, vt de ea certis sibi rumoribus aut propinquorum testimoniis constaret, bona fide credidit, ea se ætate esse, quam ad sacrorum Ordinum ministeria canones exigunt, bona ergo fides hominem ab eorum vsu, ac susceptione non remouet, eum ergo excusat ne irregularis fiat.




D

EPITOME TRACTATVS DE IRREGVLARITATE.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Irregularitas & quomodo ab aliis censuris differat.

E



EST irregularitas *impedimentum canonicum, ex facto, vel defectu proueniens, quo quis prohibetur promoueri ad Ecclesiasticos ordines, vel in iis ministrare.*

Dixi *canonicum*, vt vox ea indicet irregularitatem iuris diuini nullam esse Enimuero ad id rerum genus, ea tantum pertinere

est certum, quæ ex institutione diuina vim habent, cuiusmodi esse, vt mihi persuadeam, quæ de irregularibus documenta multa, & præcepta, in sacris Pontificum decretis dantur, impediunt quæ sequuntur.

Primum, quod lex noua, præceptis moralibus legis naturalis, articulis fidei, & Sacramentis gratiæ, sit contenta.

Secundum, quod libri sacri irregularitatem ne quidem de nomine nouerint, quæro enim vbi, quando, quare, quomodo, & à quo, eius facta est vnquam mentio? Scio à Paulo 1. *ad Timoth.* 3. præceptum esse vt Episcopus vnius vxoris vir esset, nec ignoro ab extruendo sibi templo, Dauidem à Principe Deo repudiatũ esse, quod humano sanguine pollutas haberet manus; *Fili mi*, inquit 1. Paralip. 23. *Voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Dei mei, sed factus est sermo Domini ad me dicens, multum sanguinẽ effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me*, sed nego, inde concludi valide posse, ac efficaciter, homicidium & bigamiam, diuini esse iuris,

Primo, quia de ædificando templo est sermo, de Sacerdotio nullo modo, ducta autem à simili, à decentia, ac honestate argumenta, præsertim in materia odiosa ac graui, qualis est ea, quæ pœnam habet, rem non conficiunt.

Secundo, nego à bigamia, vlli iure diuino ad Episcopatum, aut ordines aditus interclusos esse, primo, quia Concilia, & Pontifices, id impedimẽtum canonibus tribuunt, *si quos*, inquit Zachar. *epistola 6. reperit Episcopos tua fraternitas Presbyteros aut Diaconos, contra canones, vel statuta Patrum excessisse, id est in adulterio, vel si plures vxores habuerunt, nulla ratione Apostolica auctoritate permittas Sacerdotio fungi*, & in Concil. Toletano 4. *can.* 18. hæc leguntur. *Non promoueantur ad Sacerdotium ex regulis canonum, qui semetipsos absciderunt, qui secundæ vxoris coniunctionem sortiti sunt, aut numerosa coniugia frequentarunt* viden' vt canonum, vt statutorum, vt humanæ legis, vt pote cuius Patres sint auctores, Zacharias meminit, non diuinæ? eam sane Apostolicam Leo nominat in *epist.* 85. secundum alios 87. ad Episcop. Afric. *cap.* 1. *Si*, inquit, *in veteri testamento hæc Sacerdotalium coniugiorum forma seruata est, quanto magis sub reuelata gratia constituti, Apostolicis debemus seruire præceptis?* legis ergo de non recipiendo ad Ordines Bigamo, auctor Apostolus, non Deus, humana proinde est non diuina, alioqui nec cum bigamo dispensare Ecclesia posset, quod tamen fecisse Martinum Papã, pauca hæc ex *canone* 18. *distinct.* 34: deprom-

A pta verba indicant, Lector, *si viduam alterius, vxorem acceperit, in lectoratu permaneat, aut si forte necessitas sit, Subdiaconus fiat; similiter & si bigamus fuerit*, nec quod est his grauius, rati forent ac validi, qui ei contra decreta canonum, ordines collati essent, quod Leo Papa I. *epist.* 5. *ad Episcop per Campaniam constit. cap.* 2. refellit his verbis: *Constat ad Sacerdotium, peruenisse viduarum maritos, quosdam etiam quibus fuerant numerosa coniugia, & cum omni licentia, vita liberior, ad sacrum ordinem passim patefactis aditibus, fuisse permissos, contra illam*

B *beati Pauli vocem, vnius vxoris virum*, non est ergo irregularitas, in mores nostros diuino inuecta iure, sed humano tantum, quod Bonifacius *de sentent. excomm. in* 6. *cap. is qui* 18. declarauit his verbis: *Is qui in Ecclesia, sanguinis aut seminis effusione polluta, vel qui præsentibus maiori excommunicatione nodatis, scienter celebrare præsumit, licet in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen, (cùm id non sit expressum in iure) laqueum non incurrit.*

Differt autem irregularitas ab excommunicatione & censuris aliis, primo quod istæ,

C & illa, sint vincula, sic enim nominatur excommunicatio *in Concil. Lateran. sub Innoc. III. cap.* 49. *& in Concil. habito in Germania sub Conrado Cardin. can.* 4. queruntur Patres reperiri in Ecclesia non paucos, *qui non amore iustitiæ, sed liuore odij, vel fauore aduersariorum, excommunicationis vinculo innodant*, quæ nomenclatura irregularitati non conuenit, quæ impedimentum tantũ est Ecclesiasticũ.

Secundo, est excommunicatus eiectus ab Ecclesia, Concil. Nicæn. *can.* 5. Aquisgranense *can.* 42. ibi enim mandatur singulis, *vt*

D *qui abiiciuntur ab aliis non recipiantur*, in Synodo autem Rauennat. sub Ioanne IX. *cap.* 8. habetur quod *si quis Paschalem & Ioann. Diaconos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, à gremio sanctæ Dei Ecclesiæ sequestratos, in ipsos gradus, quibus canonica auctoritate sunt priuati, reducere quoquo modo tentauerit, hunc anathemate feriendum esse.* De irregularibus simile dici quid potest? aut quando, vel cui eorum, vitio datum est vnquam, sacras ædes ingredi? cum populo supplicare publice Numini, aut ad Sacra-

E mentum Eucharistiæ, expiato prius per confessionem animo admitti?

Tertio, est irregularitas omnis à iure, nulla ab homine, qui Papa sit auctoritate inferior, cùm censura ab vtroque ferri sit in more.

Quarto, censuris nullus locus nisi ex facto, irregularitati initium quoque est ex defectu, tolle crimina & censura erit nulla; irregularitas culpam non necessario, vti sui causam exigit, sed aliquam duntaxat in eo quem notat, corporis, natalium aut

animi maculam, quæ cum in altaris sacro ministerio cum honore, decentiaque vt loquuntur versari non sinat.

Quinto, etsi irregularis ante dispensationem obtentam celebrans, peccet lethaliter, *cap. finali de tempor. ordinat. & cap. inquisitionis de accusat.* nouam tamen irregularitatem non contrahit cum id iure non sit expressum, sicut de excommunicatis, interdictis & suspensis, nec mirum, cum excommunicatio, interdictum, & suspensio, species sint censuræ, irregularitas vero minime.

CAP. II.

Vt Irregularitas contrahatur, quid sit necesse.

Est hoc quoque inter cætera, quibus ab excommunicatione differt irregularitas, quod illa plecti fideles possint, viri iuxta ac fœminæ cuiusquemodi, modo rationis, suique compotes, irregularitate non item, nec enim mulier vlla, religiosa vel laica, irregularis ad hanc diem, quod sciam, extitit, quam tamen, si monialibus est præposita, præfectura sua destitui, aut ad tempus ab eius administratione suspendi, æquitas ac ratio postulant, hoc enim *est secundum Euangelicam sententiam, à villicatione villicum amoueri, qui non potest villicationis suæ dignam reddere rationem*, Innoc. III. *in Concil. Lateran. generali cap.* 8.

Equidem *qui palla altaris mortuum obuoluit, decreto Clement. in epist. 2. & Altisiodor. Concil. can.* 12. anathemate feriri potest, ergo & suspendi, cum sit hæc pœna, excommunicatione mitior.

Quid? quod *regulares possunt à suis administrationibus amoueri Innoc. III. in Concil generali cap.* 8. degunt Abbatissæ sub regula, iisdem quibus Monachi votorum nexibus astrictę, in cœnobiis quæque suis viuunt, quæ ergo munera, quæ ex præscripto regulæ, officia Abbatissæ obeunt, ab iis suspendi queunt.

Est hoc ergo incurrendæ irregularitati imprimis necessarium, vt virum pro obiecto habeat, non mulierem, *quia cum sit ordinis Clericalis incapax, in eam non cadit irregularitas, qua quis in ordine, aut eius officio impeditur*, Episcopus Scalensis *de irregularib. cap.* 5.

Secundo cum ex delicto contrahitur irregularitas, apertum istud, patensque esse debet, interna, quæque latent, isti non possunt esse pœnæ obnoxia, Nauar. *cap. Enchir.* 27. *num.* 192.

Primo, quia vt voluntatis humanæ opera, quà talia, extra potestatem sunt Ecclesiæ, ita
A ea pœna insequi nec potest, nec debet: *Deus enim omnipotens, vt nos à præcipitatæ sententiæ prolatione compesceret, cũ omnia nuda sint, & aperta oculis suis, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, priusquam manifeste agnosceret, quæ dicebantur, cuius exemplo monemur, ne ad perferendam sententiam vnquam præcipites simus, aut temerè, indiligenterque indiscussa quæque iudicemus*, Euaristus *epist.* 2. At de internis, cum non sint hæc humanis peruia sensibus, quæstio institui, iusque dici non potest ab Ecclesia, irregularis non est ergo, cuius culpa animi latebris conclusa, Deum
B solum testem habet ac iudicem, non homines, quorum sub aspectum, oculosque non cadit.

Tertio, est id quoque ad irregularitatem necesse, vt de ea expressè fiat in canone mentio, vt est *in cap. is qui* 18. *de sentent. excommunicat. in* 6. quæ hominem alium à Pontifice authorem habet, metui non debet, vt inanis, ac sine robore negligi potest, non curari, est enim rationi consonum, vt pœnalitas, pro vno casu iure lata, non ex-
C tendatur ad alium, ob aliquam similitudinem: *Odia enim restringi, & fauores conuenit ampliari de regul. iuris in* 6. *regula* 15.

Dixi *alium à Pontifice*, primo, quia hactenus nec visum est, nec auditum, ab vllo prioris æui Episcopo, factam esse legem, aut sententiam, qua peccanti imponeretur irregularitas.

Secundo, est irregularitas, *non tam pœna*, quàm impedimentũ, *quo* quis ob indecentiam arcetur à suscipiendo ordine, vsuque suscepti, at Episcoporum non sunt partes,
D pro prudentia, suaque in Ecclesiã caritate facere, vt qui sibi in Clero Christique seruatoris familia locum ambiunt, ab ea arceantur ob impedimenta ab ipsis constituta, sed Papæ, cui vt est gregis vniuersi cura cœlitus à Christo communi omnium pastore credita, ita ad eum prę cæteris, in id incumbere omni studio pertinet, vt si quid est in Clericorum vita, moribusque absonum, si quid personæ maiestate, quam in Dei Ecclesia sustinent, indignum, hoc ipsum sermone si potest, emendet ac corrigat, le-
E gumque æquitate abstersum, emaculet ac tollat.

Quarto, ad irregularitatẽ est hoc quoque necesse, vt culpa ex qua oritur, sit in suo genere consummata, ac perfecta. Enimuero cum sit irregularitas grande malum, ab eo tantum opere, illam ortum trahere decuit, cui nihil ad sui complementum deesset, quare qui plagam alicui mortalem imposuit quã cicatricem in capite luculentam & grauem, quam certa mors consequetur, non est irregularis

gularis, quandiu hæc læsum non opprimit, est enim homicidium, irregularitatis causa, non vulneratio, at tunc tantum, cum viuere læsus desinit, homicidium esse incipit, ergo, &c.

Hanc tamen cædem, aut actionem, quæ irregularitatem generat, esse eiusmodi non est opus, quę argumentis probari, aut testium fide in foro debeat.

Primo, quia dispensare in irregularitatibus ex occulto delicto natis, Episcopis est per Trident. *sess. 24. cap. 6.* licitum, eius ergo opinione, sensuque, crimina quę irregularitatem pariunt, non est necesse sic esse hominum generi nota, vt probari queant, alioqui occulta esse cessarent, clara patentiaque forent.

Secundo, Testes in reum immitti tunc debent, cum res eius, causaque in foro, prę sidente iudice, accusante autem aduersario agitur, at non est irregularitas ab homine, sed à iure, eaque ob culpam, quæ etsi sit occulta, nec defectu testium probabilis, quantum tamen est ex se, Ecclesię iudicio subiacet, vt pote vera culpa, eaque externa & spectabilis, per accidens tamen, quia non fit spectante turba, & in oculis hominum, sed occulte vt supponitur, & proinde hominum testimonio non probanda in foro.

CAPVT III.

Quot modis contrahatur irregularitas, & quos effectus habeat.

Est autem contrahendæ irregularitatis bipertita ratio, ex facto & defectu, ad defectum quinque reducuntur species, vna ex animi morbo, altera ex corporis macula, tertia ex ætatis defectu, quarta ex vitio natalium, quinta ex seruitute seu libertatis priuatione. Factum est duplex, eorum primum annexam habet culpam, vt homicidium, ea caret alterum, vt bigamia. Factum quod est criminosum species habet distinctas septem, primam ex homicidio voluntario, quo continetur etiam mutilatio, secundam, ex iterato baptismo, tertiam ex vitæ honestatis defectu, qui auctori suo creat infamiam, quartam ex infidelitatis actu aliquo, vt est hæresis, quintam ex ordine male suscepto, sextam ex eodem non collato, septimam ex vsu eius præpostero.

Effectus eius sunt duo, primus remouere ab ordinum susceptione, secundus, prohibere ne eos ordinatus exerceat *cap. 2. de Clericis pugnantibus*, Trident. *sess. 14. cap. 7. de reformat.* ab irregulari tamen suscepti valent, quia

A cum Sacramentorum institutio diuini sit iuris, impedire nequit Ecclesia, ne conferantur validè, cum quæ illis sunt intrinseca, materia sci licet, formaque, cum intentione debita adhibentur à ministro.

Beneficii autem acquirendi, & acquisiti, non est irregularis incapax, Syluest. *ver. excommunicatio 4. num. 4.* Suar. *disp. 4. sect. 2.* Ægid. *disp. 18. nu. 6.* Hurtadus *de irreg. difficult. 5. num. 21.* quia ex nullo canone potest ea colligi incapacitas, vt tamen esset necesse, si beneficiis esset suis quis priuatus, quia est

B irregularis: priuari his tamen potest, ita decernente Alexand. III. *in cap. Clericis 5. Ne Clerici vel Monachi, Clericis*, inquit, *in sacris ordinibus constitutis, ex Concilio Toletano, iudicium sanguinis agitare non licet, vnde prohibemus, ne aut per se, membrorum truncationes faciant, aut iudicent inferendas; quod si quis tale quid fecerit, honore priuetur, & loco*, Beneficia ergo sua retinere irregularis poterit, dum iis spolietur à iudice, qui ei licite nullum conferet, etsi id esset facturus valide, si quod forte tribueret. Sic enim Cœlest. III. *in cap. Henricus 2. de Clericis pugnantib. in duello* de

C homicida voluntario (quem irregularem esse nemo ambigit) sic (inquam) Pontifex. *Poterit tamen cum eo, circa habendum beneficium misericorditer dispensari.*

Fieri id vero sine culpa modo non posse, Tridentin. innuit *in sess. 14. cap. de reformat. 7.* cum de homicida voluntario in hęc verba loquitur: *Nullo tempore ad sacros ordines promoueri possit, nec illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum conferri liceat, sed omni ordine, ac beneficio, & Ecclesiastico officio perpetuo careat*, quæ enim non

D licent, hæc fieri sine culpa nequeunt.

CAPVT IV.

De Irregularitate quæ contrahitur ex animi vitio.

Svb hoc genere irregularitatis contrahendæ ex animi macula, diuersę continentur species seu modi, communiores hic prosequi mihi est animus, inter eas, primas

E sibi vindicat infidelitas, itaut qui non est baptizatus, vere sit irregularis, & consequenter incapax ordinis, Innoc. III. author, *in cap. veniens 3. de Presbytero*, consultus enim cum esset, vtrum pro ordinato habendus esset, quem parentū caritas, cum est natus, baptismi salutaribus aquis non admouerat, respōdit *eum per singulos ordines promouendū vsq; ad Sacerdotium*, secundo in Concilio apud Compendium legitur institutum, quod si

quis in Presbyterum ordinatus, deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur, nec mirum quia Baptismus Sacramentorum omnium est ianua, *ac fundamentum, quare ante susceptionem baptismi, non suscipitur aliud Sacramentum, quoniam vbi fundamentum non est superædificari non potest*, Innoc. *cap. veniens 3. de Presbytero non baptizato.*

Vt autem non baptizato, promoueri ad ordines decretis Pontificum, & Ecclesiæ, non licet, ita nec ei, qui iterato tingi scienter voluit, *can. sicut semel primo distinct. 68. qui autem bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundum canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat, qui autem non ignare, iterum baptizati sunt, quasi iterum crucifixerint Christum, per septem annos pœniteant.*

Rebaptizans item, & qui illi in eo cooperatur, ac ministrat, similiter est irregularis, *vt est in cap. ex literarum 2. de Apostatis*, hæc autem irregularitas quoad ministrantem, est tantum, vt nequeat ad ordines superiores gradum facere, non autem in susceptis ministrare, sic enim Alexand. III. *in cap. ex literarum citato. Quia nos duxit tua prudentia consulendos, qualiter puniri debeat Acolythus, quem minor ætas, & intentio fraternæ salutis, excusare videtur, (operam hic suam in respondendo rebaptizanti exhibuerat) Discretioni tuæ respond. quod ad superiores ordines promoueri (si publicum est quod proponitur) non valebit, si vero occultum est, promoueri poterit, & excessum suum, dignis pœnitentiæ fructibus expiare.*

Idem est de rebaptizante ac de eius ministro iudicium, secundum Panorm. *in eum canon.* & Hurtadum *de irregular. difficult. 1. disp. 2.* quia ille eodem est iure irregularis, quo ministrans, ergo vt hic cũ crimen non est publicum, pro irregulari non est habendus, ita nec rebaptizans.

Quid si Sacramenta alia iterentur?

Ab iteratione Confirmationis & Ordinis, irregularitatem contrahi dixere scriptores aliqui, vt Antoninus, cui assentiri cæteris nõ placet, quod de eo nulla sit in iure expressa mentio, Nauar. *Enchirid. cap. 27.* Auila *par. 7. disp. 7. dub. 5.*

Vt autem à susceptione ordinum, non baptizati, aut prudenter, deditaque opera rebaptizantes repelluntur, ita & qui adulti cum essent, primigeniam Adæ culpam, baptismi Sacramento expiarẽ nisi in extremis positi noluere, Concil. Neocæsar. *can. 12. Si quis in ægritudine constitutus fuerit baptizatus, Presbyter ordinari non debet. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est, nisi forte postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat*, quare si istarum rerum desit alterutra, nisi Papa dispensante non ordinabitur. Fœlicianus *de irregulant. cap. 7.*

Incapaces similiter sunt ordinum, hæretici, quique iis opera, studioque fauent, Ambrosii ad Rufum *epist. 22. cap. 3* sunt hæc verba. *Nostræ lex Ecclesiæ est, venientibus ab hæreticis, qui tamen ab illis baptizati sunt per manus impositionem, laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem, in Clericatus honorem vel exiguum subrogare.*

Eos sane Laodicena Synodus, sacris excludit ædibus *can. 6.* Carthagin autẽ cui Cyprian. præfuit in *can. 96.* statuit, Imperatorem rogandum esse, vt legem à Theodosio eius parente latam, de decem libris auri aduersus hæreticos, qui ordinant, & ordinantur, accuratè seruet, in Nicæno autem primo Concil. *can. 10.* hæc leguntur: *Quicunque ex iis qui lapsi sunt, vel per ignorantiam vel scientibus iis qui promouerunt, ordinati sunt, hoc Ecclesiastico canoni non præiudicat, ii enim cogniti deponuntur*, ὡς μὴ ὠφελούμενοι ἐκ τῆς χειροτονίας κἂν ἐν εἰδήσει τοῦ χειροτονήσαντος αὕτη γέγονε, vt qui ex ordinatione non iuuentur, licet ipsa, sciente illo qui ordinat, facta sit inquit Balsamon in eum canonem.

Quod si eiurata hæresi fidem amplectãtur Catholicã, eo quidẽ fungi ordine poterunt, quo erant ante abiecta religionis Christianæ mysteria instructi, sed ad superiorem, gradũ nõ facient, *Sufficiet illis commissæ sibi plebis curam gerere, non autem illos etiam antistites, quos Catholica fides in Ecclesiæ sinu, & edocuit, & genuit, ad obtinendum primatus culmen anteire*, Gregor. ad Episcop. Numid. *lib. 1. epist. 75.* Fidẽ facit canon Apostolicus 62. perscriptus his verbis: *Si quis Clericus propter metum Iudæi, vel Græci, vel hæretici negauerit, siquidem nomen Christi, eiiciatur, si autem nomen Clerici, deponatur*, in quem locum tria Balsamon habet digna quæ hic inserantur, primum à fide Christi Apostatam fuisse depositum, id est irregularem. Alterum Clericos si sacras vestes deponunt & instar laicorum conuersentur οὐ δύνασθαι ὡς ἀναγνώστας ἐνεργεῖν τὸ οἱονοῦν non posse vt lectores quidpiam agere, quod est irregularem esse. Tertium quod multo magis, qui talem sua sponte abnegationem admisit, & sanctum habitum illusit, οὐκ ἀξιοῦται τῆς προτέρας κληρώσεως, dignus priori ordine non censetur, vt pote qui eo vti, vt ante, non potest.

Par pœna Apostatas à fide afficit, quia vt irregulares, susceptorum vsu sunt ordinum, suscipiendorum autem spe omni, nisi Papa dispẽsauerit, priuati, (veri enim sunt hæretici,) quæ hos ergo leges, quæ iura à sacris remouent altaribus, excludunt & Apostatas.

Postremo

Postremo inter irregulares ex animi vitio, collocandi sunt Neophyti, & illiterati, de prioribus decreuere his verbis, Concilia & Pontifices Laodicen. *can. 3. Non oportet neophytum promoueri ad ordinem Sacerdotalem,* Arelat. 2. *can. Ordinari ad prioratus vel Sacerdotij officium Neophytum non debere,* Sardicense *can. 10. Conueniens non est, nec ratio, vel disciplina patitur, vt temerè, vel leuiter ordinetur, aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus qui Neophytus est, maximè cum & magister gentium, B. Paulus ne hoc fieret, denunciasse, & prohibuisse videatur, sed hi quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata.* Enimuero verbo debet & exemplo Presbyter, singulos ad magnarum rerum studia acuere, vitiorum odium minutæ plebis animo alte defigere, incendere tepidos, tardos ad cursum cogere, quis in dictis, factisque tenendus sit modus, docere, hæc autem præstare neophytus qui potest? aut quomodo *Sacerdotij magisterium implere, cuius nec officium tenuit, nec disciplinam cognouit? aut quid docere poterit, cum ipse non didicerit?* Isidor. *lib. 2. cap. 6. de Ecclesiast. officiis,* Aquisgran. *Concil. can. 9.*

At erit opere (inquies) quam lingua melior, quæ sermone non poterit, faciendo, suadebit potentius quàm dicendo. Quam id vero veri absimile? *ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem, & mansuetudinem, ignorat blanditias Christianas, nescit seipsum contemnere, non ieiunauit, non fleuit, non mores suos sæpe reprehendit, nec assidua meditatione correxit, incidunt in superbiam, qui in puncto horæ, necdum discipuli, iam magistri sunt.* Hieronym. *in epist. ad Oceanum: Aquisgran. Concil. can.* 11 non expectari ergo à Neophyto earum virtutum exempla debent, quibus præstare fideles est necesse. *Non negamus esse in laicis Deo placitos mores; sed milites probatos fidelia quærunt instituta. Discere prius quisque debet, antequam doceat, exemplum religiosæ conuersationis de se potius præstare, quam sumere: emendatiorem esse conuenit populo, quem necesse est orare pro populo,* Hormisda *ad Episcop. Hispan. epist.* 4. *cap.* 1. Quare si quem vita probabilis, ac mores commendarent, posset hic ex laico fieri Episcopus ac Sacerdos, exemplo D. Nicol. Ambros. & Seueri Gratian. *dist. 61. can. statuimus* 8.

Neophytis adiungendi sunt illiterati, hoc est rudes, ac litterarum ignari Nauar. *cap. 27. n. 205.* sic quidem vt latine quæ sunt scripta in canone, nequeant intelligere; *can. illiteratos dist. 36. indoct. 1. Clerici, ad tempus à celebratione diuinæ hostiæ, & officiis suspenduntur, vt docti valeant ad debitum ministerium aduenire,* Synod. A Romana sub Eugen. II. *nam si in Laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in eis qui præsunt, nec excusatione est digna, nec venia,* Leo *epist. 22. ad Constantinopolitanos.*

Equidem tonsuram nisi confirmatis, ac cum fidei rudimentis, legere & scribere scientibus, dari posse, negat Trident. *sess. 23. cap. 4. de reformat.* Ad minores promoueri qui appetunt, debent latinam linguam intelligere, & testimonium habere à Parocho, scholæque magistro, Trid. *sess. 23. cap. 5. &* 11. Diaconos & Subdiaconos fieri non oportet, nisi probatos in minoribus ordinibus, ac B literis, iisque quæ ad ordinem exercendum pertinent instructos *cap. 13.*

Presbyteros oportet scire canones alioqui quomodo *iudicabunt Ecclesiam? quis potest fieri medicus, si ignorat medicinam?* Gregor. VII. *can. 28. & 30.*

Secundo quia dicere ad pop. Sacerdotes conuenit, sciant *scripturas sanctas, & canones meditentur, vt omne opus eorum, in prædicatione diuina, & doctrina consistat.* Conc. Tolet. C 4. *can. 24.* quare ad Presbyteratus ordinem assumi alios Concil. prohibet *sess. 23 cap. 14. de reform.* quam *qui ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente idonei comprobati fuerint.*

Ad hoc enim, vt est in can. 10. Synodi 7. Sacerdotium sunt sortiti, quare eos ibi Patres hortantur vt abiudicatis curis sæculi, principumque maxime, ac procerum neglectis negotiis accedant ad docendos pueros & seruos, ὅτι ἐς τοῦτο ἀφωρίσθησαν, quoniam D ad hoc sunt delecti. *Quid enim aliud in Ecclesia Domini vtilius geri, quid accommodatius officio Episcopi potest inueniri, quam vt doctrina diuinorum, per ipsum insinuata, collataque verborum, possint credentes ad repromissum regnum peruenire cœlorum?* Cyprian. *de bono pudic. nu.* 3. eo aspirare laudis ac gloriæ, vtrũ ignari possint, deque scripturarum penu, sacras fidelibus apponere epulas, malo ab aliis cogitari, quam à me hic poni.

CAP. V.

De Irregularitate quæ ex corporis macula oritur.

E

AD hanc irregularitatis speciem pertinent, non modo parte corporis aliqua destituti, ac debiles, vt claudi & cæci, vt est *in can. Apost. 77. & 78.* sed leprosi, furiosi abstemii, lunatici & obsessi. cæterique, qui etsi in corpore, vitio careant, in eo tamen defectu non visibili, quo laborant, quadam

analogia, seu proportione, inter corporis macula notatos, ac deformes, numerari possunt, quo de genere sunt serui, Bigami, Curiales. Illegitimi, de quibus hoc capite.

Et primo quidem furiosi, seu mente capti non sunt promouendi, si fuit hæc eorum amentia grauis, si longa, si difficilis, *Nos Clericum*, inquit canon, *non ordinandum censemus, qui in furiam aliquã do versus insaniuit*, Orta ex vi febris, ac calore ordinari hominẽ non impedit, quemadmodũ nec alia, quæpiã quæ iã desiit, & ex qua æger plenè cõualuit, de quo Episcoporũ est iudicare, explorata pri⁹ medicorũ super ea re opinione, ac sensu, *Ecclesiæ enim prohibitiones proprias habent causas, quibus cessantibus, cessant & ipsæ, dist. 61. can. statuimus* 8 quibus credi vt possit, anno integro constare sibi valetudo debet, nec antiquo suo iterũ morbo æger toto illo tẽpore pulsari, Pii Papę I. testimonio *can. cõmuniter 4. dist.* 33 quod enim ibi de comitiali morbo asserit, valere quoq; in alio quolibet est certũ, quare tam qui olim sui fuere impotes, quam qui in terram *arrepti à dęmonibus sunt allisi, aut quolibet modo, vexationis incursibus agitati, tandiu sunt ab officij sui ordine, & loco suspensi, quousque vnius anni spatio, per discretionem Episcopi inueniantur ab incursu dæmonis liberati.*

Qui enim à dæmone correptus est, (cuiusmodi aliquem Clericum fieri, *canon Apostol.* 79. prohibet) ἐστέρηται λογισμοῦ ἐξ ἀληθείας ratione priuatus est ac mente καὶ ἐντεῦθεν ἀπὸ τοῦ καιροῦ κεκώλυται τῷ κλήρῳ συγκαταλέγεσθαι, & ideo in Clerum cooptari prohibetur inquit Balsamon. *in can. 79. Apostolic.* postquam tamen ad se redierit εἰ εὑρεθῇ ἄξιος γενέσθαι κληρικός, id ibid.

Quid si amentia non est perpetua, quid si non est furor perseuerans sibique constanter similis, sed interruptus?

Respondend. ne sic quidem affecto locum esse inter Clericos, ἵνα μὴ καθυβρίζεσθαι ἡ ἱερωσύνη κατὰ τὸν καιρὸν τῆς μανίας αὐτοῦ καὶ βλασφημεῖται τὸ θεῖον, id est ne Sacerdotium furoris tempore, contumelia afficiatur, probrisque & blasphemiis numen appetatur.

Ita qui infirma sunt adhuc valetudine, nec plene ab eo morbi genere, quo conflictabãtur antea sunt liberi, si eo sæpe tentantur ac dolent, tũ enimuerò sunt iubendi abstinere à sacro Missæ sacrificio, si raro in eo pietatis officio occupari cum Episcopi iudicio poterunt, modo tamen Sacerdotem apud se habeant, qui, si quid humanitus illis contingeret, quæ ad perfectam rationem sacrificii deessent, pro caritate suppleat. De meo nihil sensu dico, ex Alex. II & Gelasii sanctionibus quæ dixi deprõpta sunt omnia, sic enim ille *in can. primo causæ 7. q. 2. Consulimus vt si frequenter hoc morbo tangitur, ab oblatione, & Missarum celebratione, modis omnibus prohibeatur. Indecens enim est & periculosum, vt in consecratione Eucharistiæ morbo victus epileptico cadat. Si vero Dei misericordia conualuerit, (quandoquidem non culpa, sed infirmitas est in causa) eum sacrificare iam non interdicimus.* Facienti tamen, alium qui operantem spectet, & si opus erit adiuuet, adesse lege canonica Ecclesiæ est necesse, *in can. 14 Concil. Toletani* 11. Instituimus *vt vbi temporis, vel loci, siue Clerici copia suffragatur, habeat ille quisquis canens Deo, atque sacrificans, post se vicini solaminis adiutorem, vt si aliquo casu, ille qui officium impleturus accedet, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, à tergo semper habeat, qui eius vicem exequatur intrepidus.*

Curiales quoque, cum eos inter corpore maculatos numerarent Theologi, pro irregularibus sunt habiti, ideoque laudabili Ecclesiæ instituto rituq; à sacris sunt remoti ordinibus, quo de more extant Apostolici canones duo 6. & 81. insuper decretales Põtificum epistolæ Greg ad Episcopos Siciliæ, *lib. 7. reg. ep.* 11. Innoc. I. *ad Fœlicem epist. 4. c. 5.* inquibus eiusmodi hominũ generi, locum inter Clericos nullum esse volunt, *quoniam sæpius à curia repetuntur, quare cauendum ab his est, propter tribulationem, quæ sæpe de his Ecclesię prouenit dist. 51. can designata.*

Et quanquam antiqua lege Ecclesiæ, parte corporis aliqua mutilatus, aut ex morbo sensu aliquo destitutus, vt cæcus, aut surdus, vt est *in can. 78. Apost.* ad Sacerdotiũ promoueri nequeat, si quomin⁹ quæ sunt Sacerdotii exequatur impeditus fuerit, τοὺς δὲ δυναμένους ἱερουργεῖν, κἂν ἑτερόφθαλμοι ὦσι, κἂν χωλοὶ τῆς χειροτονίας ἀξιοῦσθαι κελεύουσι, hoc est, eos autem qui possunt, etiamsi vno oculo careant, & claudi sint, qui eligantur, dignos haberi iussere: Balsam. in eum canon. multo minus, si post Sacerdotium cæci fiant, aut vitio aliquo, veteris legis instituto, remouebuntur ab ordine. *Est enim*, inquit Balsam. ibi, *à commiseratione disiunctum, & à recto Apostolico iudicio alienum, vt qui misericordia potius dignus sit, propter id quod ei accidit, indignus iudicetur.* Hæc ille.

Ad hanc rationem, duæ sunt ab eodem Pontifice additæ *in epist. ad Victricium Rothomag. 2. cap. 11.*

Prima est, quod maiorem habeat Ecclesia tristitiam, cum imperatoris imperio ab eius abstracti sinu, ad pristina sua relabuntur officia, quam illi gaudii accessit de eorum ad se trãsitu ab aula. hoc est à turbis ad quietem, à bello ad pacis otia, à satanæ castris, ad Christi Seruatoris caulas.

Altera, quod cum non deceat, qui volupates

ptates sensuum est sectatus, in iis occupari sacrorum ministeriis, quibus augustius nihil est ac purius, *at curiales constat in ipsis muneribus etiam voluptates exhibere, quas à Diabolo inuentas esse non est dubium*, Innoc. ibi, *can. praeterea dist.* 51. Sunt enim Curiales, stricte sumpti, qui curiis sunt ascripti, vt iudices & decuriones, *lege penult. Cod. de exact. trib. lib.* 50. *leg.* 11. 12. *&* 18. *Cod. de Episcop. & Cleric.* late autem, ac minus proprie Curialis cum sumitur, idem est, ac qui in Republ. vel curia, authoritate Principis, aut Magistratus, officio publico, tam honesto, vt Iudicis, Aduocati Tabellionis, quam turpi & obscœno, vt histrionis, ac mimi fungitur, in hunc est sensum vsurpata hæc dictio, ab Innoc. *can. praeterea citato*, lubet eum audire. *Constat enim curiales in iis muneribus, etiam voluptates exhibere, quas à diabolo inuentas esse, non dubium est, & ludorum, & mimorum apparatibus, aut praeesse, aut forsitan interesse.*

De magistratibus autem fori repudiandis à Clero, est canon Apostolicus 81. & 83. in hæc verba: *Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus exercitui vacans, & vtraque obtinere volens, Romanum scilicet magistratum, & Sacerdotalē administrationē, deponatur*, quod de his autem hic sanxere Apostoli, similiter decreuere de seruis, de quibus est hęc corū cōstitutio in can. 82. *Seruos in Clerū prouehi sine voluntate dominorū non permittimus, si quando autem etiam seruus, dignus visus sit, qui ad gradum eligatur, & Domini concesserint, ac liberauerint, & ędibus emiserint, fiat*, quare nec libertas, nec Sacerdotium, nec aliquid aliud, dominum ignorantem à serui sui dominio abalienat, Balsam. ibi.

Sunt etiam bigami in eorum cogendi classem, quos corporis macula aliqua inficit, ac fœdat, nec proinde Papa non dispensante, ac probante, ad diuina Clericorum admittēdi sunt munera, id enim vetant Apost. Pontifices ac Concilia, *Si quis*, inquit canon Apost. 17. *post baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit, non potest esse Episcopus, non Presbyter, non Diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deseruiunt.*

At est regendæ Ecclesiæ idoneus, moribus vitaque probus. Omnino *nequaquam tamen vel ad Diaconi gradum, vel ad Presbyteri honorem, vel ad Episcopatus culmen ascendet, si aut ipsum, non vnius vxoris virum, aut vxorem eius, non vnius viri fuisse claruerit Leo epist.* 85. *ad Episc. Afric. cap.* 1. quare *de digamis consuli non debet, quod manifesta sit lectio Apostoli, vnius vxoris virum, ad sacerdotium, seu Clericatum, admitti debere*, Innoc. *epist* 4. *cap.* 2.

Est autem Bigamus, qui duas vxores succesiue, diuersisque temporibus habuit, vel vnam, non tamen virginem, & eiusmodi homini, non tantum executio, vsusque ordinum, sed aliorum quoque susceptio interdicitur, vt habetur *de bigamis non ordinandis cap.* 1. 2. *&* 3. *& dist.* 24. *can. precipimus, can. si quis viduam.* Prohibetur ei quoque tonsura sub anathemate *de bigamis in* 6. *cap. vnico*, vt mirum videri nulli debeat, si Clericale priuilegium nullum habeat, decreto Lugdunens. Concil. quod est tale, *Digamos omni priuilegio Clericali declaramus esse nudatos, & coercitioni fori secularis addictos, consuetudine contraria non obstante. Ipsis quoque sub anathemate prohibemus, deferre tonsuram vel habitum Clericalem.*

Fit autem quis bigamus opinione quorundam, septem modis, communi & vera, tribus tantum. Re, interpretatione, & similitudine, re quidem, cum vxores duas successiue, siue ante, siue post baptismum habuit, *can. deinde* 3. *dist.* 26. *& can. acutius* 2. *eiusdem distinct.* nam *vt fœmina si catechumena vitiata est, non potest inter virgines consecrari, ita non absurdè visum est, bigamum non peccasse, sed normam Sacramenti omisisse, non ad vitæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticę signaculum necessariam, dist.* 26. *can.* 2. quibus verbis, causa vna de multis producitur, ob quam in Christi exercitu, cum Clericis stipendia facere bigamo non est licitum, nimirum quod bis coniugatus, diuinam Christi Seruatoris coniunctionem, cum Ecclesia sponsa sua, eaque vnica referre non potest, *cap. debitum de bigamis.*

Similitudine sunt bigami, qui sacro insignes ordine, aut solenni obstricti voto, cum fœmina contrahunt, eamque comprimunt, licet illa sit virgo, Innoc. III. est hic sensus *cap. à nobis* 7. *de bigamis*, & 27. *q.* 1. *can. quotquot* 24. *qui est* 19. Concil. Ancyrani, vbi est his verbis: *Quotquot virginitatem pollicitam preuaricati sunt, professione contempta, inter digamos, id est, qui ad secundas nuptias transierunt, haberi debebunt.*

At enim (inquies) professum inter aut sacris instructum ordinibus, & fœminam, maritale vinculum intercedere nullum potest, bigami ergo nec iste, nec ille, esse possunt, aut dici.

Obiectioni pridem est ab Innoc. factum satis, cum in *cap. à nobis* 7. *extra de bigamis*, eos Bigamos ait, *non propter Sacramenti defectum, sed affectum, intentionis opere subsecuto.*

Interpretatione dicitur bigamus, qui cum vna sola contraxit sed vidua, *can. si quis viduam dist.* 34. aut corrupta per alium, *can. curandum*, aut cum concubina, id est à se ante

matrimonium cognita *can. maritum dist.* 33. Hilarii quidem Papæ, est hæc sanctio, *vt bigamis, aut vidua, aut corrupta mariti, ad gradus Ecclesiasticos nō accedāt*, huic si nō verbis, sensu tamen non est absimilis, quæ in Conc. Hispalensi, quarta est ordine: *Nunciatum est nobis apud Astigitanam Ecclesiam ordinationes quasdam illicitas extitisse, vt quidam, viduarum Leuitarum ministerio sacrarentur, quos quidem conuenit gradu suscepto, in irritum reuocari, nec vltro promoueri ad Diaconi ministerium, &c.*

In bigamia autem vera & reali dispensat solus Papa, ad ordines obtinendos, & obtentos exercendos, Maiol. *lib.* 1. *de irregular. ca.* 31. quia cum sit præceptum Apostolicum, eius authoritas requiritur, qui sit potestate Apostolis non impar, quod si ad minores dispensat Episcopus, vt est D. Thomæ opinio *in* 4. *dist.* 27. Sylu. *verbo bigamia q.* 6. non tamen nisi ad vsum,

Cum bigamo qui similitudine tantum est talis, non dispensat Episcopus nisi ad minores, cum eo tamen si religiosis se votis obligauerit, dispensare superior ad sacros poterit, Rodrig. *to.* 1. *q.* 14. *art.* 20. Portelius *de dubiis regular. verbo dispensare num.* 4. quod enim Carthusiensib. olim à Sixto IV. singulari in eos beneuolentia concessum legitur, quod ab alio, alumnis D. Hieronymi in Hispania, vt in eorum Compendio *verbo Ordines sacri parag.* 6. legitur, è disciplina sua regularibus, quos casus, aut culpa, post conceptum de castitate votum, bigamos per consummatum matrimonium, licet nullum, reddidit, ad sacros ordines accessū vt indulgere hi valeāt, hoc sibi cæteri religiosi quibuscum priuilegia illi sua communicant, vēdicare sunt soliti. Sane constat societatis Præpositum cum istiusmodi Bigamis, si res ferat, ad omnes dispensare posse ordines, vt est in eiusdem *Societ. compendio verbo dispensare parag.* 5. *&* 6.

CAP. VI.

De Irregularitate ex defectu corporis.

QVod eidem quoque Generali Præposito & cæteris Religionum moderatoribus, licere aiunt in mutilatione membri voluntaria occulta, nec deducta ad forum contentiosum: Rodrig. *tomo* 1. *q.* 24. *art.* 10. Portelius *in verbo dispensare num.* 7. *& in verbo Prælatus num.* 39.

Est ergo mutilatus, hoc est membro mancus, non quolibet, sed ad ministerii sui functionem necessario, irregulars. Irregularis item, cuius facies, his est fœdata macu- A lis, quæ horrorem spectantibus faciant, ac nauseam, irregularis, qui Clericorum obire quidem absolute munera potest, sed non sine scandalo, aut nota, *sic illi cui erutus est oculus, non possunt secundum canones, iura Sacerdotij concedi*, Gelasius Papa ad Rufinum, & refertur *dist.* 55. *can. si Euangelica* 13. non Eunucho, *si quis abscidit semetipsum, id est si quis amputauit sibi virilia, nō fiat Clericus, quia sui ipsius homicida est, & Dei conditionis inimicus can. Apost.* 22. nō parte sui aliqua, ad splendorē vultus, decentiamque vtili, ac necessaria destituto. B *Prospiciendum est, ne duo simul in vna sint Ecclesia Sacerdotes, nec literarum ignari, aut carens aliqua parte membrorum, ad sacrum ministerium prorsus sinatur accedere*, Hilar. *epist.* 1. *ad Ascanium Tarracon. Episc. cap.* 4. ita sinistra manu mutilatus, est *ab Abbatiæ officio remouendus*, vt dicitur *in c. exposuisti* 6. *de corpore vitiatis*, similiter surdus & cæcus, Sacerdotes esse nequeunt, non propter defectum *aut quia oblæso corpore sunt, sed ne Ecclesiastica impediantur munia can. Apost.* 77.

Quod si ex his defectibus aliquis, ordinato accideret, nec eum tamen nimis defor- C mem redderet, exequi hic posset omnia, ad quæ talis defectus impedimento esse non solet, ita si quis oculis est captus, celebrare nequit, aut Euangelium, horasque legere, tamē ad populum dicere, confitenti aures commodare poterit, Eugenius Papa *cap.* 4. *de Clerico ægroto ministr.* beneficium itē cui præest & quo priuari non debet, si ipse sibi talis defectus causa non extitit, *regere ac administrare*, eius fructus percipere: Gregor. I. *cap.* 1. *de Clerico ægroto ministrante*, coadiutor ei tamen ab Episcopo designabitur, si bene- D ficium quo fruitur, de eorum sit numero, quæ Missam dici quot hebdomadis, aut diebus, populoque Sacramenta conferri exigunt, Innocent. III. *in decretal. ex parte* 5. *de Clerico ægroto minist.* & Lucius III. *in cap.* 3. *eiusdem tituli. De rectoribus Ecclesiarum*, inquit, *lepræ macula vsque adeo infectis, quod altari seruire non possunt, nec sine magno scandalo eorum, qui sani sunt, Ecclesias ingredi, hoc volumus te tenere, quod eis dandus est coadiu-* E *tor, qui curam habeat animarum, & de facultatibus Ecclesiæ, ad sustentationem suam, congruam recipiat portionem.*

Si tamen esset vitium hoc occultum, si mēbri nō necessarii ad Ecclesiastica munera priuatio occulta, irregularitatē certe ei qui illo priuatus foret, non pareret, nisi sua illud manu, aut alterius, sine causa tamē sibi amputari, demique curasset, ita canones, *si quis absciderit* 4. *dist.* 55. *can. hi qui* 5. *can. qui partem* 6. *eiusd. distin. cap. significauit* 4. *de corpore vitiatis.*

Dixi *sine causa*, nam *Eunuchus si per insidias hominum*

hominum factus est, vel si in persecutione, eius sunt amputata virilia, vel si ita natus est, & est dignus, efficiatur Episcopus.

Ad iustam causam referenda est ægritudo, cuius sanandæ gratia, si membrum de medicorum consilio est exsectum, ea corporis parte destitutus quisquis erit, ministerii sui officium exequi poterit Innocent. III. teste *in cap. ex parte 5. de corpore vitiatis*, ad cuius testimonium Concil. quoque Nicæni primi adiungenda videtur authoritas, in cuius canone primo hæc scripta reperio: *Si quis ægritudine, vel a medicis sectus, vel à barbaris castratus, placuit vt iste permaneat in Clero. Si quis autem sanus seipsum abscidit, hic etiam si est in Clero, cessare debet, & ex hoc nullum talem oportet ordinari.*

Similiter, si quis casu, rei licitæ dans operam, membrum, aut eius partem aliquam perdat, aut sibi amputet, à suscipiendo ordine non repellitur, nec à suscepto deiicitur, Pet. Greg. *lib. 4. partition. iuris titulo 13 cap. 5 num. 2.* modo ne ex eius abscissione deformitas aliqua plusquam vulgaris, aut inhabilitas ad præstationem officii non resultet, *cap. vltimo de corpore vitiatis & in cap. 2. eiusd. tit.* dicitur ad Episcopatum prouehi posse, qui maculam habet in oculo, non eiusmodi tamen, quæ magnæ deformitatis sit causa; Eodem modo cum quocunque alio, cui operam rei illicitæ danti, pars corporis aliqua, modica tamen deperiit, pro solita sua caritate, dispensare Episcopum posse, vt in susceptis ministret, non autem vt ad superiores aspiret, dummodo tamen eius priuatio, deformitatem reliquo corpori non magnam afferat: habet, Fœlician. *de irregul.* Quare etsi qui à natiuitate est cæcus, aut oculo sinistro caret, repellatur à sacris Ecclesiæ altaribus *in can si Euangelista 13 dist. 55. nam illi, cui erutus est oculus, non possunt secundũ canones, Sacerdotij munera concedi, & in cap. cum tua de corpore vitiatis*, permittitur Archiepiscopo, vt cum habente in oculo maculam, ad ordines dispenset, si est hæc tamen modica, dispensatione non indiget, *cap. Thomas de corpore vitiatis vltimo*, ita gibbosus, & claudus ordinari queunt, imo & oculo dextro destitutus, *per can. Apostol. 76.* vbi est his verbis: *Si quis oculo defectus, aut obtuso crure existat, & dignus sit, Episcopus efficitor.*

Quo sunt honore indigni, qui ex coitu, diuinis prohibito legibus sunt nati, *de filiis Presbyteror. cap. 1.* nisi cum illis dispensatum fuerit, *aut Monachi fiant, aut in congregatione canonica regulariter viuant, de filiis Presbyt. cap. 1. Ad dignitates autem, personatus, & alia beneficia curam animarum habentia, sine dispensatione sedis Apostolicæ, promoueri nequeunt*, decreto Gregor IX. *in cap. nimis in tua 18. eiusd. titul.*

At adulterinam, incœstamque prolem, & quamlibet aliam non legitimam, Principis authoritate legitimam euadere posse, peruincunt tum quotidiana exempla, tum Doctorum communis sententia, D. Thomæ præ cæteris *in 4. sentent. dist. 41. q. 1. art. 3.* Couar. *in 4. decretal. parte 2. cap. 8. parag. 8. numero 8.*

Respondend. esse verè in potestate Principum, beneficium legitimorum hæredum largiri spuriis, cum id fit sine dãno & iniuria vel legitimorum liberorum, vel eorum, quibus etiam ius acquisitum in bonis testatoris, *quod enim per legem inducitur*, inquit loco citato Diu. Thom. *per legem reuocari potest*, ergo cum filiorum illegitimitas, fit per legem positiuam inducta, tolli hæc per eum poterit, qui auctoritatem habet legis. Sed est negandum, esse similiter in iure Principum, creare legitimos, ac ad suscipiendos ordines sacros reddere idoneos, qui ex adulterio, fornicatione, aut incestu sunt suscepti.

Cum huiusmodi autem potest Episcopus in minoribus ordinibus dispensare, collato etiam beneficio simplici, in maioribus solus Papa *de filiis Presbyteror. cap. vltimo.* Si tamen abiudicatis sæculi curis, religioni nomen dederint, in eaque vota nuncuparint, iure communi censebuntur ad omnes ordines, sine facultate alia idonei: Portelius *in dubiis regularib. verbo dispensare n. 1.* non tamen ad dignitates Prælaturas & officia ordinis Rodrig. *to. 1. q. 13. art. 6. & 9.* nisi forte priuilegio gauderet ea religio, quod ab Eugen. IV. Congregationi S. Ioann. Euangelistæ concessum dicitur, nempe, vt eorum quilibet, qui in ea est professus, censeatur ad præfecturas, officiaque omnia ordinis dispensatus.

De seruis dicere hæc habeo.

Primo reiici eos ab ordine, *de seruis non ordinandis cap. 1. & 2. & dist. 54. can. 1. nullus Episcoporum, seruum alterius ad Clericatus officium, promouere præsumat, nisi forte eorum petitio, aut voluntas accesserit, qui aliquid sibi in eo vindicant potestatis.*

Secundo, ad eum tamen admitti posse, si per dominum liceat, *nam eo sciente & non contradicente, in Clero cum ordinatur, ex hoc ipso, quod constitutus est, liber fit & ingenuus dist. 54 si seruus 20.*

Tertio, si manumissus libertatem consequatur Concil. Tolet. 4. *can. 67. & 68. De familiis Ecclesiæ, constituere per Parochias Presbyteros, & Diaconos liceat*, ea tamen ratione, *vt antea manumissi libertatem status sui percipiant.*

quarto, serui sine ea manumissione, aut Domini voluntate, non admittendi ad ordines, causas fuisse Pontificibus varias, præcipuæ sunt istæ.

Prima, *quod immunis esse debeat ab aliis, qui diuinæ iustitiæ est aggregandus, vt à castris Dominicis, quibus nomen eius ascribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur, can. 1. dist. 54.*

Altera, quod in id incumbendum sit singulis, *ne per Christiani nominis institutum, aut aliena peruadi, aut publica videatur disciplina peruerti*, Gelas. *in epist. 1. ad Episcopos per Lucan. cap 16.* Enimuero cum serui Dominis sint obnoxii, de eorum subtrahi potestate, cum in Clerum transeunt, ecquid est aliud, quam inscüs possessoribus, sua contra ius, æquumq; eripi? quare sin eo factā sibi querātur iniuriā, *& in Clericatus officio detineri cōtra voluntatem suam probauerint*, discussos, *& obnoxios approbatos, custodito legum tramite, sine intermissione restitui*, Gelasius imperat, *in can. ex antiquis regulis 9. dist* 54. hoc est in pristinam seruitutem redigi, quem mihi sensum à Concil. Tribur. iniectum fateor, in quo sic Patres præcipiunt, *Seruus non canonicè consecratus, postquam de gradu ceciderit, eius conditionis sit, cuius fuerat ante gradum*, quod de constituto duntaxat in minoribus intelligendum esse, inde colligere posse, mihi videor, quod ad Diaconatum ignorante Domino, ac Ordinatore Episcopo promoti, precium illi pendere, aut Vicarium sibi iubebantur substituere, qui à se Domino exhiberi solita officia, eidem ex fide præstaret, quo priuilegio gaudere quoque Subdiaconos declarauit, Innoc. III. *in cap. miramur 7. de seruis non ordinandis.*

Ad Presbyteros autem quod attinet, consistere hi in gradu poterant, si quæ, labore ac industria sibi bona pepererāt, hæc domino fruēda relinquerent, lubet super ea re loquentem audire Pontificem *in can. ex antiquis literis 9. dist* 54. *Si quis iam ex his Presbyter reperitur, in eodem gradu, peculij sui amissione mulctatus, maneat. Diaconus vero, aut Vicariū præstet, aut si non habuerit, ipse reddatur. Reliqua vero officia sciant neminem posse ab hac ob noxietate, si conuincitur, vindicari, quatenus hoc ordine custodito, nec Dominorum iura, nec priuilegia vlla turbentur*, debent hi tamen intra annum, ab eo die, quo de seruorum ordinatione illis constitit, & seruilem fortunam probare, & eos repetere *can. si seruus 19. dist.* 54. eo exacto, omni eorum repetendorum iure excidunt, secundum Raymund *de originariis. ascriptitiis & propriè dictis colonis.*

CAP. VII.

Qui sint Irregulares ex delictis infamibus.

PAri pœna cum seruis, plecti solitos, magicorū reos criminum, quos infames dicimus, notius est, quam vt de eo ambigi cum causa queat, sic enim Pontifices Alex. III. *in cap. ex tenore 4. & Gregor. IX. cap. quæsitum 17. de temporib. ordinationum. & canone qui in aliquo crimin. extremo dist. 51.*

Est autem infamis, infamia ciuili quem lex, vel decretum principis, vel edictum prætoris, ex causa aliqua turpi notauit vt ignominiosum. Infamis autem facti infamia, is dicitur qui ob aliquod facinus notorium, malam vitam, aut exercitium abiectum & vile, aut punitione publica, male audit, quo sensu eos omnes infames dicimus, quorum vita libidine infesta, Deo est, ac hominibus exosa. Quare infamia, quæ apud Iurisconsultos *nota* appellatur *ac ignominia lege 1. parag. 1. digest. de iis qui notantur ignominia*, triplex est, ciuilis, canonica ac facti. Prior sola legis authoritate infligitur, quod fit duobus modis, primo cum quis id facit, cui iure infamia est annexa, hoc est, cum in iis operibus versatur, in quibus iure cauetur, infamiam ipso facto incurri. Altero, cum quis in iudicio, de aliquo scelere publico, aut priuato est conuictus vel propria ipsiusmet confessione damnatus vel pœna corporali affectus publicè, iustam nominis contrahit maculam.

Infamia canonica sic dicitur à canone, qui eam imponit, Facti, ex *ipsa rei est indignitate secundum censuram bonorum virorum, leg. 2. digest. de obsequent. à lib. & liber parent. & patr. præstandis*, hoc est ex sermone communi hominium, ac opinione prouenit, factum id à quo quis habet, vt sit ipso facto infamis ob suam enormitatem, improbantium.

Ad eam rem autem est necesse, vt factum cuius causa quis est ea re infamis, & irregularis, sit publicum, hoc est notorietate iuris, aut facti cognitum, Alexand. III. est hæc sanctio *in cap. ex tenore 4. de temporib. ordinat.* & Greg. noni, *in cap. quæsitum extremo eiusd. tituli*, communi auctorum approbata sensu, Suar. *tom. 2. de relig. lib. 3. de iuram. cap. 19. num.* 13. Iulii Clari *lib. 5. sentent. parag. periurium*, nec enim subitur à quoquam infamia ex delicto, nisi sit tale, quale iura ad eum effectum postulant, quo de genere, non esse occultum, citati proximè canones indicant, ipsaque ratio, nam quid iniquius, quam ob crimen soli Deo cognitum, patere quenquam,

hominum

hominum si non inuidiæ, ac odio, saltem neglectui, ob cōtractam à se infamiam: quare etsi vt ea quis notetur, non sit necesse, eius existimationem per sententiam, aut iudicis edictum lædi, re tamen ipsa & opinione hominum, infamiæ notam vt subeat, opus est vt eius crimen sit notorium notorietate facti, per eiusdem euidentiam, sic vt nullo remedio occultari, nulla tergiuersatione cælari possit, aut confessione propria, vel iudicis sententia. *Aliquando enim* (inquit *canon infames* 102. *causæ* 3 *qu.* 7.) *contrahitur infamia genere delicti, declarati per sententiam, veluti cum iudex pronuntiat, iniuriam fecisti, hæreditatem expilasti, calumniatus es, aliquando genere pœnæ, sicut illi qui damnantur in opus publicum, qui pristinum quidem statum obtinent, sed damno infamiæ, etiam post impletum tempus subiiciuntur, aliquando genere pœnæ, & delicti declarati per sententiam; veluti dum fustibus cæso per præconem dicitur. Calumniatus es, aliquando ipso genere facti, vt exercentes improbum fœnus.* Infamia ergo, ex qua oritur irregularitas per crimina non quælibet, sed notoria, notorietate facti, aut iuris, incurri debet, quando his non est canonico iure, aut ciuili annexa infamia, nam si legibus sunt damnata, si eiusmodi quæ auctori suo infamiam creent, non est necesse ea declarari talia per iudicem, debent tamen esse notoria notorietate facti, quia qui illa concipiunt, sunt, & habentur iure infames *6. q. 1. cap. infames*, faciam ergo operę pretium meæ, si eiusmodi criminum breuem hic attexuero indiculum, ex quo fiat coniectura de cæteris.

Ordior ab Apostasia, quæ triplex est, vna ab obedientia Dei, Prælatorum Ecclesiæ, & sacrarū legum, altera à fide, tertia à religione, patetque tum maximè cum sacri ordinis insignia, quę sunt habitus, & tonsura, turpi à virtute ad vitium, à cœnobio in sæculum transfugio deseruntur: & quidem ob prioris generis Apostasiam, notari quem infamia, decretalis tertia Clement. indicat, in qua Presbyteros, Diaconos, & Clericos omnes, tam maioris ordinis, quam *inferioris, non solum infames, sed & extorres à regno Dei, & consortio fidelium, ac à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alienos esse* ait, si Episcopis non obedierint *11. q. 3. can si autem* 11. A secunda similiter, notantur infamia Apostatæ in decretali Pii II. relata à Grat. *causa 3. q. 4. can. 2.* his verbis: *Si quis à suo proposito retrorsum exorbitauerit, infamis efficitur*: Apostasiæ quoque tertii generis adiunctam esse infamiam, Innoc. III. voluit *in decretali tua 3. de Apostatis, donec deficiente probatione, ad eam abolendam, prædicti Apostatæ purgationem canonicam curauerint exhibere.*

A Secundo, iure sunt infames, qui vsuras exigunt *3. q. 7. can. infames parag. porro.*

Tertio qui alienum thalamum turpi adulterio commaculant *digest. de ritu nuptiar. lege palam parag. quæ in adult.*

Quarto qui prostituunt filias ac neptes, qui questum corpore faciunt, qui lenocinio fœdas adiuuant maritorum voluptates, *lege athletas parag. ait Prætor dig. eod.*

Quinto, qui periurio se inquinant Felinus *in cap. testimonium num. 10 de testib.* Iulius Clarus *lib. 5. parag. periurium num. 3.* & patet

B *ex can. infames 17. & can. quicunque 6. q. 1.*

Sexto infamis est *qui Christianæ legis normam abiicit, & statuta Ecclesiastica contemnit.*

Septimo, *fures, sacrilegi, & omnes capitalibus criminibus irretiti, sepulchrorum violatores, qui aduersus patres armantur, qui in mundo infamia notantur, similiter & incestuosi, homicidæ, periuri, raptores, malefici, venefici, adulteri, qui fratres calumniantur, & accusant, & non probant, omnes anathematizati, vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsi, & omnes quos Ecclesiasticæ vel seculi leges, infames pronunciant 6. q. 1.*

C *canone infames 17.*

Octauo, monomachi, cæterique, qui singulari certamine lites sibi suas terminandas, exitu sæpe miserabili, ac funesto existimant.

Nono perduelles.

Decimo, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium insecutores, ac hostes.

Sunt & alia crimina, per quæ subitur infamia, & consequenter irregularitas, eius-

D modi sunt grauia, piacularia, fœda, enormia, & quidem duo sunt, quæ licet occulta, semper tamen impediunt promouendum, & promotū deiiciūt scilicet Simonia in ordine, & homicidium, istius Gregor. eius nominis IX. meminit *in cap. vlt. de tempor. ordinationum*, Simoniæ autem Paulus II. *in Extrauag. cum detestabile*, & alii Pontifices, *in can. tanta de Simonia, can. reperiuntur 1. q. 1. Glossa in cap. 10. de cohabitat. Clericorum & mulier.* Fœlician. *de irregul. cap. 8.*

Et quanquam diuinis se ministeriis ingerere, aut ad ordines sine dispensatione aspi-

E rare, homicidæ, & Simoniaci etiam occulti non debeant, *can. miror dist. 50.* non tamen alij, qui magna quidem & horrenda consciuere scelera, sed eiusmodi tamen quæ lateant, suntque Deo soli cognita, nam peracta pœnitentia, collatis sibi vti ordinibus poterunt, necdum autem habitos, sibi ex præscripto, rituque Ecclesiæ petere, ac recipere non vetantur, nisi forte homicidii admissi rei forent, hos enim ab ordine, nisi obtenta ante dispensatione reiicit Ecclesia, ita Greg.

IX. *in cap. quæsitum 17. de temporibus ordinationum. Si proposita crimina ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) post pœnitentiam, in iam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri, qui si non pœnituerint, monendi sunt, &c.* hoc ergo inter homicidium, simoniam, & alia crimina enormia licet, & fœda, discrimen est, quod ista post pœnitentiam, promouendum non impediunt, nec promotum deiiciunt, impediendo executionem recepti ordinis, vt est *in ca. ex tenore 4. de tempor. ordinát.* quod priora tamen duo crimina faciũt.

Enormia dixi, nam leuia tam quæ occulta, quam quæ manifesta, cuiusmodi sunt venatio, lusus aleæ, tabernarum frequentatio, in Clericis susceptionẽ non tollunt ordinis, nec suscepti vsum impediunt, nisi hi moniti sapere, ac ab iis absistere, obsequi & obstinatè renuerent, enimuero posset hæc infracti animi peruicacia, plecti tunc cum ratione, suspensione à suscepti ordinis, ac suscipiendi potestate: Fœlic. *de irregularit. cap. 8.*

Quid si delicta erunt inter summa, & infima, inter ponderosa & leuia, medio loco posita? qualia sunt furtũ, adulteriũ, fornicatio fraus cum dolo, falsumque testimonium?

Si hæc erunt maiori parti viciniæ, aut Collegii sic cognita, nulla vt possint tergiuersatione cælari, promotum de gradu deturbant, promouendum autem, ne porro ascendere valeat, retardant, fidem testimonia bina faciũt, Terasii vnum, Zachariæ Papæ alterum, sic enim ille *in epist. ad Ioann. Presbyterum ante 7. Synodum posita. In scortatione, aut adulterio, si quispiam post baptismum fuerit deprehensus, diuini canones illum ad Sacerdotium non admittunt*, hic autem *in epist. ad Bonifac. IV. Nullus homicida*, inquit, *nullus adulter nullus fornicator, sacrum ministerium debet attrectare, sed neque pœnitens, qualẽ, sacri canones prohibent esse Sacerdotem.* Si erunt ex aduerso peccata hæc occulta, per pœnitentiam abstersa cum fuerint, ei à quo erunt admissa, exercendi ordinis iam suscepti, nouique suscipiendi facultatem non adiment. De vitæ mutatione per pœnitentiam sic *canon 21. Synodi 6. in Trullo. Qui canonicorum criminum rei facti, & propterea perpetuæ depositioni subiecti, in laicorum locum detrusi sunt, si quidem ad conuersionem respicientes, peccatum delent, propter quod à gratia exciderunt, & ab eo se penitus alienos efficiunt, Clerici habitu tondeantur*, id est interprete Balsamone in eum locum tonsuram & Clerici habitum recipiant, tollit ergo infamiam conceptus dolor de peccatis, à quibus oritur, maxime cum sunt occulta. Alexander III. *in ca. ex tenore literarum 4. de temporib. ordinat. Quia peccatum oc-*

A *cultum est*, inquit, *si voluerit promoueri, eum non debes aliqua ratione prohibere.* nec enim est aliquid, ex quo, absque notorietate oriatur irregularitas ne quidẽ illa crimina, quibus iure imposita est ipso facto infamia, cum effectũ producunt, nisi sint notoria, secundum Hurtadum *de irregular. diffic. 4. n. 14.* Gregor. enim, loco illo supra citato vniuersecum Alexand. III. loquitur, quare non est necessario adhibenda vlla inter peccata distinctio, cum nullam quoad hunc effectum faciant.

B Excipienda sunt eatamen, quibus ratione sui, seclusa infamia, adiuncta est irregularitas, hæc enim quamuis sint occulta, eam pariunt, quia ob peccata absolute sumpta, & præcisè vt sunt talia, imponitur, ergo & ob occulta, cum verè, & secundum se sint eiusmodi, qualia canones exigunt, vt irregularitatem ea committenti afferant. Eius generis crimina sunt, homicidiũ, rebaptizatio, & Sacramentorum administratio in censura, quæ etsi vero dolore pœnitentiæ, ac confessione, quam consequatur absolutio, C sic remittantur, vt ne eorum quidem leue vestigium sit reliquum, quod Deo exosum reddat animum, non est ideo tamen sublata irregularitas, quia cum hæc nascatur ex infamia, quę quia lata est ob crimen, aut officium semel exercitum, semper ex se moraliter perseuerat, & consequenter irregularitas incursa, donec dispensatione sit sublata, aut ablatione infamiæ à Principe *Ecclesiastico*, aut sæculari, pro eius qualitate, quod in criminibus non accidit, quæ publica quidem sunt, quia palam facta, non tamen no- D toria, vt pote quæ maiori parti Collegii, aut viciniæ non sunt nota, nam cũ infamiá tunc non generent, eo quod hęc communem opinionem requirat, satis est si delicta talia, mutatione vitæ, aut pœnitentia deleantur.

Patet ex dictis aliquem infamem esse.

Primo qui artem est professus, aut actu profitetur, opinione hominum abiectam & vilem.

Secundo, qui culpam ex his contraxit aliquam, à quibus iure tam canonico, quam ciuili, homines habent vt infames sint, & di- E cantur.

Tertio, qui vapulauit publice, aut pœna aliqua est affectus, quæ eum merito in suspicionem magni alicuius admissi criminis vocet, vt si est ad triremes damnatus, si ad publica principis ergastula.

Quarto, qui crimen aliquod graue conſciuit, aut mediocre, de quo accusatus, & conuictus corpore luit, aut honore.

Quinto, qui à se admissum facinus, fassus, est in foro, infamis est (inquit Balsamon, in

Photii

Photij titulum 9. de peccatis Episcop. ὁ ἰδίῳ ὀνόματι καταχριθεὶς, τῇ περὶ κλοπῆς ἀγωγῇ ἢ τῇ περὶ ἁρπαγῆς πραγμάτων, καὶ τῇ περὶ ὕβρεως ἀγωγῇ, hoc est *qui proprio nomine actione furti condemnatus est, vel bonorum raptorum, & actionis iniuriarum, & doli, vel qui de eiusmodi actionibus pactus est, & pecunias dedit lite nondum contestata*, commentariis autem in canonem 130. Concil. Carthagin. sub Cypriano, mimos, & lenones infames nominat, item qui pugnant cum belluis θηριόμαχοι, qui pro lucro vitam suam proiiciunt, οἱ μισθὸν λαμβάνοντες χάριν τοῦ πολεμῆσαι θηρίοις.

CAP. VIII.

De Irregularitate ex homicidio.

QVæ de homicidio tam voluntario, quam casuali, dici solent in hac materia, reuocantur ad has regulas.

Prima est, irregularitatem incurrere, qui directa voluntate, consulto, & ex proposito aliquem interimit, vt constat ex *titulo de homicidio in 6* & decretalibus.

Secunda, eandem pœnam non effugere, qui occidenti cooperatur in eo culpæ genere, quia cooperari ad malum, est illius causam esse per veram actionem, quare quando duo in conflictu aliquo vim intulere alicui, nescitur autem, vter duorum eum confecerit, ambo sunt irregulares, vt pote homicidæ ambo, ambo mortis eius causæ, cum vtriusque percussione ac cæde, vitam ille amiserit, secus censendum foret, si leue tantum vulnus eorum alter, nec lethale proinde læso intulisset.

Similiter est Clericus irregularis, qui arma ad pugnam dat mutua, quia tali actione, opem confert ac auxilium, ad futuram necem, aut iam factam.

Ex eodem capite, qui ensem, aut securim, ad nocentis iustam pœnam quærunt, aut tribuunt, qui scalas ad locum supplicii deferunt, qui contra reum, iudices verbis inflammant, & acuunt ordinari nequeunt.

Ratio est, quod istiusmodi hominum generi mors sit ascribenda cæsi, tanquam eius causæ proximæ. Secus cum quis scalas, & securim, alio sibi fine comparat, quam nocendi, puta ad domesticos vsus aut alios, & casu deinde carnifex, suspendendo furi eas adhibet, nam tunc vt mortis non est per se causa, qui securim sibi ad opus fabrile, scalas ad fructus ex arbore colligendos curauerat, ita nec irregularis: *Absit enim vt ea quæ propter bonum, ac licitum facimus, si quid per hæc præter voluntatem nostram acciderit, nobis im-*

A *putetur: alioquin nec ferramenta domestica, & agrestia sunt habenda, ne quis eis vel se, vel alterum interimat, nec arbor & restis, ne inde se suspendat*, August. *epist.* 154. *ad Publicol.*

Quarto sunt irregulares, qui rogum struxere in quo arsit hæreticus, his enim, vt eius causis mors est ascribenda ambusti, secus, si in eũ ludibundi ligna iactassent, vt luceret amplius, eoque iam mortuo: Nam ea lignorum iactatio, quia ad eius tum interitum est inutilis, causæ nomen non haberet.

Quinto est irregularis, qui reum lictoribus, quem scit ab illis ad mortem quæri, indi-
B cat, item qui in illum eos acuit, qui immittit ac incitat, qui Principis, aut prætereuntis populi auxilium implorat, ac inclamat, quo tam hi, quam alii ministri fori clamore exciti accurrerunt ad subsidium, hominemque vinctum compegere in ergastulum, estque huius corollarii ratio eadem quæ superiorum, maxime, si erat verisimile, cum capiendum non esse, nisi tali clamore, & istis animus additus, & reus patefactus foret. Quod si is quẽ hic persequitur, in vo-
C cem erumperet, vt vitæ suæ consuleret, eius impressionem ac insidias eluderet, res sibi suas ab illo interuersas recuperaret, non eum irregularitatis arguerem, quia res suas tunc agit, estque per accidens, ac præter eius voluntatem, si in manus, ac potestatem viatorum, fur veniat, & sic pereat.

Regula tertia notanda in hac materia, in eo est, quod voluntas occidendi, quod conatus, ad irregularitatem ex homicidio contrahendam, non sit satis, quia velle non est facere, nec conari aliquem opprimere, effectu non secuto, est id fecisse. Quare ha-
D beri pro irregulari non debet, qui poculum quidem mulieri propinauit amatorium, eo consilio, vt fœtum abigeret, conatu inani ac irrito, eo quod culpam completi homicidii, ac iniustæ abortionis non sustineat, vt patet, cũ quę mulieri data est ad hauriẽdum potio, ad eum effectum, cuius causa est sumpta, inefficax fuerit, ac sine robore.

Regula quarta, est irregularis, quisquis mandando, consulendo, verbis, aut præsentia sua animando, auctor est alicui efficax, faciendi homicidii.

E Ratio est, quod his rebus omnibus, aut earum aliqua, aliquis est vera ac positiua necis illatæ causa, quoad substantiam suam, ita Alexander tertius *in cap. sicut dignum 6. extra de homicidio paragraph. illi autem*, eos ait, qui cuidam Archiepiscopo Cantuar. manus inferre violentas meditanti, se comites addiderant, vt *eum caperent si de illa captione, mors eius secuta fuit, pari pœnitentia, vel ferè pari* cum homicida puniendos esse: ergo &



INDEX
RERVM MEMORABILIVM, AC NOTATV DIGNIORVM, QVÆ in hoc tomo continentur.

Prior numerus designat paginam, posterior columnam & litteram.

Clericus

Communicare.

F

FILIVS.

H

HAERESIS, HAERETICVS.

Hæretici

quarto, serui sine ea manumissione, aut A Domini voluntate, non admittendi ad ordines, causas fuisse Pontificibus varias, præcipuæ sunt istæ.

Prima, *quod immunis esse debeat ab aliis, qui diuinæ iustitiæ est aggregandus, vt à castris Dominicis, quibus nomen eius ascribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur, can. 1. dist. 54.*

Altera, quod in id incumbendum sit singulis, *ne per Christiani nominis institutum, aut aliena peruadi, aut publica videatur disciplina peruerti*, Gelas. *in epist. 1. ad Episcopos per Lucan. cap 16.* Enimuero cum serui Dominis B sint obnoxii, de eorum subtrahi potestate, cum in Clerum transeunt, ecquid est aliud, quam insciis possessoribus, sua contra ius, æquumque eripi? quare si in eo factā sibi querātur iniuriā, *& in Clericatus officio detineri cōtra voluntatem suam probauerint, discussos, & obnoxios approbatos, custodito legum tramite, sine intermissione restitui*, Gelasius imperat, *in can. ex antiquis regulis 9. dist 54.* hoc est in pristinam seruitutem redigi, quem mihi sensum à Concil. Tribur. iniectum fateor, in quo sic Patres præcipiunt, *Seruus non canonicè conse-* C *cratus, postquam de gradu ceciderit, eius conditionis sit, cuius fuerat ante gradum*, quod de constituto duntaxat in minoribus intelligendum esse, inde colligere posse, mihi videor, quod ad Diaconatum ignorante Domino, ac Ordinatore Episcopo promoti, precium illi pendere, aut Vicarium sibi iubebantur substituere, qui à se Domino exhiberi solita officia, eidem ex fide præstaret, quo priuilegio gaudere quoque Subdiaconos declarauit, Innoc. III. *in cap. miramur 7. de seruis* D *non ordinandis.*

Ad Presbyteros autem quod attinet, consistere hi in gradu poterant, si quæ, labore ac industria sibi bona pepererāt, hæc domino fruēda relinquerent, lubet super ea re loquentem audire Pontificem *in can. ex antiquis literis 9. dist 54. Si quis iam ex his Presbyter reperitur, in eodem gradu, peculij sui amissione mulctatus, maneat. Diaconus vero, aut Vicariū præstet, aut si non habuerit, ipse reddatur. Reliqua vero officia sciant neminem posse ab hac ob-* E *noxietate, si conuincitur, vindicari, quatenus hoc ordine custodito, nec Dominorum iura, nec priuilegia vlla turbentur*, debent hi tamen intra annum, ab eo die, quo de seruorum ordinatione illis constitit, & seruilem fortunam probare, & eos repetere *can. si seruus 19. dist. 54.* eo exacto, omni eorum repetendorum iure excidunt, secundum Raymund *de originariis. ascriptitiis & propriè dictis colonis.*

CAP. VII.

Qui sint Irregulares ex delictis infamibus.

Pari pœna cum seruis, plecti solitos, magicorū reos criminum, quos infames dicimus, notius est, quam vt de eo ambigi cum causa queat, sic enim Pontifices Alex. III. *in cap. ex tenore 4. & Gregor. IX. cap. quæsitum 17. de temporib. ordinationum. & canone qui in aliquo crimin. extremo dist. 51.*

Est autem infamis, infamia ciuili quem lex, vel decretum principis, vel edictum prætoris, ex causa aliqua turpi notauit vt ignominiosum. Infamis autem facti infamia, is dicitur qui ob aliquod facinus notorium, malam vitam, aut exercitium abiectum & vile, aut punitione publica, male audit, quo sensu eos omnes infames dicimus, quorum vita libidine infesta, Deo est, ac hominibus exosa. Quare infamia, quæ apud Iurisconsultos *nota* appellatur *ac ignominia lege 1. parag. 1. digest. de iis qui notantur ignominia*, triplex est, ciuilis, canonica ac facti. Prior sola legis authoritate infligitur, quod fit duobus modis, primo cum quis id facit, cui iure infamia est annexa, hoc est, cum in iis operibus versatur, in quibus iure cauetur, infamiam ipso facto incurri. Altero, cum quis in iudicio, de aliquo scelere publico, aut priuato est conuictus vel propria ipsiusmet confessione damnatus, vel pœna corporali affectus publicè, iustam nominis contrahit maculam.

Infamia canonica sic dicitur à canone, qui eam imponit, Facti, *ex ipsa rei est indignitate secundum censuram bonorum virorum, leg. 2. digest. de obsequent. à lib. & liber parent. & patr. præstandis*, hoc est ex sermone communi hominium, ac opinione prouenit, factum id à quo quis habet, vt sit ipso facto infamis ob suam enormitatem, improbantium.

Ad eam rem autem est necesse, vt factum cuius causa quis est ea re infamis, & irregularis, sit publicum, hoc est notorietate iuris, aut facti cognitum, Alexand. III. est hæc sanctio *in cap. ex tenore 4. de temporib. ordinat.* & Greg. noni, *in cap. quæsitum extremo eiusd. tituli*, communi auctorum approbata sensu, Suar. *tom. 2. de relig. lib. 3. de iuram. cap. 19. num.* 13. Iulii Clari *lib. 5. sentent. parag. periurium*, nec enim subitur à quoquam infamia ex delicto, nisi sit tale, quale iura ad eum effectum postulant, quo de genere, non esse occultum, citati proximè canones indicant, ipsaque ratio, nam quid iniquius, quam ob crimen soli Deo cognitum, patere quenquam,

hominum

hominum si non inuidiæ, ac odio, saltem neglectui, ob cõtractam à se infamiam: quare etsi vt ea quis notetur, non sit necesse, eius existimationem per sententiam, aut iudicis edictum lædi, re tamen ipsa & opinione hominum, infamiæ notam vt subeat, opus est vt eius crimen sit notorium notorietate facti, per eiusdem euidentiam, sic vt nullo remedio occultari, nulla tergiuersatione cælari possit, aut confessione propria, vel iudicis sententia. *Aliquando enim* (inquit *canon infames* 102. *causa 3 qu. 7.*) *contrahitur infamia genere delicti, declarati per sententiam, veluti cum iudex pronuntiat, iniuriam fecisti, hæreditatem expilasti, calumniatus es, aliquando genere pœnæ, sicut illi qui damnantur in opus publicum, qui pristinum quidem statum obtinent, sed damno infamiæ, etiam post impletum tempus subiiciuntur, aliquando genere pœnæ, & delicti declarati per sententiam; veluti dum fustibus caso per præconem dicitur. Calumniatus es, aliquando ipso genere facti, vt exercentes improbum fœnus.* Infamia ergo, ex qua oritur irregularitas per crimina non quælibet, sed notoria, notorietate facti, aut iuris, incurri debet, quando his non est canonico iure, aut ciuili annexa infamia, nam si legibus sunt damnata, si eiusmodi quæ auctori suo infamiam creent, non est necesse ea declarari talia per iudicem, debent tamen esse notoria notorietate facti, quia qui illa concipiunt, sunt, & habentur iure infames *6. q. 1. cap. infames*, faciam ergo operę pretium meæ, si eiusmodi criminum breuem hic attexuero indiculum, ex quo fiat coniectura de cæteris.

Ordior ab Apostasia, quæ triplex est, vna ab obedientia Dei, Prælatorum Ecclesiæ, & sacrarũ legum, altera à fide, tertia à religione, patetque tum maximè cum sacri ordinis insignia, quę sunt habitus, & tonsura, turpi à virtute ad vitium, à cœnobio in sæculum transfugio deseruntur: & quidem ob prioris generis Apostasiam, notari quem infamia, decretalis tertia Clement. indicat, in qua Presbyteros, Diaconos, & Clericos omnes, tam maioris ordinis, quam *inferioris, non solum infames, sed & extorres à regno Dei, & consortio fidelium, ac à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alienos esse* ait, si Episcopis non obedierint 11. *q. 3. can si autem* 11. A secunda similiter, notantur infamia Apostatæ in decretali Pii II. relata à Grat. *causa* 3. *q.* 4. *can.* 1. his verbis: *Si quis à suo proposito retrorsum exorbitauerit, infamis efficitur*: Apostasiæ quoque tertii generis adiunctam esse infamiam, Innoc. III. voluit *in decretali tuæ* 3. *de Apostatis, donec deficiente probatione, ad eam abolendam, prædicti Apostatæ purgationem canonicam curauerint exhibere.*

A Secundo, iure sunt infames, qui vsuras exigunt *3. q. 7. can. infames parag. porro.*

Tertio qui alienum thalamum turpi adulterio commaculant *digest. de ritu nuptiar. lege palam parag. quæ in adult.*

Quarto qui prostituunt filias ac neptes, qui questum corpore faciunt, qui lenocinio fœdas adiuuant maritorum voluptates, *lege athletas parag. ait Prætor dig. eod.*

Quinto, qui periurio se inquinant Felinus *in cap. testimonium num.* 20. *de testib.* Iulius Clarus *lib.* 5. *parag. periurium num.* 3. & patet

B *ex can. infames* 17. *& can. quicunque* 6. *q.* 1.

Sexto infamis est *qui Christianæ legis normam abiicit, & statuta Ecclesiastica contemnit.*

Septimo, *fures, sacrilegi, & omnes capitalibus criminibus irretiti, sepulchrorum violatores, qui aduersus patres armantur, qui in mundo infamia notantur, similiter & incestuosi, homicidæ, periuri, raptores, malefici, venefici, adulteri, qui fratres calumniantur, & accusant, & non probant, omnes anathematizati. vel pro suis sceleribus ab Ecclesia pulsi, & omnes quos Ecclesiasticæ vel sæculi leges, infames pronunciant 6. q. 1. canone infames* 17.

C

Octauo, monomachi, cæterique, qui singulari certamine lites sibi suas terminandas, exitu sæpe miserabili, ac funesto existimant.

Nono perduelles.

Decimo, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium insecutores, ac hostes.

Sunt & alia crimina, per quæ subitur infamia, & consequenter irregularitas, eius-

D modi sunt grauia, piacularia, fœda, enormia, & quidem duo sunt, quæ licet occulta, semper tamen impediunt promouendum, & promotũ deiiciũt scilicet Simonia in ordine, & homicidium, istius Gregor. eius nominis IX. meminit *in cap. vlt. de tempor. ordinationum*, Simoniæ autem Paulus II. *in Extrauag. cum detestabile*, & alii Pontifices, *in can. tanta de Simonia, can. reperiuntur* 1. *q.* 1. *Glossa in cap.* 10. *de cohabitat. Clericorum & mulier.* Fœlician. *de irregul. cap.* 8.

Et quanquam diuinis se ministeriis inge-

E rere, aut ad ordines sine dispensatione aspirare, homicidæ, & Simoniaci etiam occulti non debeant, *can. miror dist.* 50. non tamen alij, qui magna quidem & horrenda consciuere scelera, sed eiusmodi tamen quæ lateant, suntque Deo soli cognita, nam peracta pœnitentia, collatis sibi vti ordinibus poterunt, necdum autem habitos, sibi ex præscripto, rituque Ecclesiæ petere, ac recipere non vetantur, nisi forte homicidii admissi rei forent, hos enim ab ordine, nisi obtenta ante dispensatione reiicit Ecclesia, ita Greg.

IX. *in cap. quæsitum 17. de temporibus ordinationum. Si proposita crimina ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) post pœnitentiam, in iam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri, qui si non pœnituerint, monendi sunt, &c.* hoc ergo inter homicidium, simoniam, & alia crimina enormia licet, & fœda, discrimen est, quod ista post pœnitentiam, promouendum non impediunt, nec promotum deiiciunt, impediendo executionem recepti ordinis, vt est *in ca. ex tenore 4. de tempor. ordinát.* quod priora tamen duo crimina faciũt.

Enormia dixi, nam leuia tam quæ occulta, quam quæ manifesta, cuiusmodi sunt venatio, lusus aleæ, tabernarum frequentatio, in Clericis susceptionẽ non tollunt ordinis, nec suscepti vsum impediunt, nisi hi moniti sapere, ac ab iis absistere, obsequi & obstinatè renuerent, enimuero posset hæc infracti animi peruicacia, plecti tunc cum ratione, suspensione à suscepti ordinis, ac suscipiendi potestate: Fœlic. *de irregularit. cap.* 8.

Quid si delicta erunt inter summa, & infima, inter ponderosa & leuia, medio loco posita? qualia sunt furtũ, adulteriũ, fornicatio fraus cum dolo, falsumque testimonium?

Si hæc erunt maiori parti viciniæ, aut Collegii sic cognita, nulla vt possint tergiuersatione cælari, promotum de gradu deturbant, promouendum autem, ne porro ascendere valeat, retardant, fidem testimonia bina faciũt, Terasii vnum, Zachariæ Papæ alterum, sic enim ille *in epist. ad Ioann. Presbyterum ante 7. Synodum posita. In scortatione, aut adulterio, si quispiam post baptismum fuerit deprehensus, diuini canones illum ad Sacerdotium non admittunt*, hic autem *in epist. ad Bonifac. IV. Nullus homicida*, inquit, *nullus adulter nullus fornicator, sacrum ministerium debet attrectare, sed neque pœnitens, qualẽ, sacri canones prohibent esse Sacerdotem.* Si erunt ex aduerso peccata hæc occulta, per pœnitentiam abstersa cum fuerint, ei à quo erunt admissa, exercendi ordinis iam suscepti, nouique suscipiendi facultatem non adiment. De vitæ mutatione per pœnitentiam sic *canon 21. Synodi 6. in Trullo. Qui canonicorum criminum rei facti, & propterea perpetuæ depositioni subiecti, in laicorum locum detrusi sunt, si quidem ad conuersionem respicientes, peccatum delent, propter quod à gratia exciderunt, & ab eo se penitus alienos efficiunt, Clerici habitu tondeantur*, id est interprete Balsamone in eum locum tonsuram & Clerici habitum recipiant, tollit ergo infamiam conceptus dolor de peccatis, à quibus oritur, maxime cum sunt occulta. Alexander III. *in ca. ex tenore literarum 4. de temporib. ordinat. Quia peccatum occultum est*, inquit, *si voluerit promoueri, eum non debes aliqua ratione prohibere.* nec enim est aliquid, ex quo, absque notorietate oriatur irregularitas ne quidẽ illa crimina, quibus iure imposita est ipso facto infamia, cum effectũ producunt, nisi sint notoria, secundum Hurtadum *de irregular. diffic. 4. n. 14.* Gregor. enim, loco illo supra citato vniuersecum Alexand. III. loquitur, quare non est necessario adhibenda vlla inter peccata distinctio, cum nullam quoad hunc effectum faciant.

Excipienda sunt ea tamen, quibus ratione sui, seclusa infamia, adiuncta est irregularitas, hæc enim quamuis sint occulta, eam pariunt, quia ob peccata absolute sumpta, & præcisè vt sunt talia, imponitur, ergo & ob occulta, cum verè, & secundum se sint eiusmodi, qualia canones exigunt, vt irregularitatem ea committenti afferant. Eius generis crimina sunt, homicidiũ, rebaptizatio, & Sacramentorum administratio in censura, quæ etsi vero dolore pœnitentiæ, ac confessione, quam consequatur absolutio, sic remittantur, vt ne eorum quidem leue vestigium sit reliquum, quod Deo exosum reddat animum, non est ideo tamen sublata irregularitas, quia cum hæc nascatur ex infamia, quę quia lata est ob crimen, aut officium semel exercitum, semper ex se moraliter perseuerat, & consequenter irregularitas incursa, donec dispensatione sit sublata, aut ablatione infamiæ à Principe Ecclesiastico, aut sæculari, pro eius qualitate, quod in criminibus non accidit, quæ publica quidem sunt, quia palam facta, non tamen notoria, vt pote quæ maiori parti Collegii, aut viciniæ non sunt nota, nam cũ infamiá tunc non generent, eo quod hęc communem opinionem requirat, satis est si delicta talia, mutatione vitæ, aut pœnitentia deleantur.

Patet ex dictis aliquem infamem esse.

Primo qui artem est professus, aut actu profitetur, opinione hominum abiectam & vilem.

Secundo, qui culpam ex his contraxit aliquam, à quibus iure tam canonico, quam ciuili, homines habent vt infames sint, & dicantur.

Tertio, qui vapulauit publice, aut pœna aliqua est affectus, quæ cum merito in suspicionem magni alicuius admissi criminis vocet, vt si est ad triremes damnatus, si ad publica principis ergastula.

Quarto, qui crimen aliquod graue consciuit, aut mediocre, de quo accusatus, & conuictus corpore luit, aut honore.

Quinto, qui à se admissum facinus, fassus est in foro, infamis est (inquit Balsamon, in

Photij titulum 9. de peccatis Episcop. ὁ ἰδίῳ ὀνόματι καταχριθεὶς, τῇ περὶ κλοπῆς ἀγωγῇ ἢ τῇ περὶ ἁρπαγῆς πραγμάτων, ἢ τῇ περὶ ὕβρεως ἀγωγῇ, hoc est *qui proprio nomine actione furti condemnatus est, vel bonorum raptorum, & actionis iniuriarum, & doli, vel quis de eiusmodi actionibus pactus est, & pecunias dedit lite nondum contestata*, commentariis autem in canonem 130. Concil. Carthagin. sub Cypriano, mimos, & lenones infames nominat, item qui pugnant cum belluis θηριομάχοι, qui pro lucro vitam suam proiiciunt, οἱ μισθὸν λαμβάνοντες χάριν τοῦ πολεμῆσαι θηρίον.

CAP. VIII.

De Irregularitate ex homicidio.

QVæ de homicidio tam voluntario, quam casuali, dici solent in hac materia, reuocantur ad has regulas.

Prima est, irregularitatem incurrere, qui directa voluntate, consulto, & ex proposito aliquem interimit, vt constat ex *titulo de homicidio in 6* & decretalibus.

Secunda, eandem pœnam non effugere, qui occidenti cooperatur in eo culpæ genere, quia cooperari ad malum, est illius causam esse per veram actionem, quare quando duo in conflictu aliquo vim intulere alicui, nescitur autem, vter duorum eum confecerit, ambo sunt irregulares, vt pote homicidæ ambo, ambo mortis eius causæ, cum vtriusque percussione ac cæde, vitam ille amiserit, secus censendum foret, si leue tantum vulnus eorum alter, nec lethale proinde læso intulisset.

Similiter est Clericus irregularis, qui arma ad pugnam dat mutua, quia tali actione, opem confert ac auxilium, ad futuram necem, aut iam factam.

Ex eodem capite, qui ensem, aut securim, ad nocentis iustam pœnam quærunt, aut tribuunt, qui scalas ad locum supplicii deferunt, qui contra reum, iudices verbis inflammant, & acuunt ordinari nequeunt.

Ratio est, quod istiusmodi hominum generi mors sit ascribenda cæsi, tanquam eius causæ proximæ. Secus cum quis scalas, & securim, alio sibi fine comparat, quam nocendi, puta ad domesticos vsus aut alios, & casu deinde carnifex, suspendendo furi eas adhibet, nam tunc vt mortis non est per se causa, qui securim sibi ad opus fabrile, scalas ad fructus ex arbore colligendos curauerat, ita nec irregularis: *Absit enim vt ea quæ propter bonum, ac licitum facimus, si quid per hæc præter voluntatem nostram acciderit, nobis im-*

A *putetur: alioquin nec ferramenta domestica, & agrestia sunt habenda, ne quis eis vel se, vel alterum interimat, nec arbor & restis, ne inde se suspendat*, August. *epist.* 154. *ad Publicol.*

Quarto sunt irregulares, qui rogum struxere in quo arsit hæreticus, his enim, vt eius causis mors est ascribenda ambusti, secus, si in eũ ludibundi signa iactassent, vt luceret amplius, eoque iam mortuo: Nam ea lignorum iactatio, quia ad eius tum interitum est inutilis, causæ nomen non haberet.

Quinto est irregularis, qui reum lictoribus, quem scit ab illis ad mortem quæri, indi-
B cat, item qui in illum eos acuit, qui immittit ac incitat, qui Principis, aut prætereuntis populi auxilium implorat, ac inclamat, quo tam hi, quam alii ministri fori clamore exciti accurrerunt ad subsidium, hominemque vinctum compegere in ergastulum, estque huius corrollarii ratio eadem quæ superiorum, maxime, si erat verisimile, cum capiendum non esse, nisi tali clamore, & istis animus additus, & reus patefactus foret. Quod si is quẽ hic persequitur, in vo-
C cem erumperet, vt vitæ suæ consuleret, eius impressionem ac insidias eluderet, res sibi suas ab illo interuersas recuperaret, non eum irregularitatis arguerem, quia res suas tunc agit, estque per accidens, ac præter eius voluntatem, si in manus, ac potestatem viatorum, fur veniat, & sic pereat.

Regula tertia notanda in hac materia, in eo est, quod voluntas occidendi, quod conatus, ad irregularitatem ex homicidio contrahendam, non sit satis, quia velle non est facere, nec conari aliquem opprimere, effectu non secuto, est id fecisse. Quare ha-
D beri pro irregulari non debet, qui poculum quidem mulieri propinauit amatorium, eo consilio, vt fœtum abigeret, conatu inani ac irrito, eo quod culpam completi homicidii, ac iniustæ abortionis non sustineat, vt patet, cũ quę mulieri data est ad hauriẽdum potio, ad eum effectum, cuius causa est sumpta, inefficax fuerit, ac sine robore.

Regula quarta, est irregularis, quisquis mandando, consulendo, verbis, aut præsentia sua animando, auctor est alicui efficax, faciendi homicidii.

E Ratio est, quod his rebus omnibus, aut earum aliqua, aliquis est vera ac positiua necis illatæ causa, quoad substantiam suam, ita Alexander tertius *in cap. sicut dignum 6. extra de homicidio paragraph. illi autem*, eos ait, qui cuidam Archiepiscopo Cantuari manus inferre violentas meditanti, se comites addiderant, *vt cum caperent si de illa captione, mors eius secuta fuit, pari pœnitentia, vel ferè pari cum homicida puniendos esse*: ergo &

irregularitate, cum hanc iste, qui animo in Episcopum infenso, ac eius occidendi causa venerat, effectu secuto incurrisset, cum decreto Concil. sub Martino habiti *can. 26.* qui *homicidij aut facto, aut praecepto, aut consilio, aut defensione est conscius, & per aliquam subreptionem ad Clericatum venit, deiici debeat.*

Infertur hinc primo, ab irregularitate liberum videri, qui iudici suadet ac consulit, ne nocturnos fures virginum pudicitiæ insidias molientes, aut homicidas, viuere sinat.

Ratio est, quod hæc eius suasio neminem nocet, nemini, in particulari noceat, nullius speciatim vitam adimat, vno verbo peculiaris homicidii non sit causa, non sunt ob eam rationem irregulares Episcopi, ac Principes, cum his quos sibi in Repub. iusi dicundo subrogant, pro auctoritate imperant, ne maleficos, fures, ac adulteros patiantur viuere, sed in eis ad cæterorum terrorem, æquitatis ac seueritatis exemplum statuant, quod enim vniuersè tantū præcipiant, quod mandent, quod loquantur, nec indiuiduæ vllius necis sint causa, irregulares haberi non debent, non magis quam qui sciscitanti Iudici, qua pœna magna scelera castigari oporteat, quod iura, quod ratio, quod libri, quod æquitas ea de re statuerint, præcise respondet ac planè Panormit. *in cap. ex literis de excessib. prelator.*

Infertur secundò, ea pœna teneri, non modo qui suo sunt consilio, adhortatione, aut precibus, alienæ necis immediata causa, sed & qui mediate in eam influunt, modo efficaciter, ac secuto effectu.

Ratio est, quod tali concursu, mortem procurent ac afferant, ita qui interrogatus de modo eiiciendi fœtus, deponendi per abortionem vteri, rationem aperit commouendi ad vomitum stomachi, seminis priusquam concrescat in hominem, dissoluendi in matris vtero, necandi per venenum animalis, irregularitate verè afficitur, si fœtus excutitur, ac moritur, licet enim mortis eius immediata non sit causa, ei tamē vt mediatæ est ascribenda, si rogantem credidit suo ad alienam perniciem vsurum consilio, aut si culpam negligentiæ, inconsiderantiæ, seu inconsultæ rationis, in non aduertendo subiit, quod eum cum ista diceret, aduertere erat necesse, quia in negligentia considerantis, quod prudentes ac accurati consultores prouidere solent ac prospicere, tacite est ac implicite mors aliena volita.

Infertur 3. irregularē esse, qui læso, suas vt vlciscatur iniurias, magna vi orationis suadet ac cōsulit, ratus id sine alterutrius, id est lædentis aut læsi necesse non posse. Item qui

A dolo cuipiam auctor fuit, alienis appetitum insidiis ne iuuaret, vnde est factum, opis vt hic, auxiliiq; inops caderet, secus, si ab ea illum mente, caritas quæ cuique est innata aduersum se, diuertit, hominique opem non attulit, ne periret ipse, dum pereunti adesse, cumque periculo eximere satagit.

Ratio est, quod nihil habet ea suasio, vnde homicidii maculam trahere valeat, nec enim est eius directa causa, vt patet, nec virtualis ac indirecta, cum à caritate originem habeat, quod enim eius, à quo periclitatur de B vita, pietatis ac amoris officia exhiberi noluit, salutem amaret ac vellet, hanc ne in discrimen ipse vocaret eum adiuuando, est hortatus, in quo quid peccauit? aut oppressum ab hoste, alienæ opis inopia, quid læsit, si hanc sine vitæ periculo, dare ipse non poterat? non est ergo irregularis.

Regula quinta, vt irregularitatem ex homicidio quis contrahat eius causa esse debet propinqua, eaque directa, aut indirecta per actionem illicitam.

Ratio est, quod quæ præter voluntatem ac sine culpa mors infertur, hæc irregularitatis C causa esse nequeat, eiusmodi est, quæ non à causa propinqua, aut actione non vitiosa oritur.

Fac enim tibi à dormiente, insano, aut sui non compote, vim fieri, membrum abscindi, vitam tolli, talis irregularis non erit, *cap. si furiosus de homicidio in Clement.* quia peccatum nullum est nolentis 15. *q. 1. can. merito primo.* Similiter, nec qui sibi, aut alteri, membrum de corpore, medici consilio sanitatis recuperandæ causa demi patitur, *can. si quis à medicis, can. qui partem, can. si quis pro* D *ægritudine distinct.* 55. cuius rei causa haud dubie non est alia, quam quod furiosi peccare nesciunt, in cuiusque autem potestate sit, se suaq; in tuto ponere, dictum est ergo verissime, irregularitatem ex homicidio non induci, quod sit licitum, aut certe non vitiosum.

Neque hæc alium, quam qui eius est causa proxima, directa aut indirecta afficit, Glossa *in cap. de cætero de homicid.* Nam quis eos irregulares putet, qui enses, bombardas gladios cudunt ac arma, ad vindictam noE centium? aut cusa profecturis ad bellum iustum distrahunt, venduntque? sunt tamen eorum artifices, quique illa emptoribus numerato pretio diuendunt, cladiū quæ secuturæ sūt, remotæ causæ quæ ergo actio irregularitatem parit ob eas, causa earundē propinqua esse debet, ac cū peccato coniuncta.

Non est eam ob rem irregularis, qui expediendæ salutis suæ causa, alienam perdidit, *Clement. si furiosus de homicid. cap.* Dilect.

Enimuero

Enimuero vim vi repellere non sumendæ vindictæ animo, sed propulsandę iniuriæ, *leges iuraque sinunt cap. significasti* 18. *de homicid. & dist.* 1. *can. ius naturale* 7. non est ergo ei timenda irregularitas, qui vt se defenderet, inuadentem oppressit, si tamen sibi fuga consulere potuit, si hostis declinando impetum, euadere periculũ: mutilãdo aut necando irregularitatem incurrit, quia inculpatæ tutelæ limites est egressus, plusque nocuit, quã vt se discrimini eximeret, necesse esset, nisi se forte, ideo fugæ nõ dedit quia hæc, vt pote dedecoris ac ignominię plena, famæ suæ ac existimationi inussisset maculam, aut se in apertum capitis periculum iecisset, quia de viribus suis ambigebat, metuebatque, ne factus ex fuga sua hostis audacior, eum à tergo confoderet, nam tunc si omissa fuga, vt virum fortem decet, obsistat alacriter, si petitiones aduersarii eludat animose ac fortiter, & ita eum perimat, ab irregularitate est liber, quia se, vitamque suam, aliena posteriorem vt habeat, lex naturæ nulla, aut Dei exigit, fuit ergo à culpa vacuus, eũ occidendo, qui in se iratus districto irruebat gladio: ergo & ab irregularitate, cum hæc A extra lenitatis defectum, ex homicidio non sequatur, nisi vitioso ac illicito.

Sexta, clades aut mutilatio ex opere orta illicito, irregularitatem generat, quemadmodum & ex licito, quando ne accideret, diligentia non est adhibita sufficiens ac necessaria.

Causa est, quod cædes tam in opere non bono, hoc est culpabili, quam eius omissione diligentiæ, quã requirit æquitas vt vitetur, censeatur indirecte volita, ita Diaconus ad superiorem gradum ascendere, aut in Diaconatus officio ministrare ab Alexand. B III. est prohibitus, quod rei illicitæ dans operam, quendam vulnerasset, quo ex vulnere post octiduum obiit *cap. continebatur* 8. *de homicidio & cap. suscepimus* 10. *eod. titulo.*

Confirm. qui causa est propinqua, tam directa, quam indirecta homicidii, irregularitatem eo secuto contrahit, eiusmodi est, qui ex opere non bono cui dabat operam, aut omissione diligentię, ad præcauendam necem necessariæ, eius causa extitit: enimuero est id causa propinqua directa, quod ex natura sua, vel intẽtione auctoris, aut vtroque, ad necandum dirigitur, quod hic accidit.

Ad maiorem Dei, Deiparæque honorem & gloriam.

FINIS.



INDEX RERVM MEMORABILIVM, AC NOTATV DIGNIORVM, QVÆ in hoc tomo continentur.

Prior numerus designat paginam, posterior columnam & litteram.

C

CAPITVLVM.

Clericus

Hæretici

Irregularitas.

Iudæi

S

SACERDOS.

Sacramenta.

Scientia.

Serui.

Simonia.

Subditus.

Suffragia.

Suſpenſio, Suſpenſus

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google